BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 L
13

Ex Bibliotheca.
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 15. b.

68.3.15.
III III
13 10
C C

IOANNIS DALLÆI,

DE POENIS

ET

SATISFACTIONIBVS HVMANIS,

LIBRI VII.

ROMA
VITTORIO EMANUELE



AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo IOHANNIS BLAEV.
M D C XXXXIX.

AMPLISSIMO VIRO,

CLAVDIO SARRAVIO,

In Parlamento Pariſienſi Senatori integerrimo,

IOANNES DALLÆVS S. P. D.

QVod noſtrum hoc de ſatisfactionibus humanis jam ante aliquot annos elucubratum opus, poſt longas, ac difficiles moras, nunc tandem in publicam lucem exit, id ego, Ampliſſime SARRAVI, non ſine ſingulari quadam ſummi illius numinis, à quo noſtra omnia reguntur, providentia contigiſſe arbitror. Cum enim Romanus Epiſcopus Iubilæi ſui indulgentias ex novitio ſequiorum Chriſtianiſmi temporum more, in annum proximum, qui ſæculi labentis quinquageſimus erit, dato nuper è Vaticana ſede ſigno pollicitus, in magnam ſolennitatis hujus exſpectationem ſuorum omnium animos excitarit; opportune profecto accidit, ut eodem quoque temporis articulo noſtra hæc diſputatio edatur; in qua, niſi me fallit animus, ex divinis, & Eccleſiaſticis litteris ita labefactata, atque ſubverſa ſunt omnia Papalium indulgentiarum, Romanique jubilæi fundamenta, ut nullus errori, in quo conſiſtat, locus relictus eſſe videatur. Atque hæc ſane etiam antehac noſtri homines, & quidem multo fortaſſe, quam ego, fœlicius egerant; ſed eadem diverſis temporibus ab aliis, atque aliis ſubinde tractari, è re Eccleſiæ eſſe, & ſapientiſſime olim monuit Auguſtinus, & nos quotidie experimur.

 Quo

Quo minus repugnandum putavi amiciſſimorum quidem, fateor, ſed tamen optimorum, atque eruditiſſimorum virorum, ſive ſententiæ, ſive indulgentiæ, qui cenſuerunt aliquam ex hac noſtra lucubratione utilitatem ad pios redire poſſe. Tuo autem, Vir ampliſſime, nomini, quicquid hujus eſt opuſculi ideo inſcribere placuit, quod ea ſit tua cum in Deum pietas, tum in omni virtutum, atque litterarum genere excellentia, adhæc ea in me, & in mei ordinis homines benevolentia, ut qui de re tota accuratius cognoſcere, certiuſque judicare, & noſtræ diſputationi, ſi quod ea deſideret, præſidium, atque patrocinium commodare, ac præſtare vel velit propenſius, vel poſſit luculentius, quam tu, haud facile ſit quemquam alium reperire. Nam quæ plurimum laudis etiam ſingula merentur, ea in te unum rara Dei liberalitas congeſſit univerſa, fœliciſſimum ingenium, acerrimam mentem, rectum atque incorruptum judicium, ſummam fidem, integritatem, ac probitatem, diffuſiſſimam, eandemque accuratiſſimam rerum divinarum, atque humanarum ſcientiam, cum egregia linguarum & vulgarium, & principum, Latinæ, Græcæque, ac etiam Hebraicæ cognitione conjunctam. Quæ cœli dona ita ſancte, ac ſtudioſe habes, atque excolis, ut te, quicumque norunt omnes & viri in Eccleſia ad unguem Chriſtiani, & Senatoris in Curia ſuis numeris abſolutiſſimi partes animo complexum, vita & moribus ad amuſſim implere præſtareque intelligant atque fateantur. Itaque cum ei piorum cœtui, in quo te Deus & naſci primum, atque imbui, & poſtea etiam verſari, & vivere, & florere voluit, ego in Euangelii opere pro gratiæ mihi conceſſæ modulo ſerviam, ac miniſtrem; nemo mirabitur hoc à me munuſculum tibi delatum eſſe, id eſt ei viro, cujus laudes noſtram hanc Eccleſiam plurimum & ædificant, & exornant. Illud mihi fortaſſe magis verendum fuit, ne tuis meritis impar videatur exiguum hoc donum. Sed &

hunc

hunc metum nobis excuſſit tua in nos, noſtraque, multis magniſque experimentis, cum alias ſæpe, tum nuper in hoc ipſo negotio cognita, ac perſpecta humanitas atque benevolentia. Tu enim huic ipſi, quod nunc ad te afferimus, opuſculo in tenebris deliteſcenti manum ultro porrexiſti, & qua tuo, qua amicorum favore ita dexter affuiſti, ut tuo maxime beneficio in communem hanc hominum lucem veniat. Accipe ergo, Vir Ampliſſime, tot tibi nominibus debitum noſtræ hoc in te obſervantiæ, ac gratitudinis qualecumque pignus. Nos Deum, quod facimus, ex animo venerabimur, ut te incolumem, ac omni bonorum, laudumque genere florentem, familiæ tuæ, ſuæque Eccleſiæ, ac nobis, diutiſſime ſervet, atque tueatur. Vale. Dat. Lutetiæ Pariſiorum, A. D. CIↃ IↃ C XLIX. d. VI. Iul.

INDEX CAPITVM

In ſeptem Libros

DE POENIS & SATISFACTIONIBVS HVMANIS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *Operis præfatio, & partes.* 1

II. *Prima pars, de pœnis hujus vitæ.* 3

III. *Solvitur prima adverſariorum objectio ex 2 Sam.* 12.14, *&c.* 6

IV. *Solvitur adverſariorum ſecunda objectio; inde petita, quod fideles moriantur; explicantur vera mortis fidelium cauſa.* 9

V. *Solvitur tertia adverſariorum objectio ex Iſraëlitis in deſerto punitis Exod.* 32. 10.14. *& quarta ex eorumdem in deſerto morte Num.* 14. 17

VI. *Solvuntur reliquæ objectiones, &c.* 21

VII. *De pœnis fidelium poſt hanc vitam, ſive de purgatorio, &c.* 23

VIII. *Solvuntur objectiones ex V.T. ſecunda ex Pſ.* 38.1. *tertia ex Pſ.* 66.12. *Caſtigatur adverſariorum in citandis huc Patribus importunitas.* 28

IX. *Solvuntur reliqua Bellarmini ex veteri Teſtamento objectiones, &c.* 32

X. *Solvuntur aliorum ex veteri Teſtamento objectiones, &c.* 41

XI. *Solvuntur objectiones ex novo Teſt. &c.* 48

XII. *Solvitur ſecundus locus ex Matth.* 5. 26. *Non exibis donec ſolveris.* 56

XIII. *Solvitur tertius locus ex Matth.* 12. 31.32. *de peccato, quod non remittitur in futuro ſæculo.* 64

XIV. *Solvitur quartus locus, &c. & locus quintus, &c.* 76

XV. *Solvitur ſextus locus ex Act.* 2.24. *de ſolutis inferni doloribus.* 80

XVI. *Solvitur locus ſeptimus ex* 1 *Cor.* 3. 13. 14.15. *de eo qui ſervabitur ſic tamen quaſi per ignem.* 86

XVII. *Solvitur locus octavus, &c. & nonus, &c.* 102

XIIX. *Solvuntur alia quædam loca ex novo Teſtamento ab adverſariis allata, &c.* 112.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. *Demonſtratur è Scripturis in genere nullas eſſe fidelium aut hic, aut alibi poſt remiſſam culpam proprie dictas pœnas, &c.* 119

II. *Argumentum* II, *ex eo quod peccata debitis in Scriptura comparantur, &c.* 125

III. *Argumentum* IV, *quod remiſſio peccatorum gratuita ſit, &c.* 129

IV. *Arg.* VII, *ductum ex duabus illuſtriſſimis promiſſionibus Ezech.* 18. 21. *&* 33. 12. *in quibus pœnitenti nihil eorum, quæ antea admiſit, nociturum dicitur.* 135

V. *Arg.* VIII. *ex Iſa.* 1. 18. *pœnitens Dei gratia dealbatur, ut nix.* 140

VI. *Arg.* IX, *ex Rom.* 8. 1. *Arg.* X, *&c.* 143

VII. *Arg.* XIII. *ex eo quod cum juſtitia pugnet peccatum dimiſſum punire. Arg.* XIV, *&c.* 150

VIII. *Nullas eſſe fidelium in hac vita pro peccatis dimiſſis proprie dictas pœnas, &c.* 156

IX. *Arg.* IV. *ex eo, quod fidelium in hac vita diſciplina Dei beneficia ſunt. Arg.* V, *&c.* 163

X. *Nullas eſſe fidelium poſt hanc vitam in purgatorio (ut vocant) pœnas, &c.* 166

XI. *Arg.* II. *ex eo, quod fideles poſt mortem à laboribus ſuis quieſcant, &c.* 174

XII. *Arg.* III. *ex eo quod fideles ex hac vita in domum cœleſtem migrant. &c.* 181

XIII. *Arg.* VII. *ab exemplis Stephani, Lazari, latronis in cruce converſi, &c.* 191

XIV. *Arg.* VIII. *ex eo ductum, quod preces pro fidelibus mortuis nuſquam in Scripturis vel imperata, vel à piis uſurpata leguntur.* 193

XV. *Arg.* IX. *inde ductum quod quæ finguntur piorum in purgatorio pœnæ, plane vanæ & inutiles, poſita Chriſti in cruce ſatisfactione, reperiuntur.* 198.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. *Præfatio. Status controverſiæ. Adverſariorum in hoc argumento inconſtantia, & anguſtia.* 200

II. *Solvitur primum adverſariorum argumentum ex Iſa.* 1. 16, 17. 18. *&c.* 206

III. *Solvitur ſecundum adverſariorum argumentum; ex Prov.* 17 6. *& Dan.* 3.24. *(al.* 27.) *quæ loca fuſe explicantur.* 213

IV. *Solvuntur arg.* III. *ex Luc.* 11.41. *dantibus eleemoſynas munda omnia.* IV. *ex Matth.* 3. 8. *fructus dignus pœnitentiæ.* V. *ex* 2 *Cor.* 7. 11. 225

V. *Solvitur arg.* VI. *ex veterum ſacrificiorum ratione, & uſu, Lev. capitibus* 4. 5. *&* 6. 232

VI. *Solvitur arg.* VII. *ex comparatione ſatisfactionis, & meriti, hujuſque ſuppoſitione.* 234

VII, *Exami-*

V I I. *Examinantur quæ Bellarminus ad hanc diſputationem præfatus eſt de precum, & pœnitentiæ uſu ad avertenda Dei flagella. Excutitur Pauli locus.* 1 Cor.11. 31. 237
V I I I. *Expenduntur, quæ Bellarminus de pœnitentiæ operibus dixit vel ultro ſumendis, vel à miniſtro injungendis, &c.* 242
I X. *Solvuntur Bellarmini quinque pro ſatisfactionibus rationes, &c.* 253
X. *De ſatisfactionibus alienis, &c.* 261
X I. *Solvuntur arg.* I I. *ex Eph.5.1.* I I I. *ex Gal.6.2. fideles onera mutuo alios aliorum ferre.* 270
X I I. *Solvuntur arg.* I V. *ex communione Sanctorum ductum, &c.* 273
X I I I. *Solvuntur arg.* V I I^{mum}, *ex 2 Cor.2.10. cui aliquid donaſtis, & ego, &c.* 2 7
X I V. *Satisfactiones hominum ex Scripturis confutantur, &c.* 281
X V. *Arg.* I I I. *A veterum ſub lege ſacrificiorum typica ratione, &c.* 288
X V I. *Satisfactiones fidelium etiam iis* X V. *argumentis refelluntur, &c.* 293
X V I I. *Arg.* X I X. *inde ductum, quod earum perpeſſionum, quibus fidelium ſatisfactiones conſtare volunt, plane alia ſit ratio, &c.* 299
X V I I I. *Contra ſatisfactiones cujuſque propriæ, &c.* 302
X I X. *Satisfactiones aliorum pro aliis ex Scripturis refelluntur, &c.* 307
X X. *Arg.* V. & V I. *quod neque Sanctorum qui paſſi ſunt, voluntas ea fuiſſe certo cognoſcitur, ut pro nobis paterentur; neque Dei item, ut noſtro uſui illorum paſſiones cederent, &c.* 310
X X I. *Arg.* V I I I. *inde ductum, quod ſuppoſita Chriſti ſatisfactione omnes illæ quæ finguntur, Sanctorum ſatisfactiones plane vanæ, ac ſupervacaneæ eſſe deprehenduntur.* 319.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. *Veteres ſenſiſſe nullas Deum ab iis pœnas exigere, quibus peccata remiſit, probatur, &c.* 324
I I. *De perpeſſionibus hujus vitæ, &c.* 334
I I I. *Mortem piorum non eſſe ipſorum proprie dictam pœnam, oſtenditur, &c.* 343
I V. *Solvuntur, quæ ab adverſariis contra afferuntur, &c.* 347
V. *De pœnis poſt hanc vitam in purgat. &c.* 358
V I. *Origenis teſtimonia ab adverſariis allata excutiuntur, &c.* 361
V I I. *Reſpondetur ad objecta ex Gregorio Nyſſeno, &c.* 368
V I I I. *Reſpondetur ad objecta Hieronymi loca, &c.* 377
I X. *Solutio ſecundi argumenti ex multis Lactantii, &c. teſtimoniis ducti, &c.* 387
X. *Solvitur Arg* I I I. *ex teſtimonio Cypriani Ep.52. quod nihil ad purgatorium, ſed ad pœnitentium ſtatum pertinere oſtenditur.* 403
X I. *Solvuntur objecta loca; ex Gregorio Nazianzeno,* I V^{um}, *ex Baſilio Magno,* V^{um}. 407
X I I. *Solvitur argumentum* V I. *ex loco quodam Theodoreto impudenter affictо,* V I I. *ex Boethio;* V I I I. *ex Oecumenio.* 412
X I I I. *Solvitur Arg* I X. *ex variis Auguſtini teſtimoniis deſumptum, &c.* 416
X I V. *Solvuntur quæ contra ab adverſariis afferuntur ex Auguſtino loca, &c.* 422

LIBER QVINTVS.

CAP. I. *Solvitur primum adverſariorum de de precibus pro mortuis Argumentum, &c.* 434
I I. *Referuntur loca ex Patribus objecta à Bellarmino pro precibus pro mortuis, &c.* 452
I I I. *Secundo, ut liquido ſuperiora Patrum loca intelligantur, aperiuntur tres fontes precum pro mortuis apud veteres uſurpatarum, &c.* 458
I V. *Eandem fuiſſe de anima ſtatu Lactantii, &c. ſententiam, &c.* 469
V. *Idem quoque de anima piæ ſtatu ſenſiſſe Prudentium, &c.* 476
V I. *Fuſe contra Bellarm. demonſtratur eandem quoque perpetuo fuiſſe Auguſtini de animarum piarum ſtatu ſententiam, &c.* 4 9
V I I. *Alter fons precum olim apud Chriſtianos pro mortuis fuſarum, &c.* 491
V I I I. *Ad ſuperiora illa tria veterum deliria pertinere eorum pro mortuis preces, &c.* 500
I X. *Id ipſum demonſtratur ex ipſis veterum pro mortuis precum formulis, quæ ſive in eorum Liturgiis, ſive alibi reperiuntur, &c.* 512
X. *Ex ſuperioribus ſolvuntur & explanantur veterum pro mortuis objectæ ab adverſariis preces, &c.* 515
X I. *Solvuntur adverſariorum ex veterum pro mortuis precatione tertii, & quarti ordinis objectiones.* 520
X I I. *Solvitur quinta ex veterum pro mortuis precatione objectio, &c.* 527
X I I I. *Depulſio invidiæ, quam nobis adverſarii ob abrogatas preces pro mortuis, conflare ſtudent. Concluſio.* 533.

LIBER SEXTVS.

CAP. I. *Probatur purgatorium nullum in veteris Eccleſiæ fide locum habuiſſe, &c.* 537
I I. *Arg.* I I I. *inde ſumptum quod purgatorii nullam*

nullam veteres iis locis mentionem faciant quibus omnino commemorandum veniebat, ſi & creditum fuiſſet. 541

I I I. *Arg.* I V. *inde ſumptum, quod quæ purgatoris hypotheſin neceſſario vel comitantur, vel ſequuntur, ea nuſquam apud veteres Patres occurrunt.* 547

I V. *Arg.* V. *inde ductum, quod ea Scriptura loca, quibus purgatorium ſuum niti volunt adverſarii, veteres Patres nunquam eo, ſed alio plane retuliſſe cernantur, &c.* 549

V. *Arg.* V I. *ex eo, quod Patres ſpei, fidei, caritatis operibus, aut meritis nullum poſt fidelium mortem locum eſſe ſtatuunt.* 569

V I. *Arg.* V I I. *inde ductum, quod pœnitentia, vel remiſſioni peccatorum nullum veteres hominibus relictum poſt mortem locum defi. niant.* 575

V I I. *Arg.* V I I I. *ex eo ſumptum, quod affirmant veteres omnes pios ſecundum ea ultimo die judicatum iri, &c.* 581

V I I I. *Arg.* I X. *ex eo ſumptum, quod veteres crediderint nulla pios morte ſemel functos manere ſupplicia, &c.* 587

I X. *Arg.* X. *inde ductum, quod piorum animas poſt mortem purgari negent Patres.* 593

X. *Arg.* X I. *inde ductum, quod veteres paſſim amicos in fide Domini recens mortuos quieſcere, fœlicitateque frui affirmare non dubitant, &c.* 597

X I. *Arg,* X I I. *ex eo ductum, quod omnis vetus Eccleſia fideles omnes mortuos quieſcere conſtanter affirmat, &c.* 604

X I I. *Arg.* X I I I. *Veteres non pauci, & quidem nobiliſſimi, omnes defunctorum in Chriſti fide hominum animas ſumma fœlicitate, imo ipſo etiam cœlo frui, ſcribunt.* 612

X I I I. *Purgatorii Romani dogma à Greg.* I. *ortum, &c.* 624.

LIBER SEPTIMVS.

CAP. I. C*ontroverſiæ ſtatus repetitur, &c.* 631

I I. *Solutio arg.* I I I. *ex locis Aug. à Bell. objectis, &c.* 637

I I I. *Solvitur objectio* V. *ex illuſtri Gregor. Naz. loco ducta, &c.* 640

I V. *Solvitur objectio ſexta; à ſatisfaciendi, & ſatisfactionis vocabulis petita, quibus frequentiſſime utuntur Patres, &c.* 644.

V. *Solvitur objectio* V I I. *à veterum exomologeſeon partim rigore & ſeveritate, &c. petita, &c.* 659.

V I. *Solvitur objectio 7. ab iis effectis petita, quæ pœnitentiæ actibus & operibus paſſim apud Patres tribuuntur, &c.* 671.

V I I. *Explicatur ſecundus locorum è Patribus objectorum ordo, in quibus peccata pœnitentiæ actibus* deleri, *vel* aboleri *dicuntur.* 678.

V I I I. *Explicatur tertius ordo locorum è Patribus objectorum, in quibus peccata pœnitentiæ actibus* tegi *dicuntur.* 682.

I X. *Explicatur ac ſolvitur quartus ordo locorum in quibus peccata dicunt Patres pœnitentiæ operibus redimi.* 683.

X. *Quintus locorum objectorum ordo ſolvitur, ac explicatur, in quibus Patres ſtatuere videntur pœnitentiæ opera* pretium *eſſe, quo peccata redimuntur.* 685.

X I. *Solvitur ac explicatur ſextus ordo locorum objectorum in quibus Patres dicunt* peccata pœnitentiæ operibus compenſari. 693.

X I I. *Septimus ordo locorum objectorum expenditur, & ſolvitur, in quibus Patres Deum pœnitentiæ operibus* placari, *ſive* propitiari *ſcripſerunt.* 695.

X I I I. *Octavus ordo locorum objectorum explicatur, in quibus parata iis apud Deum venia eſſe dicitur, quos peccatorum vere pœnitet.* 697.

X I V. *Quæſtionis concluſio. & τῆ ex Patribus ἀναγκαῖᾱς depracatio; quod ea non ſit neceſſaria.* 700.

X V. *Altera de aliorum pro aliis ſatisfactionibus quæſtio, &c.* 701.

X V I. *Solvitur ſecunda objectio ex locis Cypriani de pace à Martyribus data.* 706.

X V I I. *Tertia objectio ſolvitur; ex quodam Origenis loco ducta. Oſtenditur nullam eſſe in hac quæſtione Origenis auctoritatem, &c.* 710.

X V I I I. *Nullas aliorum pro aliis ſatisfactiones credidiſſe Patres, oſtenditur* I. *ex eo, &c.* 713.

IOAN-

IOANNIS DALLÆI,

DE POENIS ET SATISFACTIONIBVS HVMANIS,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Operis præfatio, & partes.

DE *ſatisfactionibus* cum Romanarum partium Theologis Deo dante congreſſuri, primum conſtituemus, quid id ſit de quo propriè inter nos quæritur; tum conſtitutam, ſuiſque velut terminis circumſcriptam quæſtionem explicabimus, ac definiemus; poſtremo quæ de ea fuerint veterum judicia explorabimus.

Principio illud utrique ſummo conſenſu admittimus, quod non Scripturarum modo divinarum autoritas docuit, ſed & ipſa natura omnium pæne hominum mentibus inſevit, tam tetram, tamque horrendam eſſe peccati labem, ut expiari niſi ſatisfactione non poſſit. Sed & Dominum Chriſtum morte, quam pro nobis in cruce ex ſua & Patris voluntate oppetiit, abunde pro ſceleribus noſtris ultrici Dei juſtitiæ ſatisfeciſſe, pariter confitemur. Quin & illud tertio utrimque conſtat abſolutiſſimæ illius pro nobis à Chriſto præſtitæ ſatisfactionis vi, ac merito univerſa in ſolidum iis peccata condonari, qui ſacro baptiſmi lavacro abluuntur, ſic ut nullum ipſis ob anteactæ vitæ delicta crimen imputetur, nulla pœna infligatur. Cæterum quæ qualiſque ſit eorum peccatorum remiſſio, quæ à fidelibus poſt ſuſceptum baptiſmum committuntur, non æque eſt apud utroſque in confeſſo. Nos quidem peccata eadem illa Dei optimi maximi per Chriſtum indulgentia qua baptiſmum ſuſcipientibus condonata erant primum, eadem inquam

baptizatis pariter remitti cenſemus. Adverſarii longe aliter. Ajunt enim hujus generis peccata non ante in ſolidum remitti, quam peccator eorum pœnas luerit. Sed hanc ſententiam, quod ea primo intuitu horridior ſit, Chriſtianæque fidei capita neque pauca, neque levia labefactare videatur, variis artibus, Scholaſticarumque diſtinctionum totidem veluti pigmentis fucare, atque incruſtare conantur. Primum enim novo, & (quod equidem ſciam) hactenus inaudito exemplo remiſſionem ipſius culpæ à remiſſione pœnæ ſic dividunt, ut cui à Domino crimen ſit bona fide condonatum, eidem tamen luendæ ſuperſint condonati criminis pœnæ. Itaque fideli homini admiſſorum poſt baptiſmum peccatorum culpam quidem pœnitenti remitti, pœnam vero minime dimitti contendunt. Sed cum legitimam peccati pœnam æternam eſſe intelligant, ne homines criminum veniam conſecutos, eoque in Dei amicitiam receptos, ſempiternis ſuppliciis damnare videantur, ipſam peccati pœnam nova ſubtilitate duplicem conſtituunt, æternam unam, temporalem alteram; illam quidem fidelibus in peccatum lapſis donari, hanc vero exigi, & quidem (ut ipſi loquuntur) *ad ultimum quadrantem*. Ac ne levem eſſe putes, & jocularem hanc pœnam, quam poſt culpæ remiſſionem, fidelibus luendam ſupereſſe exiſtimant, diſerte pronunciant *eſſe ipſam illam pœnam ſenſus, quam in gehenna pati debuiſſet peccator, remota ſolum æternitate.* Vnde clariſſime conficitur, cum (ut ipſi fatentur) nulli pæne ſint fideles ab omni omnino peccati labe puri, omnes propemodum gehennæ cruciatibus etiam poſt Chriſti gratiam in pœnitentiæ (ut loquuntur) foro acceptam, obnoxios eſſe, ut nemo fere ſit ex illorum numero, qui non Tartarum ante quam cælum adire debeat. Hæc poſtquam ita præſtruxere, illud poſtremo ſubjiciunt, pro dira hac peccati pœna, quæ alioqui etiam poſt dimiſſam culpam luenda remaneret, Deo ſatisfacere poſſe fideles in peccatum prolapſos, & quidem vere ac proprie ſatisfacere; ſic ut ipſi tantum feciſſe jure, meritoque cenſendi ſint, quantum ſatis eſt ad injuriam compenſandam, quantumque Deus peccato læſus juſte ab iis exigebat. Quin & eam eſſe fidelium inter ſe conjunctionem, ut etiam alii pro aliis ſatisfacere poſſint. Hæc ſunt adverſariorum de propoſita quæſtione placita; hæc ejus, quod de ſatisfactionibus tuentur, dogmatis fundamenta. Itaque ut res tota accurate perſpici, clareque ac liquido cognoſci poſſit, in duobus maxime capitibus omnis hæc diſputatio verſabitur. Ac de pœnis quidem, quas ipſi fidelibus etiam poſt remiſſum peccatum ſive in hac, ſive in altera vita luendas ſupereſſe fingunt, priore loco diſſeremus. Tum de ipſis ſatisfactionibus diſputabimus,

Bellar. l. 4. de pœnit. c. 1. §. Quod ſi.

bimus, & propriis, & alienis, quibus debitas peccatis pœnas ab hominibus elui, atque expungi poſſe cenſent. Vnde fit, ut quatuor omnino futuri ſint hujus diſputationis articuli; Primus de pœnis, quas fideles in hac vita perpeti volunt; Alter de iis, quas in purgatorio poſt mortem exſolvere ſomniant ob ipſa illa peccata, quorum remiſſionem per pœnitentiam conſecuti erant; Tertius de ſatisfactionibus, quibus fideles ipſos defungi ajunt ad pœnas illas delendas; Quartus denique de iis, quas quamquam ab aliis præſtitas, pœnitentibus tamen in eumdem uſum imputari vel Pontificis Romani, vel aliorum miniſtrorum beneficio docent.

CAPVT II.

Prima pars, de pœnis hujus vitæ.

Controverſiæ ſtatus.

ATque ut à primo ordiamur, multa hic congerunt adverſarii de malis, quæ Dei voluntate perpetiuntur fideles etiam poſt acceptam peccatorum remiſſionem. Quo loco inprimis obſervandum eſt, quis ſit verus controverſiæ ſtatus. Neque enim pertendimus ſervos Dei, quamdiu hic ſunt in terris, mollem ac delicatam vitam agere, & ab omnibus perpeſſionibus immunem. Fatemur ultro eos identidem, ac pæne continenter conflictari cum variis iiſque acerbiſſimis calamitatibus; ac præter eas, quibus ipſa naturæ infirmitas cæteros mortales objicit, cruci & peculiaribus flagellis eſſe obnoxios; quod ſiquis neget, eum neceſſe eſt eadem opera, & quotidianæ rerum experientiæ, ipſiſque adeo ſenſibus obluctari, & totas Scripturas una litura inducere, quæ nihil vel crebrius, vel diſertius docent, quam hanc eſſe fidelium in mundo ſortem. Itaque non hoc inter nos quæritur, etiam ne poſt condonata peccata piis ſuperſint multa omnis generis mala in hujus vitæ curriculo exantlanda. Id enim apud utroſque in confeſſo eſt. Controverſia eſt non de re, ſed de rei natura, atque definitione. Nimirum quæritur, qualia ſint iſta, de quorum neceſſitate utrique conſentimus, mala; quæ ſit eorum indoles, quis uſus, ac finis proprius; atque adeo *ſint-ne pœnæ peccatorum à nobis admiſſorum proprie dictæ*; quod ajunt adverſarii, nos negamus. Nam (quod eſt à doctiſſimis magiſtris jampridem obſervatum) longe alius eſt controverſiæ ſtatus, cum quæritur *an quid ſit* ab eo in quo quæritur *quid ſit*, aut *quale ſit*. Exempli gratia concedebant Stoici ſapientem ſuum morbis, pau- *Cicer. Partit. Quintil.*

 pertati,

pertati, morti eſſe obnoxium; Morbum; paupertatem, mortem, quæ cæteri homines *mala* vocant, ipſi *mala* eſſe negabant. De re fatebantur; De rei natura, ac definitione litigabant. Ita nos Chriſtiani Dominum Ieſum ſibi *Filii Dei* nomen, ac dignitatem apud Cajapham vendicaſſe concedimus; id ejus dictum blaſphemiam fuiſſe pernegamus. Fruſtra ergo hic laborant adverſarii, dum exemplis è Scriptura petitis probant ſæpe immiſſas fuiſſe à Domino etiam ſanctiſſimis viris graviſſimas calamitates. Aliud nunc quæritur; nimirum an illa, quæ recenſent, piorum mala *pœnæ* propriè fuerint iis ob peccata divinitus inflictæ. Fatemur gravia & acerba fuiſſe, quæ tulerunt: Fatemur cælitus à Domino immiſſa. *Pœnas* fuiſſe negamus. Neque enim quicquid adverſum, aut acerbum nobis accidit, id ipſum pœnam eſſe neceſſe eſt. Grave eſt *vinciri*; gravius *uri* aut *ſecari*. Non ideò tamen pœnas dediſſe cenſendus eſt, qui ex medici præſcripto aliquid iſtorum perpeſſus eſt. Gravis erat olim, ac laborioſa athletarum vita; multus ſudor, multæ plagæ; dura & acerba etiam hodie tironum in gymnaſiis, militum in caſtris, in agmine, in acie conditio. Eo-ne exiſtimandum eſt alicujus eos peccati pœnas luere? Nihil minus. Hanc iſti habent non ſceleris, aut flagitii mercedem, ſed virtutis ac gloriæ diſciplinam. Piorum eadem eſt in Chriſti ludo, aut militia ratio. Adverſa, ſiqua accidunt, iis aut erudiendis, aut probandis, aut exercendis, aut emendandis proſunt. Iſta ſunt cœleſtis Scholæ exercitamenta; veræque ſanctitatis aut tirocinia, aut documenta. Quod quidem ſi negarent adverſarii, ſexcentis Scripturæ teſtimoniis probare poſſem. Sed cum eos hac in parte confitentes habeamus, non eſt quod pluribus hoc affirmem. Sic enim alicubi disertè Bellarminus, *Fatendum eſt flagella juſtorum eſſe etiam paternas caſtigationes, & remedia contra peccata futura.* Cæterum non nego iſtas piorum in hac vita perpeſſiones etiam *pœnas*, ſed improprie & figurate dici poſſe; idque duabus de cauſſis; quarum prior hæc eſt, quod iſta mala, de quibus nunc diſputamus, dolores, cruciatus, morbi, mors ipſa, natura ſua peccati *pœnæ* eſſent à ſummo judice miſeris mortalibus ob violatam legem olim conſtitutæ. Itaque quamquam fidelibus, quorum eſt à Chriſto immutata omnis vitæ ratio, non proprie *ad pœnam*, ſed *ad medicinam*, aut *ad pietatis experimentum* adhibeantur, tamen quod aliud olim erat eorum ingenium, ideò *pœnæ* etiam tum dici fortaſſe poſſunt, cum pios exagitant. *Pœnæ* ſunt (ut cum Scholaſticis loquar) *materialiter*; non autem *formaliter*. Ipſe enim (ut ſic dicam) rei fundus idem eſt cum eo, quod impii in hac vita patiuntur; Ratio rei plane alia eſt. Quod enim pii ad Dei gloriam

de purg. l. 1. c. 11. §. At fruſtra.

gloriam ſuamque aut laudem, aut emendationem ferunt, id impii ad peccatorum ſuorum ultionem luunt. Sanguinis miſſio caſtrenſis olim pœna fuit apud Romanos. Eadem medicina & fuit & nunc eſt. Res utrobique eadem, ſi ipſum actionis, aut paſſionis ingenium ſpectes; longe diverſa, ſi agentis animum, aut patientis meritum intuearis. Ita, quod nuper attigi, tam medicus ægrotum, quam judex ſontem & urit, & ſecat. Eadem utrobique rei materia; longe diſpar forma. Quis enim neſcit quantum à *ſupplicio* diſtet *medicamentum*? Sed & altera ſubeſt ratio, cur mala, quæ hic ferunt fideles, *pœnæ* dici poſſint figurate, & metaphorice; Nimirum eſt quædam eorum ſimilitudo cum pœnis proprie dictis; eaque in quatuor maxime ſita eſt; Ac primo quidem in eo, quod diſciplinæ piorum carni perinde ac veræ pœnæ graves ſunt, & moleſtæ; unde factum eſt, ut vulgari idiotiſmo *pœnam* in genere vocemus quicquid moleſtum eſt, & animo, vel ſenſibus acerbum. Secundo in eo, quod non temere, ſed certa Dei optimi maximi voluntate, atque diſpenſatione hæc mala fidelibus immittuntur; non ſecus ac pœnæ ſontibus infliguntur judicis arbitrio; Tertio quod ut plurimum peccatum earum, quas pii ferunt perpeſſionum occaſio eſt; Eos enim ſuis ferulis Deus, vel caſtigat quod peccaverint, vel erudit ne peccent. Quarto denique quod ut pœnæ ſontibus, ſic diſciplinæ fidelibus, utræque ad exemplum decernuntur. Ob eam igitur pœnarum proprie dictarum imaginem, quæ in piorum afflictionibus elucet, fateor eas *pœnas* dici poſſe; neque ab uno quin illa, qua diſpenſantur, Dei ratio ac diſciplina, eadem de cauſſa *judicium* vocetur, ob ſimilitudinem quandam cum *judicio* proprie dicto. Sed non eo fit tamen, ut vel illæ *pœnæ*, vel hoc *judicium* proprie cenſeri debeant. Nam quæ proprie *pœnæ* ſunt, eo infliguntur, ut ultrici juſtitiæ ſatisfiat; hæ vero, ut peccator vel emendetur, vel probetur. Vnde fit, ut qui punit judex nullam habeat pœnitentiæ ejus, qui punitur, rationem. Sontes enim, quamquam pœnitentes, nihiloſecius ſupplicio afficit; quod plane contra ſe habet in fidelium caſtigationibus. Nam vel ipſi adverſarii fatentur inſignem peccatoris contritionem omnem ſæpe pœnam expungere. Dicantur ergo ſane piorum caſtigationes *pœnæ*, dum *paternæ* intelligantur, non autem *judiciales*. Dicatur *judicium* Dei eas diſpenſantis diſciplina, dum modo judicium intelligatur, non *forenſe*, quod à judice ex præſcripto legum in facinoroſos, ſed *domeſticum*, quod à patrefamilias ex amoris & ſapientiæ regula in liberos exercetur. Ex his patet, quis ſit hujus controverſiæ ſtatus. Non enim quæritur *vapulentne interdum pii in hac vita etiam poſt acceptam peccatorum remiſſionem*;

Sæpiſſime *vapulare*, & quidem graviter, nemo non videt; Neque item *ſint-ne illæ piorum perpeſſiones* pœnæ *improprie dictæ*, quales ſunt liberorum in paterna domo diſciplinæ; (id enim nemo noſtrum negaverit) Hoc vero unum controvertitur, *ſint-ne iſtæ fidelium perpeſſiones pœnæ proprie dictæ*, quibus in peccatum ex ultricis juſtitiæ præſcripto vindicetur. Hoc niſi confecerint adverſarii nihil egerint. His ita conſtitutis apparet, quam vanus ſit Bellarmini labor, qui noſtros homines inter ſe ſe committere ſtudet, quod alii negent ullam Deum *pœnam* à nobis exigere, poſt culpam remiſſam; alii ſupereſſe *pœnas* temporales in hac vita luendas concedant. Verborum iſta pugna eſt, non ſenſuum. Nimirum qui priori modo loquuntur *pœnam* proprie accipiunt; qui poſteriori, improprie. Sed neque qui *pœnas* ſupereſſe concedunt, ii paternæ caſtigationis, non autem judiciariæ animadverſionis rationem eas habere negant; & qui *pœnas* exigi negant, *crucem & ferulas iidem piis* incumbere concedunt.

Ibid. c. 2. ſ. Luther.

CAPUT III.

Solvitur prima adverſariorum objectio ex 2 *Sam.* 12. 14. *&* 24, 10, 11, 12. *& num.* 12. 14.

SEd jam ſigillatim expendamus adverſariorum argumenta, quamque vim ad hanc cauſam habeant, propius atque accuratius conſideremus.

Objiciunt primo Davidem, impetrata adulterii & homicidii remiſſione, filii, quem ex adulterio ſuſceperat, morte punitum fuiſſe, ut habetur ſecundo Samuelis, capite duodecimo; eumdem, cum populum numeraſſet, quamquam acta pœnitentia in gratiam receptum, gravi tamen plebis clade in pœnam peccati fuiſſe multatum. Reſponderat Calvinus, quod jam in genere monuimus, pœnas iſtas non fuiſſe à Deo Davidi impoſitas in vindictam peccati proprie dictam, ſed in admonitionem de cavendo peccato, eſſeque ejuſmodi flagella correptiones paternas, non judicis ultiones; eamque rem luculentiſſime, ac (ut viri mos eſt) fortiſſime atque eloquentiſſime explicarat. Bellarminus, omiſſa reliqua ejus diſputatione, pertendit pœnam Davidi inflictam ad præteritum referri potius quam ad futurum; idque ex his Prophetæ ad Davidem verbis probare inſtituit; *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Sed hæc adverſarii cauſam nihil juvant. Neque enim abſolute negaverat Calvinus piorum caſtigationes ad præteritum referri, qui ſciret eas piis imponi ob admiſſa

2 Sam. (lat. reg.) 12, 14. & 24. 10, 11, 12.

Inſt. l. 3. c. 4. ſ. 31, 32, 33, 34. 35.

l. 4. de pœnit. c. 2. ſ. At fruſtra.

admiſſa delicta. Tantum contendit eas futurum præcipue reſpicere; idque ex ipſis ab adverſario allatis ejus verbis liquet, *Ferulis* (inquit) *verberantur filii, non ut multam delictorum perſolvant, ſed ut inde ad reſipiſcentiam proficiant; proinde eas in futurum POTIUS, quam in præteritum tempus reſpicere intelligimus.* Itaque libenter concedimus ob admiſſum à Davide peccatum mortuum eſſe ejus filium. Mortem parvuli *pœnam* fuiſſe admiſſi à Davide peccati proprie dictam negamus. Neque id probat allata ab adverſario Prophetæ oratio; *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quid enim? Si medicus, eum, qui ex intemperantia morbum contraxit, his verbis alloquatur; *Quia vino & crapulæ nimium indulſiſti, propterea longa & accurata diæta curandus es*; quiſquam ne erit, qui inde concludat diætam illam, quæ ægroto præſcribitur, præteritæ ejus intemperantiæ pœnam eſſe proprie dictam? Nemo eſt, qui non intelligat hujuſmodi medici oratione occaſionem tantum notari, ex qua orta eſt illa diætæ neceſſitas; cæterum diætam ipſam non *pœnam* eſſe, ſed *medicinam.* Atqui eadem eſt Prophetæ & mens, & oratio. Nam ille duo omnino his verbis ſignificat; Vnum, quæ ſit caſtigationis Davidi impoſitæ ratio; nimirum datum profanis hominibus ſcandalum; Alterum, quis ſit hujus caſtigationis finis, atque uſus, nimirum ut id, quicquid erat ſcandali ea ratione ſarciretur, ne vel ipſe David, vel alii Davidis exemplo libidinibus, vel cædibus in poſterum indulgerent. Scelus ipſum, omneſque ſceleri ex lege debitas pœnas Davidi condonat Deus perſpecta ejus pœnitentia; *Dixit David ad Nathan, Peccavi Domino.* En Davidis pœnitentia. *Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Non morieris.* En Dei gratia, atque indulgentia. Sed quod tam immani ſervi ſui ſcelere graviſſimum tum Iſraëlitis, tum maxime exteris objectum erat ſcandalum, quaſi Deus adulteros, & homicidas in ſinu foveret, facinoroſóſque & ſanctos homines nullo diſcrimine haberet, ſapientiſſimus pater, ut graſſaturæ peſti occurreret, tempeſtiveque tanto malo mederetur, ſui in ea peccata, qualia à Davide admiſſa erant, odii ſpecimen edendum putavit, ſublato parentis ante oculos, quem ex illegitimo coitu ſuſceperat, filiolo. Omnino enim decebat divinæ domus diſciplinam turpiſſimo facinore violatam, ac proſtratam, aliquo exemplo ſanciri. Eo pertinebat mors parvulo divinitus illata, non tam ad *pœnam*, quam ad *exemplum*, quo & impiorum blaſphemia reprimeretur, & piorum pudor atque ſanctimonia conſtringeretur. Hoc ipſa Nathanis verba innuunt, qui promiſſa criminis venia, atque impunitate Davidem ſolatus, ſtatim

2 Sam. 12. 13.

ſubjicit,

ſubjicit, *Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Hic enim Nathan evidenter diſcriminat *pœnam* Davidis peccato ex lege debitam, (quam præcedenti verſu remiſſam eſſe à Domino affirmaverat) ab ea *diſciplina*, qua impiorum ſcandalo medendum eſſe nunc pronunciat. Deus *judicis* perſonam exuit, remiſſa ſonti pœna, quam lex indicebat; *Patris* aſſumit, qui liberorum delicta, quamquam prætoria ſeveritate non puniat, leni tamen, atque ſalutari diſciplina procurat. Itaque ex hoc Scripturæ teſtimonio colligat ſane adverſarius peccatum Davidis occaſionem fuiſſe mortis, quæ parvulo divinitus inflicta eſt; mortem illam eo reſpexiſſe, indeque ortam; denique ſi lubet, peccati à Davide admiſſi *pœnam* fuiſſe paternam, non forenſi, ſed domeſtico Dei judicio impoſitam; non repugnabimus; id tantum pernegamus, quod nulla hinc arte exſculpi poteſt, *pœnam* fuiſſe proprie dictam ex lege ad ultionem peccati illatam. Neque vero id evincit altera adverſarii ratio, inde ducta, quod David lacrymis, jejunio, precibus, humi cubatione mortem filii avertere conatus ſit. *Neque enim* (inquit) *pœnam ſibi utilem ad cavenda futura, & ad hunc ſolum finem inflictam deprecatus fuiſſet vir ſanctus. Sed quia intelligebat luendam ſibi fuiſſe pœnam ob peccatum præteritum, per aliam viam Deo ſatisfacere cupiebat.* Quam hic aſſuit de ſatisfactione laciniam, ea non eſt hujus loci. Nunc in eo ſumus, *an mors parvuli Davidis filii proprie pœna fuerit peccati à parente admiſſi, & à Deo condonati.* Ait adverſarius, idque eo probat, quod non ſit veriſimile Davidem, *ſanctum virum, pœnam illam deprecaturum fuiſſe*, ſi ea ad ipſius, cæterorumque emendationem tantummodo ſpectaſſet. Sed quid eo argumento ineptius fingi poteſt? Ægrotus mordaces pulveres, cauteriorum moleſtias, cæteraque medicinæ amara deprecatur. Ideo-ne iſta pœnas, non remedia morbi eſſe concluſeris? Ridiculum. Paulus teſtatur ſe *ter* à Domino deprecatum graviſſimam illam crucem, ſub qua gemebat ab *angelo Sathanæ colaphizatus.* Eo-ne fit, ut propter *peccatum præteritum*, non *ad cavenda futura* impoſita Paulo fuerit acerbiſſima illa *pœna?* Atqui reclamat ipſe; diſertiſſimeque pronunciat, *datum ſibi fuiſſe illum* (ut loquitur) *carnis ſtimulum, ne magnitudo revelationum ipſum extolleret*; hoc eſt, ut ea diſciplina ipſum tueretur à ſuperbia, ac intra Chriſtianæ modeſtiæ atque humilitatis terminos contineret. Deprecantur ſancti etiam quæ utilia ſibi futura proſpiciunt, ſi eadem moleſta ac gravia ſint; ex legitimo nimirum naturæ ſenſu, quæ quicquid acerbum eſt ſponte exhorreſcit. Quod mortem filioli deprecatus ſit David, eo efficitur gravem ipſi & acerbum fuiſſe illam cariſſi-

Ibid. ℣. 14.

Bell. l. 4. de pœnit. c. 2. §. Deinde.

2 Cor. 12. 7. 8. 9

cariſſimi pignoris caſum; quod nemo negat; non efficitur nullum habuiſſe ad Davidis pœnitentiam, & emendationem uſum. De altera ejuſdem caſtigatione, cum ob numeratum populum peſtis in Iſraelem ſævijt, nihil eſt opus ſeorſim dicere. Hujus enim flagelli eadem omnino quæ ſuperioris ratio fuit. Iam quod alibi objicit Bellarminus de Mariæ lepra, id eodem quoque modo ſolvitur. Maria, cum *murmuraſſet* contra Moyſem, *lepra* divinitus percuſſa eſt. Mox clamante ad Dominum Moyſe, roganteque ut ea ſanaretur, *Si Pater ejus* (inquit Dominus) *ſpuiſſet in faciem ejus, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea revocabitur.* Ex his patet non *judicialem* proprie fuiſſe *pœnam* illam Mariæ *ſeparationem*, ſed paternam caſtigationem, eo conſtitutam, ut & quæ peccaverat ſuum de peccato pudorem, ac mœrorem omnibus teſtatum faceret, ad ſarciendum, quod ejus delicto cæteris oblatum erat, ſcandalum, & alii fideles intelligerent, quam graviter Deum offendant, qui ſervos ejus officio legitime fungentes laceſſere, ac violare non verentur. Quo nunc quoque in Eccleſia Chriſtiana pertinet peccatorum *abſtentio*, & à ſacris excluſio, donec ſuam de admiſſis peccatis pœnitentiam ſatis teſtati fuerint. Cæterum neque illa Mariæ per *ſeptem dies ſeparatio*, neque hæ Eccleſiaſticæ peccatorum *abſtentiones* peccati proprie pœnæ ſunt ex lege ad ultricis juſtitiæ ſatisfactionem inflictæ.

l.1. de purg. c. 11. §. Secunda.

Num. 12.14.

CAPUT IV.

Solvitur adverſariorum ſecunda objectio; inde petita, quod fideles moriantur; explicantur veræ mortis fidelium cauſſæ.

SEd inſtat adverſarius, *Multa ſunt* (inquit) *alia Scripturæ teſtimonia, quæ indicant mortem ipſam ſæpe inſligi in pœnam peccati etiam poſt culpam remiſſam. Ridiculum autem eſſet dicere morte puniri homines, ut deinceps cautius vivant.* Tum ex Geneſi laudat illud Domini edictum; *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; additque ex Paulo *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravisse, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines mortem pertranſiviſſe, in quo omnes peccaverunt.* Denique ait *nos ipſos non negare mortem eſſe pœnam peccati originalis.* Hæc adverſarius. Nos ſane confitemur mortem per ſe & natura ſua, *peccati pœnam* eſſe, ac (ut Apoſtolus loquitur) *ſtipendium.* Id tum adductæ ab adverſario ſcripturæ, tum alia multa nos docent. Iis vero, quibus Dei gratia peccata remiſſa ſunt, mortem *pœnam* eſſe, &

Gen. 2. 17.

Rom. 5. 12.

Bell. l. 4. de pœnit. c. 2. §. Ad hæc.

Rom. 6. 23.

quidem proprie dictam ex lege ad peccati ultionem inflictam, negamus. Sanguinis miſſio (ut paulo ante monui) in caſtris Romanis flagitioſo militi infligebatur in pœnam. Non ideò *pœnam* ei inflictam fuiſſe dixeris, cui eſt ex medici præſcripto, ac diſciplinâ dimiſſus ſanguis. Rem (ut loquuntur ſcholæ) *materialiter* unam variant cauſæ, fines,uſus,circumſtantiæ. *Crux* facinoroſo ſceleris *ſupplicium* eſt,ac ejus quem promeritus eſt, *inferni pars* quædam. Martyri eadem non *pœna*, ſed *certamen*; non *ſupplicium*, ſed *victoriæ materia* eſt. Itaque ſit *mors* ſane impiis *peccati pœna*; piis, quibus condonata ſunt peccata, *pœna* non eſt. Hunc ei *aculeum* ademit Chriſtus. Igitur quæ cæteros mortales ſtimulo confodit Chriſti fideles illæſos tranſmittit; quia in eos Domini beneficio exarmata, non amplius habet quo ſæviat. Quare Paulus morti gloriabundus inſultat; *Vbi eſt, mors, victoria tua? Vbi eſt mors, ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis, peccatum eſt; virtus autem peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Atqui vana eſt iſta Pauli gloriatio, ſi mors piis *pœna* eſt. Nam ſi ita ſe res habet, quis non intelligit manere adhuc integrum, & infractum *mortis aculeum*, *peccatum* nimirum, cujus vi nos perimit, utique ſi pœna eſt? perſeverare item legis in nos ſententiam, cujus ſcilicet ex præſcripto morimur? *Quorſum ergo* (inquis) *moriuntur pii juxta cum impiis?* Quaſi verò non alius poſſit eſſe mortis uſus, quam ut peccatum puniatur. Iam illud primò manifeſtum eſt ex ipsâ adverſariorum ſententia nonnullos mori, quibus mors in peccati *pœnam* inflicta dici nequit. Nam (ſi eos audimus) B. Virgo omnis peccati expers fuit, quæ tamen mortua eſt. Quid item prohibet, quò minùs inter ipſos peccatores aliqui reperiantur, qui pœnitentiæ (ut loquuntur) ſacramento purgati, & ſatisfactionibus à ſacerdote impoſitis ita plene defuncti ſunt, ut nullam omnino pœnam ultrici Dei juſtitiæ ex adverſariorum dogmate debeant? Iſtis certè ſi in iſto articulo moriuntur, mors *peccati*, quod nunquam eſt, *pœna* eſſe non poteſt. Quid de iis dicam, qui accepto baptiſmo ſtatim moriuntur, ut olim multi adulti, ut nunc plurimi infantes? Certe nuper pronunciabat adverſarius *Deum per gratuitam miſericordiam, & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, univerſum pœnæ debitum iis condonare, quos per baptiſmum in filios recipit.* Ergo qui in eo ſunt ſtatu, nullam *pœnam* debent (neque enim *debetur* quod *remiſſum* eſt) nullam adeò ſolvunt; non enim *injuſtus*, aut crudelis Dominus, qui *exigat* quod *non debetur*. Atqui ii ipſi (ut patet) interdum moriuntur. Ergo iis certe mors *pœna* non eſt. Vnde mirari ſubit adverſarii incogitantiam, qui hoc ipſum telum, quo jugula-

[Margin: 1. Cor. 15. 50. 51.]

[Margin: l. 4. de pœnit. c. 3. §. Reſtat igitur.]

jugulatur, in nos tamen hoc loco adhibuit, non ſine inſigni contradictione. Ait enim parvulis, qui poſt baptiſmum repente moriuntur, *ſine dubio peccatum originale per baptiſmum dimiſſum eſſe*, *& tamen* (inquit) *in pœnam peccati ante legitimum tempus moriuntur*. Dic ſodes, Bellarmine, *in* cujus *peccati pœnam moriuntur* illi infantes? *Originalis*-ne? Atqui per baptiſmum ita dimiſſum fuit, ut univerſum *pœnæ* debitum condonatum fuerit. *Actualis*-ne? Atqui nullum eſt in infantibus hujus generis peccatum. Ergo mors infantium, qui baptiſmo tincti obeunt, nullius *peccati pœna* eſt; proindeque ne *pœna* quidem, cùm nulla vel eſſe, vel dici poſſit *pœna*, quæ non ſit alicujus *peccati pœna*. Scio adverſarium alibi de his aliter ſtatuere. *Pœnas* enim peccati ait duorum eſſe generum, vel futuri ſæculi, id eſt gehennam; & purgatorium; vel hujus vitæ; illas per baptiſmum tolli; has ne baptiſmum quidem omnes auferre. Sed hoc quid aliud eſt, quam ſibi ipſi turpiter contradicere, & quod unâ manu ædificaveris id altera diruere, planeque ex libidine, non ex vero philoſophari? Nam ſi verum eſt, quod ibi conſtituit adverſarius ne baptiſmo quidem auferri omnes hujus vitæ temporales pœnas, quomodo ſtabit, quod hic pronunciavit *per baptiſmum univerſum pœnæ debitum condonari?* Per iſtum ne ſemel quidem Deo licebit plane, & bona fide peccatum hominibus remittere, qui, ſi hunc audis, nemini peccatum ſic condonat, ut non aliquid pœnæ pro eo exigat. Neque enim quiſquam eſt, qui non moriatur. Quanto ſatius erat, & ipſi iſtorum dogmati convenientius id fateri, quod alius, ſed recentior, Ieſuita ſcribere non eſt veritus, *mortem & alia hujus generis mala manere quidem, ſed non ſub ratione pœnæ?* Idem & alii ante Vaſquem ex adverſariis ſcripſerant. Catharinus; *Voco pœnas; quoniam in non renatis vere ſunt illius peccati pœnæ. In renatis vere non amplius peccati pœnæ, licet pœnæ dicantur, non quia ſint ulterius in illius peccati ultionem, etſi ab illo peccato deſcendant, ſed quia dolore afficiunt & anguſtiis, & à peccato etiam veniunt.* Idem alibi; *Poteſt quidem dici manere pœnam, id eſt dolorem, laborem, & reliqua hujuſmodi, non tamen ut ſint ultra pœna, & ſupplicium ejus peccati, cujus reatus penitus deletus eſt. Nam Chriſtus ſolvit abunde pro nobis. Relicta ſunt igitur, ut B. Auguſtinus eleganter ait, ad exercitium & meritum; quia ſic & Chriſtus promeruit. Hoc enim qui non confitetur, blaſphemat, & contra doctores, & Scripturas manifeſte loquitur.* Sic in eodem opere ante iſta; *Non tamen proprie ac vere dici poſſunt in renatis pœna peccati. Alias cogeremur fateri, vel non eſſe deletum peccatum illud per Chriſtum, & ejus omnem reatum in renatis, ſicut impie Lutherani docent; vel poſito quod eſt deletum omnino peccatum, & omnis reatus, cogeremur confiteri*

ibid. c. 2. § Quòd ſi forte.

Bell. l. 1. de purg. c. 14. §. Dicimus. & l. 4. de pœnit. c. 14. §. Neque verò.

Vasquez in 3. Tom. diſp. 156. c. 3.

in Gen. c. 3.

Pro immac. conc. Virg. in 1. edit.

 injuſtum

injuſtum Deum, qui à nobis exigit peccati pœnam, nullo peccato, nec ejus reatu exiſtente, quod eſt horrendum vel cogitare. Hactenus Catharinus; cujus duo hæc poſtrema loca in poſterioribus editionibus opuſculi pro immaculata conceptione Virginis non comparent; vel ab autore, vel (quod potius crediderim) ab aliis fraude ſublata. Eadem Ferus quoque docet: *Veriſſimum eſt* (inquit) *ſi peccata noſtra inſpiciamus, meritis noſtris longe inferiora eſſe, quæ Deus nobis vindictæ loco immittit. Quatenus vero in Chriſto per fidem regenerati, & juſtificati ſumus, imo Chriſtum ipſum habemus in nobis, unum cum illo corpus ſumus, nulla tribulatio cenſenda pœna eſt, ſed probatio.* Alibi in eodem opere; *Si hominem, non ut hominem, ſed ut credentem renatum conſideres, certum eſt illum viva fide à peccatis juſtificatum coram Deo, non jam pro peccatore amplius, ſed pro ſancto, & filio Dei haberi. Ablato autem & obtecto peccato, ſiquid externorum malorum hominem circumſtet, id pro commerita pœna haberi nequit.* Nimirum, ut idem ſupra ſcripſerat, *Aliud eſt cum peccatorem Deus punit, & aliud quando juſtum caſtigat. Peccatori enim eſt certa Dei vindicta, & divinæ indignationis indicium. Pio vero, cui remiſſa peccata ſunt, non ira, neque vindicta eſt, ſed probatio & abſterſio eorum, quæ à peccatis adhuc in nobis remanſerunt, ut hac correptione homo in humilitate, & timore Domini conſervetur.* Hæc ille, quibus iſta quoque ex eodem opere ſimilia ſunt; *Si vero nos* (id eſt fideles & in Chriſto juſtificatos) *circumſtent infortunia, id,* inquit, *ſine cauſſa ſit, hoc eſt non propter peccata; neque vindictæ amplius aut iræ nomine appellatur, ſed crux dicitur, qua probemur.* Hactenus iſti; quibuscum ipſe etiam Bellarminus, & alii ut ex ſuperioribus liquet, ſi modo ſibi conſtare velint, illud defendere debent, non omnem mortem ſtatim & *pœnam* eſſe. Sed illi ſanè viderint, quid ipſis maxime ex uſu futurum ſit. Nos quidem conſtanter negamus eo proprie puniri pios, quod moriuntur. Ac ut eſt Dei ſapientia πολυποίκιλος, varia eſt & multiplex mortis, qua illi funguntur, ratio. Multis (quod nec ipſe Bellarminus inficiatur) mors eſt *exercitatio pietatis*; quales Martyrum mortes fuere; quales plærorumque fidelium, qui paulatim morbis, aut ſenio confecti ex hac vita diſcedunt. Nam cum teſte Philoſopho mors ſit φοβερώτατον βέλος, conſentaneum fuit piorum patientiam, ac virtutem in ea ferenda exerceri, ne ullum in iis deſideraretur pietatis ſpecimen; aut documentum. Neque ſane obſcurum eſt piorum non minus *mortes*, quam *vitas* Eccleſiæ profuiſſe. Quæ in iis obeundis eluxit, ac etiamnum quotidie elucet ſanctorum fides, atque animi magnitudo, & conſtantia, Euangelicæ veritatis inſigne documentum eſt, illuſtriſſimumque (ut ſic dicam) ſigillum, quo & Dei gloria, & hominum

in Iob. 11.

ibid. in c. 25.

ibid. in c. 30.

ibid. in c. 2.

l. 4 de pœnit. c. 2. §. Quaſi forte.

num ſalus, & ipſorum morientium laus mirum in modum promovetur. Aliis verò mors *beneficium* eſt; qualis eorum eſt, quos auctor Sapientiæ ideo *raptos* eſſe ait, *ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animam illorum.* In quo genere frigida ſane eſt (nequid gravius dicam) adverſarii facetia, qui piorum mortem eo ipſis prodeſſe negat, *quod ridiculum ſit dicere morte puniri homines, ut deinceps cautius vivant.* Fateor ridiculum fore, qui ſic loquatur. Sed non erit (niſi fallor) ridiculus, qui dixerit, ideo *morte rapi* nonnullos piorum, ne deinceps incautius vivant, neve ipſorum pietati diuturnior inter impios mora aliquid afferat detrimenti. Quod nobis abunde eſt, ut dicamus *mortem* ipſam aliquando hominibus inferri *ad cavenda peccata* ea nimirum quæ admiſſuri fuerant, ſi diutius inter homines vixiſſent. Sed neque diffitemur morte pios interdum divinitus caſtigari, atque corripi, morte inquam, non ſimpliciter, ſed *præmatura*; qualis eorum fuit de quibus Apoſtolus. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*; de quibus mox fuſius. Nam inter cætera flagella, quibus ſuos Dominus ad pœnitentiam erudit, mortem quoque ipſam interdum uſurpat, dum eos de hoc ſæculo *maturius* evocat, quam ætatis, aut valetudinis eorum ratio ferre videbatur. Neque vero illo adverſarii ridiculo deterremur, quo minus ſic ſentiamus. Quamquam enim certum ſit nullum poſt mortem reſipiſcentiæ, vel emendationi locum eſſe, conſtat tamen utrique ante *mortem* vel in ſupremis ipſis locum eſſe. Itaque *mortem*, dum *caſtigationem & emendationem* eſſe dicimus, non de tempore, quod mortem conſequitur, intelligimus; ſed de eo quod antecedit. Nimirum mors fideli incautius viventi à Deo intentata, hominem percellit, vitæque delicta ſcrutari, ac deflere ſubigit; atque ita vere reſipiſcere, & ad ſalutem æternam, ad quam mox volente Deo evocatur, ſeſe haud perfunctorie accingere. Quotidiana ſunt hujus pœnitentiæ exempla. Mitto fructus uberrimos, eoſdemque ſuaviſſimos, qui ex hujuſmodi exemplis ad cæteros fideles redundant, dum in properatis paucorum mortibus divinæ in peccantes diſciplinæ ſpecimina non ſine acri animi ſenſu, atque pavore intuentur. Quin ipſa moriendi omnibus incumbens neceſſitas potentiſſimum eſt ſingulis ad vitam immutandam, atque emendandam incitamentum, dum illuſtri hoc miſeriæ noſtræ documento perſpiciunt, quam fluxæ ſint & caducæ ſpes, reſque humanæ. Neque ut hoc efficiat, mortem præceſſiſſe neceſſe eſt. Satis eſt ſi animi cogitatione ante capiatur. Non enim morales hujuſmodi cauſas, ut agant, reapſe exiſtere neceſſe eſt. Ad hoc

c. 4. 10.

1 Cor. 11. 30.

ut vim

ut vim ſuam exerant, ſatis eſt earum imaginem menti obverſari. Itaque tametſi (quod ait adverſarius) *ridiculum* ſit *dicere morte puniri homines, ut deinceps cautius vivant*; non eſt tamen abſurdum affirmare ideo *morti ſubjici* etiam *ipſos fideles, quo ante ſuſcepta certo aliquando futuræ mortis cogitatione ſanctius vitam omnem inſtituant*; quod ſufficit ad hoc, ut ſtatuamus *mortem* fidelium paternam eſſe *caſtigationem*, qua eos optimus parens ad pœnitentiam, & ſanctimoniam erudit.

Sed ut clarius appareat, quam nihili ſit totum hoc adverſariorum argumentum, breviter aperiendum eſt quæ in genere ſit mortis in Chriſti fidelibus ratio. Cum enim Chriſtus eo miſſus fuerit, ut invectam Adami peccato miſeriam aboleret, poterit aliquis mirari, quod mors primaria illius peccati *pœna* nihilo ſecius adhuc in Chriſti fidelibus perſeveret. Quæ dubitatio ut ſolvatur, inprimis cogitandum eſt Chriſtum ſuos non in eum proprie ac præciſe locum reſtituere, ex quo per Adami inobedientiam exciderant. Nam ſtatus, quem amiſimus, vita erat in Edenis horto, *beata* quidem illa, & innocens, ſed tamen *terrena*, ac (ut loquitur Apoſtolus) *animalis*, id eſt hujuſmodi, quæ cibo, potu, ſomno indigebat, ac in iis etiam naturæ functionibus verſabatur, quæ ad vegetativam (ut vocant) vitam proprie pertinent. Fateor ſi nos Chriſtus ad ejuſmodi vitam revocaret, nullum morti in nobis neceſſario futurum locum. Cum enim quæ nobis poſt peccatum ſupereſt natura ad hujuſmodi vitam apta & idonea ſit, utpote quæ ipſa *terrena*, & *animalis* eſt, nihil opus eſſet eam everti, ac dirui ad hoc ut in Adami paradiſo degere poſſemus. Satis eſſet eam peccati labe, qua vitiata eſt, purgari; purgatam ad beatas illas Edenis ſedes, è quibus dejecti ſumus, revocari. At nemo neſcit nullam nobis Dominum hujuſmodi vitam polliceri, nullas in Edene, aut in terris delicias. Multo majus eſt, & præſtantius quod ab eo exſpectamus beneficium; iſque gradus, in quem ejus merito evehemur, eo longe altior eſt, è quo Adami culpa deturbati ſumus. Quam enim vitam Dominus Chriſtus ſuis & promiſit, & olim donabit, ea *cœleſtis* eſt, ac *divina*, vitæ beatorum Angelorum compar, quæ nihil cum ſomni torpore aut ventris ſagina, aut cum terræ ſordibus commune habet, tota *ſpiritualis*, una æterni Spiritus vi, non fluxis elementorum adminiculis nixa. Iam nemo non videt, quam non ſit ad hujuſmodi vitam comparata hæc natura, quam nunc circumferimus, idque ſi non ipſa rerum ratio, ipſeque ſenſus demonſtraret, abunde
1 Cor. 15. 50. tamen docuit Paulus exſerte negans *carnem, & ſanguinem regnum Dei poſſidere poſſe*; quo loco ipſe Apoſtolicæ diſputationis nexus evincit

carnis & ſanguinis nomine illam, quam ab Adami ſtirpe ducimus *animalem* naturam, continua generationum ſerie in nos propagatam, intelligi. Eam itaque totam refingi ad novi hominis id eſt Chriſti, imaginem neceſſe eſt, quo *cœleſtis* regni, ejuſque vitæ, quæ nos in cœlis manet, capax evadat. Hanc vero novam, *cœleſtem*, ac *divinam* formam induere non poteſt, niſi everſa, penituſque abolita ea quam nunc *terrenam* & *animalem* geſtat. Ad hoc vero opus ſapientiſſima Dei providentia morte mirabiliter abutitur, ut quæ ex priori fœdere peccati *pœna* erat ea, nunc in novo noſtræ ſit immortalitatis *inſtrumentum*. Idque egregie oſtendit Apoſtolus in diviniſſima illa diſputatione, quam in priori ad Corinthios epiſtola de reſurrectionis myſterio inſtituit. Fidelium enim corpora, quæ morte proſtrata tumulo mandantur, ultima olim die ad gloriam reſurrectura, *tritici* granis comparat, quæ terræ ſulcis commiſſa, paulatimque confecta, ac emortua, in novam formam ſuo tempore renaſcuntur. *Inſipiens* (inquit) *tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur?* quo docet nos eo mori, ut olim vivificemur. Morte enim *animalis*, ac *carnalis* naturâ aboletur, qua deſtructa *cœleſtem*, ac *divinam* aliquando induemus. Ea autem naturæ hujus everſio, ac deſtructio nobis uſque adeo eſt ad immortalitatem adeundam neceſſaria, ut ne ipſi quidem illi fideles cœlum ſine ea ingreſſuri ſint, quos Chriſti dies in terris ſuperſtites deprehendet. Eos enim teſtatur Paulus *repente, ictu oculi, tum immutatum iri*, depoſita atque abolita ea *terreni* Adami *imagine*, quam nunc portamus, ſubito in *cœleſtis* imaginem transformandos: quæ *immutatio* mortis vice illis erit, neque ſane aliud re vera eſt, quam *mors* quædam, in novam vitam continenter, nullaque interpoſita mora deſinens. Atque hæc quidem ita ſe habere non modo res ipſa clamat, ſed etiam ipſius Chriſti exemplum, cujus imagini ex Patris decreto, atque prædeſtinatione *conformes* fieri neceſſe eſt, quotquot beatam illam immortalitatem conſequentur. Is enim, ut notum eſt, gloriam per mortem adiit, nec niſi exuta carnis mortalitate homo cœleſtis reſurrexit. Domino, fateor, licuiſſet ſingulos fideles ſtatim poſt obitam mortem, novis divinæ illius naturæ corporibus donatos in cœleſtem Hieroſolymam transferre. Sed tamen ejus, quod ad judicium ſupereſt, temporis moram interponi ſatius, ac conſultius fuit; tum quod ad Chriſti gloriam, ſupremæque illius diei pompam pertineret una omnes, quotquot umquam fuerunt, fideles ſimul ac ſemel ad immortalitatem reſurgere; quo ſane ſpectaculo ne animo quidem fingi quicquam poteſt vel illuſtrius, vel divinius; tum quod illa naturæ noſtræ repentina ad gloriam immutatio,

1 Cor. 15. 36. 37, 38.

Ibid. verſ. 51, 52, 53.

Rom. 8. 29.

mutatio, cum ſine ingenti miraculo fieri nequeat, ſi in ſingulorum mortibus contingeret, orbem ubicumque ſunt, & moriuntur fideles, miraculis repleret, quæ ſemel conſtituta Apoſtolicæ prædicationis auctoritate, ceſſare in Eccleſia decuit. Cum igitur mors piis neceſſarius ſit ad immortalitatem gradus, nihil cauſæ eſt cur eam adverſarii *pœnam* eſſe velint. Non fruſtra moritur, qui eo moritur, ut fiat beatiſſimæ immortalitatis compos. Triticum non eo punitur, quod ſulcis mandatur, terræque vi paulatim putreſcit. Hic ei interitus ad vitam prodeſt. Eo enim *vivificatum*, ut cum Apoſtolo dicam, auctius, atque ornatius effloreſcit. Ergo neque pios mors punit, quos *terrena* hac & *animali* carne exutos ad novam, eamque *cæleſtem*, naturam provehit. Id ipſum non obſcure innuit *dormiendi* vocabulum, divinis ſcriptoribus ad ſignificandam piorum potiſſimum mortem familiare; ex quo liquet mortem non verius piorum, quam *ſomnum* dormientium *pœnam*, vel *ſupplicium* eſſe. Quod ut clarius adhuc eluceſcat, ſumamus quod Auguſtinus, ac plærique omnes Theologi magno conſenſu ponunt, ſi Adam in originali integritate perſeveraſſet, futurum fuiſſe, ut tum ipſe, tum poſteri poſt acta in terris aliquot ſæcula, in cæleſtem ac ſempiternam, quam nos Chriſti Domini beneficio ſperamus, vitam transferrentur. Illa *immutatio*, quæ tum in illis locum erat habitura, quicquid inerat animale, vile, ac infirmum, excoxiſſet, atque deleviſſet. Neque tamen quiſquam eſt, qui hanc eorum immutationem pœnam futuram fuiſſe dixerit. Cujus enim peccati *pœna* futura erat, quæ eos homines erat affectura & immutatura, qui ex hypotheſi omnis omnino peccati expertes erant. Cum ergo iſta, quæ pæne ab omnibus admittitur, primorum hominum futura immutatio minime *pœna* fuerit, nihil profecto nos cogit, ut pœnam eſſe fateamur, aut noviſſimorum, quos judicii dies in ſæculo deprehendet, fidelium immutationem, aut noſtram, quæ ei mutationi reſpondet, mortem. Iam ex his nullo negotio ſolvuntur cætera, quæ ab adverſariis ad hanc rem afferuntur argumenta. Nam quod primo objiciunt repentina morte nonnullos rapi, non ideo mors *pœna* eſt, quod *repentina*. Quod *moriuntur* fideles, id neceſſarium eſt, ut transferantur in meliorem vitam. Quod nonnulli *repente moriuntur*, id ad divinam providentiam pertinet mirabiliter omnia, & ex cauſis juſtiſſimis, quamquam plærumque ignotis, gubernantem. Quid ſi eos *repente rapit, ne deteriores fiant?* An ſingulare Dei beneficium pro *pœna* habebitur? Sed nos fas non eſt in Dei arcana irrumpere. Hoc unum affirmamus, ſi vere pii ſunt, qui *rapiuntur*; ſi peccatorum remiſſionem vere conſecuti ſunt, eorum certe mor-

l. 9. de Gen. ad litt. c. 6.
Bell. l. 1. de grat. pr. hom. c. 19.

te mortem, utcumque feſtinata fuerit, beatam eſſe & *apud Dominum pretioſam*, neque ſine gratiæ divinæ contumelia *pœnam* dici poſſe.

CAPVT V.

Solvitur tertia adverſariorum objectio ex Iſraëlitis in deſerto punitis Exod. 32. 10. 14. & quarta ex eorumdem in deſerto morte Num. 14.

SEd adverſarii id etiam afferunt, quod Exodi capite triceſimo ſecundo legimus, *multa Iſraëlitarum millia interfecta eſſe propter peccatum adorati vituli, neque tamen credibile eſſe omnes illos in peccato mortuos eſſe, cum Dominus teſtatus ſit ſe ob Moyſis preces peccatum illud dimiſiſſe.* Reſpondeo in primis falſum eſſe quod ajunt adverſarii de *peccato illo dimiſſo.* Neque enim Deus ſe id peccatum *dimittere* teſtatur. Hoc tantum ex eo Scripturæ loco conſtat, Deum Moyſis precibus nonnihil mitigatum, iræ ſuæ impetum tanto ſcelere commotum repreſſiſſe, ne univerſum populum ea internecione deleret, quam erat commeritus. Hoc enim minatus fuerat Dominus, *Dimitte me* (inquit) *ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Sed Scriptura ſubjicit Moyſis deprecatione placatum hactenus fuiſſe, *ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Hæc ſignificant quidem paratum à Deo toti populo exitium repreſſum, & inhibitum fuiſſe; peccatum populi *dimiſſum* fuiſſe non ſignificant. Neque enim Deus quæcumque ſcelera non punit eveſtigio, eadem *dimiſiſſe* cenſendus eſt. Deinde quod dicit adverſarius *multa Iſraëlitarum millia interfecta eſſe* ambiguum eſt. Itaque ſciendum *tria* omnino *millia* tum à Levitis occiſa eſſe, ut conſtanter habent omnes codices Hebræi, non autem *viginti tria millia*, ut mendoſe ſcriptum eſt apud Latinum interpretem. Tertio quod idem negat *credibile eſſe omnes illos in peccato* (hoc eſt, ut ego interpretor ſine vera pœnitentia) *mortuos eſſe*, id, inquam, facit ſine ratione. Nihil enim eſt, cur videatur incredibile in tanto peccantium numero (erant enim ſexcenta plus minus millia) ter mille repertos eſſe, qui obfirmatis in ſcelere animis ſine ulla (præſertim tam brevi tempore) pœnitentia perierint. Neque enim putem Levitas Moyſis imperio armatos obviam plebem promiſcue, nullo pœnitentis, aut impœnitentis diſcrimine concidiſſe. Vero propius videtur, quorum præcipuus exarſerat ad idololatriam furor, ac projectior ad deficiendum audacia, quique ſe vel ſceleris duces ac anteſignanos præbuerant, vel eas partes palam

Bel. l. 4. de pœnit. c. 2. 3. Alterum.

Exod. 32. 10. 14

 adhuc

adhuc tuebantur, in eos potiſſimum irruiſſe Levitas, nefariamque conjurationem huc illuc per caſtra ſparſam, ac diſſeminatam, ultro citroque commeando, obtruncatis quos ex impio grege fors obtulerat, diſſipaſſe. Iam ſi hæc ita geſta fuiſſe dicamus (dicere vero nihil vetat) nemo non videt, quam alienum ſit à propoſita quæſtione hoc exemplum. Quid enim ſumptum de impiis, ac in ſcelere obduratis idololatris *ſupplicium* cum iis *pœnis* commune habet, quas à piis hominibus, etiam poſt condonatam noxam, Deum expoſcere volunt? Verum age, quod volunt adverſarii, id quamquam minus credibile concedamus; nimirum in illa *trium millium* ſtrage cecidiſſe non neminem, qui vera pœnitentia, ſinceraque animi converſione ſceleris veniam à Deo ante mortem extorſiſſet. Illum equidem ſiquis ſic è vivis ſublatus eſt, Moyſi gentis Principi, legibuſque patriis, quibus gens Iſraëlitica regenda erat, *pœnas* morte *pependiſſe* confiteor; Dei ultrici juſtitiæ *ſatisfeciſſe* nego. Moyſes, ſummus Reipublicæ rector, cum univerſum populum immani ſcelere contaminatum videret, conſtituendum pro muneris ſui ratione in noxios exemplum exiſtimavit. Itaque fecit, quod tali in cauſa facere ſolent optimi, & laudatiſſimi imperatores, qui legiones, aut copias, quoties univerſæ crimine tenentur, *decimant*, aut *centeſimant*, ut *pœna ad paucos*, *metus ad omnes* perveniat. Sic Moyſes ex omni illo reorum numero *tria millia*, vix ducenteſimam totius exercitus partem, ſupplicio affecit; eoque exemplo & violatam divinarum legum majeſtatem ſancivit, & labefactatam auſu nefario reipublicæ diſciplinam firmavit. Hactenus ſane etiam pœnitentiam (ſiqui in eo numero fuerunt) mors idololatriæ vere *pœna* fuerit; *pœna* nimirum *politica*, à Moyſe velut à magiſtratu in tribunali politico ſedente inflicta ex publicarum legum præſcripto. Hujus enim generis tribunalia in ſontes etiam *pœnitentes* animadvertunt; neque eæ, quas adminiſtrant, leges ullam veniæ ſpem faciunt facinoroſis, quos delicti pœnituerit. Dei peccatores in conſcientiæ foro judicantis plane alia ratio eſt; qui diſertiſſime promiſit ſe *peccata reſipiſcentibus condonaturum*. Ergo mors, quam iſti, ſiqui fuerunt, pœnitentes in illa Moſaïca ſtrage perpeſſi ſunt, ejus, exitii, ſive maledicti, quod Deus peccatoribus minatur, pars nulla fuit. Neque enim illa gratia, quam reſipiſcentibus donat, rebuſpublicis ipſius auctoritate conſtitutis, fraudi eſt; neque nos quibuſcumque peccata à Deo remittuntur, eos nullis à magiſtratu pœnis affici contendimus. Tota illa fidelium impunitas eas tantum pœnas reſpicit, quas Deus pro peccatis ex æternæ legis præſcripto ab hominibus exigit. Itaque ſi quos Dominus etiam pœnitentes, & vere conver-

converſos illo Moyſis gladio corripi permiſit, non eo permiſit, ut peccatum ipſis in foro conſcientiæ condonatum puniret, ſed alio plane fine atque animo. Primum enim magiſtratum munere ſuo legitime fungentem turbari, vel interpellari minime decebat, quo ſua reipublicæ jura conſtarent, ſuaque civibus diſciplina ſarta tecta conſervaretur. Tum illo ſupplicii terrore optimus parens inchoatam fidelium pœnitentiam non parum juvit, etiam eorum qui interfecti ſunt. Huc accedit, quod eo exemplo quo ſuas magis,magiſque ab idololatria deterreret, abunde teſtatus eſt ne apud homines quidem inultum fore hoc ſcelus. Denique electos ſuos, ſiqui erant in eo numero, hujus vitæ tentationibus ac diſcriminibus ſubduxit. Eadem latronis ratio fuit, qui de cruce ad Chriſtum converſus eſt; eadem cæterorum nocentium, quos tametſi ex animo pœnitentes principis gladius ferit. Si ad Dei tribunal res exigatur, mors iſtis non pœna, ſed ſalus fuit; quæ homines peccato, atque exitio alte immerſos ad reſipiſcentiam, adeoque ad veram vitam excitavit; excitatos, & bona fide emendatos ex his terris in beatiſſimas Chriſti ſedes mox trajecit. Sed hæc de primo exemplo plus ſatis.

Alterum ex Numerorum decimo quarto laudant, *ubi* (inquiunt) *populus univerſus murmuravit, ac deinde ad Moyſis interceſſionem reconciliatus eſt Deus Iſraëli, & tamen in pœnam criminis illius omnes omnino Hebræi, qui numerati fuerant, mortui ſunt in deſerto, exceptis Caleb, & Ioſue, qui non murmuraverant. Ac præterquam quod pœna mortis non infligitur ad emendationem in futurum, Deus ipſe teſtatur eo loco eam pœnam in ultionem ſceleris à populo ſe exigere. Et ſcietis* (inquit) *ultionem meam.* Hactenus adverſarius. Sed hæc utraque ejus ratio nihil valet. Ac prior quidem illa, in qua ſibi tantopere placet, inde ducta, quod *mors non infligitur ad emendationem in futurum*, plane futilis eſt, & ab hoc loco aliena. Quid enim? Populuſne iſte uno repente ictu, velut fulmine, proſtratus ſic concidit univerſus, ut mors illis denunciata nullius in poſterum emendationi prodeſſe poſſet? Minime vero. Hoc enim judicium ſic temperavit Dominus, ut mors ſingulos paulatim carpendo, univerſos non ante quadraginta annos confecerit. Quis neget Dei flagellum tot annos per caſtra huc & illuc oberrans Iſraëlitis ad pœnitentiam, & morum emendationem utile fuiſſe? Principio Deus mortem omnibus clara voce denunciavit, totiuſque rei ordinem diſertiſſime prædixit. Comminationem res ipſa ſtatim ſequuta eſt. Repente enim illa Dei vox graſſari cœpit, variaque peſte correptos non ante vexare, & inſectari deſiit, quam omnes quadraginta annorum ſpatio confe-

Bell. ibid. c. Text. v. 34.

ciſſet.

ciſſet. Ferreos fuiſſe oportet, quos non affecit tam horrenda, tamque inuſitata populi ſtrages. Eo accedebant perpetuæ Moyſis, & Aaronis cohortationes, ac preces, quarum egregium ſpecimen extat Pſalmo xc. Non eſt ergo dubitandum, quin illa Iſraëlis ſic diſpenſata clades piis quibuſque ad veram vitæ emendationem multum profuerit. Impiis & induratis *pœna* fuit (fateor) piis & pœnitentibus *diſciplina*. Ne-
Num. 14. 34. que aliud ſuadet, quod eam Dominus *ultionem ſuam* vocat. Nam impiorum, & impœnitentium, quales plurimi fuere, reſpectu, ea *pœna* proprie *ultio* fuit, hoc eſt *pœnæ* ex legis præſcripto peccatoribus impoſitæ pars aliqua. Tum ipſas piorum diſciplinas *ultionem Dei* vocari, improprie ſaltem & figurate nihil vetat; propterea quod divinitus ob peccata infligantur, & quidem ad exemplum. Quamquam ſi ſummo jure agere vellem, merito negare poſſem *ultionis* vocem, quæ apud Latinum interpretem extat, à Spiritu ſancto eo loci uſurpatam. Quæ enim in Hebræo habetur dictio תנואה *fractionem*, ſive *abruptionem* potius ſignificat, quam ultionem, ab נוא *frangere*, *abrumpere*, *irritum facere*; quo factum eſt, ut recentiores, Hebræos ſecuti, hanc particulam longe aliter interpretati ſint, quam Latinus. Auguſtinus Steuchus
in Num. 14. Eugubinus; תנואתי *id eſt prohibitionem meam, qua prohibebo vos ne ad terram perveniatis. Verumtamen etiam ſecundum Hieronymum verterunt* LXX. *aut Hieronymus ſecundum illos*; καὶ γνώσεσθε τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς μου *hoc eſt*; *Et cognoſcetis furorem iræ meæ. Quare paulo diverſior eſt ſententia.* Sed non jam id agemus. Neque illud poſtremo omittendum, quod eſt ab
Hebr. 3. 17, 18, 19. & 4, 1, 2, 3, 4. Apoſtolo in epiſtola ad Hebræos luculentiſſime obſervatum, totam hanc veteris populi *pœnam* typicam fuiſſe, adeoque non ſimpliciter ad eos, quibus illata eſt, emendandos ſpectaſſe, ſed ad nos multo magis docendos, & erudiendos. Nimirum terra Canaan veteribus promiſſa, regni cœleſtis nobis à Chriſto donati typus fuit; ac ut veterum querelæ & murmura profanorum hominum incredulitatem; ita illorum in deſerto mortes ſempiternum horum exitium adumbrabant. Fuerit ergo veterum in deſerto ſtrages *ultio*, ac *pœna* typice; non eo tamen efficitur, ut vere ac proprie illius *pœnæ* pars fuerit, quæ peccatoribus ex ſempiterna Dei lege incumbit; haud magis quam ſiquis terram Ca-
Pſ. 94. 11. Hebr. 3, 18. naan vere ac proprie promiſſum fidei ac reſipiſcentiæ in Euangelio regnum ex eo fuiſſe concluſerit, quod ea *Dei requies* à ſacris ſcriptoribus vocetur.

CAPVT VI.

Solvuntur reliquæ objectiones. 5. ex morte Moyſis, & Aaronis, Num. 20. & Deut. 32. 6. ex 1. Reg. 13. 7. ex 1. Cor. 11. 30. 32.

SEd jam venio ad Moyſis, & Aaronis exempla, qui & ipſi quod *Deum ad petram non glorificaſſent mortui ſunt in deſerto.* Nam de hoc quidem ita legimus in Numeris, *Pergat Aaron ad populos ſuos; non enim introibit terram, quam dedi filiis Iſrael, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis;* quibus continuò ſubjicitur mortis ejus narratio. De Moyſe verò itidem hæc habentur in Deuteronomio: *Aſcende* (inquit Dominus) *in montem iſtum Abarim, in montem Nebo, & morere in monte; quem conſcendens jungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, & appoſitus populis ſuis, quia prævaricati eſtis contra me. Iam nemo eſt* (inquit Bellarminus) *qui neget Moyſem, & Aaron poſt peccatum illud in gratiam Dei rediiſſe. Manſit igitur pœna luenda poſt culpam remiſſam.* Fateor, ſi *pœnam* intelligit, quæ ex paterna *diſciplina* imponitur ad ejus, cui infligitur, bonum, totiuſque familiæ eruditionem. Nego, ſi *pœnam* proprie dictam ſignificat, quæ ex legis præſcripto à Deo in judiciali (ut ſic dicam) tribunali ad hoc decernitur, ut ultrici juſtitiæ ſatisfiat. Mortem vero Aaroni, & Moyſi divinitus denunciatam, mox etiam illatam, tum ipſis, tum cæteris fidelibus ad veram reſipiſcentiam utilem fuiſſe clarum eſt. Ea enim inſigne documentum fuit, tum noſtræ miſeriæ, tum ſanctitatis ac puritatis divinæ; quæ ne minimos quidem vel cariſſimorum miniſtrorum nævos ſine animadverſione tranſmittit. Neque dubitandum eſt, quin viri illi ſanctiſſimi hac correptione admoniti ea, qua par erat, humilitate ante ſummam Numinis majeſtatem procubuerint, elatiſque in cœlum animis ſe-ſe ad mortem, quæ præſto erat, accinxerint. Quamquam & in hac Moyſis morte myſticum aliquid fuiſſe videtur. Moyſem enim Deus ab ingreſſu terræ ſanctæ ſummovit, eamque lauream Ioſuæ filio Nun ideo ſervavit, ut in hac veluti tabella adumbraret non legis vi, cujus Moſes & miniſter, & typus fuit, in regnum cœleſte induci verum Iſraelem, ſed Domini Ieſu ductu & auſpiciis, cujus Ioſue & nomen & figuram gerebat.

Num. 20. 24. 25.

Deut. 32. 50. 51. ubi ſupr. 5. Quintum.

Supereſt ultimum ex Veteri Teſtamento ab adverſario allatum exemplum, illius nimirum Prophetæ, qui quod accepto à Domino mandato non paruiſſet, in itinere à leone occiſus fuit, ut habetur fuſius in ibid. 5. Simile.

1 Reg. (Lat. 3.) c.13.24. priore Regum libro. *At* (inquit adverſarius) *is Propheta ante quàm in leonem incideret, pœnitentiam egerat, & remiſſionem à Domino impetraverat, ut ex eo patet, quod paulo ante prædicta illi fuiſſet ea calamitas.* Hoc equidem libens concedo. Non enim eſt veriſimile de errore, quo uno ad peccandum inductus erat, admonitum non eveſtigio reſipuiſſe, culpæque ſuæ ſenſu,ac graviſſimæ,quæ prædicebatur, pœnæ horrore perculſum Domini ſui miſericordiam invocaſſe. Verum eo ipſo docemur non inutilem, ſed efficaciſſimam fuiſſe ad ejus reſipiſcentiam hanc pœnam, qua paulo poſt oppreſſus fuit; eoque caſtigationem paternam fuiſſe, non autem admiſſi ab eo peccati ſupplicium. Ea porro in ſervum ſuum animadverſione, dura ſane atque atroci, Dominus fideles omnes admonitos voluit, ne ullius umquam hominis, etiam Prophetæ, auctoritate abripi ſe ſinant, ut vel latum unguem ab ipſius mandatis deflectant. Nihil ergo neceſſe eſt ſtatuere,quod volunt adverſarii,ſanctum illum virum ideo occiſum fuiſſe, ut debitas noxæ pœnas perſolveret,cum obviæ ſint aliæ hujus calamitatis,in quam incidit,cauſæ; nimirum & ipſius emendatio,ac ſalus,& Eccleſiæ utilitas, & memorabile ſeveritatis Dei in eos monumentum, qui vel tantillum ab ejus præceptis diſcedunt. Atque hæc adverſarius ex veteri Teſtamento.

Bell. ibid. §. Quintum. Nihil adduxit ex novo præter unum Pauli locum ex prioris epiſtolæ ad Corinthios capite undecimo, *ubi* (inquit) *Apoſtolus ſcribit multos eorum, qui indigne communicabant ſacramento corporis Domini in pœnam peccati morte punitos, cum ait, Ideo inter vos multi infirmi, & imbeciles,& dormiunt multi; quos ante mortem reconciliatos Deo fuiſſe idem Apoſtolus monet,cum addit, A Domino corripimur,ut non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11. 30,32. Reſpondeo nuſquam iſtic Apoſtolum ſcribere quod ait adverſarius *iſtos in pœnam peccati morte punitos fuiſſe*; ſed contra, teſte ipſo adverſario, affirmare, *idcirco eos à Domino correptos eſſe,ne cum hoc mundo damnarentur.* Iam vix poterat diſertius docere hanc correptionem de qua loquitur, non ad puniendum (quod iſti volunt) peccatum, ſed ad ſervandum (quod nos confitemur) peccatorem ſpectaſſe, eoque non peccati *pœnam*, ſed peccantis *medicinam* fuiſſe. Idque ipſe Claudius Guillaudus diſertiſſime obſervavit ad hæc Apoſtoli verba, *Dum judicamur autem. Non dicit* (inquit) *punimur, non pœnas damus; ſed corripimur, & erudimur; ut oſtendat has afflictiones (quibus hic judicari à Domino dicimur) admonitionis eſſe magis, quam damnationis, medicinæ quam ſupplicii, correctionis quam pœnæ.* Itaque hic locus adverſariorum dogma non confirmat, ſed jugulat, noſtramque ſententiam non modo non evertit,ſed plane conſtituit. Nam qui proprie *punit* is non ſontis emendationem,

dationem, ſed juſtitiæ ſatisfactionem reſpicit, id habens ob oculos, non ut qui punitur reſipiſcat, & ſervetur, ſed ut jus à legibus præſcriptum obtineat; idque patet ex pœnis, quas vel magiſtratus in hoc mundo à facinoroſis, vel Deus in inferno à damnatis exigit; in quibus nemo non videt nullam proprie haberi ſontis vel emendandi, vel ſervandi rationem. Atqui Dominus, teſte Paulo, fideles ideo *corripit*, morbiſque & ipſa interdum morte flagellat, ut ſerventur, neve *cum mundo pereant*; Ergo eos, ſi proprie loqui volumus, non *punit*. Neque hic nobis adverſarius ſolemne illud occinat, ridiculum eſſe dicere *morte affici homines, ut in poſterum cautius vivant.* Non enim quos *corripit Deus*, uno ictu ſic conficit, ut non ante mori ſe ſentiant, quam reapſe mortui ſint. Quod ait Apoſtolus, *multi infirmi ſunt, & dormiunt multi*, oſtendit variis morbis, atque infirmitatibus caſtigatam fuiſſe à Domino Corinthiorum negligentiam, quibus ſubacti de officio cogitarent, mortiſque imminentis metu ſerio in peccata ſua inquirerent, & bene parati de ſæculo, ſi Dominus evocaret, alacres ad æternam quietem diſcederent. Ita mors, & iſtis ad ſalutem proderat, & cæteris ad exemplum, qui hujuſmodi fratrum flagellis moniti diſcebant inſtituta à Chriſto ſacramenta ſanctius in poſterum habere, atque reverentius.

CAPUT VII.

De pœnis fidelium poſt hanc vitam, ſive de purgatorio. Rejiciuntur in ſuum locum objectiones ex 2 Maccab. 12. & Tob. 4. Solvitur prima ex veteri Teſtamento objectio ex Iabeſenſium & Davidis luctu. 1 Sam. 31. 13. & 2 Sam. 1. 12. & ſepultura patrum in Canaan.

HActenus de iis pœnis diſputavimus, quas poſt dimiſſam culpam in hac vita à fidelibus ſui contendunt adverſarii. Iam ad eas procedamus, quas poſt mortem conſtituunt. Atque hæc multo quam illa liberior, atque expeditior futura eſt diſputatio. Non enim ut illic, de re ipſa conſentimus; de rei definitione litigamus; ſed rem ipſam funditus tollimus. Fidelium poſt acceptam peccatorum remiſſionem *ærumnas*, atque *perpeſſiones* in hac vita eſſe conceſſimus; negavimus tantum eas perpeſſiones *pœnas* proprie vel eſſe, vel dici. Nunc vero nullos omnino eſſe fidelium poſt hanc vitam cruciatus, nullas perpeſſiones ad animas vel puniendas, vel probandas, aut emendandas, exſerte defendimus. Ratio diſcriminis clara eſt. Nam cum in hac vita

vita emendentur, probentur, atq; exerceantur fideles, manifeſtum eſt, quamdiu hîc ſuperſunt, crucem iis ad hæc utiliter adhiberi. Contra cum poſt mortem nullus fidelium emendationi, aut probationi vel ex ipſis adverſariis, ſuperſit locus, conſentaneum eſt ne cruciatibus quidem eſſe, quorum (ex noſtra quidem ſententia) non alius in fideles quam ad *emendationem*, aut *probationem* ſit uſus. Vnus ergo hic incumbit adverſariis labor, ut probent, certiſque argumentis demonſtrent etiam poſt mortem cruciatus aliquos perpeti ſuperſtites fidelium animos. Ac illi quidem ſane confidenter, ut ſolent, quaſi recens ex animarum ſedibus in has terras deveniſſent, omnia ſigillatim, atque operoſe deſcribunt locum eſſe quemdam ſubterraneum, in quem tamquam in carcerem, detruduntur eorum animæ, qui fideles quidem fuerunt, veniamque peccatorum ante obitum conſecuti ſunt, nondum tamen pœnis temporalibus ſatisfecerunt, quas ipſi poſt dimiſſum peccatum luendas ſupereſſe fingunt; In eo ergo ſpecu detineri, *igne*que neſcio quo vel proprie, vel certe metaphorice ſic dicto, cruciari, donec acerbiſſimis, omniaque hujus vitæ tormenta longe ſuperantibus perpeſſionibus quicquid reliquum erat reatus exhauſerint; ita demum liberas in cœlum, ultimam ac æternam piorum ſedem, dimitti; eoque locum in quo hæc divinæ juſtitiæ poſtrema in fidelium animas ultio exercetur, PVRGATORIVM dici, vulgato hisque ultimis ſæculis decantatiſſimo nomine. Bella ſane & elegans pictura; ſed quæ nihil aliud eſt, quam pictura. Nos cætera dogmatis vana, in quibus ſeſe ſuaviſſime jactat inanis adverſariorum curioſitas, minime perſequemur; imo ne ſtatum quidem animarum fidelium, poſtquam eæ è corpore migrarunt, anxie ſcrutabimur. Tantum quod neceſſario poſtulat ſuſceptæ diſputationis argumentum, expendemus, *an aliquæ ſuperſint pœnæ poſt mortem iis luendæ, qui in Domini fide moriuntur.* Ajunt adverſarii; Nos negamus. Id vero de quo quæritur, cum ad animarum poſt mortem ſuperſtitum ſtatum pertineat, qui neque ſenſibus qualis ſit deprehendi, neque ratione inveſtigari, ſed ſola Dei, cui uni cognitus eſt, revelatione diſci poteſt, adverſarios, qui talia ponunt ac docent, decet inprimis certa ſui dogmatis argumenta è Scripturis afferre, quibus divina revelatio continetur. Iam ergo audiamus quibus illi Dei teſtimoniis ſuam his de rebus aſſertionem probent.

Bell. l. 1. de purg. c. 3. §. Primum. Primum igitur ex ſecundo Maccabaico locum afferunt, in quo Iudas *pro* quibuſdam militibus *mortuis ſacrificia obtuliſſe* narratur. *2. Maccab. c. 12.* Sed cum non ignorent nobis, contra quos hanc diſputationem inſtituunt, non haberi hos libros pro divinis atque canonicis, imperite agunt,

agunt,qui nobis quæ dubia ſunt & incerta ex iis,quæ æque dubia ſunt, probare conantur. Omnem enim probationem, quæ bene & ſapienter inſtituitur, ex iis principiis fieri decet, quæ apud adverſarium in confeſſo ſunt. Quod ſi forte regerant ſaltem ex hujus hiſtoriographi teſtimonio haberi, ſolitos fuiſſe illius Eccleſiæ homines *pro mortuis* preces, ac ſacrificia offerre, neque hoc negari poſſe,quin omnem ſcriptoribus res ſuæ memoriæ narrantibus abrogemus fidem, fateor eam objectionem aliquid habere momenti, ſed ad hunc locum pertinere nego,quo quærimus, non *quid fecerint*, vel opinati ſint priorum ſæculorum homines, ſed *quid Deus in verbo ſuo docuerit*, atque inſtituerit. Idemque judicium eſt de altero teſtimonio, quod ex Tobiæ volumine, æque nobis apocrypho, in ſecundo hujus diſputationis articulo depromunt. Præteritis igitur duobus iſtis locis,&c in alteram diſputationis partem rejectis, in qua indagabimus, quæ veterum fuerit de hac quæſtione ſententia, nunc ad ea pergamus, quæ ex certis, atque indubitatis veteris Teſtamenti libris afferuntur.

Tob. c. 4. Bell. ub. ſupr. §. Secundus.

Quo in ordine primum illud occurrit, quod ex priore libro Samuelis recitant habitatores Galaad audita morte Saul *jejunaſſe ſeptem dies*; eademque de cauſa *fleviſſe, & jejunaviſſe Davidem*,idemque feciſſe cum Abnerem Ioabus perfidia ac ſcelere immani obtruncaſſet: Quamvis enim hæc in *ſignum doloris & triſtitiæ* facta fuiſſe videantur, tamen (inquit adverſarius) credibile eſt facta eſſe *ad juvandas animas defunctorum.* Id vero ex duobus colligit; *Primo ex eo quod irrationabile fuiſſet in ſignum doloris ſeptem dies jejunare. Secundo ex eo, quod David ſecundo Regum capite duodecimo jejunavit, & oravit pro filio ſuo infantulo, dum ægrotaret; poſtea vero quando audivit eum eſſe mortuum, non amplius jejunavit; quo facto ſuo oſtendit ſe jejunare ſolitum, ut aliquid à Deo impetraret. Ideo enim pro morte pueri non jejunavit,quia ſciebat puerum non eſſe ad vitam rediturum, & præterea etiam ſuffragiis non egere. Quo etiam ſpectat illa ſollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in terra promiſſionis ſepeliri,nimirum ut eſſent participes precum, & ſacrificiorum, quæ ibi offerebantur.* Hæc Bellarminus, quæ quam futilia ſint ac ridicula omnes intelligunt; ipſeque adeo prodit adverſarius, qui demonſtrationes nobis pollicitus,*credibilia* ea vocat,ex quibus argumentatur. Atqui *vera*, non *veriſimilia*; *credita*,& confeſſa,non *credibilia*; *certa* & clara,non *ambigua* & obſcura afferre decet eum, qui demonſtrat. Tum hæc probatio (quod maximum eſt in argumentando vitium) concluſionem, de qua dubitatur,veram eſſe ſupponit. Niſi enim hoc præſtruxeris *defunctorum animas pro peccatis cruciari*, nemini veriſimile videbitur ideo je-

ibid. §. Tertio. 1 Sam. (Lat. reg.) 31. 13. 2. Sam. (Lat. reg.) 1. 12. & 3. 32. 35.

Gen. 47. 30. & 50. 24.

D junaſſe

junaſſe Galaaditas, & Davidem, ut interfectorum animas eo (ut loquuntur) ſuffragio juvarent. Sed quid hic hæremus, quaſi res obſcura ſit, vel conjecturis indigeat? Diſertiſſime docet Scriptura, quæ iſtius jejunii, luctuſque cauſa fuerit, nimirum ingens *dolor* ob graviſſimam reipublicæ inflictam cladem. Cum enim narraſſet divinus ſcriptor Iſraelis exercitum à Philiſthæis fuſum, ac fugatum; Saulem una cum tribus filiis, omnique juventutis, ac nobilitatis flore in acie cæſum, detracta jacentibus ſpolia, regis caput abſciſſum, corpus de muro Bethſan ignominioſe ſuſpenſum, tantumque paſſim fuiſſe in Iſraele ex illa clade pavoris, ut qui trans Iordanem habitabant deſertis oppidis ſumma trepidatione fugerent, perinde ac ſi de republica actum fuiſſet, cum hæc inquam narraſſet, continuo ſubjicit, *Quod cum audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philiſthiim Saul, ſurrexerunt*, & quæ ſequuntur. Plana eſt *luctus* ratio; videlicet maxima illa reipublicæ calamitas. Quid neceſſe eſt de arcanis mortuorum pœnis hariolari? quaſi in tanta, tamque acerba clade non ſatis cauſæ fuerit, cur gemerent? cur plangerent, ac jejunarent? At *jejunarunt ſeptem dies*. Credo; quod tantus luctus unius, aut alterius diei jejunio exhauriri non potuit. Atqui & Iobi amicos totidem dies *jejunaſſe* legi-
Eccleſiaſt.22.13. mus conſpecta viri calamitate. Et Syracidæ luctus cujuſvis mortui legitimus *ſeptem dies*, quanto magis luctus regis maximi, florentiſſimique exercitus? Quamquam etiam propriam *ſeptenarii* hujus in Galaaditarum jejunio numeri rationem affert Cajetanus. Vult enim *ſeptem dies* ideo *jejunaſſe*, quod Saul, quem lugebant, ipſos olim ultimo induciarum die, quas *ſeptem dierum* pacti erant, è Naæ Ammonitæ manu eripuerat. Sanctius, quod Regis cadaver multa paſſum eſſet ludibria, putat iſtos ideo honore illo funebri, & ſeptemdiali addito jejunio reficere voluiſſe, quæ illa tanta, tamq; publica ignominia detraxerat. Cer-
1 Sam. (Lat. reg.) 11 3. Act.7. 2. te teſtatur Lucas pios curato Stephani funere *magnum planctum feciſſe ſuper eum*; & veriſimile eſt non ſine *jejunio* luctu illo defunctos. Fuit enim hoc Iudæis ſolenne, ut quicquid triſte eſſet, aut funeſtum *jejunio* proſequerentur: Et mos eſt ipſi hominum naturæ conſentaneus. Neque enim quiſquam deliciis, aut cibis vacat, quamdiu magno aliquo & inuſitato mœrore obrutus jacet. Quid ergo ſi fideles illi, qui Stephanum luxerunt, *ſeptem* aut *plures* etiam dies jejunia ac planctus continuaſſe dicerentur; ideone irrationabile hoc eorum factum dicendum foret? Certe ex Bellarmini quidem ſententia, qui rationabilem non putat *ſeptem dierum luctum*, niſi ſiquod ad mortui animam purgatoriis pœnis levandam eo uſque continuetur; quæ ratio cum in. ſan-

ctiſſimo

ctiſſimo Chriſti martyre locum nullum habuerit (hujus enim generis fideles cœlo ſtatim, ac ſine mora recipi ipſi etiam adverſarii concedunt) profecto neceſſe eſt, ut fateatur Bellarminus non potuiſſe Stephanum *ſeptem dies* à piis niſi ſtulte, ac (ut ejus verbo utar) *irrationabiliter* lugeri; quod quam verum ſit,& rationi conſentaneum, alii viderint. Iejunii Davidis, quod ſubjicit, eadem ratio fuit. Eamdem enim ille reipublicæ cladem lugebat. Diſerta ſunt Scripturæ verba; *David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, ac fleverunt,& jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium ejus, & ſuper populum Domini, & ſuper populum Iſrael, eo quod corruiſſent gladio.* Nihil de *pœnis*, quibus interfectorum animæ in purgatorio ſcilicet cruciabantur; nihil de Davidis, & cæterorum ad eas leniendas affectu; quod profecto non omiſiſſet Scriptura, ſi vir ſanctus id in animo habuiſſet. Nam & ad ejus laudem,& ad noſtram ædificationem pertinebat id,ſiquid tale fuiſſet, inprimis commemorari. Sequitur mox ſatis longa Davidis in eo planctu nænia, in qua Saulis, & Ionathæ gravem caſum deflet, virtutem ac fortitudinem prædicat, jacturam reipublicæ exaggerat, Ionathæ inprimis,amici ſuaviſſimi,deſiderium ingens teſtatur. Cæterum neque ullas iſtorum purgatorias poſt mortem *pœnas* memorat, neque ullas pro iis apud Deum preces fundit; quod tamen unice poſcebat, ac pœne flagitabat hic locus, ſi verum eſt, quod ſtatuunt adverſarii, eam potiſſimum fuiſſe Davidi lugendi, ac jejunandi cauſam. Sed (inquit Bellarminus) *non ſolebat David jejunare, niſi ut aliquid à Deo impetraret.* Quaſi vero in tanta reipublicæ calamitatẽ, deletis copiis, deſertis civium fuga oppidis, hoſte victore, & quidem è vicinia in gentem pæne profligatam incumbente,nihil eſſet, quod David *à Deo impetrare*, ſuaque illa haud vulgari dejectione, atque humiliatione extorquere ſtuderet. Tum unde habet adverſarius *numquam jejunaſſe Davidem, niſi ut aliquid à Deo impetraret?* Fateor eo animo interdum jejunaſſe; numquam aliter, nego; idque vel is locus evincit, quem adverſarius attulit. Nam quo infantulo ſuperſtite *jejunaverat*, cum eo mortuo mox *ſolviſſet jejunium*, ſervi ejus mirabundi percunctati ſunt quæ eſſet rei cauſa? Fruſtra, & præter rationem, ſi ſolenne Davidi fuit *numquam, niſi ubi aliquid impetrandum erat, jejunare:* Sed clara res eſt. Cum ſolerent tum David, tum cæteri in illa gente carorum mortes, non ſolum adultorum, ſed etiam infantium, *luctu* ac *jejunio* proſequi, mirati ſunt iſti, quod præter conſuetum morem accepto infantuli obitu David jejunium ſolviſſet, quo tempore maxime continuandum, ac redintegrandum videbatur. Similis

2 Sam. (Lat. Reg.) 1. 12.

ibid. ℣. 18. 19.

2 Sam. 12. 21.

milis porro fuit ejus jejunii ratio, quo Abnerem nefarie à Ioabo occiſum luxit. Merito enim dolebat Regi optimo, quod ſuorum inſidiis per ſummum ſcelus circumventus, atque obtruncatus fuiſſet vir pace, belloque clariſſimus, & arcto ſibi fœdere recens junctus. Præterea nequa hæreret in hominum animis ſuſpicio, quaſi ipſe hujus cædis fuiſſet vel auctor, vel conſcius, affirmanda fuit inſigni aliquo mœſtitiæ teſtimonio Regis apud populum innocentia. Eo factum eſt, ut Abneris funus ſingulari luctu proſecutus ſit, ſancteque apud univerſam multitudinem dejerarit ſe nihil ante occaſum Solis guſtaturum. Quæ omnia tam clare, tamque diſerte in hac hiſtoria expreſſa ſunt, ut mirum ſit
2 Sam. 3. 35. 36. adverſariis ſua illa de *juvanda Abneris anima* inſomnia in mentem venire hoc loco potuiſſe.

Iam quod addunt de *Patriarcharum ſollicitudine, ut in terra ſancta ſepelirentur*, nihil habet cum hac cauſa commune. Hæc terra ipſis, ac poſteris vitæ, ac fortunarum ſedes jamdudum à Deo promiſſa erat. Ne ergo illa, in quibus tum degebant, exilia ſpem ſuorum frangerent, exſerte præcipiunt *oſſa ſua* in terram Canaan transferri, ut eo veluti pignore confirmaretur divinæ promiſſionis fides; ſicque admonerentur omnes Iſraelitæ aliquando futurum, ut ex Ægypto migrarent, & optatiſſimam illam hæreditatem adirent. Huc accedit omnibus innatus in patriam terram affectus, quo fit, ut in ea non modo vivere, ac verſari, ſed etiam inhumari, & poſt mortem jacere optemus. Terram autem Canaan fuiſſe ſanctiſſimis illis viris inſtar dulciſſimæ cujuſdam, ac exoptatiſſimæ patriæ, nemo ambigit, quam ſciebant unam cæteris poſthabitis à Domino delectam, quæ ſui olim ſeminis, atque imperii, ſuæque gloriæ ſedes, ac veræ religionis, & pietatis, naſciturique Meſſiæ domicilium foret. Mitto reliqua, quæ accuratius rem intuendi ultro occurrere poſſunt. Pererius certe, Ieſuita nobiliſſimus, cum plures
in Geneſ. alias hujus Patriarcharum voti cauſas recenſeret, hanc ſcilicet quod illi poſterorum ſuffragia, & preces, atque ſacrificia expeterent, adeo contempſit, ut ne uno quidem verbo attigerit.

CAPUT VIII.

Solvuntur objectiones ex V. T. ſecunda ex Pſ. 38. 1. tertia ex Pſ. 66. 12. Caſtigatur adverſariorum in citandis huc Patribus importunitas.

PErgit adverſarius; & ex Pſalmo triceſimo octavo hæc Prophetæ verba deſcribit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; Tum hæc ex Pſalmo ſexageſimo ſexto; *Tranſivimus*

vimus per ignem , & aquam ; & eduxiſti nos in refrigerium. Atqui plana eſt. Prophetæ mens in utroque loco. Ac in priore quidem Domini *iram* , ac *furorem* deprecatur , id eſt ultricem juſtitiam , qualem ille ſolet in impios exercere ad eos , non caſtigandos , ſed perdendos , & obterendos. Peccati ſibi conſcius non pro merito ſuo , ſed ex ſumma optimi parentis in liberos indulgentia haberi , atque corripi expetit. Conſentiunt ex ipſis adverſariis plærique omnes. Muyſſus recentiſſimus , *Si me arguere vis* (inquit) *ac caſtigare ob delicta , ne quæſo in furore tuo , ſed lente , ut ferre poſſim. Simile eſt illud Hieremiæ* 10. 24. *Corripe me Domine ; verumtamen in judicio , & non in furore tuo ; ne forte ad nihilum redigas me.* Pæne eadem habet Agathius Guidacerius , Theologiæ in originalibus linguis profeſſor regius. Lorinus Ieſuita , *Quare & ad præſens tempus referri iſta poſſunt , in quo tempore David petat non tractari more impœnitentis , cum ſe profiteatur , & polliceatur pœnitentem , hoc eſt ne pro meritis puniat Deus , & ſeverius.* Poſterioris vero loci non eſt obſcurior ſententia , quam non meis , ſed Muyſſi verbis expediam ; *Tranſivimus per ignem , & aquam. Figura eſt efficaciſſima ad notanda ſumma & extrema pericula. Quid enim igne, & aqua perículoſius ? quid exitioſius ? Sæpe ſola aqua in Scripturis ingentem calamitatem , & ſummum periculum notat ; exempli gratia Pſalmo* 32.6. In diluvio aquarum multarum. *Pſalmo* 69. 2. Intraverunt aquæ uſque ad animam. *Eſaiæ* 43. 2. Cum tranſieris per aquas. *Solus ignis quoque idem interdum ſignificat. exempli gratia Ezechielis* 15. 17. De igne egreſſi ſunt, & ignis conſumet eos ; *hoc eſt ex una calamitate tranſibunt in aliam. Et* 30. 8. Cum dedero ignem, *hoc eſt afflictionem , vel hoſtem* in Ægypto. *Eſaias loco citato* , Cum ambulaveris per ignem. *Hic utrumque ſimul conjungit Poeta , ut notet non unum , ſed multa , & quidem extrema pericula. Ac nihil ultra addit , quod nihil præterea addi poteſt ad ſummam calamitatem exprimendam , niſi hoc & quidem in eodem verſu* , & eduxiſti nos in irriguum , *hoc eſt , ſed tandem inde , ex igne ſcilicet & aqua , nos in irriguam illam terram Iſraëliticam eduxiſti ; perinde ac ſi diceret , ubi ad cumulum malorum pervenimus , eduxiſti nos.* Eodem modo hæc accipiunt Ianſenius , epiſcopus Gandavenſis, Emanuel Sa Ieſuita Hiſpanus, Genebrardus, alii ; ipſe quin etiam, qui nunc locum nobis objicit Bellarminus , in Pſalmorum commentariis. Lyranus , qui putat hic ſignificari veterem in Ægypto ſervitutem , *ignem* laborem ignis ad coquendos lateres interpretatur ; *aquam* vero accipit eam , quam portabant propriis humeris cum terra commiſcendam , ut inde lateres fierent ; quæ argutiora ſunt , & paulo longius petita. Ne hic quidem negat Bellarminus , quin

Pſ. 38. (*Lat.* 37.) 1. & 66. (*Lat.* 65.) 12.

In Pſ. 38. 6.

in Pſ. 6. 1.

qnin hi duo loci ita intelligendi ſint; Præfatur enim eos *habere poſſe varios ſenſus.* Sed tamen pugnat in priore verba illa *in furore argui à Domino* eſſe in æternum damnari; *in ira corripi*, puniri ſevere poſt hanc vitam ad correctionem tamen, & emendationem; in poſteriori vero *aqua* baptiſmum, *igne* purgatorium ſignificari. Quo argumento? Nullo. Tantum affert de prioris loci expoſitione Auguſtini, Bedæ, Haymonis, Carthuſiani; de poſterioris vero Origenis, & Ambroſii teſtimonium. Atqui in hujus capitis lemmate profeſſus eſt ſe *purgatorium* ex veteris Teſtamenti Scripturis probaturum. Quid? Auguſtinum-ne, & Ambroſium, & Carthuſianum habet inter divinos veteris inſtrumenti ſcriptores? An nos adeo fungos putat, ut ſiquid de Scripturis ſomniaverint homines ſive veteres, ſive recentiores, id ſtatim pro canonica ſcriptura habituri ſimus? *Ad populum phaleras.* Nos ſcripturam poſcimus; & ſcripturam promittit adverſarius. Scripturam ergo promat, vel id quod probandum ſuſcipit diſertis verbis docentem, vel ea certe ponentem, ex quibus id certo & evidenter concludatur. Eum eſſe, quem perſuadere nobis cupit, Scripturæ ſenſum, rebus & rationibus addicat neceſſariis, ex verborum ſignificatione, ex ipſa ſenſuum ſerie, ex locorum inter ſe comparatione, ex auctorum ſcopo ductis, ut non aliter, quam ipſe vult, divina dicta intelligi ſine ſtultitia, aut impietate queant. Ita demum, quod ſe facturum profeſſus eſt, ſua è Scripturis demonſtraverit. Non enim quæ quiſque in Scripturis ineſſe ſibi fingit, ea vere in Scripturis ineſſe, & pro Scripturis habenda eſſe putandum eſt. Vt lurorem arquatus etiam in nive cernit; ſic mentes affectu, vel opinione aliqua præpeditæ in Scripturis etiam ea, quæ nulla ſunt, vident. Et ſunt, qui ut olim Sabini, *quæ cupiunt, ſomnient.* Neque ſane ſolos ultimæ memoriæ homines ſomniare credideris. Somniant etiam ſæpicule veteres; eaque ſe in Scripturis videre putant, quæ tamen ſi rem accuratius tractaveris, in Scripturis nulla eſſe certiſſime deprehendes. An vel ex Hippocrate medicus, vel ex Ariſtotele philoſophus dogma demonſtraſſe cenſendus eſt, qui non ex ipſis auctorum locis, atque ſenſibus, ſed ex interpretum modo placitis id eruit? qui auctorum loca aliter quidem, neque minus recte intelligi poſſe confitetur, ſed tamen quod ea ſic acceperit Galenus, aut Alexander, eam quoque fuiſſe Hippocratis & Ariſtotelis ſententiam contendit? Sane ſiquis ita diſputaverit, ſuum quidem ille dogma ex Galeno, & Alexandro probaverit, ex Hippocrate, & Ariſtotele nihil egerit. Neque enim Ariſtoteleum, aut Hippocrateum continuo cenſendum eſt, quicquid Ariſtotelem, vel Hippocratem ſenſiſſe,

ſenſiſſe, Alexander, aut Galenus, aut alius quivis putavit; ſed id demum quod Ariſtotelem, & Hippocratem revera ſenſiſſe atque ſcripſiſſe compertum eſt. Atqui eadem eſt adverſarii in præſenti cauſa ratio. *Purgatorium* è Scripturis probaturus loca affert, in quibus ne Lynceus quidem ullam purgatorii ſcintillam viderit. Ipſe quinetiam confitetur ſane & recte aliter quam de *purgatorio* accipi poſſe; neque negare poteſt plurimos etiam ſuarum partium, aliter accepiſſe. Tamen quod nonnemo è veteribus *purgatorii* neſcio quid in iſtis vidiſſe viſus ſit, noſter ea ſtatim arripit, ac pro firmiſſimis *purgatorii* demonſtrationibus venditat. Quis non perſpicit totam hujuſcemodi probationis (ut ſic dicam) molem, non Scriptura (quam aliter poſſe accipi ipſe confitetur) ſed iſtius neſcio cujus veteris, aut recentis ſcriptoris auctoritate niti? Id enim pro Scripturæ dogmate cenſeri debet, non quod Scripturam dixiſſe vel Auguſtinus, vel Gregorius, vel quivis alius prodidit, ſed quod ipſam Scripturam revera docuiſſe, atque affirmaſſe conſtat. Atque hæc quidem diſputandi ratio, quam adverſarii ſequuntur, quam periculoſa ſit, non eſt obſcurum; quæ ſi admittitur, ſacroſancta convelletur Scripturarum auctoritas; neque multa in iis certa, fixa, atque immota ſupererunt. Nam quis neſcit, quam varie eas acceperint veteres, quamque licenter allegoricis meditationibus miſcuerint, ac inverterint? ſic ut interdum plane ludere, non ſerio philoſophari videantur? Bellarminus auctores habet è veteribus nonnullos, quos duo hæc pſalmorum loca de purgatorio expoſuiſſe putat. Atqui & ego meos habeo, quos ea aliter accepiſſe ne ipſe quidem negare queat. Poſſem ſi luberet, deſcribere. Sed abſit, ut quod in adverſario merito, ut mihi quidem videtur, reprehendo, id ipſe committam. Triſtis *labor eſt ineptiarum.* Nam ſi vel ſexcentos Patres attulerit, non tamen eo efficiet, ut is ſit Scripturæ ſenſus, qui revera non eſt. Sepoſitis igitur tantiſper Patrum nominibus hanc è Scriptura cauſam agamus, ſuo deinceps ordine quæ veterum fuerit de iſto dogmate ſententia ſimpliciter, ac bona fide inveſtigaturi; quo loco commemorabuntur opportunius ſiqua nunc animadverſione non indigna omittemus. Hæc ſemel monere hic libuit, quod perpetua fere ſit Bellarmini, & aliorum adverſariorum conſuetudo, ut ſatis eſſe putent ad dogmata ſua è Scripturis probanda, ſiquis ſic veterum, qui aliquem earum locum licet perperam, & incogitanter, licet contra ipſorum, qui talibus abutuntur, ſenſum atque conſcientiam, eo detorſerit.

Vide Inf. l. 6. c. 4.

Vid. Infr. l. 4. de Orig. c. 6. de Ambr. & Aug c. 9.

CAPUT

CAPVT IX.

Solvuntur reliquæ Bellarmini ex veteri Teſtamento objectiones 4ª. ex Iſ. 4.4. 5ª. ex 15. 9.18. 6ª. ex Mich. 7.8. 7ª. ex Zac. 9. 11. 8ª. ex Mal. 3. 2. 3.

AC ne longe abeam, quinque illa quæ hic apud Bellarminum ſequuntur veteris Teſtamenti loca, ſunt omnia hujus generis. Neque enim is *purgatorium* ſuum vel in iis legit, vel ex iis aliquo argumento colligit, aut ullam denique adhibet aliam probandi rationem. Tantum ait modo Auguſtinum, modo Baſilium, aut Hieronymum ita locum accepiſſe. Nos vero qui hic quærimus, non quid Auguſtinus, vel Baſilius docuerint, quidve ii Scripturam docere putaverint, ſed quid ipſa re vera Scriptura docuerit, ſemotis iſtis diſputationis ludibriis, hoc unum nunc quidem ſcrutabimur, quis verus ſit, ac genuinus earum, quas Bellarminus objicit, ſcripturarum ſenſus; interdum etiam adhibito ipſorum ſi è re videbitur, adverſariorum teſtimonio.

Ex his quinque locis duo ſunt Iſaiæ, prior ex capite quarto, alter ex nono. Prioris hæc ſunt verba; *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, &*
Eſai. 4.4. *ſpiritu ardoris.* Per *filias Sion*, & *Hieruſalem* fideles, ex quibus conſtat Eccleſia, intelligunt. Eſto. Per *ſordes, & ſanguinem*, peccata & debitas peccatis pœnas. Quid tum? Ergo (inquiunt) *fideles poſt mortem peccatis purgat Dominus.* O acumen! Quaſi vero vel Chriſtus ſuos in terris *viventes* nullos peccatis *abluat*; vel is ſpiritus, quo *viventes abluit*, non ſit *judicii, & ardoris ſpiritus.* Atqui in terris verſabantur, quos Paulus ſic alloquitur; *Abluti eſtis; ſanctificati eſtis; juſtificati eſtis in nomi-*
1 Cor. 6. 11. *ne Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in SPIRITV Dei noſtri.* Neque vero mortui erant, quos ait Ioannes à Chriſto baptizatum *iri ſpiritu, &*
Math. 3. 11. *igne.* Lyranus *ſpiritu judicii ablui* ait *filias Sion*, quia *Chriſtus per viam juſtitiæ pro nobis ſatisfecit; & ſpiritu ardoris, quia hoc fecit ex maximo ardore caritatis.* Gloſſa ordinaria *ſpiritum judicii* accipit de tribulatione, & paſſione, quibus purgantur electi; *ſpiritum ardoris* de ſpiritu, qui datur in baptiſmo, ubi diſcretio. Gloſſa interlinearis lavari de pœnitentia interpretatur. Atqui & ſatisfactione Chriſti, & tribulatione, & baptiſmo purgamur in hac vita. Ergo nihil hic locus ad purgatorium ignem, quo ex adverſariorum hypotheſi nemo *abluetur*, niſi poſt hanc vitam. Sane ſi rem putemus accuratius, etiam ſuppoſito *purgatorio*,

vix

vix tamen de eo poſſet intelligi hic locus. Nam *ſordes* illæ, quas *ablui* ait Propheta, & *ſanguis* ille, quem *lavari de medio Hieruſalem*, peccatorum proprie non tam pœnæ ſunt, quam habitus vitioſi, quos non in *purgatorio*, ubi pœnæ tantum temporales ſolvuntur, ſed in hac vita per *Chriſti Spiritum in corda noſtra effuſum* purgari, atque deleri conſtat. Quo & illud accedit, quod Propheta teſtatur *Sionis* cives non ante *ſanctos* vocatum iri, quam eos *Dominus ſordibus* in *ſpiritu judicii*, *& ardoris* abluerit. *Et erit* (inquit) *omnis, qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Hieruſalem, ſanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem, ſi abluerit* (id eſt quando vel poſtquam abluerit, ut interpretantur vel ipſi Ieſuitæ Maldonatus, & Sanctius) *Dominus ſordes filiarum Sion.* Vnde liquet illam *Sionis ablutionem*, quam hic Propheta intelligit, antecedere; tum demum *Sionem ſanctam* vocari. Atqui fideles etiam in hac vita conſtituti, *ſancti* & ſunt, & vocantur. & Eccleſia, etiam quæ in terris eſt, *ſancta* dicitur. Ergo illa *ablutio*, quam hic Propheta ſignificat, quamque ait fieri *in ſpiritu ardoris & judicii*, fidelibus in hac vita contingit. Alioqui enim ea *ſanctorum* appellationem, non, quod ait Propheta, antecederet, ſed ſequeretur. Sed nobis ſatis eſt, quod patet hunc locum de fidelium *purgatione*, quæ fit in hac vita per Chriſti meritum, & Spiritus ſancti gratiam, & afflictionum ſalutarem efficaciam, commode intelligi poſſe. Atque ita etiam accipit Emanuel Sa. Toletus quidem aliter; ſed neque is tamen traxit ad purgatorium. *Sordes* enim *filiarum Sion* de peccatis intelligit pœnitentium, quæ lavantur baptiſmo in Spiritu ſancto. *Sanguinem* vero de impœnitentibus, quos Dominus *lavat de medio* Hieruſalem *ſpiritu judicii*, ſeparando de medio juſtorum, *& ſpiritu ardoris*, ſeu combuſtionis, mittendo in caminum ignis æterni, qui profecto purgatorius non eſt. Sanctius vero, qui & ipſe Ieſuita eſt, & quidem eruditiſſimus, ad ea Domini judicia hæc refert, quæ in Iudæos in captivitate Babylonica incubuerunt; *Dominus* (inquit) *quos in libro viventium eſſe voluit, in Hieruſalem excoxit longa, duraque fornace apud Babylonios, ſpiritu nimirum vehementi, & eo modo illos ſanctos eſſe voluit, id eſt Dei cultores, non vanos, ac ſuperſtitioſos, quales ipſorum parentes fuerunt.* Tum & eorum probat ſententiam, *qui hæc ad Spiritus ſancti adventum accommodant, qui reſiduum populi, id eſt fideles purificavit, fecitque conſeri in libro vitæ, qui vere judicii ſpiritus dici poteſt, quia facit ut noſtra cognoſcamus, judicemuſque delicta; & ſpiritus ardoris, qui exurit majori quadam vi quicquid alte noſtris viſceribus ſordium inoleverat.* Denique Maldonatus locum hunc ſic interpretatur, *Iudæorum reſiduos ſanctos* id eſt *Chriſtianos*

in Luc. 3. 16.

Annot. 13. in Eſ. 4.

ſtianos vocatum iri, cum *Dominus expiaverit* omnia Iſraëlitarum peccata, *alios metu pœnæ, alios amore, & caritate ad ſe adducens*; *Spiritus enim* (inquit) *ſignificat affectum hoc loco, quaſi dicat alios ira, alios caritate.* Hæc vero omnia quam ſint à *purgatorio* aliena nemo non videt.

Alter ex Iſaia à Bellarmino allatus locus habetur capite nono; *Succenſa eſt, quaſi ignis, impietas, & ſpinas devorabit.* Sed ex hoc Prophetæ *igne* non poſſe *purgatorium* accendi palam eſt. Nam propheticus hic *ignis* impietatem ſuccendit: *purgatorius* vero, ex adverſariorum hypotheſi, *pios* tantum excoquit; imo ne piorum quidem *delicta*, quæ in hac vita per pœnitentiam purgata fuiſſe fatentur, ſed *pœnas* tantum temporales abſumit. Tum *ignis*, de quo Iſaias, *ſpinas, & vepres*, hoc eſt impios, in quos ſuccenditur, devorat; *Purgatorius* vero, ſiquos urit, eos non *devorare*, ſed *conſummare*, & *perficere* fingitur; planeque defœcatos in cælum tranſmittere. Prophetæ mens clara eſt ſiquis non oſcitanter legerit. Exitium enim minatur Iſraëlitis ob immanem morum depravationem. Locum paraphraſticωs ſic expreſſit, Gaſpar Sanctius; *Supplicium, quod Deus meditatur, quaſi ignis ſuccenſus, late graſſabitur in Iſraëliticos fines; primum infirma quæque invadet, ac perdet, puta ſpinam, ac vepres, & aridam ſtipulam. Deinde vero concepto majori impetu ad ſaltum etiam ingredietur, & altas quoque, atque proceras arbores ſternet, & comburet, omnia interim obvolvente fumo, & ad cælum uſque rurſum undante.* Hæc Sanctius, quæ in annotatione fuſius ediſſerit. Quod ſiquis extremam impiorum cladem, quam Propheta ſub incendii in *ſpineto* longe lateque graſſantis imagine adumbrat, ad ſpiritualia traducere velit, non repugno. Sed clarum eſt temporali iſta Iudæorum calamitate, inferni incendium, quo impii olim cruciabuntur, ſignificari. Vtrumque ſenſum breviter expreſſit Emanuel Sa, *Ignem* (inquit) *calamitatis dixit, vel inferni.* Maldonatus paulo aliter, quam Sanctius, locum accipit; ſed neque ejus expoſitio quicquam facit ad *purgatorium.*

Iſ. 9. 18.

Vb. ſupr. ſ. Octavus.

Sequuntur apud Bellarminum tria ex tribus aliis Prophetis deſcripta teſtimonia. Primum eſt ex Michæa; *Ne læteris inimica mea, ſuper me, quia cecidi. Conſurgam, cum ſedero in tenebris. Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum. Educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus.* Nimirum quia hic *tenebras* Propheta, & *iram Domini* memorat, adverſarii ſuum ſtatim *purgatorium* imaginantur; *tenebroſum* (ut ipſi quidem fabulantur) *carcerem.* Atqui is de quo Michæas loquitur, Eccleſiæ caſus hujuſmodi erat, ut in hominum oculos incurreret. Alioqui fruſtra

Mich. 7. 8.

eos

eos vetaret de ſua calamitate lætari. *Purgatorii* vero pœnas occultas, neque ullis mortalium ſenſibus pervias eſſe fatentur; neque umquam auditum fidelium in *purgatorio* ærumnis, atque cruciatibus inſultaſſe quemquam. Ipſi dæmones, quibus ſolis eſſet cognita illa fornax, ſi ulla in rerum natura foret, de hujuſmodi fidelium pœnis dolerent potius, quam lætarentur, quippe quas hominibus ſalutares, cœlique (ut ſic dicam) præliminares eſſe non ignorarent. Sed his miſſis, veram prophetici dicti mentem oſtendamus, quæ ita clara eſt, ac perſpicua, ut eam adverſarii facile ipſi videre queant, niſi fortaſſe obſtent eorum menti, atque oculis circumfuſi *purgatorii* ſui fumi. Lyranus quidem certe vidit, nobilis apud eos interpres; qui hanc Synagogæ in Chaldæa exulantis ad Babylonem proſopopœam eſſe docet; *Ne læteris*, inquit, *tu Babylon de captivitate Iuda, quia cecidi in manibus tuis. Conſurgam per Cyrum liberanda*, &c. *Cum ſedero, id eſt poſtquam fuero in tribulatione captivitatis*, &c. *Iram Domini, id eſt ab eo inflictam mihi portabo patienter.* Atque hactenus Lyranus. Eadem habet Sanctius; eadem Paulus de Palacio; *Eſt apoſtrophe in Babyloniam* (inquit) *quam Iudæa captiva alloquitur. Ait igitur Iudæa in Babylone captiva, Babylonia, inimica mea, ne ideo inſoleſcas, videns me cecidiſſe*; & cætera, ut Lyranus. Neque ego plura addam. Hæc enim ſatis ſunt, ut quivis ſenſus communis non expers intelligat, quam frivola ſint, & delira iſtorum de hoc Michææ loco inſomnia.

Sed deinceps ex Zacharia majori fiducia hæc verba recitant. *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, ubi non eſt aqua.* *Zac. 9. 11.* Audis *vinctos*; audis *locum*, & quidem *ſine aqua*. Nonne idoneum *purgatorii* argumentum? Sane hominibus μελαγχολῶσι. Sed iis res hic accidit ridicula, & jocoſa. Nam præter *purgatorium*, alium conſtituunt in ſubterraneis carcerem, nunc quidem incultum, & vacuum, ſed olim tamen habitatum, & frequentem, in quo Chriſtum expectaſſe fabulantur veterum fidelium animas. *Limbum* vulgo vocant. Quod huic ergo loco æque ac *purgatorio* congruere videantur allata Zachariæ verba, (uterque enim *lacus*; utrobique *vincti*) ex dubia & ancipiti imagine duo genera delirantium facta ſunt; hunc Prophetæ *lacum* aliis *limbum* eſſe imaginantibus, aliis *purgatorium* hariolantibus. Suave eſt eos ſpectare ſerio inter ſe de ſomnio ſuo dimicantes. Sed Bellarminus, homo frugi, nequam utrumvis dogma jacturam faceret, utrique locum Zachariæ accommodavit. Eum enim & alibi, dum de *limbo* diſputat, adducit, hincque *convinci* ait, *animas ſanctorum ante Chriſti mortem non fuiſſe in cælo*; & hic pariter adhibet, ſubjiciens, *l. 4. de Chriſt. c. 11. s. Item Zacharia.*

 melius

melius convenire liberationi animarum ex purgatorio, quas Chriſtus eduxit, cum eo deſcendit poſt mortem ſuam. Ego vero contra, ſi ſedeam inter ſomniantes judex, mitius eos, minoreque periculo delirare cenſeam, qui hæc ad *limbum* referunt. Neque me de ſententia dimoverent objectæ à Bellarmino rationes. Nam quod primo ait, *vinctos* rectius dici, qui in *purgatorio* ſunt, quam qui in *limbo*, id & incertum eſt, neque ſi verum eſſet, quicquam concluderet. Neque enim eo ſenſu verba ſemper accipienda ſunt, qui per ſe *rectiſſimus*, id eſt *maxime proprius* eſt, ſed *qui loco convenientiſſimus.* Quod ii, qui in limbo ſunt, *vincti* dici poſſunt, etiamſi minus fortaſſe proprie, quam qui in *purgatorio*, id inquam ſatis eſt ad hoc, ut Zachariæ *vincti* de *limbi* incolis intelligantur. *Vinctos* vero iſtos dici poſſe, & ſolere, nemo adverſariorum negaverit, qui magno omnes conſenſu de iis accipiunt, quod è Pſalte laudavit Apoſtolus,
Pſ.68 (Lat.67.) 19. Eph. 4. *captivam duxit captivitatem.* Qui enim *captivi* ſunt, eos & *vinctos* dici, nulla ſane invidia eſt. Neque quod ſecundo affert, validius eſt, limbum *lacum ſine aqua* dici non poſſe, quod in eo fuerit *aqua* conſolationis. Atqui neque in *purgatorio* hanc aquam deeſſe volunt, qui narrant ſpiritus, qui iſtic purgantur *de ſalute certos eſſe, & habere admixtam cum ſummis cruciatibus incredibilem conſolationem propter certam ſpem ſalutis.* Eo fit, ut
Bell. l. 2. de purg. c. 4. §. Tertio. vel de neutro accipi queat hic locus (quod ego quidem potius, & verius reor) vel æque de alterutro. Denique quod è Patribus non neminem hic de more pro *purgatorio* Bellarminus attulit, nihil probat. Nam & alias pro *limbo* veterum quoque auctoritatem adhibuerat. Quinimo hac in parte potior eſt *limbi*, quam *purgatorii* cauſa. Nam pro illo duos iſtic teſtes laudabat, Hieronymum, & Rupertum; hic pro *purgatorio* unum affert Auguſtinum. Atque hic obiter obſervandum puto, quæ iſtorum ſit in diſputando fides, gravitas, ac verecundia, qui unam, eandemque ſcripturam duobus diverſiſſimis ſenſibus accipiunt, eamque in utroque ſenſu ad demonſtranda duo diverſa dogmata afferre non dubitant. *Purgatorium*, & *limbus* duæ ſunt apud eos res plane diſparatæ, ac diſcrepantes. Itaque ſi *vincti illi* Zachariæ *è lacu emiſſi* ii ſunt ſpiritus, qui in *purgatorio* detinentur (ut hic affirmat Bellarminus) ſane fieri nequit, ut non ſit falſum, quod idem alibi tradidit, *vinctorum* illorum nomine ſpiritus patrum in *limbo* degentes ſignificari. Aut ſi hoc verum, illud non poteſt non eſſe falſum. Itaque utrumvis eligas, neceſſario conficitur Bellarminum vel hic, vel illic lectoribus ſuis impoſuiſſe, & ex iis, quæ falſa eſſe ipſe ſciebat, demonſtrationes ſuas contexuiſſe. Nimirum boni diſputatores pro re nata ſe gerunt, ac prout locus eſt, in quo verſantur, ita ſomniant. Cum in *limbo* ſunt, omnia *limbus* videntur.

tur. Cum in *purgatorio*, nullum aſpiciunt lacum, nullum puteum, ignem
nullum, quem non *purgatorium* eſſe dejerent. Sed illi quidem viderint,
utro ſenſu allata Zachariæ verba accipiant. Noſtra nihil refert, qui
utrumque falſum, & à Prophetæ mente alienum putamus. Cur enim
alterum verum eſſe neceſſe eſt? An nullus alius in Scripturis præter
limbum, & *purgatorium lacus?* Nulli alii *vincti*, quam qui in hoc, vel in
illo carcere habitant? neque ulli alii in ſanguine divini teſtamenti
aliunde educti dici poſſunt, quam qui vel è purgatorio, vel è limbo ex-
ierint? Atqui ex neutro horum emerſerat, qui ita de Domino canit, *Pſ.40.(Lat.39.) 3.*
Exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ. Neque in horum *lament. 3. 53.*
altero erat, aut Hieremias, qui *vitam ſuam in lacum lapſam eſſe* con-
queritur, *poſitumque ſuper ſe lapidem*; aut David, cum ſe *in lacu inferiori* *Pſ.88. (Lat.87.) 7.*
poſitum, in tenebroſis, & in umbra mortis, ait. Neque Iſaias vel *limbo*, vel
purgatorio concluſos intelligit, quo loco Dominum Chriſtum vaticina-
tur *educturum de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris*; *Iſ.42.7. & 49. 9.*
eodemque alibi ſenſu, *dicturum his, qui vincti ſunt, exite, & his qui in te-
nebris, revelamini.* Clarum eſt, & apud omnes Scripturæ interpretes in-
dubitatum, triſtem ac miſerum, *vinctorum*que in carcere pædori, ac
ſqualori ſimilem ſtatum his metaphoris ſignificari; quo ſenſu uſurpa-
tam à Zacharia fuiſſe illam *lacus* imaginem, dubitandum non eſt. Iam
adverſario poſſem ſi liberet, de hujus loci lectione controverſiam mo-
vere, quæ aliter in Hebræo habet, quam in Latino codice. Quod enim
Latinus in ſecunda perſona ait *emiſiſti*, id Hebræus in prima ha-
bet שלחתי *emiſi*; & quos *vinctos Domini* accepit Latinus, eos Hieroſoly-
mitanæ vel urbis, vel reipublicæ *vinctos* ſignificat Hebræus. Sic enim
habent hebræa; *& tu in ſanguine fœderis tui; Dimiſi vinctos tuos de lacu,
ubi non eſt aqua.* Vnde longe alius exſurgit ſenſus, quam quem hic ob-
jiciunt adverſarii. Certe totum locum Sanctes Paguinus ſic vertit;
Etiam tu Hieruſalem exulta in ſanguine fœderis tui, (id eſt, ut ipſe inter-
pretatur, in *ſanguine*, quem pro fœdere Dei ſervando coram Antiocho
effudiſti) *Emiſi vinctos tuos de ciſterna, in qua non erat aqua.* Quibus ver-
bis, ſi Sanctem ſequimur, non *purgatorii* cruciatus, ſed magnas reipubl.
Iudaicæ calamitates intelligi par erit. Alii ad Babylonicam captivita-
tem referunt, ſignificarique volunt illam Domini benignitatem, qua
populum ſuum in Babylonia, tamquam in tætro aliquo *lacu* demerſum
eduxit, & mirabiliter in priſtinum ſtatum reſtituit, ipſam quoque à *fœ-
dere* gratiæ, quod Chriſti poſtea *ſanguine* ſancitum eſt, manaſſe, à quo
ſcimus omnia Dei in fideles, etiam veteres, beneficia profluxiſſe. Ita-
que Prophetæ locum ſic illi quidem conſtituunt; *Quod etiam ad te per-*

 tinet

tinet ô Sion, in Teſtamenti tui ſanguine emiſi vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Alii aliter ex Hebræo accipiunt, in quibus non immorabor. Admiſſa igitur Latini interpretis lectione, quam adverſarii proferunt, reſpondeo ne ſic quidem obſcurum fore, quid Zacharias velit. Nam conſtat inprimis, eum de Domini Chriſti adventu loqui; idque

Matth. 21. 5. Zac. 9. 9. & ipſa loci ſeries docet, & Matthæi auctoritas, qui verba præcedentia eo diſerte retulit, *Exulta ſatis, filia Sion; jubila, filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator*; & quæ ſequuntur. Iam hunc Regem inter cætera beneficia *pacem Gentibus locuturum*, poteſtatemque ejus *à mari uſque ad mare*, & *à fluminibus ad fines terræ* futuram præfatus, converſa ad eum ipſum oratione continuo ſubjicit, *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, ubi non eſt aqua.* Figurato ſermone Gentilium (quos *vinctos Domini* vocat, quod ejus vi ſubacti, ac capti eſſent) ab idololatriæ, ignorantiæ, atque peccati ſervitute liberationem deſcribit. Hic enim eſt vere profundus, cœnoſus, ac tenebroſus *lacus*, omni *aqua*, & luce, omni conſolatione carens; in quo demerſi ante exortum Chriſti euangelium jacebant. Hinc eos ille in veram cœli lucem extractos eduxit; & quidem *in Teſtamenti ſui ſanguine*, quo uno tæterrimus ille carcer, quo concluſi tenebantur, reſeratus eſt; quod luculentiſſime docuit Paulus, quo loco Gentiles alloquens, *Vos* (inquit) *qui eratis longe facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per* CRUCEM *interficiens inimicitias in*

Eph. 2. 13. 14. 15. 16. *ſemet-ipſo.* Id myſterium eadem quoque figura, atque imagine expreſſit Iſaias locis nuper laudatis, in quorum altero Patrem inducit Filium his verbis alloquentem; *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris*; in altero vero his; *Servavi te, & dedi in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas, ut diceres his, qui vincti ſunt, Exite, & his qui in tenebris, Revelamini.* Atque ex his liquet ad interpretanda Zachariæ verba nihil neceſſe eſſe ad *purgatorium* confugere; ut illud jam omittam vix, ac ne vix quidem dici poſſe *per ſanguinem Chriſti educi*, qui ex illo carcere exire finguntur. Non enim *per* Domini Ieſu *merita, atque ſatisfactionem*, ſed *per propriam pœnarum*, quas debent, *ſolutionem*, aut certe *per ſuperſtitum* fidelium *ſuffragia*, animas purgatorio liberari ſtatuunt.

Supereſt Malachiæ locus; *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum*

fullonum, ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Ipſe, qui objicit, Bellarminus fatetur *pœnam* (ſiqua hoc loco deſcribitur) viventes purgaturam. Atqui nos de ea quærimus, qua illi mortuos purgari volunt. Ergo perperam objectus eſt nobis hic locus; qui non negamus Dominum ſuos, quamdiu ii vivunt in terris, variis afflictionibus exercere, ac purgare. Pugnat tamen Bellarminus, *recte hinc inferri purgatorium.* Quid ita? *Quia* (inquit) *tunc* (id eſt ut ipſe vult paulo ante ultimum judicium) *ideo præcedet tribulatio graviſſima, & poſtea etiam ignis deſcendet, & purgabit celerrime omnes reliquias peccatorum in hominibus juſtis, quia tunc repente Eccleſia, quæ eſt in terris, aſſumenda erit ad ſponſum, nec erit tempus purgationis ulterius, ut nunc eſt poſt mortem ante judicium.* Verba audio; rationem nullam video. Eſto enim quod ponit adverſarius; *gravis tribulatio præcedat* noviſſima tempora; *ignis etiam de cœlo* miſſus in juſtos tum viventes ſæviat. Non eo fit tamen, ut in defunctorum quoque animas ignis ſævire debeat. Nam in vita quidem, quamdiu ſumus ſuperſtites, locus eſt *emendationi, & probationi*, ad quam illa etiam immittentur noviſſima ſæculi mala; poſt mortem vero non eſt, ipſis fatentibus adverſariis, qui *purgatorium* animarum, non ad ullam earum vel emendationem, vel probationem accenderunt, ſed ad unam earum pœnarum ſolutionem, quas ex hac vita diſcedentibus luendas ſuperfuiſſe fingunt. Sed neque id conſtat, quod ſumit adverſarius, Malachiam hoc loco prædicere futuram aliquam piorum *pœnam. Dominum ſeſſurum* ait; *conflaturum filios Levi, emundaturum ut argentum; colaturum quaſi aurum.* De *pœnis* illis ultricibus, quas adverſarii ſtatuunt, nihil. Non enim, credo, *punitur* aurum, dum excoquitur; neque pii aliter quam ſupplicio, *purgari* non poſſunt. Ait Petrus *Deum fide purificaſſe corda Gentilium.* Ideo-ne fides aliqua eſt Gentilium *pœna*? ideone qui credunt eo ipſo *puniri* dixeris, quod credunt? Paulus ait *Chriſtum Eccleſiam mundare lavacro aquæ in verbo vitæ.* Tune ideo aut baptiſmum, aut verbum Dei *pœnam* eſſe ſtatues? punirique eos, qui vel baptizantur, vel verbum Dei audiunt? Statim initio hujus diſputationis Bellarminus monuit tria in Scripturis inveniri, quibus peccatorum tribuitur purgatio; ipſum primo *Chriſtum*; ſecundo *tribulationes* hujus vitæ; tertio denique *purgatorium* illud, quod poſt hanc vitam ſupereſſe volunt. Id enim & in Scripturis inveniri, quamquam fruſtra, & falſo ſtatuit. Atque hunc Malachiæ locum non modo ad hanc tertiam purgationem de qua nunc quærimus, pertinere non probat, ſed contra diſerte ibi affirmat *ad litteram de ſecunda*

Mal. 3. 2. 3.

Act. 15. 9.

Eph. 5 25.

l. 1 *de purg. c.* 1. §. *Tria.*

cunda intelligi. de qua (inquit) *non loquimur*. Vide,& mirare hominis conſtantiam. Hoc ita edixerat in ipſo libri limine. Et tamen eumdem ipſum locum, quem tam diſerte ab hac diſputatione ſecreverat, tertio poſt capite huc trahere non veretur. Cæteri adverſarii non ſunt conſtantiores. Alii enim ajunt de ſecundo Domini adventu interpretandum Prophetam; alii de priori. Mea utro modo nihil intereſt. Nam in ſecundo quidem nullum *purgatorio* ſuo futurum amplius locum & conſtat, & ipſi fatentur. Quod vero Bellarminus ideo gravem iſtis ſupremis temporibus tribulationem fore vult, ut celerrime purgentur qui tum ſupererunt fideles; quia ſcilicet nullum tunc amplius erit purgationis poſt mortem tempus; id inquam iſtius ſomnium eſt, quo id ipſum, de quo quæritur, audacter ſupponit. Quid ſi ego regeram hæc ita fore, quod nulla poſt illos dies futura ſit amplius fidelium, non quidem poſt mortem (quod iſte gratis ſumit) ſed in hac vita, ac in his terris purgatio & emendatio? eoque quicquid ſupererit afflictionum id in pauca illa tempora contractum iri? Certe multo probabilius id dixero, quam quod ariolatur adverſarius. De priore vero Chriſti adventu ſi capiantur Prophetæ verba (quod mihi quidem multo videtur aptius,& convenientius) nihil nos cogit ſubterraneas iſtorum pœnas, aut purgationes ponere. Propheta ait *Dominum* Chriſtum *purgaturum*
Apoc.1.6. 1 Pet.2.5.9. *filios Levi* (quo nomine concedo libens quoſvis fideles intelligi, quoſcumque Chriſtus *fecit ſacerdotes Deo,& patri ſuo,ſanctum & regale ſacerdotium*) iſtos *conflaturum*, *mundaturum*, quaſi aurum vel argentum *colaturum*; *& erunt* (inquit) *Domino offerentes ſacrificia in juſtitia*. Hæc prædicit Malachias; quæ abunde præſtitit Dominus Ieſus, cum divino verbi & Spiritus ſui *igne* credentium animos, partim Iudaicæ ſuperſtitionis, partim Paganicæ impietatis ſcoriis pleniſſime purgavit, cœleſtique illa flamma excoctos ſic refinxit,ut in domo Dei quovis argento, auroque purius fulgerent. Apoſtolos mihi cogita,totamque illam è ſacra (ut ſic dicam) Spiritus ſancti fornace recentem diſcipulorum multitudinem, quæ Actorum ſecundo capite deſcribitur. Tum cæteras ex ea velut matrice ductas per orbem Eccleſias,puriſſimis,ac defæcatiſſimis moribus, ſumma in Deum pietate, ſummo in homines amore incenſas. Habes illos *Levi filios*, quos Dominum olim *purgaturum* vaticinatur Malachias. Sed huic operi, præter illum Spiritus & Euangelii *ignem*, alium etiam adhibuit, nimirum *afflictionum*, *& tribulationum*
1 Pet.1.7. *ignem*; quo eorum *fides auro multo pretioſior* probata eſt, ut docet Petrus. Iam vero ſic purgati *ſacrificia* (quod addit Propheta) *in juſtitia*
Rom.12.1. 1 Pet.2.5.9. *Domino obtulerunt*; illa nimirum de quibus Paulus, & Petrus, *corpora ſua*,

ſua, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium. Hæc eſt ſimpliciſſima hujus loci interpretatio; à qua non abludit Paulus de Palacio, qui per *filios Levi emundatos, & colatos* Apoſtolos potiſſimum intelligit, vi Chriſti immutatos, & à vitiis purgatos, ut eſſent *vaſa aurea, & argentea*, ac *novi Teſtamenti ſacerdotes* ad offerendum Euchariſtiæ ſacrificium. Sic etiam Sanctius: *eo ſtudio* (inquit) *purgabit illius fœliciſſimi ſæculi ſacerdotes quo argentarius ſedet, ut argentum purificet & conflet.* Ignem autem illum, quo ſuos ſacerdotes Chriſtus purificavit accipit de ejus *doctrina, quæ ad purgandos animos non minus potens fuit, quàm ignis ad excoquendam ſcoriam ex argento.* Neque longe diſcedit Carthuſianus, *Sedebit conflans, id eſt,* (inquit) *peccata conſumens, & audientium corda inflammans, ſecundum quod ait in Evangelio,* Ignem veni mittere in terram, *& emundans animas diſcipulorum ſuorum, quaſi argentum, quod igne purgatur,* Et colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, *id eſt quemadmodum argentum & aurum in fornace à commixtione immundi purgantur; ſic Chriſtus per tribulationes diverſas, & graves ſuos ab immunditia culpæ mundabit.* Atque ita vel ex iſtis liquet quam nihil faciat hic Malachiæ locus ad Romanenſe purgatorium.

CAPUT X.

Solvuntur aliorum ex veteri Teſtam. objectiones. 9ª. *ex framea verſatili, Gen.* 3.24. 10ª. *ex lampade Abrahæ viſa, Gen.* 15.17. 11ª. *ex Iſaaci precibus, Gen.* 24.62. 12ª. *ex Ruth* 1.8. 13ª. *ex* 1.*Sam.* 2.6. 14ª. *ex Pſal.* 49.16. 15ª. *ex Pſ.* 86.15. 16ª. *ex Pſalmo* 89.49. 17ª. *ex Iſ.* 8. 18ª. *ex Dan.* 7.10.

NEque plura ex veteri Teſtamento Bellarminus afferre ſuſtinuit; credo, quod pigeret virum gravem diutius ineptire. Nam quæ alii addunt totidem ſunt, non diſputantium argumenta, ſed atra bile percitorum hominum, vel certe febricitantium deliramenta. Paucis ad exemplum perſtringere libet.

Scribit Moyſes in Geneſi Deum ante paradiſum voluptatis ejecto Adamo *collocaviſſe Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Nempe *flammeo* illo *gladio* purgatorium Gen. 3 24. ſuum ignem adumbratum fuiſſe volunt, per quem peccatores neceſſario ſcilicet tranſeunt, priuſquam in cœlum ingrediantur. Sed hoc ſomniare eſt, non diſputare. Primum id ponunt, quod erat probandum; illo Cherubini *gladio* verſatili aliquid myſtice ſignificari. Non enim

 quic-

quicquid Scripturæ veteres geſtum fuiſſe, vel contigiſſe narrant, eo aliquid myſterii innui, vel adumbrari neceſſe eſt. Tum pari licentia ſumunt *purgatorium* ſuum eſſe in rerum natura; quod demonſtrandum erat, non autem ſupponendum. Nam cum abſurdiſſimum ſit putare rerum, quæ neque extant, neque umquam futuræ ſunt, imagines in Scriptura pinxiſſe Dei Spiritum, etiamſi daretur (quod tamen certum non eſt) *gladium* illum *flammeum* alicujus myſterii imaginem fuiſſe, non eo tamen conficeretur *purgatorii* imaginem fuiſſe, niſi prius aliunde conſtaret aliquid veri eſſe *purgatorium*, non autem (quod nos putamus) merum humanæ mentis figmentum. Huc & illud denique accedit, quod etiamſi conſtaret eſſe in rerum natura *purgatorium*, non tamen niſi ſtulte illo à Moyſe memorato *gladio* pictum, aut adumbratum fuiſſe dici poſſet. Quid enim ſimile? Moſaici *gladii* flamma nihil purgabat; Adverſariorum nihil niſi purgat. Illa arcebat à Paradiſi aditu; Hæc cœli aditum aperit. Illa omnem hominem, quiſquis foret, ſummovebat; hæc ſolos fideles recipit, ac in cœlum purgatos tranſmittit. Illa paradiſus inacceſſus fiebat; per hanc ad cœlum acceditur. Itaque ne omnes quidem, qui *purgatorium* admittunt interpretes, eo Moſaicam illam narrationem traxere; non Carthuſianus, non gloſſæ Lugdunenſis auctor, non alii.

Gen. 15. 17. Neque fœlicius ſomniant, qui in ejuſdem libri capite decimo quinto *purgatorium* ſe videre putant; quo loco narrat Scriptura *poſt Solis occaſum factam eſſe caliginem tenebroſam*, & *apparuiſſe clibanum fumantem*, & *lampadem ignis tranſeuntem inter diviſas* ab Abrahamo victimarum immolatarum *partes*. Iſtis hæc *lampas* purgatorii flamma eſt. Quid? ſi quis *geminum Solem*, *& duplices Thebas* videre ſe dejeret, ideo-ne duos pro uno Soles in cœlo, duas pro unis in terra Thebas collocabo? Non puto, ſi ſapiam. Senſus certe ſi conſtent, unam apud Moyſem *lampadem* renunciabunt, quæ *clibanum fumantem* ſecuta Abrahamo inter dimidiatas victimas illuxit. Alteram illam facem, mortuorum fidelium *purgatoriam* ſcilicet, non Moyſis ſcriptura, ſed oblæſa adverſarii phantaſia accendit. Sed (inquit) illa tamen Moyſis *lampas* aliquid ſignificabat. Fateor. Neque enim inania ſunt ea, quæ piorum ſenſibus Deus objicit ſymbola. Hujus autem proximus, & ſimpliciſſimus uſus fuit, ut vir ſanctus de Domini præſentia ac conſtantiſſima in fœdere præſtando fide terrifica illa viſione certior fieret; vel ſi pluſculum allegoriis indulgere libet, ut hac imagine admoneretur, ex illa ſervitutis, atque afflictionum *caligine*, quæ ejus ſemini paulò poſt incubitura erat, emerſuram aliquando claram libertatis, ac gloriæ *lucem* (utrumque enim paulo

paulo ante Dominus Abrahamo prædixerat) vel quod alii malunt, ut exoriturum noviſſimis temporibus Dei in Chriſto ſuo *jubar* ſignificaretur; vel (quod ait auctor gloſſæ ordinariæ) ut *illa ignis ſpecie repræſentaretur futura ex legis divinæ judicio impiorum quidem conflagratio, piorum vero illuminatio*. Cajetanus etiam aliter hæc interpretatur. Vult enim ea viſione ſignificaſſe Dominum, quod uſque ad libertatem ſeminis Abram futurus erat in illis continens, & conſervans, non flammam ignis, ſed titionem ignis, hoc eſt ea quæ Dei ſunt, (tum quo ad intelligentiam, tum quo ad religionem, tum quo ad potentiam) non tamquam *flammam*, clara, publica, ac magna, ſed tamquam *titionem* ignis, parva, privata, ac minus clara, cum fumo tamen. *Fumus ſiquidem* (inquit) *divinorum in ſemine Abram ſemper ſervatus eſt; in Iſaac, in Iacob, in Ioſeph, in Moſe uſque ad eductionem populi, multipliciter adjutis à Deo, quem colebant privatim. Et hæc ad differentiam divinorum in eodem ſemine poſt annos quadringentos. Nam & quo ad intelligentiam adfuit divina lux, & quo ad religionem cultus Dei publicus, & quo ad potentiam ſubverſio Pharaonis, exſiccatio maris, expugnatio tot regnorum, Deus ipſe non in ſpecie furni, ſed ignis ardentis, ſed de cœlo loquens in monte Sina.* Hæc Cajetanus, quæ nihilo magis quam ſuperiora *purgatorii* cauſſam juvant.

Sequitur tertius è Moyſe locus, *Egreſſus fuerat Iſaac ad meditandum in agro inclinata jam die*. Primum conſtituunt, quod Iſaac *ad meditandum* egreſſus dicitur, eo ſignificari ad precandum exiiſſe. Tum & illud ſubjiciunt laudatæ indolis virum optimæ matris Saræ ante triennium mortuæ memorem haud dubie fuiſſe; unde tertio loco concludunt illas ab Iſaaco preces pro Saræ manibus apud Deum fuſas fuiſſe; ex quo porro liquere arbitrantur piorum animas poſt mortem igne *purgatorio* uſtulari. Sed reſponſionem vix meretur tam longa ſtultiſſimorum inſomniorum ſeries. Nam neque firmum eſt, quod illi velut unicum ſuæ delirationis fundamentum ſubſtruunt, *meditandi* vocabulo ſacram precationem eo loco ſignificari. Multi aliter accepere. Aquila & Symmachus verterunt, *ad confabulandum animi gratia*. Cajetanus *ad loquendum* cum agricolis ſuis, & operariis de operibus ruſticis, & agreſtibus. Hebræi ad *meditandas res naturales*, præſertim vero motus, & virtutes ſiderum. Alii aliter. Neque ſi vel maxime conſtaret de precatione intelligendum, eo fieret, ut continuo pro matris anima precatus fuerit Iſaacus. Sunt ex ipſis adverſariis, qui pro futuri matrimonii benedictione precatum hariolantur; certe probabilius. Nobis divinare non libet, neque ea, quæ Scriptura tacuit, vel temere affirmare vel curioſius ſcrutari.

Gen. 24. 62.

Franc. Georg. Problem in ſcr. ſect. 3. probl. 169.

ſcrutari. Neque poſtremo ſi daretur pro mortuæ matris anima precatum fuiſſe Iſaacum, ex eo conſequeretur eam in *purgatorii* fornace habitaſſe, præſertim ex adverſariorum ſententia, qui piis ante Chriſti tempora mortuis alium neſcio quem locum, & ipſum ſubterraneum, exædificarunt, in quo Sara, ſanctiſſima fœmina fuiſſe multo veriſimilius diceretur, quam in *purgatorio*; maxime cum eo tempore, quo Iſaacus pro ea precatus eſſe fingitur, triennium jam totum ab ejus morte effluxiſſe velint; quo ſane ſpatio abunde exſolviſſe poterat, ſiquid de vita diſcedens pœnarum debuerat. Sed vereor ne & ipſi ludibrium lectoribus debere videamur, qui inſulſiſſimum iſtorum deliramentum, velut ſanam & ſeriam aliquam cogitationem, ſerio atque operoſe refellimus. Atque hæc illi ex Moyſis libris.

Ex ſequentibus afferunt, primo quod in volumine Ruth legimus Noëmi, matronam ſanctiſſimam, nurus ſuas de filiis, quorum illæ viduæ erant, ſic allocutam: *Faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum.* Laudatur iſtarum pietas in *mortuos*; Ergo ſignificantur officia non viventibus, ſed *mortuis* maritis præſtita. Ego vero cur ita neceſſe ſit, non video. *Mortuos* dixit Noëmi, qui eo quidem tempore, quo hæc ipſa loquebatur, *mortui* erant; non autem eo quo hæc, quæ intelligit, ab uxoribus officia accipiebant. Clarum eſt eam nurus laudare, quod earum egregia fuiſſet in conjuges, quamdiu ii ſuperfuerant, fides, ſingulariſque amor, & conſtans obſequium. Hæc illarum officia in hujuſmodi oratione, talique tempore prætermittere, eaque ſola commemorare, quæ viris poſt ipſorum mortem præſtiterant, mulieris fuiſſet, non ſanæ, atque ſapientis, qualis Noëmi fuit, ſed deliræ, atque aliud agentis. Tum ſi de officiis poſt filiorum mortem præſtitis hæc Noemi oratio intelligi vel poſſet, vel deberet (quod profecto minime concedendum eſt) non eo tamen ad preces pro *mortuorum* animabus fuſas pertinere putandum eſſet. Quid enim? Mulieri-ne viduæ nihil præter hujuſmodi preces aliud officium ſupereſt, quod viro, quo orbata eſt, præſtare poſſit? Atqui flere, dolere, mortui funus curare, nomen, ac memoriam lacrymis, ac veneratione proſequi, ſummam denique in eum caritatem omnibus modis teſtatam facere, viduæ in maritum officia apud omnes eſſe quis neſcit? Hæc ergo Noemi intellexiſſe dicerem, non dubias illas, & ignotas pro *mortuis* preces, ſi eam concederem allatis ab adverſario verbis eam tantum pietatis partem ſignificaſſe, qua nurus poſt virorum mortem in eos defunctæ erant. Illud poſtremo taceo, quod iſti ex precibus pro *mortui* anima fuſis *purgatorium* perperam ſolenni paralogiſmo

Ruth. 1. 8.

conclu-

concludunt. Neque enim pro quo *mortuo* ſuperſtites Dominum orant, eum ſtatim neceſſe eſt, vel in *purgatorio* degere, vel etiam cœlo exulare; quod alias ſuo loco fuſius demonſtraturi ſumus.

Hinc ad priorem librum Samuelis, ſive Regum (ut Græci Latinique vocant) digrediuntur; in quo habetur illa Annæ in Cantico gnome; *Dominus mortificat*, & *vivificat*; *deducit ad inferos & reducit.* *1 Sam. (Lat. reg.) 2. 6.* Equidem non miror, quod homines cauſæ ſtudioſi præceptam animo *purgatorii* imaginem ſolenni deliratione hic ſibi videre viſi ſint. Mirer, ſiquis ſanus ſomniantibus aſſentiatur. Plana eſt divinæ vatis ſententia, pendere ab uno Dei numine multiplices rerum humanarum vices, qui pro ſapientiſſimo arbitrio vi quadam arcana, eademque ineluctabili ima ſummis, ſumma imis permutat, homines in ultimis diſcriminibus interdum ſervat, interdum ex magna incolumitate peſſumdat, quos merſerat eoſdem repente erigit, quos ad ſummum evexerat eoſdem momento dejicit; quo & illa quæ conſequuntur, ſpectant evidentiſſime; *Dominus pauperem facit*, & *ditat*; *humiliat*, & *ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum*, & *de ſtercore elevat pauperem*, *ut ſedeat cum Principibus*, & *ſolium gloriæ teneat.* *Ibid. 7. 8.* Neque aliter vulgo interpretes capiunt Hebræi, Chriſtiani, veteres, recentes, noſtri, adverſarii. Sanctius Ieſuita unus erit inſtar omnium; qui *mortem & inferos* hic accipit *pro eo ſtatu, qui cum ſit plane miſerabilis, dignus exiſtimatur, qui commutari cum morte poſſit. Deduci* autem *ad inferos idem eſſe hoc loco, ſicut alibi ſæpe*, ait, *quod ad ſepulcrum*; iiſque verbis ſignificari eorum conditionem, qui in magna aliqua calamitate verſantur, ut in exilio, aut in captivitate, vel etiam mulieris ſterilis infœlicitatem. Vrgent tamen *inferorum* vocabulum, quod niſi de *purgatorio* commode accipi negant. Atqui ea voce, quæ ſacris ſcriptoribus proprie, ac pœne ſemper *ſepulcrum* eſt, ſummum diſcrimen metaphorice ſignificari, tralatitium eſt, & ab utrarumque partium Theologis obſervatum. Quod ſi placet eam vocem proprie hic accipere (quamquam multo elegantior, ac, ut mihi quidem videtur, etiam verior eſt ille alter ſenſus) quis neſcit Dominum mortis, ac vitæ arbitrum, quos nunc in hoc ſæculo ad *ſepulcrum* deducit, eoſdem olim ad vitam ultimo die ſuſcitaturum? cujus rei nonnulla, etiam in hoc ſæculo, ſpecimina, & quidem ultriuſque Teſtamenti temporibus, ſuis interdum dedit. Nam & Sunamitidis puerum, & alium quemdam mortuum jam compoſitum in vitam revocavit, & Lazarum tumulo jam conditum, alioſque non paucos ſuſcitavit. Quod autem objiciunt, ſi eo ſenſu intelligatur hic locus, ſequi ut *2. (Lat. 4.) Reg. 4. 32. & 13, 20. 21.* Anna idem eodem verſu bis dixerit (*deducere enim ad inferos*, & *reducere*

cere nihil aliud eſſe, ſi ita ſumamus, quam quod jam præceſſerat *mortificare* & *vivificare*) id inquam, noſtram hanc interpretationem non modo non evertit, ſed potius firmat, atque conſtituit. Nam familiaris eſt, ac pœne perpetua ſacris ſcriptoribus in metricis operibus hujuſmodi ſenſuum repetitio, ut quod in priori verſus parte dixerunt idem aliis ſtatim verbis in poſteriore eloquantur; quam ſermonis figuram Hebræorum Magiſtri paſſim notant, atque his verbis ſignificant. כפל הענין במלות שונות *geminavit ſenſum vocibus variatis.* Innumerabilia ſunt exempla apud Davidem, cæteroſque Pſalmographos. Emanuel Sa ad hunc locum diſerte obſervavit; *Inferos* (inquit) *id eſt ſepulcrum. Repetitio præcedentis.* Cajetanus vero obſervat juxta hebræum haberi *facit deſcendere in foveam, & fecit aſcendere*; foveamque non de *inferno*, aut de *ſepulcro*, ſed de *carcere* intelligit, in quem multos liberos, & innocentes fecerat Deus deſcendere, & è quo *vinctos* multos fecerat aſcendere; quæ immane quantum à *purgatorio* aliena ſint.

Idem eſt adverſariorum luſus in tribus, qui ſequuntur, è Pſalte petiti loci. Primus ſic habet; *Verumtamen Deus redimet animam meam de*
Pſ.49.(Lat.48.) 16. *manu inferi, cum acceperit me.* Atqui ex iſtorum hypotheſi melius *limbo*, quam *purgatorio* convenirent Davidis verba, qui in illum locum neceſſario ſibi deſcendendum norat, ſi vera ſunt adverſariorum placita; hunc neque adire optabat, neque an ſibi adeundus eſſet, certo ſciebat. Et ſane ſic accepere iſtarum partium, neque pauci, neque ignobiles viri Bellarminus, Franciſcus de Puteo, alii. Sed iſtorum quidem nugis nihil ad tuendam veritatem opus eſt. *Manum inferi* Propheta pro conſueto more *ſepulcri vim* appellat, qua mortuorum corpora in pulvere detinentur. Ab illa *inferi* poteſtate ſe olim Domini virtute aſſertum iri vaticinatur. Atque ita hic habemus illuſtre reſurrectionis ultimo die futuræ documentum. Quod ſi placet *inferi* vocabulum pro gehenna eo, quo nunc vulgo ſumitur, ſenſu (quamquam apud Scripturas non ita frequenti) accipere, haud equidem repugno. Multi tum è noſtris, tum ex adverſariis ita locum interpretati ſunt, nullo (ut palam eſt) cauſſæ, quam agimus, detrimento. Prodeat Muyſſus, Hebrææ linguæ regius in Pariſienſi ſchola profeſſor, vir harum litterarum peritiſſimus, *Redimet. Vis eſt* (inquit) *in hoc verbo. Eo enim ſignificatur nos in inferorum, & mortis æternæ poteſtate eſſe, ut neceſſe ſit Deum nos redimere.* Animam meam, *accipe ut ſonat, vel expone me.* De manu, *hoc eſt poteſtate inferi, vel ſepulcri;* cum acceperit me, *hoc eſt mori me, atque ex hac vita migrare voluerit.* Ianſenii eadem mens jam ante fuerat; *At vero cum Deus me, aut quemcumque virtuti ſtudentem ex hoc mundo ſuſce-*

perit

perit, animam meam de poteſtate inferni liberabit, nec ſinet ab inferno rapi, ac detineri cruciandum æternis cruciatibus. Neque abludit Carthuſianus; de manu inferi, *id eſt de cauſa ac merito cadendi in pœnas inferni, id eſt de peccato mortali, ac ſervitute diaboli;* cum acceperit me, *id eſt cum gratioſe, & miſericorditer egerit mecum, vitia ignoſcendo, & gratiam infundendo.* Denique Lorinus Ieſuita optimum ſenſum judicat *de damnatorum loco, tormentiſque.* Atque hæc de primo pſalmorum loco.

Alter vero plane eſt ab hac adverſariorum cauſa alienus. Pſaltes in eo profitetur ſe nomen Domini glorificaturum in æternum, *quia* (inquit) *miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiore.* Cum hæc ſcriberet, jam ex hoc, de quo loquitur, *inferno* eva- Pſ.86.(Lat.85.)
ſerat. Non eſt ergo iſte Davidis *infernus purgatorius* adverſariorum 15.
carcer, in quem nonniſi mortuorum animæ deſcendunt; niſi forte hunc pſalmum poſt mortem à Davide ſcriptum fuiſſe velint. Mitto, qui locum de *limbo*, altero adverſariorum ſomnio, interpretantur. Certe Lorinus Feuardentio, qui ad *purgatorium* trahere audet, inequitans *nullum ſe legiſſe* ait, *qui probet hoc teſtimonio purgatorium.* Ipſi adverſariorum heroes, *infernum illum inferiorem*, ex quo propheta ſe à Domino liberatum canit, vel *de peccatis condonatis* accipiunt, *ob quæ ad infernum inferiorem deſcenſurus erat, niſi per gratiam liberaretur*, ut Bellarminus; vel quod eodem recidit, *de morte æterna*, ut Emanuel Sa, vel *de graviſſimis periculis, ac morte certa, & manifeſta*, ut Muyſſus nuper, & olim Ianſenius.

Supereſt ultimus è Pſalmis locus, *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?* Sed nemo hic *purga-* Pſ.89.(Lat.88.)
torium, præter Feuardentium, vidit. Cæteri vel ad *limbum* referunt, 49.
vel (quod verum eſt) de ſepulcro accipiunt. Muyſſus; *Hoc eſt, quis eximere ſe ſe de ſepulcro poterit, atque aſſerere à morte.* Paria ſcribunt Ianſenius, & Emanuel Sa.

Ex Iſaia præter ea, quæ ſupra à Bellarmino allata expendimus, quidam etiam objiciunt hæc ex capite octavo verba; *Numquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro vivis, & pro mortuis?* Ineptiſſime. Quid enim hæc ad purgatorium? *Viſionem à Deo requirere*, non eſt Deum (ut iſti volunt) *deprecari*; ſed de mortuorum rebus Deum *ſciſcitari.* Sed hæc Prophetæ verba in noviſſima Latini interpretis editione à Sixto V & Clemente VIII, Pontificibus Romanis procurata, plane aliter habent, *Numquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro vivis à mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium;* quæ ſic interpretatur Gaſpar Sanctius, *Numquid non eſt Deus in Iſraël à quo populus exquirat reſpon-*

reſponſa? Numquid à mortuis in vivorum cauſſa, & pro illorum ſalute poſcet oracula? Ad legem potius, & teſtimonium in grandi volumine deſcriptum confugiemus. Profitentur nimirum fideles ſe non à Pythonibus, & evocatis arte magica mortuorum manibus, quos impii in rebus adverſis conſulere ſolebant, ſed à vero Dei oraculo, lege & teſtimonio, reſponſa in ſuis anguſtiis petituros; ut latius in commentario exponit Sanctius, cui plane ſuccinit in hunc etiam locum Maldonatus. Neque pluribus in re clara eſt opus.

Fuit & nonnemo, qui *igneum illum, rapidumque* apud Danielem
Dan. 7. 10. *fluvium egredientem à facie Antiqui dierum*, ad purgatorium traheret; non alia de cauſſa, quam quod *igneum* itidem eſſe ſibi perſuadent illum, de quo fabulantur, ſubterraneum carcerem. Præter ſuavem hanc delirantium hominum inſaniam, nihil eſt apud Prophetam, quod *purgatorium* ſpiret. Is enim noviſſimum judicium deſcribit, ut ex iis verbis apparet, quæ ſtatim conſequuntur, *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Itaque ſummi judicis majeſtatem, ac pompam magnifice ſplendidiſſimis, ut decebat, coloribus depingit. Eo pertinet igneus ille, rapiduſque torrens, quem ex ejus ore profluentem facit; quo Lyranus ſignificari vult infernalem pœnam, quæ peccatores in infernum trahit; Pererius *ultimi illius, & generalis judicii ſententiam ipſius judicis ore prolatam, & ab omnibus, qui coram aderunt, exauditam, & perceptam, quæ inſtar rapidiſſimi fluminis improbos demerget, abſorbebit, & ad tartarum deturbabit, ita ut non poſſint illi coram judice conſiſtere.* Hæc ille appoſite ſane, & diſerte; Sed nihil ad *purgatorium.* Maldonatus vult *fluvii* iſtius *ignei, rapidi*que imagine non ſolum gloriam, ſed etiam pœnæ celeritatem, & quaſi impetum ſignificari, eoque refert quod Pſ. 96. le-
Pſ. Lat. 96. 3. gitur, *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Sic etiam Sanctius *in igne velocitatem & acerbitatem ſignificari* ait;
in Dan. 7. 9. 10. *quia feſtina venit ultio à divino judice decreta.*

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones ex novo Teſtamento 1°. ex Matth. 5. 21. 22. de diverſis reatus gradibus, & tribus judiciorum apud Iudæos generibus.

Atque hæc ſunt quæ ex veteri Teſtamento ad hanc cauſſam afferunt adverſarii. Iam videamus, quæ ex novi fœderis libris objectant.

Ex

Ex Matthæi Euangelio tria ſunt omninò loca, quæ Bellarminus in hac diſputatione adhibenda putavit. Ea nos recenſebimus quo ordine habentur in ipſo Euangelio; in quo primus occurrit locus, qui adverſario quintus eſt, ex quinto capite deſcriptus, *Audiſtis* (inquit Dominus) *quia dictum eſt antiquis, Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hæ ſunt Chriſti verba, in quibus nullum *purgatorii* veſtigium. Bellarminus primo notari jubet certum eſſe hic agi de *pœna* injungenda in foro Dei. ſecundo certum etiam eſſe hic diſtingui tria genera peccatorum, & pœnarum, & damnationem æternam ſolum tribui tertio generi peccatorum, id eſt criminibus. Aliis autem utpote levioribus peccatis, pœnas leviores, ac proinde temporales; ex quibus infertur animas aliquas poſt hanc vitam puniri temporalibus pœnis. Quia vero objici poterat Deum in hac vita infligere hujuſmodi pœnas, occupat adverſarius, ac præfatus hunc locum ab Auguſtino, aliiſque Patribus (quos tamen nullos nominat) intelligi de *pœnis* poſt hanc vitam, ſubjicit ſaltem hinc poſſe deduci *pœnas* aliquas poſt hanc vitam *purgatorias* eſſe. *Nam* (inquit) *hinc habemus quædam peccata non mereri, niſi pœnam temporalem. Sed poteſt fieri, ut quis moriatur cum talibus peccatis, quia poteſt mori repente, vel dormiens, ita ut nullum habeat ſpacium pœnitentiæ. Ergo in alia vita purgabitur. Alioqui vel ibit in cœlum aliquid coinquinatum, vel injuſte damnabitur ad pœnas æternas, qui non merebatur niſi temporales.* Sed in tota hac lacinioſa Bellarmini ratiocinatione nihil eſt ſani. Ea autem duobus iiſque maximis laborat vitiis; altero, quod cum omnis legitima demonſtratio ex iis fiat, quæ clara ſunt & confeſſa, hæc ea ſumit, quæ uſque adeo dubia, & incerta ſunt, ut non à nobis modo, in quos iſte diſputat, ſed & ab ipſis adverſariis negentur, & evertantur; altero vero, quod ea concludit, quæ nihil valent ad id conſtituendum de quo nunc quæritur. Nam ut à priori ordiar, præter id quod primo loco obſervat Bellarminus in allato loco agi de *pœna* injungenda in foro Dei (quod nos ſane confitemur) cætera omnia, quæ ponit minime à nobis conceduntur. Negamus enim quod proximo loco ait, *tria à Domino peccatorum, & pœnarum genera ibi diſtingui.* Clarum eſt, non varia peccatorum genera, ſed diverſos unius, ejuſdemque peccati (nimirum iracundiæ) gradus notari; qua de re conſentientes habemus Barradium, Salmeronem, Maldonatum, Vincentium Regium, æque cum Bellarmino Ieſuitas, ac præter hos Ianſenium, & Franciſcum Lucam; ac de-

Matth. 5. 21. 22.

l. 1 de. Purg. c. 8. §. Quintus.

l. 1. de amiſſ. gr. & ſt. pecc. c. 9. ſ. Quod attinet ad primum. ac denique ipſum etiam alibi Bellarminum, qui ſui oblitus, non *hæc tria*, ut hoc loco, *peccatorum genera*, ſed *tres iracundiæ gradus* facit. Sed & quod addit Bellarminus, tertio, ut ille vult, peccatorum generi, ſive potius (ut nos ſtatuimus) tertio iracundiæ gradui ſoli damnationem æternam tribui, perinde etiam negamus; negant nobiſcum Bellarmini ſodales. Maldonatus diſertiſſime, *Chriſtum & eum qui iraſcitur, & eum qui fratrem ſuum levem, & eum qui ſtultum appellat, eadem inferni pœna, non eadem inferni gravitate dignum docere.* Sic etiam nuper laudatus Vincentius, *Chriſtum diſtinguere hos gradus Hebræorum more, & docere omnes iſtos dignos eſſe pœna inferni, juxta tamen minorem, majoremve gradum pœnæ inferni.* Similia habet Claudius Guillaudus, *Qui iraſcitur fratri obnoxius eſt gehennæ. Qui dixerit raca adhuc profundius in orcum præcipitandus eſt; omnium vero profundiſſime, qui & verbis & facto cædem perpetraverit.* Vnde liquet, quam vanum ſit, quod tertio loco aſſumit Bellarminus, pœnas duobus prioribus gradibus attributas temporales eſſe. Neque hilum valet ejus ratio, temporales ex eo futuras concludentis, quod ſint conſtituta tertio peccati gradui pœna leviores. Quid enim? An ex eo quod *Sodomitis remiſſius in die judicii, quam*
Matth.11.24. *Capernaitis futurum* pronunciat Chriſtus, licebit argumentari Sodomitis in tremendo illo die pœnas duntaxat *temporales*, non autem *æternas* conſtitutum iri? Atqui apud omnes conſtat, ut varii ſunt peccantium gradus, varias itidem eſſe, etiam in ipſo *inferno* damnatorum *pœnas*. Ex his poſtremo videre eſt, quam fruſtra glorietur Bellarminus ſe ex hoc loco habere quædam peccata *non mereri, niſi pœnam temporalem*. Hæc autem tam multarum hallucinationum colluvies ex uno veluti fonte profluxit, prava nimirum loci ex Matthæo allati interpretatione. in quo bonus Bellarminus (quod ejus pace dictum ſit) plane nihil
l. 1. de amiſſ. gr. & ſtat. pecc. c. 9. vidit. Extat in alio opere hæc ejus interpretatio, quam non eſt animus nunc quidem fuſius inſectari, ac refellere, quod hic eam leviter tantum delibet. Satis eſt paucis indicare, quis verus ſit hujus loci ſenſus. Iampridem eſt à doctiſſimo Caninio Anglarienſi obſervatum Chriſtum iſtic alludere ad eos judiciorum ordines, qui apud Iudæos obtinebant; neque fere quiſquam eſt vel ex noſtris, vel ex ipſis etiam adverſariis paulo eruditior, cui dicta non ſit, ac probata hæc obſervatio. Nimirum unum erat *judicium infimum Triumvirorum*, ad quos cauſſæ leviores, puta pecuniariæ, & aliæ hujuſmodi pertinebant. Alterum erat *ſupremum* LXXI *virorum*, qui de maximis, ac graviſſimis quibuſque ſummo jure cognoſcebant, dicebaturque *Synedrium magnum* סנהדרין הגדולה. Inter hæc duo extrema aliud erat *judicium medium*, quod

& ipſum

& ipſum *Synedrium*, ſed *minus* dicebatur סנהדרין הקטנה, XXIII virorum, qui de gravibus, ac capitalibus cauſſis ſtatuebant. Iam pro horum ordinum diverſitate diverſa fere erat, & pœnarnm ratio. III viri multas tantum pecuniarias iis imponebant, quos damnabant. XXIII virorum gravior erat animadverſio; quibus ſontes etiam ſummo ſupplicio, ſi res id poſceret, afficere licebat. LXX vero & unius virorum, ut ſumma erat auctoritas, ita & præcipua ſeveritas. Hi enim cum ſoli de falſis Prophetis, & cæteris vel ad religionem, vel ad univerſam rempublicam pertinentibus judicarent, ſoli itidem atrociſſima ſupplicia decernebant, quibus nimirum præcipua illa ſcelera, de quibus cognoſcebant, digna erant. Ex hoc triplici judiciorum, & pœnarum ordine factum eſt, ut proverbiali quodam loquendi genere is III *virorum judicio teneri* dici poſſit, qui leviſſime peccavit, leviſſimamque pœnam meretur; XXIII *virorum*, qui gravioris delicti reus gravius itidem puniri debet; LXX *& unius virorum* denique qui inſigni aliquo ſcelere ſe ſe obſtrinxit, ſingularique adeo ſupplicio dignus eſt. Chriſtus itaque cum vellet docere non ſolum *homicidium* (quod vulgo exiſtimabant Iudæi) peccatum eſſe divina animadverſione in hoc genere dignum, ſed ipſam etiam *animi commotionem*, vel ira in fratrem intus tantummodo æſtuantis, vel in maledictum quantumvis leve erumpentis, his à vulgo, ac velut è trivio petitis loquendi formis mentem, ut ſolet, expreſſit. Primum enim pronunciat, *qui iraſcitur fratri ſuo*, & quidem, ut græci codices habent, *qui temere iraſcitur eum judicio teneri*, hoc eſt XXIII *virorum*. Quo loco primum illud, de quo dictum eſt, III virorum tribunal omittit; ut oſtendat non modo, quod exiſtimabant Rabbini, inſontem non eſſe ſiquis *temere* quidem, ſed tamen citra ullam vel læſionem, vel contumeliam, *iraſcitur*, ſed etiam gravi crimine teneri, gravique pœna expiando, qualem non vulgare illud, & plebejum III virorum tribunal, ſed XXIII virorum conſeſſus indicere, ac conſtituere ſolebat. Pergit Dominus, *eumque qui raca fratri dixerit*, hoc eſt (ut inter omnes conſtat) qui leviſſimo maledicto fratrem aſperſerit, *eum* (inquam) *concilio teneri*; hoc eſt magno ſynedrio. Nimirum tantum eſſe ejus peccatum ſignificat, ut graviſſimas pœnas mereatur, quales eæ erant, quas magnum Synedrium ſontibus infligebat; puta lapidatio, aut vi vicomburium. Denique ait Chriſtus, *qui fratrem fatuum dixerit*, hoc eſt qui gravi aliquo, & contumelioſo maledicto violaverit eum, *reum eſſe gehennæ ignis*, hoc eſt longe graviſſimum ſupplicium mereri. Nam cum *gehennam* humana omnia, quæ hic in terris apud nos in uſu ſunt, ſupplicia

longo intervallo ſuperare Iudæis eſſet perſuaſiſſimum, eo fiebat, ut cujus ſingulare erat ſcelus, ſingularique aliquo, ac inuſitato ſupplicio dignum, eum *gehenna teneri* dicerent. Hæc omnino Domini Chriſti mens fuit in eo Matthæi loco. Neque ea verba, quibus utitur, vexare, aut ultra hoc ipſius inſtitutum torquere decet. Duo ergo ſunt, quæ ſignificat; Vnum quidem, graviter peccare, qui fratrem non modò facto, ſed vel dicto, vel etiam ſolo animi impetu læſerit, atque violaverit. Alterum, hæc in fratrem peccata, quamquam univerſa gravia ſint, alia tamen aliis graviora eſſe, gravioreſque adeo pœnas mereri. Cæterum quænam proprie, qualeſve ſint illæ peccatorum, de quibus loquitur, pœnæ, temporaleſne, an æternæ, hiccine in vita, an poſt obitum expendendæ, neque illis verbis definit Chriſtus, neque ſane definire in animo habuit, cum hæc omnis ejus oratio *teneri judicio*, *teneri concilio*, *teneri gehenna*, non propria, ſed metaphorica ſit, quæ nihil aliud ſignificat, quam *gravem*, *graviorem*, ac denique *graviſſimam* pœnam mereri. Vnde liquet, ut hoc obiter moneam, quam non modo inconſiderate, ſed etiam præter rem, atque intempeſtive hic Bellarminus effutierit, veterem legem non aliam homicidis mortem comminatam eſſe, quam *temporalem*. Ipſi certe Phariſæi, cæterique, exceptis Sadducæis, Iudæi multo melius, & ſanctius de lege ſentiebant; qui homicidis, cæteriſque id genus peccatoribus ſempiternas in inferis conſtitutas eſſe, niſi reſipiſcerent, pœnas confitebantur. Sed nos diutius hic immorari nihil neceſſe eſt, cum ille Matthæi locus plane ſit ab hac cauſſa alienus; neque ſatis mirari poſſum Bellarmini inverecundiam, qui eum huc invitum, atque repugnantem detorquet. Quod ut clarius eluceſcat, inprimis animo repetendum eſt, quis ſit hujus controverſiæ ſtatus. Non enim id inter nos jam quæritur, *quod num ſit peccati in genere*, & ex natura ſua *meritum*; ſed in ſpecie *num aliquas fideles peccatorum à Deo remiſſorum pœnas poſt mortem pendant.* Ajunt adverſarii; nos negamus. Bellarminus, ac ſi totius repente cauſſæ eſſet oblitus, locum nobis recitat, in quo Chriſtus docet graviſſimas pœnas mereri etiam ea peccata, quæ hominum judicio cenſentur leviſſima. Atqui hoc quibuſvis potius aliis narrandum fuit, quam nobis; qui totam hanc de peccati gravitate doctrinam ita ſancte, atque accurate defendimus, ut nos ipſi adverſarii nimiæ ſeveritatis accuſent, quod nullum admiſſum in Deum peccatum *ſua natura veniale* cenſendum eſſe putemus. Tantum affirmamus totum hoc quantumcumque eſt pœnarum debitum ſic Dominum fidelibus per gratiam remittere, ut nullam vel in hac, vel in altera vita ejus partem ab ipſis repoſcat. Iam allata Chriſti ſententia

tentia affirmat quidem graves pœnas peccatorum ex legis divinæ jure mereri; eas vero non negat ex Dei gratia fidelibus remitti. Abſit. Nam ſi peccatorem, quacumque pœna ex lege tenetur, eam reapſe exſolvere neceſſe eſſet, nullus gratiæ locus foret. Sunto ergo eæ pœnæ, de quibus Chriſtus loquitur, *temporales*, *æternæ*, *hujus*, *alterius vitæ*, ut Bellarmino libebit; nihil ad hanc quidem cauſſam intereſt, in qua quærimus non *quid*, *aut quale ſit*, *quod meretur peccator*; ſed, *an homo fidelis*, *cui peccata dimiſſa ſunt*, *aliquid pro iis pœnæ poſt mortem ſit perpeſſurus*. Si quis ſit gratiæ divinæ in Chriſto non particeps, ei, fateor, luenda erit omnis admiſſi peccati pœna, ſive æterna, ſive temporalis, ſive in hoc, ſive in futuro ſæculo. Atque hactenus quidem, ſi concederemus (quod adverſarius ponit) ex hoc loco concludi poſſet aliquas pœnas peccatorum *temporales* etiam poſt mortem luendas ſupereſſe. Nam ſi duo illi priores gradus, de quibus Chriſtus loquitur, *pœnæ* ſunt (quod vult adverſarius) *temporales*; ſi præterea (quod idem & Patribus, & ſibi placere teſtatur) hic locus de *pœnis* poſt hanc vitam intelligendus eſt, neceſſario confitendum erit aliquorum peccatorum pœnas temporales poſt mortem expendi. Sed etiam hoc dato quærendum ſupererit quinam ex peccatoribus hujuſmodi pœnas ſoluturi ſint; quod non eſt in allato loco definitum. Ego quidem reſpondeo *ſoluturos*, *qui debent*; non *debere* autem, quibus peccata per Dei gratiam *remiſſa* ſunt, neque adeo ſoluturos; non magis quam æterna gehennæ ſupplicia, quibus cum ex lege tenerentur, per eamdem Dei clementiam liberati ſunt. Itaque ſiquid pœnæ temporalis etiam poſt hanc vitam luatur (quod adverſarius ea iis quæ falſo ſuppoſuit affirmare non veretur) id totum ad eos tantum ſpectat, qui gratiæ divinæ ſunt exſortes; de quibus cum nulla ſit præſens diſputatio, apparet (quod ſecundo loco poſui) totum hoc adverſarii argumentum eſſe, quod ajunt, *ἀπροσδιόνυσον*, & ab hac cauſſa alienum. Quod cum ipſe (credo) intelligeret, ne nullum omnino ex hoc loco lucrum faceret, ad rerum incertarum hypotheſes (ut in obſcuris ſolent mathematici) confugit. Iubet ergo fingere nos animo aliquem cætera pium, ac fidelem ſubito, ac repentino caſu oppreſſum, nullo dato ad pœnitentiam ſpatio cum his peccatis mori, quæ ſolam pœnam temporalem mereri ſupra ex hoc loco (quamquam falſo & inepte) concluſit. Quid iſto fiet? Cœlo-ne recipietur? Atqui fas non eſt illuc quicquam *coinquinatum ingredi*. Mittetur-ne in gehennam? At durum eſt, & iniquum ad pœnas æternas damnari, qui non merebatur niſi *temporales*. Quid ergo ſupereſt; niſi ut his excluſus in purgatorio tantiſper degat; donec debitam pro levioribus

peccatis pœnam exſolverit? Reſpondeo fruſtra ſe fatigare adverſarium. Res enim nobis quidem clara eſt, & expedita. Si pius ille, de quo loquitur, fuerit; ſi divinæ gratiæ conſors, ſi Chriſto per fidem inſitus; qualiſcumque eum mors corpore exſolverit, cœlo recipietur, ibi futurus quo Dominus præivit. Atqui nefas eſt quicquam *coinquinatum* in cœleſtem aulam ingredi. Fateor; ſed neque piorum hominum ſpiritus, quibus peccata à Domino remiſſa ſunt, *coinquinatos* eſſe concedo. *Coinquinatum* enim hoc loco adverſarius intelligit eum, qui alicujus pœnæ reatu tenetur. *Pœnam* autem is *nullam debet*, cui peccatum remiſſum eſt. Sed huic (inquit) repentina morte rapto cætera quidem peccata remiſſa erant, nondum autem levia illa, quæ temporales pœnas merentur. Reſpondeo nos hanc dimidiatam Dei gratiam neſcire. Bona ille fide hominibus peccata aut dimittit, aut retinet omnia; ut eſt eorum aut fides, aut incredulitas. De pœnitentia vero fruſtra obtundit adverſarius. Nam ſi eam intelligit, quæ apud ſuos vulgo ita audit, quæ contritione, & confeſſione, & ſatisfactione conſtat, non ignorat nos negare hos duos poſtremos pœnitentis actus ad conſequendam peccati remiſſionem eſſe neceſſarios. Sin de contritione ſola intelligit, diſtinguo. Fidelem enim peccati pœnitet, vel in genere, cum miſerum ſe peccatorem univerſim agnoſcit, & ſui pertæſus ad ſolam Dei gratiam confugit; vel in ſpecie, cum hoc, vel illud ſigillatim peccatum ſibi excidiſſe deflet, ejuſque veniam proprie ac peculiariter à Domino petit; qualis Davidis fuit de adulterio pœnitentia. Priorem pœnitentiam ad remiſſionem peccati abſolute fidelibus adultis neceſſariam eſſe confiteor quidem; ſed quemquam vere fidelem ſine hac pœnitentia mori, pernego. De poſteriore, alia omnia. Non enim ſingulorum in ſpecie peccatorum pœnitentia uſque adeo neceſſaria eſt, ut ſine ea nullum omnino à Domino fidelibus peccatum remittatur; præſertim ejus generis de quo nunc quæritur, ex eorum nimirum cenſu, quæ adverſarii *venialia* vulgo vocant. Nam cum iſta nobis, etiam ſæpe imprudentibus excidant, vix ullus eſt fidelis, qui omnia quæ in hoc genere peccavit, ſigillatim cognoſcat, nedum ut pro ſingulis pœnitentiam agere potuerit, juxta illud divini vatis, *Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me.* Fateor igitur fieri poſſe, ut pius aliquis moriatur, qui peculiari hujuſmodi pœnitentia non omnia ſigillatim peccata procurarit; ſed dummodo priori illa de qua diximus, pœnitentia functus ſit, hunc ei defectum fraudi futurum nego; maxime ſi eum hoc officio excluſerit, non ulla animi pravitas, aut deſidia, ſed (quod hic ponit adverſarius) ſola temporis anguſtia. Atque ita, niſi fallor, abunde demon-

Pſ. 19. (Lat. 18.) 13.

monſtravi, & quæ hoc loco aſſumit Bellarminus, ea incerta eſſe ac falſa, & quæ ex iis colligit, ea ipſa nihil ad præſentem cauſſam pertinere. Sed antequam ad alia progredior, quiddam non puto hic omittendum, quod in iſtis adverſarii placitis obſervavi. Is igitur, ut audivimus, pertendit duos illos priori loco à Domino memoratos iracundiæ gradus, ſive (ut ipſe appellare mavult) duo peccati genera *temporales* tantum pœnas mereri, & quidem non in hac, ſed in futura vita luendas. Iam certum eſt impios, & infideles, cæteroſque divinæ gratiæ exſortes in iſta peccata ſæpe incidere. Neque enim iſtorum nullus eſt, qui non ſic interdum iraſcatur, ut citra homicidium & maledictum contumelioſum deferveſcat ejus ira. Itaque & his pro hujuſmodi peccatis temporales pœnæ in altera vita luendæ erunt. Vnde porro conficitur, cum iſti quicquid debent pœnæ, id in inferno perpeſſuri ſint, *temporales* eſſe ex adverſarii ſententia nonnullas inferni pœnas, adeoque etiam *purgatorias*, eo certe ſenſu quo *purgatorium* ſuum definiunt. Id enim peccati *purgatorium* eſſe ſtatuunt, *quo pœnæ reatus ex peccato contractus ſolvitur.* Illa enim ſiqua eſt, quæ ab infidelibus in inferno luatur, peccatorum venialium pœna, ipſos aliquando hoc reatu ſolutura, adeoque *purgatura* eſt. Neque enim illi eo amplius reatu tenebuntur, poſtquam omnem cujus erat, pœnam exhauſerint. Neque hic reſponderi poteſt, pœnas illas peccatis impœnitentium venialibus debitas in æternas commutatum iri. Hoc enim Dei juſtitiæ evidentiſſime repugnat, eoque magis, quod, ut vulgatum eſt, *Deus ſemper citra condignum punit*, ut uſurpata in altero argumento à Bellarmino verba nobis hic παρῳδεῖν liceat; *pro hujuſmodi peccatis injuſte damnarentur ad pœnas æternas, qui non merebantur niſi temporales.* Neque vero quæ *temporales* ſunt, eo uſque per imminutionem quamdam extendi, ac diffundi poſſunt, ut quod ad durationem *æternæ* fiant. Nam cum quicquid *temporale* eſt, certum habeat ac definitum temporis ſpacium, quod vero *æternum* eſt nullo fine, vel termino circumſcribatur, apparet *temporales* pœnas non poſſe umquam ulla ratione *æternis* commenſurari (ut vulgo loquuntur.) Quod ſi regeras reprobos alia præter hæc, & quidem graviſſima admiſiſſe peccata, propter quæ æternæ futuræ ſint eorum pœnæ, id equidem fateor; ſed eo infringi vim propoſitæ objectionis nego. Nam cum duo ſint ex adverſarii hypotheſi eorum peccatorum, quæ reprobi admittunt, genera, alia *mortalia*, alia *venialia*, duplices itidem eorum in inferno pœnas eſſe neceſſe eſt; alias quidem *mortalium*, alias vero *venialium*, (neque enim quæ diverſi generis peccata ſunt pœnis ejuſdem generis punire par eſt) illas quidem *æternum* ſævituras fateor; Sed has certe, quæ *temporales* futuræ

futuræ ſunt, aliquando deſinere neceſſe eſt. Atque ita hactenus quidem *purgatoriæ* etiam erunt nonnullæ inferni pœnæ, quæ damnatorum cruciatum nonnihil mitigaturæ, ignemque illum *æternum* (ut barbare loquamur) ſi non *pro toto*, ſaltem *pro tanto* reſtincturæ ſunt. Quantulo diſtat hoc commentum ab infernali Origenis purgatorio?

CAPUT XII.

Solvitur ſecundus locus ex Matth. 5. 26. Non exibis donec ſolveris.

Sed jam ad reliqua pergamus. Alter ex Matthæo locus ſuperiorem ſequitur; *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tortori, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas ultimum quadrantem.* Bellarminus hic valde prolixus eſt; multa miſcens aut futilia, aut nihil ad rem pertinentia. Singula Domini verba anxie vexat; quæ ſit *via*, quis *adverſarius, judex, tortor, carcer, quadrans*, operoſe ſcrutatur. Nos miſſis ambagibus, quæ ſit Chriſti mens ſimpliciter, ac bona fide oſtendemus. Is igitur in illo capite aliquot exemplis docet ſe legem olim à Moyſe promulgatam non modo non *ſolvere*, ſed etiam *adimplere*; hoc eſt, eam quam lex præſcribit ſanctitatem, ac juſtitiam ſic plane & plene docere, atque illuſtrare, ut ea omnibus ſuis numeris conſtans & abſoluta eluceſcat; non aliqua ſui parte imminuta, vel inumbrata, qualis in Magiſtrorum Hebræorum gloſſis, vulgarique illius gentis opinione apparebat. Orditur ab eo legis capite, quo edictum erat, ne quis occideret; mox à verſu 27. ad 33. eadem ratione adimplet, ac perficit alterum legis edictum, *Non mœchaberis.* Inde ad triceſimum octavum legem de juramento eodem modo illuſtrat. Tum ad verſum quadrageſimum tertium de ultione; ac denique verſu quadrageſimo quarto & ſequentibus generalem de proximi dilectione, doctrinam divine ſancit. In primo autem illo capite primum oſtendit non *homicidium* modo, ſed & quamlibet in fratrem *iram*, animique commotionem peccatum eſſe, iis verbis, quæ nuper explicavimus. Ex quibus ſtatim concludit nihil nobis antiquius eſſe debere, quam ut fratri, ſiquid inter nos offenſæ contractum ſit, quamprimum reconciliemur. *Si ergo offers* (inquit) *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Quibus illa paulo ante deſcripta verba continenter ſubjicit; *Eſto con-*

Matth. 5. 25. 26.

℣. 21.

conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, & quæ ſequuntur. Non eſt itaque dubitandum, quin ille *adverſarius*, cui nos cito conſentientes eſſe vult, idem ſit ille *frater*, qui aliquid *habet adverſum* nos, cuique nos omiſſa omni quantumvis alioqui juſta mora, quamprimum reconciliari præcepit. Atque hic, ſi liberet, poſſem totam hanc Bellarmini objectionem uno verbo refellere, reſpondendo Chriſti verba, non allegorice quod iſte vult, ſed ad litteram (ut loquuntur) eſſe interpretanda; quomodo à Chryſoſtomo, & Theophylacto acceptum fuiſſe hunc locum, & nos alibi demonſtrabimus, & adverſarius hic fatetur. *Bell. ubi ſupra. ſ. De primo.* Nimirum Chriſtus, ut oſtendat quam neceſſarium ſit, omnibuſque modis utile hoc reconciliandi fratris officium, primo affert id apud Deum tanti eſſe, ut ſi id neglexerimus, nullam ille à nobis oblationem accepturus, gratamque habiturus ſit; quo ſpectant quæ verſu viceſimo quarto dixerat, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris*, & quæ ſequuntur. Secundo, ad idem probandum illa etiam loco objecto incommoda affert, quibus in ipſa hac vita conflictari ſolent duri & rixoſi homines; qui plerumque ob res nihili, quæque initio facile procurari poterant, ab adverſariis in judicium aguntur; moxque dignas ſua pervicacia & duritie pœnas luunt, dum prætoris ſententia in carcerem abrepti tamdiu iſtic in ſqualore & miſeria detinentur, donec adverſario plane ſatisfecerint. Quod vero huic expoſitioni objicit *l. 1. de purg. c. 7. ſ. Primo, cum.* Bellarminus, *non ſolere Dominum tam ſerio docere & inſtruere humanam prudentiam, cum ipſe ſæpe teſtatus ſit filios hujus ſæculi prudentiores eſſe filiis lucis*, id inquam eſt nihili. Non enim *humanam prudentiam*, ſed ſuos fideles hic docet; quos etiam petito ab humanis incommodis argumento à duritia, & cerebroſo ac rixoſo ingenio deterrere, nequaquam abſurdum eſt. Paulus certe, dum debitam poteſtatibus ſuperioribus *Rom. 13. 3. 4.* obedientiam commendat, non modo conſcientiam, reique ipſius æquitatem, ac Dei optimi maximi voluntatem urget; ſed & impendens à magiſtratuum gladio periculum adfert; quo nos undequaque ad officium compellat. Quid, quod ipſe Dominus alibi diſerte monet, cum *Luc. 14. 8. 9. 10. 11.* ad convivium aliquod invitati fuerimus, ne in primo loco diſcumbamus, ſed potius in noviſſimo, affertque in medium & ignominiam, & gloriam, quæ ita ſe gerentes, conſequi ac comitari ſolet? Vtrum iſto vel ad *humanam prudentiam pertinere*, vel à *Chriſto ſerio doceri*, negavit Bellarminus? Sed tametſi hunc ut dixi, locum commode meritoque ſic interpretari poſſem, nolo tamen ea de re cum adverſario litigare. Eſto; Sumatur allegorice. Nihil ideo purgatorium juvabit. Dominus enim, ut demonſtret, quam ſit hoc fraternæ reconciliationis offi-

cium neceſſarium, his verbis monet Deum ſeveriſſime cum iis agere, qui id prætermiſerint, violatæque aut non redintegratæ cum fratribus amicitiæ pœnas rigide repoſcere, neque cuiquam hoc peccatum impune futurum. Iam ſeveram hanc, ac ineluctabilem divinæ juſtitiæ ultionem iis certiſſime paratam, qui offenſum ſibi fratrem reconciliare ſpreverint, petita, ut ſolet, à rebus inter homines uſitatis imagine adumbrat; earum nimirum moleſtiarum, ac pœnarum, in quas rixoſi & litigioſi debitores juſtiſſimo prætoris judicio incidere ſolent; cum urgente creditore, cui mature ac in tempore ſatisfacere noluerunt, in *carcerem* conjiciuntur, ibique in ſqualore, ac miſeria tamdiu detinentur donec omne debitum perſolverint. Allegorica ergo eſto, ſive parabolica tota hæc Chriſti oratio, eleganti hac pictura ſignificans, ſiquis fratri offenſo tempeſtive reconciliari ſpreverit, itidem eventurum, ut in eas tandem pœnas juſto Dei judicio incurrat, quæ ſunt hujuſmodi peccatis conſtitutæ. Itaque concedo ſane in hoc figurato ſermone aliud *dici*, aliud *intelligi*; *adverſarii* illius, qui debitorem in jus agit, imagine *fratrem* læſum, neque à nobis reconciliatum ſignificari; *judicis* perſona Deum rerum humanarum arbitrum, ac moderatorem repræſentari; acerba debiti ad *minimum uſque quadrantem ſolutione*, pœnarum divinitus duris, ac inhumanis caritatis violatoribus inflictarum τὸ ἀκριβοδίκαιον denotari; non ſic tamen, ut omnia etiam minutiſſima ad amuſſim quadrare debeant. Nam nemo neſcit in hujuſmodi allegoricis tabellis multa ſæpe ineſſe, quæ ornatus tantum cauſſa adduntur, non ut iis proprie aliquid ſignificetur, ſed ut ea, qua aliquid ſignificatur, imago auctior, atque inſtructior ſit. Quo fit, ut ſtulta, & ſupervacanea eorum diligentia cenſenda ſit, qui in talibus ubique myſteria ſollicite atque anxie venantur; quaſi nulla omnino ſit parabolæ particula, cui non ſuum in re ſignificata myſterium accurate reſpondeat. Itaque fruſtra ſudat Bellarminus dum hujus parabolæ, de qua nunc diſputamus, omnes apices curioſiſſime conſectatur. Satis eſt, ſi Chriſti mentem hic adumbratam teneamus, graves nimirum, atque inevitabiles Deo daturum pœnas, quiſquis fratrem læſum reconciliare ſibi ſpreverit. Cætera non ſunt vexanda. Verbi gratia; is *adverſarius*, cui frater à nobis læſus in hac parabola comparatur, dicitur *reum judici tradere*, *judex miniſtro in carcerem* mittendum. Nimirum hæc ita fieri ſolent in rebus humanis, ex quibus petita eſt allegoria. Non ideo tamen exiſtimandum eſt eodem quoque modo fratrem læſum pænas à nobis repoſciturum, ita nimirum ut nos in jus trahat, à Deo, tamquam à Prætore petat, ut lege in nos agatur; tum Deus cauſſa cognita damnatos alicui appa-

apparitori, aut miniſtro in cuſtodiam aliquam deducendos tradat, qua concluſi puniamur. Hæc conſectari puerile eſt. Abunde eſt, quod Chriſti mens iſtis perſpicue ſignificata eſt, fore nimirum gravem ejus pœnam, qui fratri reconciliari noluerit. Frater autem læſus adverſario non ideo comparatur, quod fratrem à quo læſus eſt, in jus obtorto collo rapiat, vel de ejus injuria apud Deum conqueratur, aut in ejus caput & fortunas edi exemplum poſcat (contra enim ſi pius fuerit, fratris à communi Domino ſupplicium, quamquam læſus, deprecabitur.) Satis eſt ad hoc, ut *adverſarii* & nomine, & imagine hic ſignificetur, quod ut *debitoris* infortunium eſt ab *adverſario*, cui æs debitum inique ac præter jus ſuo tempore non reddidit; ſic etiam hujus, qui à Deo punitur, pœna quodammodo à fratre læſo exorta eſt, quod ei nimirum in tempore reconciliari ſpreverit. Quod hujus, in quam peccator incidit, miſeriæ occaſio quædam fuerit, ideo non modo non abſurde, ſed etiam eleganter, *adverſarius ejus* dici poteſt. Quamquam fateor hæc ipſa Domini verba *te judici tradet*, ſi (quod non eſt neceſſe) fratri læſo preſſius accommodentur, ei etiam non inepte convenire. Nimirum is dicitur nos Deo *tradere*, cujus cauſſa Deus in nos animadvertit. Paſſim enim occurrunt tum in ſacris, tum in profanis ſcriptoribus, hujuſmodi locutiones, quibus id quis feciſſe dicitur, quod quamquam ipſe non fecerit, ejus tamen cauſſa, atque occaſione factum eſt. Ita Abel verbi gratia dici poterit Caini *ἀντίδικος adverſarius*, Cainumque tradidiſſe judici; qua ratione ejus ſanguis *clamaſſe ad Deum* dicitur; eodemque ſenſu Gen.4.10.
Chriſtus alibi ait *electos ad Deum clamare die ac nocte*, vindictam ſcilicet Luc.18.7.
poſcentes. Ita qui inimicis benefaciunt dicuntur à Paulo *carbones ignis* Rom.12.20.
congerere ſuper eorum caput; nempe quia iſta ipſorum lenitate fit, ut multo gravior, atque acerbior futura ſit eorum pœna, à quibus injuſte vexantur. Eadem eſt cæterorum ratio. Quiſquis proximo facit injuriam, is gravem ſibi ipſi conſtituit adverſarium, qui apud Deum noctes dieſque jugiter ejus pœnam depoſcit. Iam quod de *carcere* ſequitur, id ſimiliter è rebus humanis aſſumptum eſt; non ut nemo à Deo puniri intelligatur qui non idem *carcere* aliquo concluſus teneatur (multos enim ille in hac ipſa vita punit, ubi nihil eſt, quod *carceri* reſpondeat) ſed tantum, ut ſignificetur, qui fratrem læſerunt, eos effugere non poſſe, quin pœnas peccato ſuo debitas luant; neque minus certum, minuſve inevitabile eſſe eorum ſupplicium, quam ſi carcere concluſi, aut catenis vincti ſub arctiſſima cuſtodia tenerentur. Atque ex his ſatis liquet, quam inſcite hunc locum Bellarminus ad *purgatorium* ſuum traxerit. Nam ut inde ordiar, non eſt ea de qua hic Chriſtus loquitur,

fratris non reconciliati offenſa ex eorum peccatorum genere, quorum pœnas in *purgatorio* lui, atque purgari fingunt. Hujuſmodi enim fratrum offenſas *gehenna*, id eſt (ut interpretantur adverſarii) æternis inferni ſuppliciis dignas Chriſtus paulo ante pronunciavit, *Qui dixerit fratri, fatue, reus erit gehennæ ignis.* idemq; docet longa illa parabola, quam hac de re inſtituit capite hujus euangelii decimo octavo; in qua poſtquam narravit quemdam ſervum, quod conſervi ſui miſereri noluiſſet, traditum fuiſſe tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum ſubjungit, *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.* Nam nequiſſimi illius ſervi tormento æternum ſignificari cruciatum, & omnes conſentiunt, & res ipſa loquitur. Ejus enim tormentum numquam deſiturum Dominus clariſſime oſtendit, dum quem paulo ante negaverat *habuiſſe unde redderet*, eum nunc ait tortoribus *traditum*, quo uſque *redderet univerſum debitum.* Hic itaque locus, qui de hujuſmodi peccati pœna, hoc eſt æterna, loquitur, nihil habet cum purgatorio commune, in quo nullas niſi *temporales* expendi pœnas volunt. Neque vero *temporalem* eſſe eam, quam hic Chriſtus intelligit, *pœnam* evincit allata à Bellarmino ratio, inde ducta, quod illud *donec ſolvas ultimum quadrantem non videtur recte poſſe dici, niſi aliquando ſit futurus finis ſolutionis.* Primum enim (ut jam diximus) iſta verba, quæ proprie debitori, à quo ducta eſt parabola, conveniunt, nihil neceſſe eſt in antapodoſi exacte, ac penitus peccatori congruere. Ad Chriſti inſtitutum ſufficit, quod ut à debitore, quidquid is contraxit æris alieni ſummo jure exigitur; ita neque peccatori ulla ejus peccati, quod in fratrem admiſit, pars aut pœna remittitur. Vt ille debitum, ita hic delictum totum luit. In hoc uno ſita eſt unius cum altero ſimilitudo. Neque eam ultra extendere par eſt; ut ſiquid de debitore dicitur id & peccatori ſtatim accommodetur. Vt neque in priori hujus parabolæ parte quicquid creditori convenit, ad fratrem læſum (qui creditoris imagine ſignificatur) illico rapiendum eſt. Nam quod ille dicitur reum *judici tradere*, huic certe niſi figurate & improprie tribui non poteſt; quod ex iis, quæ nuper explicavimus, clarum eſt. Tum ut iſta etiam peccatori, de quo hic ſermo eſt, convenire concedam; non eo tamen efficietur, ut *temporalis* cenſenda ſit ejus pœna. Falſum enim eſt, & pœne ab omnibus Scripturarum interpretibus exploſum, quod hic ſtatuit Bellarminus, illud, *donec ſolvas ultimum quadrantem*, recte dici non poſſe, niſi *aliquando ſit futurus finis ſolutionis.* Quidni? Certe hujuſmodi locutiones, cum ſint hypotheticæ, eam vim habent, ut rerum, quas inter ſe vinciunt, connexionem, &

Matth. 5. 22.

Matth. 18. 35.

verſ. 25.

l. 1. de purg. c. 7. 3. Probatur.

quam-

quamdam (ut barbari loquuntur) *dependentiam* ; non autem , ut quicquam futurum abſolute vel affirment , vel negent. *Non exibis donec ſolveris.* Qui ſic loquitur definit iſtum in carcere manſurum , quamdiu non ſolverit : ſoluturum autem aliquando neque ait , neque negat. Significat *tempus carceris coævum* (ut in hunc locum ait Cajetanus) *tempori non ſolutionis*; de ipſa ſolutione,ſit ne futura, nec-ne, nihil in alteram partem ſtatuit. Id pendet ab eventu , & à conditionis ejus, quæ adjicitur , natura. Itaque ex his verbis , ſi vel maxime peccatori conveniant , præciſe haberi nequit , olim-ne is ex illo carcere exiturus ſit perſoluto univerſo peccati debito , an in eo ob non perſolutum illud debitum , æternum manſurus. De eventu , non ex his verbis, ſed ex rei natura judicandum eſt. Si debitum hujuſmodi eſt, quod à debitore expungi poſſit , ſpes eſt exiturum. Sin minus , certum eſt remanſurum. Atqui ſupra oſtendimus *æternam* inferni pœnam hoc debito ſignificari ; hæc ergo verba , *non exibis* , *donec ultimum quadrantem ſolvas* , non modo non probant exiturum aliquando peccatorem, quod vult adverſarius , ſed contra confirmant , quod nos defendimus, numquam exiturum. Iam in hujusmodi enunciationibus ea interdum adjici, quæ numquam deſitura ſunt , tam clarum eſt , ut mirer id à Bellarmino in dubium revocari potuiſſe. Quid enim ? Nonne ipſe ille Chriſtus , de cujus ſermone nunc quæritur , quique nihil niſi recte , & ſapienter dicit, conſimili locutione uſus eſt in ea parabola,quam nuper laudavimus , *Iratus* (inquit) *dominus ſervi tradidit eum tortori , quo adusque redderet univerſum debitum.* Atqui numquam reddidiſſe certum eſt, Matth. 18. 34. quem paulo ante Dominus *habuiſſe* negaverat , *unde* hero *debitum redderet.* Sic vulgo in eodem argumento loqui ſolemus , cum eum, quem 25. conſtat non eſſe ſolvendo , ut in carcere ſemper manſurum ſignificemus , non ante inde exiturum dicimus , quam omnia ſua nomina expunxerit. Cujus generis ſunt etiam illa in omni hominum ſermone uſitata , cum ut rem *æternam* fore ſignificemus , tamdiu eam futuram dicimus , quamdiu ſtabit res quædam alia , quæ conſtans , æternaque vel eſt , vel certe eſſe putatur. Quale eſt illud Horatii , laudatiſſimi ſcriptoris in Carminibus:

——— *Vſque ego poſtera* Od. l.3. Od.30.
Creſcam laude recens , dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Non enim id vult , aliquando futurum , ut Pontifex *Capitolium ſcandere* deſinat ; ſed plane contra ſupponit numquam deſiturum hunc morem , eique coævam fore laudem ſuam. Sic etiam ad literam intelli-

 gendum

gendum eſt, quod ait Iobus, *Homo cum dormierit, non reſurget, donec*
Iob.14.12. *atteratur cœlum.* Non nego his verbis myſticum ſenſum ſubeſſe, quo futura olim in fine ſæculorum hominum reſurrectio mirabiliter ſignificata eſt. Sed ſi in litteræ cortice hæreamus, clarum eſt ex tota illius loci ſerie hoc velle Iobum hominem numquam reſurrecturum, nimirum in eam, quam hic vivimus, *terrenam* & *animalem* vitam. Sic etiam accipiendum videtur, quod in hoc ipſo Matthæi capite Chriſtus paulo ante dixerat, *Donec tranſeat cœlum, & terra, jota unum, aut*
Matth.5.18. *unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quod enim in univerſo orbe nihil cernatur cœlo, terraque conſtantius, eo fit ut pro conſtantiæ ac perpetuitatis exemplo uſurpentur. Simile etiam eſt illud
Pſ.72,(Lat.71.) 5. Prophetæ de Meſſia vaticinium, *permanebit cum ſole*, quod plane idem eſt ac ſi dixiſſet, *manebit quamdiu Sol manſurus eſt*, vel, *non ante cadet, quam Sol interierit*; quo non modo non ſignificatur futurum, ut vel hujus Regis gloria, vel ſolis jubar intercidat; ſed plane contra evidenter ſupponitur, numquam utrumque deſiturum. Conſimile eſt, quod apud Hieremiam ait Dominus, *Si defecerint* (inquit) *leges iſtæ coram me* intelligit autem Solis, & ſiderum, & elementorum perpetuas in
Hier.31.36. mundo vices *tunc & ſemen Iſraël deficiet, ut non ſit gens coram me cunctis diebus*; quibus verbis Propheta clariſſime ſignificat, numquam defecturum illum, de quo loquitur, Iſraëlem; adeoque ponit neque umquam deſituras mundi leges. Ovidius non abſimili ſenſu, ut Lucretii poëſim numquam intermorituram ſignificaret,

Carmina (inquit) *ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti*
Exitio terras cum dabit una dies.

Ac nequis ſuperſit cavillandi locus, negare non poteſt Bellarminus, quin recte dici poſſit *manſuram Eccleſiam donec Chriſtus manebit*; neque *illius ſalutem periclitaturam, donec hujus vigebit potentia.* Atqui nemo inde, credo, concluſerit aliquando futurum, ut vel Chriſtus, vel Eccleſia intereat. Omnino ad hoc genus pertinere videtur illa Domini locutio, quam præ manibus habemus. Nam cum apud auditores veluti rem claram, atque confeſſam ſupponat *non habuiſſe* miſerum illum *unde ſolveret*, ut *carcere* numquam exiturum ſignificaret, dixit *non inde exiturum, donec redderet ultimum quadrantem*, Iam quod Bellarminus ait ex illa Prophetæ de Chriſto prædictione, *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, recte inferri, *Ergo aliquando ponentur omnes inimici Chriſti ſub pedibus ejus*; id, inquam, ſi præciſe ac ſimpliciter verborum ratio habeatur, nego. Chriſto *omnes hoſtes ſubjectum iri*, veriſſimum eſt, & in ipſo illo Pſalmo, ubi hæc habentur;

& in

& in capite decimo quinto prioris ad Corinthios epiſtolæ, ubi eadem recitantur, & innumerabilibus aliis Scripturæ locis teſtatiſſimum. Huc accedit rei ipſius natura, quæ ſatis nos docet Chriſtum Dominum decere omni inimica vi profligata unum eminere; ut de Patris, qui hic loquitur, potentia nihil dicam, quæ hujuſmodi eſt, ut omnes Chriſti inimicos, nullo negotio peſſumdare queat. Sed ipſam per ſe locutionem minime eam vim habere, ut id neceſſario futurum ſignificet, ſatis ex ſuperioribus exemplis patet. Alterius vero exempli, quod ex Matthæo affert adverſarius, diverſa eſt ratio. Eſt enim ea, quam ex Euangeliſta deſcribit, oratio in præterito tempore, quo res geſtæ narrantur, non autem in futuro, quo etiam dubiæ, & incertæ enunciantur; *Non cognoſcebat Mariam* (inquit) *donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum.* Hic Euangeliſta duo clariſſime ſignificat, & Mariam *peperiſſe*, neque *antequam pareret*, à Ioſepho fuiſſe *cognitam*; eaque eſt orationis ſeries, ut de his dubitari non poſſit. In noſtro exemplo, plane alia omnia. Neque enim Dominus docet aut *ſolviſſe*, aut *ſoluturum* illum vinctum de quo loquimur. Simpliciter ait *non exiturum donec ſolvat.* Supereſt altera Bellarmini ratio, inde petita, quod *qui propter debitum pecuniarium conjiciuntur in carcerem, ſoleant ordinarie egredi poſt aliquod tempus.* Fateor, ſi *habeant, unde debitum expediant.* Aliter res habet, ſi ſolvendo non ſint. Cum igitur hunc, quem Dominus intelligit, peccatorem nullo argumento Bellarminus probaverit habere unde ultrici Dei juſtitiæ ſatisfaciat, fruſtra eum contendit ex illo *carcere*, in quem poſt obitum conjicitur, aliquando *exiturum.* Atque ex his ſatis, ni fallor, intelligitur nihil eſſe, quod cogat nos fateri non *æternas* eſſe *pœnas*, quas hoc loco Chriſtus ei denunciat, qui fratrem læſum reconciliare ſibi ſpreverit. Sed illud poſtremo etiam addo, tametſi daretur (quod concedendum non eſt) *temporales* hic ſignificari *pœnas*, non ideo tamen hinc concludi poſſe adverſariorum *purgatorium.* Nam *temporales* illas *pœnas*, ſi eas hoc loco intelligi concederem, à peccatore non *mortuo*, ſed in terris vivente exigi dicerem. Solet enim interdum Deus *peccatores* etiam in hac vita variis, iiſque interdum graviſſimis flagellis ſubigere ad pœnitentiam; quæ cum ad *purgatorium* minime pertineant, id nulla hinc arte colligi, aut exſtrui poſſe confitendum eſt. Et ſane confitentur ex ipſis adverſariis non pauci, neque ignobiles viri. Diſerta ſunt Ianſenii Gandavenſis epiſcopi verba, *Neque hoc loco* (inquit) *recte quis urgere poteſt purgatorii probationem.* Eadem haud dubie mens fuit Maldonati, Toleti, Salmeronis, Emanuelis Sa,. qui omnes Ieſuitæ erant, Didaci

Matth. 1.25.

Stellæ,

Stellæ, Ioannis Feri, Franciſci Lucæ, Claudii Guillaudi, & ex vetuſtioribus Carthuſiani, Gorrani Lyrani, & aliorum, qui magno conſenſu, quod hic *de carcere*, & *ultimi quadrantis ſolutione* habetur, id ad æternas gehennæ pœnas referunt; quo factum eſt, ut Stapletonus ſcripſerit *pauciſſimos hodie eſſe, qui hunc locum de purgatorio exponant.* Cum igitur tot, tantoſque adverſarios confitentes, ac nobiſcum hac in parte conſentientes habeamus, non eſt quod diutius in hoc loco explicando immoremur.

Antid. in Matth. 5.

CAPVT XIII.

Solvitur tertius locus ex Matth. 12. 31. 32. *de peccato, quod non remittitur in futuro ſæculo.*

TErtius è Matthæo locus ſequitur, quem ex illius Euangelii capite duodecimo deſcribunt; *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Poſtrema hæc verba pæne omnes arripiunt, atque ex iis concludunt aliqua peccata *in futuro ſæculo remitti*, adeoque dari *purgatorium*, in quo ſcilicet illa peccata remittuntur. Sed dum ſic agunt, multis ſe, iiſque graviſſimis abſurdis involvunt. Principio nonne illud mirabile eſt, quod ex eo quod Chriſtum poſuiſſe volunt *peccata* poſt mortem aliquibus *remitti*, ipſi inferunt tunc ab iis peccatorum pœnas, & quidem *ad ultimum quadrantem* repoſci? quod quid aliud eſt, quam *peccata* iſtis *minime remitti? Remitti* enim peccatum dicitur cujus *pœna non exigitur.* Itaque ſi ea eſt Chriſti mens, ut velit nonnullis poſt mortem *peccata remitti*, ſequitur nullas iſtos poſt mortem *peccatis pœnas daturos*; adeoque *purgatorium*, in quo pœnas pro peccatis ſolvi fingunt, hoc loco, non (ut ipſi volunt) conſtituitur, ſed evertitur. Neque eſt, quod reſpondeant nonnullis ſaltem *peccata remitti*, iis nimirum quibus ob ſuperſtitum ſuffragia aliqua pars pœnarum in *purgatorio* luendarum condonatur. Nam & iſti pauci ſunt, non autem omnes, qui *purgatorio* detinentur, & cum vivorum pro mortuis ſuffragia veram, ac proprie dictam pro *pœnis* debitis ſatisfactionem eſſe velint, ne iſtis quidem *peccata remittuntur*, quos accepta pro iis hujuſmodi ſatisfactione Deus punire deſinit; non magis profecto, quam creditorem ei *debitum remiſiſſe* diceremus, quem è cuſtodia liberum exire ſinit recepta, non quidem

Matth. 12. 31. 32.

quidem eadem illa pecunia quam crediderat, ſed alia tamen aliqua re ejuſdem pretii, atque valoris. Præterea cum Chriſtus unam in *Spiritum ſanctum blaſphemiam* excipiat, clarum eſt eum docere cætera omnia, quamtumvis gravia, ſcelera eam quam intelligit, *remiſſionem* obtinere poſſe, idque ipſum diſertiſſime verſu præcedenti affirmavit. At in *purgatorio* non aliorum, quam *venialium* peccatorum obtinetur remiſſio. Ergo hæc, quam Chriſtus intelligit, plane alia cenſenda eſt ab ea, quam ipſi per *purgatorium* haberi fabulantur. Hic operæ pretium eſt conſiderare, quibus ſe artibus Bellarminus hinc explicet. At *Chriſtum loqui de perfecta remiſſione, quæ complectitur remiſſionem culpæ, & pœnæ, quomodo* (inquit) *peccata graviſſima remittuntur etiam in alio ſæculo, quia ibi completur eorum remiſſio.* Itaque hunc vult eſſe totius loci ſenſum. *Peccatum in Spiritum ſanctum non remittitur in hoc ſæculo, nec in futuro, neque quantum ad culpam, neque quantum ad pœnam, cum alia peccata vel remittantur in hoc ſæculo quo ad culpam, & in alio interdum quo ad pœnam, ut mortalia; vel & hic & ibi, quo ad culpam, & quo ad pœnam, ut venialia.* Sed hæ meræ ſunt offuciæ. Nam quæ iſte ſic accurate, & enucleate, ut tantum magiſtrum decuit, dividit, ea in Chriſti ſermone nulla comparent; qui neque *culpam* à *pœna*, neque hanc *æternam* à *temporali*, neque *veniale* denique peccatum à *mortali* uſpiam hic diſtinguit. Tantum ſimul ac ſemel, ac optima quidem fide, *peccatum in Spiritum ſanctum* vel *in hoc*, vel *in futuro ſæculo remitti* negat. Quid tu mihi ſimpliciſſimam ejus orationem multiplici ſenſu ſic laceras, ut ludere potius captata vocum ambiguitate, quam aliquid ſerio docuiſſe videatur? Tum quæ ponit adverſarius, abſurda ſunt omnia. Mitto quod nuper monui, ſtulte dici *remitti* ea peccata, quæ intelliguntur *puniri*. Neque jam exagito, quod ſine ulla vel ratione, vel Scriptura *remiſſionem* pœnæ à *remiſſione* culpæ abjungit. Id unum in præſentia urgeo, quod etiam ſuppoſita hac adverſariorum doctrina, non ideo tamen recte dici poteſt peccatum *mortale* in *purgatorio remitti*; neque ipſi ſane ſic loqui ſolent. Peccati hujus generis pœnam aliquam, nempe *temporalem*, iſtic *expiari*, exſolvi, expungi, vel ſi forte etiam *remitti* (quamquam inepte & improprie) dicunt. Peccatum ipſum non alibi, quam in hac vita *remitti* docent. Neque ullum è Scriptura exemplum proferre poſſunt, in quo peccatum tum *remitti* dicatur cum ejus temporalis tantum pœna, non & ipſa culpa remittitur. Quoties Scripturæ peccatum aliquod *remitti* dicunt, toties intelligunt ejus *culpam remitti*; neque umquam aliter; quia ſcilicet peccatum non *pœna* eſt, ſed *culpa* cum *pœnæ reatu*. Ita cum mulieri peccatrici dixit Chriſtus, *Remittuntur*

de purg. l. 1. c. 4. §. Tertio & §. Quarto.

tur tibi peccata, culpas ipſi haud dubie remitti ſignificavit, non *pœnas* tantum. Sic ne longe abeam, cum hoc ipſo in loco ait, *Omne pecca-*
Luc. 7. 47. *tum*, *& blaſphemia remittetur hominibus*, nemo eſt, qui dubitet non de
Matth. 12. 31. ſolius pœnæ, ſed præcipue de *culpæ* remiſſione eum loqui. Denique nego ullum extare locum, in quo *remitti peccatum* dicatur alio, quam hoc ſenſu. Vnde conſequitur, ſi (quod iſti volunt) Chriſtus hoc loco ponit *peccata* etiam graviſſima *in altero ſæculo remitti*, neceſſario fatendum eſſe etiam graviſſimorum peccatorum culpam iſtic remitti. At nullius peccati paulo gravioris (hoc eſt non *venialis*) culpa in *purgatorio* remittitur. Ergo de ea *remiſſione*, quæ in *purgatorio* fit, Dominus hic non loquitur. Quo & illud accedit, quod etiamſi recte dici poſſet *peccatum remitti*, tum cum ejus pœna ſola remittitur, abſurda eſſet nihiloſecius iſtorum oratio. Cum enim duplex ex eorum hypotheſi peccati *pœna* ſit, *æterna* una, *temporalis* altera, volunt iidem hac oratione, *peccatum grave in futuro ſæculo remittetur* ſignificari, non totam hanc peccati pœnam, id eſt *æternam* & *temporalem*, ſed alteram tantum ejus partem, eamque multo minimam *in futuro ſæculo remiſſum* iri. Atque plane eſt inſolens, & inuſitata loquendi ratio. Verbi gratia, ſiquis ex immenſo ære unum, aut alterum teruncium debitori remiſerit, tune eum idcirco dices *debitum* iſti *remiſiſſe?* Minime vero. Quid ſi Bellarminus legitimo aliquo, & authentico inſtrumento debitori, cui mille talenta, & centum obolos credidit, *debitum ſe remittere* teſtatus ſit; poſteaque hominem in jus agat, illiuſque æris multo maximam partem exigere incipiat, cauſſificans ſe *debitum* quidem *remiſiſſe*, quod ad centum obolos pertinet, non autem quod ad centum talenta; eritne aliquis, qui non Bellarminum putet miſero debitori illuſiſſe? Equidem nullum eſſe reor tribunal, quod eum non ſit fraudis, dolique mali damnaturum; niſi forte cauſſa apud Ieſuitas agatur, quos *æquivocationibus* impenſius gaudere, ac favere fama eſt. Hic autem par omnino eſt ratio. Qui graviore peccato ſe obſtrinxit, is pœnam Deo, velut aliquod æs alienum, debet; cujus pars una æterna eſt, pars altera temporalis; hujus autem ad illam non alia eſt ratio, quam paucorum obolorum ad aliquot talentorum myriadas. Et vult tamen Bellarminus cum gravia *peccata* in *altero ſæculo remitti* dicuntur, eo ſermone intelligi non *æternas*, ſed *temporales* duntaxat eorum pœnas, hoc eſt non *talenta*, ſed *obolos* remitti. Non debuit tam inuſitata locutio Chriſto tribui ſine aliquo Scripturarum exemplo. Atqui nullum attulit adverſarius; neque ſane umquam adferet. Nam in divinis illis litteris nulli peccatum à Domino *remitti* dicitur, niſi cujus ille & culpam, ut paulo

ante

ante monui, & pœnam ſi non totam, certe æternam remittit. Itaque cum Chriſtum hic affirmare velint *peccata aliqua in futuro ſæculo remitti*, omnino neceſſe eſt eos fateri, vel (quod hactenus negarunt) in *purgatorio* etiam culpam ac pœnam *æternam* remitti, vel hunc certe locum nihil ad *purgatorium* pertinere. Poſtremo etiamſi alibi (quod minime concedendum eſt) hujuſmodi locutiones eo ſenſu, (quem Bellarminus obtendit) accipi poſſent, nimirum ut id peccatum *remitti* dicatur, cujus pœna tantum *temporalis*, non autem culpa etiam, & pœna *æterna*, remittitur; tamen clarum eſt iſtam gloſſam in hoc Chriſti dicto locum habere non poſſe. Chriſtus negat *peccatum in Spiritum ſanctum remiſſum iri in futuro ſæculo*. Adverſarius ex his Chriſti verbis neceſſario vult confici *peccata* aliqua, & quidem graviſſima, *in futuro ſæculo remitti*; Chriſtumque adeo cenſendum eſſe, dum illud negavit, hoc pariter affirmaſſe. Iam ſi quæ narrat, vera ſunt, hoc Chriſtus eodem ſenſu affirmavit, quo illud negavit (alioqui propter æquivocationem nulla eſſet unius ex altero conſecutio.) Atqui conſtat Chriſtum, dum illud negat, ſignificare eum, qui *in Spiritum ſanctum blaſphemaverit*, neque culpæ, neque pœnæ, vel *temporalis*, vel *æternæ* remiſſionem *in futuro ſæculo* conſecuturum. Itaque neceſſario confitendum eſt, Chriſtum, dum affirmat (ut adverſarii quidem volunt) *peccata etiam graviora in altero ſæculo remitti*, itidem intelligere eos, qui fuerint ejuſmodi ſcelerum rei, & culpæ, & pœnæ, tum temporalis, tum æternæ remiſſionem *in altero ſæculo* accepturos. Sin autem hoc poſterius ſic intelligant, ut una hujuſmodi peccatoribus temporalis pœna, non autem vel culpa, vel pœna æterna in altero ſæculo condonanda ſit; certe eodem quoque modo accipiendum erit illud Chriſti dictum; ex quo ſecundum hoc manare volunt, nimirum ut ſignificet *in Spiritum ſanctum blaſphemantibus* culpam quidem, ac *æternam* criminis pœnam *in altero ſæculo remiſſum iri*; nequaquam autem *temporalem* (ut loquuntur) pœnam; quod quam ſtultum ſit, & ridiculum, omnes ſatis intelligunt. Iam & ex priore hujus dicti parte ſimiliter liquet, quam ſit abſurda adverſariorum interpretatio. Nam ſi ex hac Chriſti ſententia, *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, recte concluditur cætera peccata, quantumvis gravia, & in hoc & *in futuro ſæculo remitti*, conſequens eſt, ut eodem ſenſu *in futuro remitti* intelligamus, quo in hoc remittuntur. Atqui in hoc & culpa, & pœna utraque, æterna nimirum & temporalis, remittuntur. Ergo & in futuro ſimiliter. At in *purgatorio* neque culpa, neque pœna peccatorum æterna remittitur. Nihil ergo ad *purgatorianam remiſſio-*

miſſionem hæc *remiſſio*, quam Chriſtus intelligit. Denique ſi verum eſt, quod ait Bellarminus ea peccata recte dici *in futuro ſæculo remitti*, quorum ibi neque culpa, neque pœna *æterna*, ſed *temporalis* tantum *remittitur*, fluctuabit tota Domini oratio. Nam quod in hac ejus poſteriori parte ſibi ſumit adverſarius, id alius aliquis in priori uſurpabit, ac dicet, quod ait Chriſtus, *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*; item; *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei*, id, inquam, dicet ita accipiendum eſſe, ut pœnam quidem *temporalem* (& quidem poſtquam ea perſoluta fuerit) *dimitti* ſignificet; cæterum neque culpam, neque æternam pœnam peccatoribus iſtis remitti. Ego quidem, ſi ſtat lepida illa Bellarmini gloſſa, non video cur non & hoc interpretamentum conſiſtere poſſit. Atque ex his perſpicuum eſt hunc locum (quiſquis ſit ejus ſenſus) ad *purgatorium* trahi non poſſe. Neque ipſi ſane adverſarii explicant, qua ratione quæſtionem ex eo concludant. Imo fatetur Bellarminus *non ſequi ſecundum regulas Dialecticorum id quod ipſi inferunt ex verbis Domini*; & poſt Bellarminum ex eadem ſocietate Peltanus ſcribit *concedi poſſe ſuam collectionem non eſſe abſolute, vel ratione formæ neceſſariam*. Quod quid aliud eſt, quam ſe Sophiſtas fateri, qui ex hoc Scripturæ loco extundere id velint, quod neque in eo legi, neque ex eo legitima aliqua ratione confici, vel colligi poſſe ipſi ſentiunt? Nam ſi valeret ea ratiocinatio, quam hic adhibent, iis certe diſſerendi regulis congrueret, quæ ſunt à viris ſapientibus in Dialectica traditæ, quæque nihil aliud re vera ſunt, quam ſanæ mentis, recteque ac legitime ratione ſua utentis hauſta ex ipſis naturæ fontibus κριτήρια? Ac tametſi ſatis eſſe deberet ad eorum ſophiſmata explodenda pudendum hoc, quod iis ipſi perhibent teſtimonium; juvat tamen excutere, quod & quale iſtud ſit, quod cum ipſi ἀσυλλόγιστον eſſe fateantur, non verentur nobis pro demonſtratione obtrudere. Principio igitur ex hoc loco conſtare volunt peccata aliqua *in futuro ſæculo remitti*. Secundo addunt ea peccata, quæ *in futuro ſæculo remittuntur* hujuſmodi eſſe, quæ *in hoc* ſæculo nondum fuerint *remiſſa*. Tertio denique ſupponunt in illo Chriſti dicto *hoc ſæculum* dici id omne tempus, quod hic ſinguli vivimus in terris; futurum vero quod à ſingulorum morte ad beatam reſurrectionem ſupereſt. Nam hoc inprimis ſumere eos oportet, ſi hanc Chriſti ſententiam ad *purgatorium* pertinere velint, quod ipſi ſcilicet nullum poſt reſurrectionem fore docent. Ex his ita conſtitutis concludunt *purgatorium* dari, in quo fidelibus fato functis *remittuntur peccata* vel ob ſuperſtitum ſuffragia, vel ob exſolutas in illa fornace pœnas, ſi quæ eorum reſtabant pœnæ. Iam

Matth. 12. 31. 32.

ub. ſupr. ſ. Reſpondeo.

de Purg. c. 6. p. 270.

Iam ſingula expendamus. Ac primo quidem illud, quod initio ponunt, nego ex hoc loco legitime colligi; nimirum peccata aliqua *in futuro* illo, quodcumque ſit *ſæculo remitti*. Chriſtus negat *blaſphemiam in Spiritum ſanctum* vel in hoc, vel *in futuro ſæculo remitti*. Tu inde concludis aliqua ergo *peccata* iſtic *remitti*. Qua ratione? Merito negavit Martyr id ſequi; Neque enim ex negatione legitime concludi affirmationem. *Sicut* (inquit) *non bene ſequitur, Rex Philippus non eſt rex Venetorum*; Ergo *aliquis alius eſt Venetorum rex*. Neque item ex eo, quod adulterii culpa in purgatorio non remittitur, conſequens eſt, ut in eo homicidii, aut alterius peccati mortalis culpa remittatur. Sed pugnat tamen Bellarminus *id ſecundum prudentiæ regulam ſequi; quia* (inquit) *alioqui faceremus Dominum ineptiſſime locutum*. Bona verba; Ne quæſo homunciones tam propere optimo, ſapientiſſimoque Domino ineptiæ, & quidem ſummæ dicam ſcribamus, niſi eo ſenſu, quem imaginamur, locutus fuerit. *At* (inquit adverſarius) *inepte diceret, Hoc peccatum non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſi in futuro nullum remittitur*. Poſco dicti tam temerarii rationem. Nullam affert Bellarminus. Tantum adducit exemplum à ſe confictum, de quo mox videbimus. Peltanus vero rogat, *cur Chriſtus diſtinctam utriuſque ſæculi mentionem fecerit?* Significat nimirum nullam fuiſſe rationem cur negaret peccatum in Spiritum ſanctum *in futuro ſæculo remitti*, niſi ſupponatur aliqua in illo ſæculo *peccata remitti*; itaque ſine ratione, adeoque inepte locutum, niſi hoc verum ſit. Ego vero reſpondeo, etiamſi ſupponatur nulla omnino peccata *in futuro ſæculo remitti*, non ideo tamen nefas fuiſſe de hac *in Spiritum ſanctum blaſphemia* peculiariter, ac proprie monere, quod ea neque *in hoc*, neque *in futuro ſæculo remittetur*. Nam quod verum eſt, id dicere nulla ſane invidia eſt; niſi forte Ieſuitæ verum dicere inepti hominis eſſe putent. Quod nullum *peccatum in futuro ſæculo remittetur*, non eo ſane fit, ut *blaſphemiam in Spiritum ſanctum* numquam *in futuro ſæculo remiſſum iri*, verum non ſit. Si ea lex obtinet, ineptus erit quiſquis de ſpecie negabit, quod ne de genere quidem affirmari poteſt. Ita ſi dixero *Ieſuitas Genevæ nullos habitare*, jurabit Peltanus me ineptire, quia ne alii quidem monachi Genevæ habitant. Eſt enim plane ad hanc formam excuſſum, quod homo ſuo judicio acutus, nobis hic objicit exemplum; *Anabaptiſtæ* (inquit) *neque Auguſtæ, neque in ulla alia civitate imperiali impune vivere ſinuntur*; *Ergo cæteri, qui hoc veneno imbuti non ſunt, & Auguſtæ, & alibi quoque ætatem agere non prohibentur*. Quos tu *cæteros* mihi narras, Peltane? Si eos, quos vos appellatis *Catholicos Romanos*, ineptus es. Quis enim hos iſtis civitatibus

p. 271. (margin, beside "mox videbimus")

p. 278. (margin, beside "neque in ulla alia civitate")

bus ideo ejici, aut arceri putaverit, quod in iis Anabaptiſtæ non ferun-tur, à quorum cauſſa omnino iſti ſunt alieni; quippe qui idem cum ſummo Germaniæ magiſtratu de religione ſentiunt, à quo quædam in hoc genere diverſitas Anabaptiſtas imperialibus videlicet civitatibus excludit? Sin eos intelligis, qui Anabaptiſticis quidem deliriis non laborant, ſed aliud tamen de fide Chriſtiana ſentiunt, quam Imperator; ſummus in Germania Princeps, quos communi omnes cum Anabaptiſtis nomine *ſectarios & hæreticos* tu, tuique gregales vocare ſoletis; ſi hæc eſt mens tua, ùt eſſe debet; muta, quæſo, materiam, & pro *Auguſta Madritum*; pro *Germania Hiſpaniam* mihi ſcribe, atque ita ratiocinare; Anabaptiſtæ neque Madriti, neque in ulla alia Hiſpaniæ civitate impune vivere ſinuntur; *Ergo Lutherani, & Calviniſtæ, & cæteri ſectarii* (vos enim nunc quidem loquentes facio) *Madriti, & alibi in Hiſpania ætatem agere non prohibentur.* Videſ-ne, quam bonus ſis Dialecticus, Peltane? Ego vero non nego æque probam eſſe, quam tu ſtruis ex his Domini verbis concluſionem; *Blaſphemia in Spiritum ſanctum non remittetur in futuro ſæculo; Ergo cætera peccata, quæ alia ſunt ab hac blaſphemia, in futuro ſæculo remittentur.* Sed quærit tamen Peltanus, cur Chriſtus *futuri ſæculi* mentionem diſerte in hoc ſermone fecerit, ſi nullum in eo *peccatum remittitur?* Reſpondeo feciſſe exaggerandæ orationis gratia, ut omnem plane ſpem veniæ iis eriperet, qui in hoc genere peccant. Hanc enim eſſe Chriſti mentem liquet, cum ex altero antitheſeos membro, in quo ſimpliciter ait, *ei remiſſum iri quicumque dixerit verbum contra Filium hominis*; & ex verſu præcedenti, in quo totam antitheſin ſic enunciat; *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur.* Marcus vero Chriſti ſenſum ſimpliciter, ſine alterius ſæculi mentione ſic expreſſit; *Qui blaſphemaverit in Spiritum ſanctum non habebit remiſſionem in æternum.* Itaque *neque in hoc ſæculo, neque in futuro remitti*, teſte, ac interprete Marco, eſt *in æternum non remitti.* Vnum eſt inter eas locutiones diſcrimen, quod tempus, altera quidem in unam *æternitatem* contrahit, altera vero fuſius per partes ſuas explicavit, quæ omnino duæ ſunt, præſens, & *futurum ſæculum.* Iam in hujuſmodi exaggerationibus ea interdum adhiberi notum eſt, quæ alioqui numquam futura ſunt; per tacitam quamdam hypotheſin, ut ſignificetur etiamſi ea futura eſſent, non ideo tamen aut verum fore, quod negamus, aut falſum quod affirmamus. Exemplis res fiet illuſtrior. Paulus, ut demonſtret, quam ſit immutabilis Dei in nos caritas, ait *neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura nos ab ea ſeparare poſſe.* Tune in-

Marc. 3.29.

Rom. 8.38.39.

ne inde concludes aliquando accidere, ut Angeli divinam in nos dilectionem oppugnent? Abſit. Sed tantam eſſe ſignificat divini in nos amoris vim, atque conſtantiam, ut ſi (quod neque fit, neque fiet umquam) Angeli ipſi ad eum labefactandum conferrent operas, nihil tamen effecturi ſint. Alibi idem ita loquitur; *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Gal. 1. 8. Atqui ſatis conſtat, numquam futurum, ut *Angelus de cœlo* Pauli prædicationem adulteret. An ergo Paulus inepte locutus eſt? Minime vero. Sed ut demonſtraret, quam ſacroſancta ſit Euangelii ſui veritas, ea poſuit, quæ numquam quidem fient, ſi tamen fierent maximum ad id evertendum momentum habitura viderentur. Non abſimili hyperbole inanem Idumææ gentis ſpem dejicit Abdias, dum ait, *Si inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Abd. 4. Certe metuendum non erat, ne Idumæi in cœlum evolarent. Et hoc ipſum tamen poſuit Propheta, non inepte, ut in ſimili argumento cavillantur adverſarii, ſed ſapientiſſime, & elegantiſſime; quo nullam plane iis arcem, nullum aſylum, aut munimentum adverſus Dei flagella ſatis tutum fore ſignificaret. Ita hic Dominus, quo penitus adimeret omnem ſalutis ſpem *in Spiritum ſanctum blaſphemantibus*, non ſatis habuit negare ullam iis tanti criminis veniam in hoc ſæculo fore, in quo hominibus *peccata dimittuntur*; Negavit inſuper *in futuro* dimiſſum iri; ac ſi diceret, *Si tanta eſſet Dei in peccatores indulgentia, ut iis etiam in futuro ſæculo ſinum benignitatis aperiret, ne ſic quidem evaſuros, aut veniam conſecuturos, qui tanto ſcelere ſe obſtrinxiſſent.* Equidem non video, cur inepta cenſeri debeat hujuſmodi oratio. Atqui hinc liquet, quam alienum ſit objectum à Bellarmino exemplum. *Inepte* (inquit) *loqueretur, qui diceret, Rex Philippus non abſolvet te, neque in aula Hiſpaniæ, neque in aula Franciæ.* Fateor; quia cum in Franciam nihil Philippus juris habeat, ne ſi velit quidem quemquam in Franciæ aula abſolvere poterit. Dei alia ratio eſt; qui cum utriuſque ſæculi ſummus ſit Dominus, poſſet ſi liberet, etiam *in futuro peccata remittere*; quo fit, ut id non inepte ſupponi poſſit. Atque hæc Chriſti exaggeratio eo minus inepta cenſenda eſt, quod non defuerunt, qui per ſummum mentis errorem tale aliquid ſibi fingerent; ut olim Origenes, qui omnia, etiam graviſſima, peccata *in futuro ſæculo* tandem aliquando expiatum, ac *remiſſum* iri docebat; quod ejus impium, ac pernicioſum dogma his Chriſti verbis ſic evertitur, ut nuſquam fere alibi clarius. Obſervarunt interpretes. Ne quis ergo eorum, qui *in Spiritum ſanctum blaſphemi* ſunt, ſimili delirio ſe jactaret, Dominus exſerte ne *in futuro quidem ſæculo* ullam ſceleris veniam talibus ſupereſſe

pereſſe pronunciavit. Iam quod ſecundo loco addunt adverſarii hæc, quæ *in futuro ſæculo remitti* volunt *peccata*, hujuſmodi eſſe quæ non fuerint *in hoc remiſſa*, multo etiam eſt abſurdius? Ipſi ſane (quantum obſervare potui) nihil afferunt, quo id ex allatis Chriſti verbis conſequi oſtendant. Satis habent rem ſuæ diſputationi neceſſariam audacter ſupponere; lectorum, credo, ſtupori, atque inertiæ confiſi. Eſto enim. Demus, quod primo loco poſtulabant, aliqua *in futuro ſæculo peccata remitti*. Quo jure tu inde concludes, ea quæ tum *remittentur*, hic non fuiſſe eadem *remiſſa*? Ego vero contra affirmo nullum vel hic remitti, quod non & illic remittendum ſit; nullum illic remiſſum iri, quod non & hic remiſſum ſit. Eſt enim utrobiq; Deus judex; optimus idem, & ſapientiſſimus, quem nihil vel latere, vel turbare poteſt. Fingamus duo eſſe in aliqua republica tribunalia, ita inter ſe apta, & ordinata, ut unius judicia non ante executioni plane & penitus mandentur, quam ab altero ſolenni quodam jure cognita, ac confirmata fuerint; eam vero judicum in utroque tribunali ſapientiam, ut numquam à recto deflectant, numquam inter ſe pugnent, numquam quod ab uno fixum eſt, ab altero refigatur. Clarum eſt reos & in priori, & in poſteriori & abſolvi, & damnari. Quid ergo? Si de hujuſmodi republica dixero, *Qui in Principis majeſtatem commiſerit, ei neque in inferiori, neque in ſuperiori tribunali dimittetur*; tibi-ne ex eo licebit inferre, quædam in ſuperiore dimitti, quæ in inferiori non fuerint dimiſſa? Minime. Poſuimus enim quod ab uno damnatum eſt crimen, id nunquam ab altero dimitti; & contra. Atqui eadem omnino ratio eſt utriuſque illius judicii, quod tum in hoc, tum *in futuro ſæculo* à Deo de peccatoribus ferri volunt adverſarii. Ergo ex eo quod Chriſtus docet, *neque in hoc, neque in futuro ſæculo dimitti blaſphemiam in Spiritum ſanctum*, fruſtra colligunt quæ *in futuro dimittuntur peccata*, ea in hoc dimiſſa non fuiſſe. Sed (inquit) *ſi ita res habet, cum ſatis eſſet negare in alterutro hoc peccatum dimitti; cur Chriſtus utriuſque ſeorſim meminit?* Reſpondeo, ut ſupra, id à Domino factum exaggerandæ orationis gratia, ob eas rationes, quæ ſunt à nobis nuper commemoratæ. Venio ad id quod tertio loco ponebant adverſarii; nempe *futuri ſæculi* nomine id tempus ſignificari, quod à cujuſque morte ad beatam reſurrectionem ſequitur; quod cum neque ulla ratione, neque ulla Scripturæ auctoritate faciant, tam facile rejicitur, quam proponitur. Palam eſt *futurum ſæculum* עולם הבא Judæis dictum fuiſſe fœliciſſimum illud, quod exſpectabant, Eccleſiæ ſub Meſſia venturo tempus; ejuſque Eccleſiæ cum duplex ſit ſtatus, prior in terris, alter in cœlis poſt reſurrectionem, utrumque eo nomine, & in com-

communi gentis illius ſermone, & in hoc Chriſti dicto intelligi poſſe. Conſtat enim cum hæc Dominus loqueretur, nondum priorem illum Eccleſiæ ſub Meſſia ſtatum obtinuiſſe. Inſtabat quidem ille; quippe qui paulo poſt, Domino in cœlos ſubvecto, ipſo Pentecoſtes die conſtitui cœptus eſt; nondum tamen advenerat. Vnde eſt, quod Chriſtus *regnum cœlorum* (quod cum futuro ſæculo idem eſt) *appropinquare* & ipſe prædicavit, & Apoſtolos, cum in terris adhuc eſſet, prædicare juſſit. Itaque ut nullam veniæ ſpem *in Spiritum ſanctum peccantibus* ſupereſſe oſtendat, denunciat non modo in eo, quo hæc dicebat *ſæculo*, (id eſt ſub lege) non *remitti*, ſed *neque in futuro remiſſum iri*; nempe ſub Meſſia; in quo majorem & uberiorem futuram gratiæ, atque indulgentiæ copiam, & Iudæi credebant, & verum erat. Iam ſi admittitur hic ſenſus (admitti autem eum nihil videtur prohibere) actum eſt de *purgatorio*. Ita enim omnis illa *peccati*, de quo hic Chriſtus loquitur, *remiſſio* ad præſentem in terris vitam pertinebit; non autem ad illud tempus, quod mortem conſequitur, quo ſingulorum peccata ſive remitti, ſive expiari in *purgatorio* fabulantur. Quod ſi non placet hæc interpretatio, illud quidem certum eſt *futurum ſæculum* αἰῶνα τὸν μέλλοντα omnino referendum eſſe ad eum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum, qui poſt reſurrectionem futurus eſt. Neque enim hanc phraſin alio ſenſu in novo Teſtamento uſurpatam reperire eſt. Sic intellexit Paulus, cum *virtutes* μέλλοντος αἰῶνος memorat in epiſtola ad Hebræos, id eſt, eas quæ *ad regnum cœlorum* pertinent. Sic Chriſtus, ubi fidelibus aliquid ejus nomine perpeſſis *vitam æternam in futuro ſæculo* ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ apud Marcum, & Lucam pollicetur. Ac nequid dubii ſupereſſet, clariſſime definit, & hoc *præſens ſæculum* non ante reſurrectionem deſiturum, & *futurum* non ante eam inchoatum iri. Nam *hujus* quidem *ſæculi conſummationem* tum futuram apud Matthæum docet, *cum filius hominis Angelos mittet ad colligenda omnia ſcandala*; quæ ultimi judicii deſcriptio eſt. *Futurum* vero *ſæculum* à reſurrectione orditur apud Lucam, cum in eo neque nuptiis, neque morti ullum amplius locum futurum ait, diſerteque eo tempore, quod reſurrectionem ſecuturum eſt, circumſcribit. Ex quibus conſtat, hanc, quam Chriſtus memorat, peccatorum *in futuro ſæculo* remiſſionem ad *purgatorium* pertinere nequaquam poſſe. *Purgatorium* enim ante reſurrectionem deſiturum ajunt; eoque non *futuri*, ſed *præſentis* ſæculi eſſe. Nam cum *præſens ſæculum* non ante ultimum diem conſummatum iri Chriſtus doceat, apparet quicquid toto eo tempore fiet, quod illam diem præceſſurum eſt, id ad præſens ſæculum pertinere; neque ad futurum proprie referri, niſi

Math. 4. 17. Marc. 1. 15. Luc. 10. 9.

Hebr. 6. 5.

Marc. 10. 30. Luc. 18. 30.

Math. 13. 39. 40. 41.

Luc. 20. 34. 35. 36.

quæ aut illa die, aut póſt illam contingent. Sed quærit Bellarminus, *quinam erunt illi, quibus hic non eſt remiſſum, & in judicio remittetur.* Inepte. Quaſi vero probaverit alia quædam in illo judicio *peccata remiſſum* iri, quam eadem illa, quæ *in hoc ſæculo remittuntur.* Atqui id demonſtrare ne tentavit quidem; & nos paulo ante oſtendimus nulla ratione hinc confici poſſe. Iam in beatiſſimi illius ſæculi primordiis peccata fidelibus *remiſſum* iri apertiſſime docet Petrus in Actis, quo loco Iudæos jubet *pœnitere*, & *converti*, *ut* (inquit) *deleantur peccata veſtra* ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τ̃ Κυρίου, *poſtquam venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini.* Idem docet Paulus, dum pro Oneſiphoro precatur, *ut det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die*, hoc eſt (ut omnes conſentiunt) in die judicii. *Miſericordiam* enim *invenire à Domino*, nihil aliud eſt, quam peccatorum ab eo remiſſionem conſequi. Ipſum judicii nomen idem clariſſime confirmat. Quorſum enim ita dicitur, niſi quod Dominus alios quidem damnaturus eſt, alios vero abſoluturus? Fateor fidelibus etiam in hac vita peccata remitti; idque univerſæ Scripturæ paſſim prædicant. Sed non eo fit, ut non illa etiam die peccata ipſis remittenda ſint. Habent etiam iidem in hoc ſæculo *filiorum adoptionem.* Et tamen eam Paulus ait nos *exſpectare, donec corporum redemptionem conſequamur.* Peccata nobis Dominus utrobique *remittit*, & nunc, & ultima illa die; Nunc quidem privatim apud cujuſque conſcientiam; Tunc vero publice in auguſtiſſimo cœli, terræque conſeſſu. Nunc dat primitias; Tunc plenitudinem dabit. Nunc peccatum ſic remittit, ut illius remiſſionis fructus nondum appareat; Tunc vero remiſſionem una cum omnibus ejus fructibus gloria, luce, immortalitate adipiſcemur. Ex his clarum eſt, quid Chriſtus velit, cum negat *Spiritum ſanctum blaſphemantibus* vel *in hoc*, vel *in futuro ſæculo remiſſum* iri; hoc eſt neque nunc in terris, neque olim ultimi judicii die, magnis illis (ut ſic dicam) futuri ſæculi Calendis; quæ nemo non videt, quam nihil ad *purgatorium* adverſariorum pertineant. Sed neque illud poſtremo diſſimulare poſſum, quod eſt à viris doctiſſimis obſervatum, in hac Chriſti oratione μείωσιν quamdam eſſe, ut plus intelligat, quam dicat. Nimirum dum blaſphemis iſtis negat vel *in hoc*, vel *in futuro ſæculo remiſſum* iri, ſignificat eos in utroque ſæculo graves ſceleris pœnas daturos. Sic in lege cum negat Deus *ſe eum inſontem habiturum, qui nomen ſuum aſſumpſerit fruſtra*, ſignificat ſe tantum ſcelus inultum, & impunitum ſinere non poſſe; certiſſimas adeo pœnas ab eo repoſciturum, quicumque nominis ſui majeſtatem violaverit; quod multo gravius eſt, quam quod ipſa verba

ub. ſupr. l. Sexto.

Act. 3. 19 20.

2. Tim. 1. 18.

Rom. 8. 23.

Exod. 20. 7.

præ ſe ferunt. Sic apud Iſaiam, quam populi iniquitatem ſignificare vult certiſſime punitum iri, eam jurat *minime dimiſſum iri*, id eſt (ut Is.22.14.
Sanctius ἀπαρφορίζεται) *impunitam non fore.* Sic etiam loquitur David, cum Salomoni de Semei ita præcipit; *Tu noli pati eum eſſe innoxium.* 1. (Lat.3.) Reg. 2.9.
His enim verbis eum puniri jubet. Sane ſi verum amamus, *remittere peccatum* eſt peccatum cujus puniendi jus habes, id non punire; contra *non remittere*, punire eſt. Atque hæc mihi ſimpliciſſima, optimaque videtur hujus loci interpretatio; cum nullum ſit aliud peccatum tantum, quod non hominibus ab optimo, atque indulgentiſſimo Deo condonetur, hanc in Spiritum ſanctum blaſphemiam tam tætram, tamque exitiabilem apud Deum haberi, ut ſiquis eo ſe crimine obſtrinxerit, ultricem ejus manum & *hic*, & *in futuro ſæculo* ſit experturus. Nimirum ut alias pœnas taceam, in quas juſtiſſimo Dei judicio etiam hic viventes plærumque incidunt hujus generis peccatores, illam certe numquam effugiunt, quam Paulus divinæ veritatis contemptoribus minatur, longe omnium, quæ miſeris mortalibus in hoc ſæculo infliguntur, graviſſimam, cum ait *Deum illis miſſurum operationem erroris, ut credant mendacio.* 2.Theſſ.2.10.
Illam enim *veritatis caritatem* (ob quam non receptam Paulus hanc hominibus pœnam paratam eſſe ait.) nulli fœdius, aut nequius aſpernantur, quam qui *in Spiritum ſanctum blaſphemant*; quos omnes conſentiunt ſingulari quadam protervia cœleſtem Spiritus lucem contemnere, atque oppugnare. De pœnis, quæ iſtos præ aliis peccatoribus *in futuro ſæculo* manent, nihil opus eſt monere; quas omnes *æternas* fore confitentur. Hunc autem locum ex ipſis etiam adverſariis nonnemo ſic accepit. Claudius enim Guillaudus in hæc Domini verba ita commentatur; *neque in hoc ſæculo, neque in futuro, id eſt numquam remittetur; ſed pro illo peccato & in hoc ſæculo, & in futuro impii punientur, ut ait Chryſoſtomus.* Quæ ſi recta ſunt, apparet inepte, & perperam facere, tum alios adverſarios, tum ipſum etiam Guillaudum, qui ex hoc loco *purgatorium* ſuum concludunt, cujus pœnæ nihil cum iſtis impiorum in utroque ſæculo ſuppliciis, vel ex ipſa adverſariorum ſententia, commune habent.

CAPUT XIV.

Solvitur quartus locus ex Luc.16.9. de amicis nos in æterna tabernacula recipientibus. & locus quintus ex Luc.23.42. memento mei, cum veneris in regnum tuum.

AD Lucam ergo tranſeo, ex cujus capite decimo ſexto deſcribit adverſarius parabolæ cujuſdam concluſionem his verbis à Domino expreſſam: *Et ego vobis dico; Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Sed
Luc.16.9. difficile eſt videre, quomodo *purgatorium* ex hac Chriſti oratione con-
de purg. l.1.c.8. ſ. Sextus. ſtitui poſſit. Per *deficere* Bellarminus vult intelligi *mori*; per *amicos* vero *ſanctos*, qui cum Chriſto regnant; unde porro conficit homines poſt mortem juvari precibus Sanctorum. Ego vero fateor, me nondum percipere, quis ſit hujus argumentationis nexus. Eleemoſynam hoc loco à Domino commendari conſtat. Ergo ex Bellarmino hic erit ſenſus; *Date operam, quibus hæc copia ſuppetit, ut effuſa in pauperes benignitate, Sanctorum, qui in cœlo ſunt, amorem vobis & benevolentiam concilietis, qui vos olim mortuos in æterna illa tabernacula recipiant, in quibus ipſi jam degunt.* Nihil hic de cœlitum precibus pro vivis, vel mortuis; nihil de *purgatorio.* Non aliud iis tribuitur, niſi quod eos, quibus *amici* ſunt, *in cœlum recipiant*, id eſt (ut ego quidem interpretandum puto) læti admittant. Quamquam ſi eorum apud Deum pro morientibus preces intelligi conceſſero, ne ſic quidem promovebitur *purgatorii* cauſſa. Dicam enim *Sanctos* cœli aditum ſuis apud Deum precibus amicis moliri; quas & quamdiu ii vivunt, & in ipſo quo moriuntur, tempore, communi Domino deſerunt. Clara ſunt verba ut *cum defeceritis, recipiant vos* ὅταν ἐκλίπητε δέξωνται ὑμᾶς. *Deficere* (judice Bellarmino) eſt *mori.* Ergo *cum mortui fuerint, recipiuntur*; adeoque eorum obitum receptus in cœlum ſtatim excipit, nulla inter utrumque interpoſita *purgatorii* mora. Hoc enim ſignificat illa locutio ὅταν ἐκλίπητε δέξονται ὑμᾶς, id eſt, ἐκλιπόντας *defectos* (ut ſic dicam) *recipient*; è terra diſcedentes in cœlum admittent. Deficere eſt *mori.* Mori autem eſt, non ex *purgatorio*, ſed ex hac terra diſcedere. At ſi non ante iſti cœlo *recipiuntur*, quam ubi diu in purgatorio uſtulati fuerint; *deficere* non hic eſſet *mori* (quod vult adverſarius) ſed è purgatorio exire. Nam ea verba *cum defeceritis recipient vos*, ſic interpretari, ut ſignificent, *cum mortui fueritis, & bene in ſubterranea fornace excocti ac purgati per aliquot ſi forte ſæcula, tum demum vos centum, aut ducentis à morte annis cœlo recipient*; ſi non eſt ineptum,

ceptum, & ridiculum, certe non eſt neceſſarium. neque ſumi ab adverſario debet, antequam locutionem tam inſolentem & ratione, & exemplis firmaverit; quod non modo non fecit, ſed ne tentavit quidem. Huc & illud accedit, quod eadem licentia, quos Chriſtus jubet *amicos facere*, iſte vult *ſanctos* eſſe in cœlis degentes. Atqui nihil neceſſe eſt. Quid enim vetat *Chriſtum* ipſum intelligere, & *Spiritum ſanctum*, quorum non minus quam ſanctorum amor, atque benevolentia pia benignitate conciliatur, quique proprie jus habent nos *in æterna* illa *tabernacula recipiendi?* Mitto, quod fortaſſe non inepte obſervari poſſet, nihil nos cogere ut *amicis* illud tribuendum fateamur, quicquid eſt quod *recipiendi* vocabulo ſignificatur. Notum enim eſt illa pluralia tertię perſonæ verba ſæpe apud ſcriptores ſacros pro imperſonalibus uſurpari; *ut recipiant vos*, id eſt *ut recipiamini*. Sic ſupra apud hunc ipſum Lu- Luc. 12. 20.
cam, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*; id eſt *anima tua à te repetitur*. Qualia etiam illa ſunt, quæ apud eundem occurrunt, *menſuram bo-* & 6. 38. 44.
nam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Non de ſpinis colligunt fi- & 12. 48. & 14. 36.
cus, neque de rubo vindemiant uvam. Cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. ἔξω βάλλουσιν αὐτὸ; quod ultimum Latinus ipſe imperſonaliter reddidit, *foras mittetur*. Atque hactenus ſic egi, quaſi Bellarminianum interpretamentum admitterem. Atqui id explodi potius, quam admitti decet; quippe quod Dominicæ parabolæ compagem, ac nexum manifeſte luxat. Nam in priori ejus parte, quos villicus *amicos* fecit ii ipſi ſunt, quibus opes domini ſui erogavit, ut eos tanto beneficio obſtrictos faventes, ac benevolos experiretur. Itaque in altera parabolæ parte, quos Dominus nos jubet *facere amicos*, ii ſunt, non cœlites (quibus ab hac vita longe ſemotis, adhæc in ſumma bonorum omnium abundantia nihil tenuitate hac noſtra indigentibus, benefacere noſtræ opis non eſt) ſed ipſi illi pauperes, quibus commiſſa nobis à Domino bona mature dum licet, largimur, atque ita nobis eorum favorem, & benevolentiam comparamus, ut ablata per mortem ea villicatione, qua hic in terris fungimur, *in æterna tabernacula recipiamur*. Ioannes Hofmeiſterus; *Senſus eſt* (inquit) *ut divitias noſtras*, &c. *impartiamur egenis, ut hi ſcilicet noſtra humanitate provocati nobis apud Deum ſuis ipſorum precibus patrocinentur. Hoc enim nobis pollicentur mendici, ſi quando ſublevamus ipſorum inopiam.* Maldonatus; *Pauperes eſſe amicos, qui nos in æterna tabernacula recepturi ſunt, manifeſtum eſt; & omnes auctores inter ſe conſentiunt. Ambroſium unum excipio, cujus eſt ſingularis ſententia ſanctos eſſe Angelos, meritoque ab omnibus repudiata.* Neque obſtat, quod pauperes, quibus benigne fecimus, cum non ſint æternæ

illius domus domini, imo cum fortaſſe nobis mortuis, ipſi vel ſuperſtites in terra manſerint, vel etiam in gehennam deſcenderint, non videntur commode dici poſſe nos *in* illa *cæleſtia tabernacula recipere.* Nam nulla erit difficultas, ſi verbum *recipient* imperſonaliter ea ratione ſumamus, quam nuper explicavi. Tum (ut optime monet Ianſenius) *dicuntur illi recepturi ſuos benefactores, quia propter illos Chriſtus eorum benefactores recepturus eſt, qui imputat ſibi factum, quod illis impenditur.* Sic etiam Maldonatus; *Recipient nos* (inquit) *quia propter illos recipiemur.* Salmero fuſius; *Quamquam ſolius Dei ſit diſtribuere regnum, & cæleſtes manſiones, tamen & illud diſtribuere poſſe dicuntur pauperes, quia cum potiſſimum eleemoſynæ propter Chriſtum conferantur, ſive Iudæis, ſive Gentilibus, ſive fidelibus, illud dicuntur facere, quod Chriſtus maxime facit.* Vnde liquet, quam vana ſit Bellarmini objectio, inde petita, quod quæ malis hominibus datur eleemoſyna, ea *amicos* non *facit*, qui nos poſſint *recipere in æterna tabernacula.* Nihil enim (quod quidem ad hanc cauſſam pertinet) intereſt, quales ii ſint, quibus nos *eleemoſynas* largimur. Modo in iis largiendis recte, ac Chriſtiane nos geſſerimus, id ſatis eſt ad hoc, ut *cælo* olim à miſericorde Domino *recipiamur.* quò fit, ut qualeſcumque ſint, quibus benigne fecimus, ii non inepte dici poſſint nos eo *recipere*, quo propter præſtitam ipſis benignitatem, adeoque aliquo modo propter ipſos *recipiemur.* Nam, ut eſt à nobis in ſuperioribus jam obſervatum, non eſt inuſitatum, ut id *feciſſe* quis dicatur, quod tametſi ipſe proprie minime *fecerit*, ejus tamen cauſſa vel occaſione *factum* eſt. Cujus locutionis præter ea, quæ ante annotavimus, extat illuſtre in Geneſi exemplum, quo loco ait Iſaacus *ſe Iacobum Eſaui dominum conſtituiſſe, omneſque fratres ſervituti illius ſubjugaſſe; ſe eum frumento, & vino ſtabiliviſſe*; cum tamen iſtorum nihil (ſi
Gen. 27. 37.
proprie loqui velimus) effeciſſet; ſed ea tamen ſe *effeciſſe* vere dicit, quia voto, & benedictione ſua, ut iſta fierent, impetraverat. Similiter hoc loco dicuntur ii, quibus benefecimus, *nos in æterna tabernacula recepturi*, non quod ipſi ſua auctoritate, atque potentia cœlum nobis patefacturi, noſque manu, ut ſic dicam, prehenſos illuc vel deducturi, vel excepturi ſint; ſed quod eorum amor, preceſque, ac vota, & noſtra, quibus eorum benevolentiam promeriti ſumus, beneficia eam apud Chriſtum vim habitura ſint, ut nos in cœleſte ejus regnum *recipiamur.* Quod denique ait Bellarminus, villicum illum, cui nos à Domino comparamur, opem *amicorum imploraſſe*, id neque eſt in parabola commemoratum, neque ſi eſſet, nos cogeret negare pauperes eos *amicos* eſſe, quos hic nobis facere jubemur. Nam dum pauperibus æternæ

æternæ mercedis ſpe benefacimus, eorum quodammodo opem, atque operam, ſi non imploramus, certe adhibemus eo, ut cœleſtis regni compotes aliquando fiamus. Sed hæc quidem ſatis ſunt; præſertim cum pauci ex adverſariis hunc locum ad *purgatorium* probandum attulerint; plærique & quidem nobiliſſimi, eum ſic interpretati ſint, ut illam cauſſam nihil juvet, Barradius, Salmero, * Maldonatus, Emanuel Sa, Stapletonus. † Cajetanus, Thomas, Carthuſianus, alii. Equidem Bellarminum miror illorum ineptias, & vitilitigationem, quam horum candorem, atque gravitatem ſequi maluiſſe. Certe paulo ſe honeſtius mox gerit, cum divitem illum epulonem, de quo Lucas in hoc eodem capite, ab hac cauſſa ſummovet, hominemque in gehenna, non in *purgatorio* fuiſſe confitetur; & noſtrum Martyrem, qui hoc exemplum, tamquam ab adverſariis pro purgatorio objectum refellit, *in ventum pugnare* ait. * *T.7.tract.19.* † *Antid. in loc.*

Sed non eſt tamen firmius, quod ipſe ex Luca attulit; *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Latronis hæc vox eſt Chriſto patienti ſalutem ſuam de cruce commendantis. *Numquam* (inquit Bellarminus) *hoc diceret bonus ille vir, à Spiritu ſancto edoctus, niſi crederet poſt hanc vitam poſſe remitti peccata, & auxilio animas indigere, & juvari poſſe.* Chriſti auxilio animas è corpore abeuntes indigere, ab eo juvari, &, quod multo majus eſt, ſervari nemo negat; & niſi hoc credidiſſet fœlix ille latro, fateor, Chriſto numquam ſic ſupplicaſſet. *Peccata poſt hanc vitam remitti*, vel, ut melius & apertius adverſarii ſenſum eloquar, *igne* neſcio quo ſub terra *expiari*, plane aliud eſt; neque id ex his hujus viri verbis ulla ratione colligi poteſt. Quid? Nonne nos, qui *purgatorii* fabulam ridemus, Chriſtum, ut *noſtri meminerit*, rogamus? At iſte (inquit) *non petit ſtatim ſalvari, ſimul atque animam efflaverit.* Quid ni? Illum quidem veriſimile eſt putaſſe ſibi mortuo non totam ſtatim ſalutem plene, ac perfecte repræſentatum iri, quam ſciebat ſanctis nonniſi poſt futuram olim reſurrectionem datum iri. Itaque hæc ejus verba ſic accipi poſſunt, ut Dominum roget ſui olim *meminerit*, atque miſereatur, cum in ſumma gloria mundum judicaturus adveniet; quo modo Paulus pro Oneſiphoro precatur, ut *det ei Deus miſericordiam à Domino invenire in die illa.* Quod vero animam interea non promiſſa quiete frui, ſed *purgatorii* flammis cruciari optaverit, non veriſimile, ſed ineptum & abſurdum eſt. Neque omnino ex his verbis patet, quæ ejus fuerit ſententia de animarum corpore ſolutarum ſtatu; an eas ſtatim à diſceſſu cœlo recipi, an in aliis locis ad reſurrectionem detineri putaverit. Non enim ſi non ſtatim cœlo recipi exiſtimavit, *Luc. 23.42.* *ub. ſupr. 5. Septimus.* *2 Tim. 1.18.*

eo fit,

eo fit, ut in *purgatorio* uſtulari crediderit. Ipſi adverſarii etiam fœlices patrum animas in *limbo* extra cœlum fuiſſe ſine ullo cruciatu volunt. Siquid vero hujuſmodi latro ille in animo habuit, certum eſt eo errore ſtatim à Domino liberatum fuiſſe ſuaviſſima illa promiſſione, qua ejus precationem excepit, *Amen dico tibi; hodie mecum eris in paradiſo.* *Luc. 23. 43.*

CAPUT XV.

Solvitur ſextus locus ex Act. 2.24. de ſolutis inferni doloribus.

EX Apoſtolorum Actis, quod alterum eſt Lucæ volumen, locum Bellarminus objicit, in quo Petrus de Chriſto loquens, *quem* (inquit) *Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri eum ab eo.* *Act. 2. 24.* Vt hinc, velut è ſilice, *purgatorii* ſui flammam extundat, ait ſenſum eſſe, Chriſtum, cum *deſcendit ad inferos*, multos liberaſſe à cruciatibus inferni; *Bell. l. 1. de purg. c. 8. s. Octavus.* quod cum non poſſit accipi de damnatis, neceſſario videri accipiendum de iis, qui purgabantur; idque ex eo probat, quod hæc Apoſtoli verba intelligi nequeant vel de ipſius Chriſti *doloribus*, qui in cruce finiti ſunt, vel de Patrum *doloribus*, quos illi nullos in limbo patiebantur. Miſſis cæteris reſpondeo *dolores* iſtos, quibus *ſolutis Chriſtus ſuſcitatus eſt*, non aliorum, ſed ipſius Chriſti neceſſario fuiſſe. Id primo patet ex ipſo verborum nexu, quæ græce ſic habent ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ. Nam ex his clarum eſt, non Chriſtum (quod falſo ſupponit adverſarius) ſed Patrem hic dici illos *inferni*, ſive *mortis dolores ſolviſſe.* Atqui non Patrem, ſed Filium *in infernum deſcendiſſe*, ibique *purgatorio* qui in eo detinebantur, liberaſſe volunt. Hinc igitur ne *in infernum* quidem deſcendiſſe Chriſtum, probari poteſt, nedum ab *inferni cruciatibus* multos liberaſſe. Si vero qui iſtos *inferni dolores ſolvit*, omnino eum eſſe putant, qui *in infernum deſcendit*, neceſſe eſt, ut Patrem ipſum *in infernum deſcendiſſe*, dicant; quod novum & hactenus inauditum eſt dogma. Secundo idem ex eo quoque cernitur, quod iſti *dolores* Chriſti reſurrectioni obſtabant. Ait enim Apoſtolus *Deum ſolutis illis doloribus*, velut amoto quodam repagulo *Chriſtum è mortuis ſuſcitaſſe*; Tum addit eos *dolores ſolviſſe.* Deum καθότι *quatenus*, vel *quoniam erat impoſſibile Chriſtum ab inferno*, vel (aut habet græcus codex) *à morte teneri.* Nimirum hoc vult, cum fieri non poſſet, ut Chriſtus in *inferno*, vel in morte detineretur, ideo *dolores illos*, quibus ibi veluti conſtringebatur, *ſolviſſe Deum*, atque ita eum in

vitam

vitam poſtliminio revocaſſe. Atqui quos *dolores* fingunt mortuorum animas in *purgatorio* perpeſſas eſſe, nihil ii Chriſti è mortuis ſuſcitationi obſtabant; neque eos *ſolvi* neceſſe fuit, ut Chriſtus inde liber emergeret. Denique cum hic Petrus de Chriſti reſurrectione verba faciat, & quidem apud Iudæos hactenus Chriſti hoſtes, difficile eſt videre, quorſum, quove conſilio obſcuriſſimam iſtam mortuorum è *purgatorio* liberationem (ſi vel maxime conſtaret eam veram eſſe) iis hoc loco commemorandam putaviſſet. At *in cruce* (inquit) *finiti ſunt omnes dolores, quos Chriſtus pertulit.* Fateor. Quinam ergo ſunt *dolores* iſti, quos ad Chriſtum ipſum pertinere contendis? Res adeo obſcura, ac difficilis viſa eſt Græcis interpretibus, ut quam in Scripturis ipſi non inveniebant ſolutionem, eam ab ingenio mutuati ſint. Nam *morti* (cujus hic habent in ſuis codicibus vocabulum pro *inferno* quod apud Latinum legimus) *morti*, inquam, perſonam hic affingunt; eamque Chriſtum *vitæ*, ac *æternitatis principem* in ſuis (ut ſic dicam) viſceribus concluſum geſtaſſe, ac veluti *parturiviſſe*, ajunt; cumque doloribus velut enitens differretur, Deum Chriſto, tamquam vitali aliquo fœtu, in hanc lucem ex illis latebris, ubi triduum delituerat, educto, ſic illos immanes mortis dolores ſolviſſe; quos non Chriſtus, ſed mors ipſa Chriſtum parturiens pertulerat. Sed hæc quidem iſtis ingenioſius, quam verius dicta, miſſa faciamus, & propoſitam quæſtionem aliter ſolvamus. Quod antequam facio prius obſervo (quod etiam ab adverſario hic annotatum eſt) Græcos codices habere, ut eſt à nobis nuper repræſentatum, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου *ſolutis doloribus mortis*; Robertumque Stephanum, qui manu ſcripta exemplaria, quotquot nanciſci potuit, ſumma fide, ac diligentia contulit, unum tantum reperiſſe, in quo pro θανάτου legeretur ᾅδου inferni. Latinus quidem videtur has duas voces pæne indiſcriminatim habuiſſe. Nam ut hic quod in græco ſcriptum erat θανάτου *mortis* reddidit *inferni* ᾅδου; ſic alibi in priore ad Corinthios epiſtola, quod in Græco eſt ᾅδη *inferne* viciſſim *mortem* reddidit: *Ubi eſt mors victoria tua?* ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; Sane quod ad ſenſum ipſum attinet, perexiguum videtur inter hæc diſcrimen. Quamquam fieri etiam potuit, ut Latinus errorem hic paſſus fuerit ab eo Pſalmi loco, quem Petrus ſtatim adducit, *Non derelinques animam meam in inferno* εἰς ᾅδου; ex eoque animo adhæreſcentem *inferni* vocem proximo loco pro θανάτου *mortis* poſuerit; quod iis frequentiſſime uſuvenit, qui libros vel manu, vel typis deſcribunt. Sed quod ea diverſitas parum momenti ad rem, quam agimus, habere videatur, non eſt quod in ea diutius immoremur. Primum nulla erit difficultas, ſi, quod alicubi

Oecum. & Theophy. i. in Act.

1 Cor. 15. 55.

Act. 2. 27.

Ep. 99.

 propo-

proponit, neque improbat Auguſtinus, ſolutos dicamus Chriſti dolores in inferno, non quia ipſe ſubierit, ſed quia ne ſubiret præventum eſt; quemadmodum ſolvi dici poſſunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerint. Hanc expoſitionem habet, fuſeque explicat &
in Act. 2. 24. illuſtrat Sanctius; probabilemque eſſe concedit. Sed alii aliter, & quidem ut judico, melius hunc nodum expediunt. Reſpondet igitur Cajetanus *dolores* ſive *mortis*, ut græci codices habent, ſive *inferni*, ut Latinus, *pœnalitates fuiſſe* (ſic enim ille Scholaſtico idiomate loquitur) *animæ Chriſti ſeparatæ; & dicit* (inquit) *pluraliter* doloribus mortis *eo quod plures pœnalitates ſufferebat anima Chriſti ſeparata à corpore. Ipſum enim eſſe ſeparatum à corpore pœnalitas quædam eſt animæ; locus quoque inferni nonnulla pœnalitas erat; & utrumque mortem conſecutum fuerat.* Hactenus Cajetanus; ex quo clarum eſt *dolores* iſtos, Chriſti, non cujuſquam alterius fuiſſe. Sicut vero minus placet hæc Theologi inter adverſarios præcipui ſententia, alteram afferam hujus loci interpretationem, quæ ipſa quoque non ignobiles iſtarum partium viros auctores habet, Andradium Payvam, qui Tridentino Concilio interfuit, & Lorinum, ac Sanctium Ieſuitas. Illi enim per *dolores mortis*, ſive *inferni* ſummos, & letiferos dolores intelligunt; ſive *mortem* doloris, & miſeriarum *plenam*. Andradii quidem hæc verba ſunt in libro Tridentinæ defenſionis ſecundo; *Cum de Chriſti reſurrectione diſſerat* (Petrus) *multis, atque apertiſſimis Davidis teſtimoniis confirmat ita pro humano genere mortem Chriſtum obiiſſe, ut morte obrui, & deliteſcere inter mortuos diu non poſſet. Videtur autem mihi per dolores inferni, ſive mortis, mortem doloris, atque miſeriarum plenam, Hebræorum dicendi more, ſignificare.* Itaque ex Payva cum Petrus ait, *Deum ſolutis inferni doloribus Chriſtum ſuſcitaſſe*, hoc unum ſignificat Patrem ad vitam Chriſtum ſuum revocaſſe, fracta ac devicta acerbiſſima illa morte, quæ cum ſæviſſimis in cruce doloribus exanimatum paulo ante proſtraverat, ac in *infernum*, ſive (quod idem eſt) in *ſepulcrum* dejecerat. Atque hæc quidem interpretatio Chriſti & verbis, & menti ſic congruit, tantumque habet luminis, atque elegantiæ, ut quod in ea deſiderari poſſit, equidem nihil videam. Neque ab ea Lorinus longe abit, *Solvit Deus* (inquit. *non enim de Chriſto, ſed de Deo intelligendus locus* ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας) *dolores inferni, quando ſuſcitavit Chriſtum, qui dolores paſſus eſt in paſſione, & morte propter gravitatem letiferos, & aptos deducere in infernum.* Sanctius quoque, itidem, ut Lorinus, Ieſuita, ſcribit *ſibi hanc expoſitionem*
in Luc. *ex omnibus maxime probari, quæ figurate in inferni doloribus dolores mortis explicari putat. Dolorem enim, quem paſſus eſt Chriſtus, tantum habuiſſe acerbita-*

acerbitatis, ut ſi uſpiam alius inferni dolor appellari potuerit. Nam *dolores inferni*, ſive clarius *infernales* propter acerbitatem *hyperbolice dici* etiam eos qui alibi quam apud inferos ſuſtinentur. Quod ſi his objicias Chriſtum, quo tempore reſuſcitatus eſt, non amplius *dolores* iſtos ſenſiſſe, quibus ſcilicet in cruce plane defunctus erat, iiſque adeo tunc cum reſuſcitatus eſt, *ſolutum* (quod tamen ait Petrus) dici non poſſe; reſpondebunt, ſæviſſimos illos, acutiſſimoſque dolores, quibus in cruce Chriſtus confectus fuit, ipſos quidem eo, quo animam efflavit, momento deſiiſſe; non tamen eorum in Chriſto *effectum*, ac (ut ſic dicam) *opus* ſimul, ac ſemel deſiiſſe. Strages illa, quam in Chriſto cruciatus illi ediderant, manſit, quamdiu is in ſepulcro fuit. Nimirum toto eo tempore anima vi cruciatuum à corpore avulſa, ſeorſim ab eo vixit. Ipſum corpus fœdiſſime laniatum, doloribuſque velut quibuſdam *mortis aculeis* compunctum, tandemque exanimatum, involutum linteo, tumuloque clauſum, ſine motu, ſine ſenſu in funeſto mortuorum pulvere cruentum, ac ſqualens jacuit. Quæ cum ita ſint, nemo non videt plane ac plene *ſolutos* non prius fuiſſe illos ſive *mortis*, ſive *inferni dolores*, quam Chriſtus ab hoc deformi, & horrendo ſtatu, in quem eorum vi detruſus fuerat, in vitæ lucem, dignamque ſe gloriam vindicatus eſſet. Itaque merito ait Petrus *Deum dolores* illos tum *ſolviſſe*, cum cladem Chriſto ſuo ab iis (ut ſic dicam) allatam obliteravit; cum corpus, quod cruciatu confectum atque exanimatum fuerat, anima indita, ſuſcitavit; cum letalia vulnera, quibus confoſſum fuerat, obduxit, pulverem, ac ſanguinem, quo deformatum fuerat, abſterſit; ac denique pro extrema illa infirmitate, ad quam crucis doloribus actus fuerat cum ad beatiſſimam, ac ſempiternam vitam ſumma cum gloria conjunctam revocavit. Tum demum vere *ſoluti ſunt* iſti *dolores*; quorum non ſenſus quidem, qui jam ante in morte deſierat, tum extinctus eſt, ſed vis tamen illa, atque efficacia, quæ hactenus perſeveraverat, repreſſa, ac debilitata, atque, ut uno verbo dicam, plane deleta ſic fuit, ut nullum amplius in Chriſto veſtigium extaret, vel duræ illius mortis, quam oppetierat, vel horrendi illius ſepulcri, in quo concluſus delituerat. Sed tametſi hæc ad hujus loci explicationem abunde ſufficiant, non videtur tamen prætereundum, quod à viris doctiſſimis vere, atque opportune, ut ego quidem judico, jampridem obſervatum eſt; Petrum omnino hic videri ad quædam pſalmorum loca alluſiſſe, indeque eas, quas hic uſurpavit voces, hauſiſſe; in quibus Propheta, quo ſe in letale diſcrimen incidiſſe ſignificaret, dixit *ſe doloribus mortis*, vel *inferni* (utrumque enim diverſis locis uſurpavit) *circumventum fuiſſe*. Iam

Pſ. 18. (Lat. 17.) 6 & 116. (Lat. 114.) 3.

ſe. Iam in Hebræis codicibus reperitur illis locis vox חבל; quæ cum duo apud Hebræos ſignificet; primo quidem, ac proprie *funem*, quo quis vincitur; tum ſecundario, ac metaphorice *acutum dolorem*, quo quis velut ârcto, & moleſto vinculo conſtringitur; inde factum eſt, ut Græci interpretes vocabulum hoc, quod alias ſæpe *χοινίον*, & *χοίνισμα*, hoc eſt *funiculum* reddunt, etiam haud raro *ὠδῖνα* interpretentur, id eſt magnum *dolorem*, & proprie quidem *parturientis*. Non eſt dubitandum, quin Petrus, qui Syriace locutus eſt, voce חבל uſus ſit; quam & Syrus interpres optime hoc loco adhibuit. Sed neque illud obſcurum eſt, locis è Pſalte laudatis vocem חבל *funes* potius ſignificare, quam *dolores*. Sic enim habet pſalmi decimi octavi verſiculus ſextus; חבלי שאול *cheble ſcheol circumdederunt me*; *præoccupaverunt me laquei mortis*. Nemo neſcit Pſaltis fere perpetuum eſſe morem, ut quod priori verſiculi parte dixit, id ipſum mox in poſteriori aliis verbis eloquatur. Quod ergo in priori hujus verſus parte חבלי שאול vocavit, dubitandum non eſt, quin illud ipſum ſit quod in poſteriori vocat מוקשי מות. Hoc autem poſterius omnes conſentiunt eſſe *laqueos mortis*. Quod ergo priori verſu parte dixit חבלי שאול ne dubitaveris itidem eſſe *funes inferni*. Atque inde porro liquet eodem modo ſumendum, quod iiſdem verbis habetur pſalmo centeſimo decimo ſexto, *Circumdederunt me* חבלי מות *funes mortis*, quos ſolenni more ſtatim explicat, *& pericula inferni invenerunt me*. Iam ut Prophetæ verba Petrus, ſic eodem quo Propheta ſenſu uſurpaſſe videtur. Nimirum dum dixit Deum *ſuſcitaſſe Chriſtum ſuum ſolutis* חבלי שאול, ſive mavis מות (utrumque enim habet Propheta) intellexit Deum ſolviſſe *funes inferni*, ſive *mortis*; quibus veluti *ligatus*, atque conſtrictus tenebatur Chriſtus; idque poſcere videtur ipſum *ſolvendi* verbum. *Funes* enim proprie aut aſtringi, aut *ſolvi* dicuntur; non *dolores*. Atque hæc imprimis clara, & elegans erit metaphora; qua vis illa mortis, quæ proſtratos homines in ſepulcro incluſos detinet *funi* comparatur, ac ſi eos mors ineluctabili *laqueo* irretitos, conſtrictoſque teneret. Itaque adamantinum illud vinculum ſolvit Deus, ruptiſque illis velut plagis, quibus Chriſtus ſub mortis *manu* conſtrictus cuſtodiebatur, eum in vitam reſtituit. Simili de cauſſa, eodemque ſenſu, quamquam aliunde ſumpta metaphora, *morti & inferno*, hoc eſt ſepulcro, *portas* Scriptura alibi tribuit; ut eam vim ſignificet, qua miſeros mortales, veluti *robuſtis* (ut poëta loquitur) *foribus poſtibuſque æreis* concluſos mors tenet; ut videre eſt apud Iobum, Pſalmographum, & Iſaiam. *Numquid apertæ ſunt tibi portæ mortis*, *& alia tenebroſa*

Pſ. 116. (Lat. 114. 3.

Iob. 38. 17.

tenebroſæ vidiſti? omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. Ego dixi; in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Eoque omnino reſpicere videtur Chriſtus, dum negat *portas inferi prævalituras adverſus Eccleſiam*; ut ſignificet Eccleſiam mortis, ſive ſepulcri poteſtate ſuperiorem fore, effractiſque illius *portis*, atque repagulis in beatam aliquando immortalitatem glorioſe reſurrecturam; non ſecus ac ipſe Chriſtus, *ſolutis mortis laqueis*, è ſepulcro emerſit. Equidem exiſtimo hanc veram fuiſſe Petri mentem, cum illa ex Actis deſcripta de Chriſto verba habuit; eaque omnino perinde eſſe accipienda, ac ſi dixiſſet, *Chriſtum ſuſcitavit Deus ſolutis mortis*, ſive *inferni funibus*, aut *laqueis*. Sed quod Græci interpretes illa Pſalmographi verba, ad quæ alludit Petrus, non σχοινία *funes* ſed ὠδῖνας *dolores* verterant, Lucas quod apud illos invenit, id retinendum putavit, ne vox nova fideles Græcæ illi verſioni aſſuetos turbaret. Cæterum & Græcos interpretes, & Lucam voce illa ὠδῖνες his locis intelligere exiſtimo, non quod illa vulgo apud Græcos ſignificat, nimirum *dolores*, ſed id ipſum, quod Hebraicum חבלי (cujus loco hic venit) denotat, nimirum σχοινία, *funes*, & *laqueos*. Neque hic hujus vocis uſus adeo durus, aut intolerabilis videri debet. Eſt enim à Grammaticis, & Rhetoribus obſervatus, etiam in ſcriptoribus ſæculi, quidam hujuſmodi tropus, quo uni vocabulo aliena alterius πολυωνύμου ſignificatio tribuitur, quod ei in alio ſenſu reſpondeat. Metalepſin vocant. Verbi gratia ὀξὺς apud Græcos duo ſignificat & *acutum*, & *celerem*. Eo factum eſt, ut nomini θοός, quod in ſecundo hoc ſenſu idem ſignificat, quod ὀξὺς (eſt enim *celer*) altera quoque nominis ὀξὺς ſignificatio improprie & catachreſtice attributa ſit; nimirum ut *acutum* quoque ſignificet. Atque ita uſus eſt Homerus, cum inſulas θοαὶ vocavit, quæ ὀξεῖαι dicendæ erant. Notavit apud Græcos Euſtathius; apud Romanos Fabius, qui ait eadem ratione Chironem ſumi pro *Centauro*; quod nimirum, qui Chiron erat, idem quoque Centaurus eſſet; monuitque eum tropum Græcis frequentiorem, Latinis fere inuſitatum eſſe. Conſimili ergo ratione Græci Bibliorum Interpretes, cum Hebræum חבל non modo *dolorem*, ſed etiam *funem*, aut *laqueum* ſignificare ſcirent, vernaculum ὠδῖνες, quod in priori ſenſu ei reſpondet, in altera quoque hebræi nominis ſignificatione pro *fune* aut *laqueo* uſurpare non dubitarunt; quales apud eos metalepſes crebro occurrunt, ſuntque non paucæ à viris doctis obſervatæ. Nimirum illi voci Græcæ, quæ Hebrææ alicui πολυωνύμῳ in uno ſenſu reſpondet, cæteras vocabuli Hebraici, cui reſpondet, ſignificationes interdum imponunt, quamquam ea apud

Pſal. 107.18.
Iſai. 38.10.
Matth. 16.18.
in Odyſſ. p. 305. l. 42. edit. Rom.
Fab. Inſt. l. 8. c. 6.

Græcos minime ſoleat ea notione uſurpari. Atque hæc quidem hactenus.

CAPUT XVI.

Solvitur locus ſeptimus ex 1. Cor. 3. 13. 14. 15. de eo qui ſervabitur ſic tamen quaſi per ignem.

NOs jam inſtitutæ diſputationis ordo ad Paulum vocat; è quo verba illa primo affert Bellarminus, quæ in priori epiſtola ad Corinthios habentur; *Vniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* His Pauli deſcriptis verbis præfatur Bellarminus *locum hunc eſſe ex difficillimis totius Scripturæ*; idque etiam Auguſtini teſtimonio confirmat; ſed multo magis diſputatione ipſa fatetur; quæ tota à capite ad calcem fluctuat; modo veteres, modo recentiores appetit, oppugnat, perſtringit; noſtros vexat, ne ſuis quidem parcit; omnibus infeſta, ſibi parum fidens, vix locum invenit, ubi conſiſtat. Hoc eſt ſcilicet *purgatorium* è Scripturis demonſtrare. Atqui demonſtrationum principia clara, & confeſſa eſſe decet; cum hæc, è quibus iſte quæſtionem concludit, ipſe difficillima eſſe profiteatur, tantaque obſcuritate circumfuſa, ut de iis neque veteres, neque recentiores inter ſe conſentiant. Videamus tamen ecquid *purgatorii ignis* ex illa nube emicabit. Errantem per infinitas ambages adverſarium non eſt animus ſequi; quod neque ſine ſummo tœdio fieret, neque vero fieri neceſſe eſt. Nam in plæriſque ejus interpretationis, quam ille adfert, capitibus nos habebit conſentientes. Satis erit, quæ pro *purgatorio* inde colligit, diluere, & quis vere ſit Apoſtolicæ orationis ſenſus, indicare.

1 Cor. 3. 13. 14. 15.
l. 1 de purg. c. 5. §. Secundus.

Iam illud primum libenter adverſario concedimus, Paulum toto hoc loco de *doctoribus*, & *prædicatoribus* Euangelii præcipue & proprie agere; eoſq; *architectis* comparare, quod ex ipſis Apoſtoli verbis clarius eſt, quam ut multis probari debeat. Neque item gravate aſſentimur *fundamentum* illud, cui omnes à Paulo memorati *architecti ſuperædificant*, Chriſtum eſſe, quod & ipſe Apoſtolus diſerte monuit, *Fundamentum enim* (inquit) *aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Tum & illud quoque pariter confitemur nomine *auri*, *argenti*, *lapidum precioſorum*, quæ huic *fundamento ſuperædificantur*, doctrinam intelligi veram, utilem, & ſalutarem, ipſique *fundamento* convenientem; nomine autem *ligni*, *fœni*, *ſtipulæ*, falſam, curioſam, inutilem,

ibid. §. Alii. 6. Vtraque.
ib. §. Sexto.
1 Cor. 3. 11.

lem, ſupervacaneam. Poſtquam Apoſtolus hoc *ædificantium* diſcrimen tantum conſtituit, ſubjicit mox; *Vniuſcujuſque opus manifeſtum erit*; hoc eſt, ut latere aliquamdiu poſſit, ſuo tamen tempore *manifeſtabitur.* Nam illaudati illi *architecti lignum*, ac *fœnum* ſuum, ſuaſq; *ſtipulas*, interdum incruſtant, ſpecioſiſque fucis, ac coloribus ſic tegunt, & adornant, ut pro *auro* & *argento* venditentur. Sed non eſt, quod putemus eos ſemper latere poſſe. Hæc eorum (ut ſic dicam) impoſtura certiſſime retegetur; palamque fiet *ſtipulas*, ac *fœnum* eſſe, quod pro *auro* atque *argento* oſtentarant; hoc eſt vanas, & ſupervacaneas eſſe eas doctrinas, quas ipſi pro ſolidis, atque Chriſti *fundamento* dignis Eccleſiæ obtruſerant. *Dies enim* (inquit Paulus) *declarabit*; *quia in igne revelabitur*; *& uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.* Latinus *diem Domini* dicit præter Græcorum codicum fidem, qui omnes conſtanter habent, ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει. *Dies enim declarabit.* quod noſtri plærique omnes ſic interpretantur, ut *dies* ſumatur pro quovis tempore, quo *diſcuſſis tenebris*, *& caligine* (ut loquitur Calvinus) *illuſtratur veritas*; *ac ſi diceret Paulus, Non ſemper erunt tenebræ*; *aliquando lux orietur, quæ omnia manifeſtabit.* Itaque illam manifeſtationem intelligunt, quæ fit in hoc ſæculo, cum divinitus exoriens Euangelii lux, quæ diu velut in tenebris latuerant humanarum doctrinarum vitia tandem aliquando prodit, atque patefacit; qualis *manifeſtatio*, & ſæpe alias, & parentum noſtrorum memoria in Eccleſia contigit. Repente enim accenſa cœlitus nova lux omnibus non cæcis aperuit, quam futilia ſint, & inepta quæ in denſa ſuperiorum ſæculorum nocte pro veris, ac ſolidis dogmatis habita fuerant. Atque hæc noſtrorum interpretatio & menti, & verbis Apoſtoli, rerumque ipſarum uſui ſic ad amuſſim congruit, tantamque habet cum ſimplicitate lucem, atque venuſtatem, ut vix ulla alia ſit, quæ vero propior videatur. Nam quod objicit Bellarminus *diei* nomen cum articulo græce expreſſum ἡ ἡμέρα *certum quemdam, ac definitum diem* ſignificare, id inquam futile eſt. Neque enim vel perpetuum eſt, quod poni *diei* nomen præfixo articulo certam, ac præſtitutam diem ſignificare, maxime in divinis ſcriptoribus, qui illas Atticæ elegantiæ regulas ſæpiſſime contemnunt; neque ſi verum eſſet, quicquam efficeret; quod ex noſtrorum ſententia *dies* hic non omne ſimpliciter, & abſolute *tempus*, ſed id proprie ac peculiariter ſignificet, quod lucem veritatis diſcutiendis mendacii tenebris præfert. Itaque *dies* hic non eſt quidem una præciſe *dies*, ſive hujus, ſive alterius ſæculi; ſed eſt tamen certum quoddam *tempus*, nocti oppoſitum, id eſt ei tempori, quo in ignorantiæ umbris, atque tenebris deliteſcunt humano-

l. 1. de purg. c. 5. §. Hac ſententia.

rum

rum dogmatum vana; quam *diei* ab altera illa temporis parte, hoc eſt, nocte, diſtinctionem ſignificat hic adhibitus articulus; eumque adhiberi eo impenſius decuit, quod *diei* vocabulum interdum pro quolibet tempore, etiam non excluſa nocte ſumatur; ut in illo vulgari verſiculo,

Longa dies homini docuit parere leones.

Quod ſecundo loco affert adverſarius *diem Domini* id dici *tempus* de quo Paulus intelligit, adeoque non intelligi præſens, id inquam falſo ab illo ſumitur. Nam (quod jam monuimus) Græci codices, (quorum noſtri homines auctoritatem ſequuntur) ſimpliciter habent ἡ γὰρ ἡμέρα *dies enim*; non autem κυρίου *Domini*; quod neſcio unde in Latini textum irrepſerit. Neque firmius eſt, quod tertio loco objicit, *tempore vitæ præſentis non declarari opus uniuſcujuſque quale ſit; tribulationes enim communes eſſe bonis, & malis; juſtis & injuſtis.* Nam & quod ſumit, quæ prædicatores Euangelii *fundamento* vana, & inutilia ſuperſtruunt (de iis enim loquimur) hic in terris minime patefieri, refellit ipſa rerum experientia, refelletque in poſterum cum bono Deo; & quam affert falſi hujus dicti rationem, ea nihil contra nos facit; qui non ſolis *tribulationibus*, ſed ipſa potiſſimum *Euangelii luce*, Spirituſque vi, atque efficacitate ſtatuimus inania à ſolidis, falſa à veris ſecerni, atque detegi.

ibid. §. Tertio.

Neque poſtremo huic expoſitioni officiunt illa Pauli verba, quæ aliis Bellarminus objicit; *quia in igne revelatur.* Ea enim non ad *diem* (quod ſine ulla ratione voluit Bellarminus) ſed ad *opus uniuſcujuſque* referenda ſunt, quomodo ea accepit Iuſtinianus Ieſuita Ligus, *Verum* (inquit) *conjungo cum præcedentibus, ut ſenſus ſit,* uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; *tum adhibita parentheſi* (dies enim declarabit.) *manifeſtum* (inquam) *erit, quia in igne revelatur.* Nimirum his verbis explicat Paulus, qua ratione *cujuſque opus manifeſtum fiat* illa *die*, quæ id eſt declaratura; quia ſcilicet admoto quodam *igne* efficaciſſimo quæ ſit operis cujuſque natura, quod pretium *revelabitur*, atque aperietur, non ſecus ac *auri*, *argenti*que vis igne itidem, ſed elementari, in fornacibus, & officinis aurifabrorum revelatur, ac patefit. Sed & cæteris, quæ addit Paulus, hæc interpretatio optime convenit; *ignem* illum (nimirum verbi divini, atque Spiritus ſancti) qualc ſit à ſingulis *architectis ſuperſtructum opus probaturum*; quia ejus admoti vim *aurum* quidem, & *argentum, lapideſ*que, *pretioſi* ferent; non ferent autem *lignum, fœnum, ſtipulæ*; ſed repente conſumpta evaneſcent. Iam *cujus opus manſerit*, integrumque ac illæſum ſuſtinuerit *ignem* admotum, eum *mercedem* (ſcilicet à Domi[illegible] [illegible]cepturum; *cujus* vero *opus arſerit*, neque illius *ignis* probationem

ibid. §. Quarto.

nem ferre potuerit, eum ζημιωθήσεται *detrimentum paſſurum* (ut reddit Latinus) hoc eſt *jactura operis multatum iri*; *ipſum autem ſalvum fore, ſic tamen quaſi per ignem*, id eſt *ægre*, atque ita, ut bene ſecum actum putet, quod non una cum opere conflagraverit ,ut poſtea fuſius explicabitur. Atque ex his liquet, quam apta ſit huic loco illa noſtrorum hominum ſuperius commemorata interpretatio. Sed tametſi hæc ita ſe habeant, libet tamen cum adverſario agere liberalius, eumque ſenſum admittere, quo *diem cujuſque opus declaraturam* pro *die Domini*, ſive *ultimi judicii* accipit. Sic acceperunt etiam è noſtris nonnulli Conradus Pelicanus olim, & poſtea Ioſephus Scaliger, vir eruditiſſimus. Sane eam expoſitionem & confirmat Latini interpretis, & multorum veterum auctoritas; neq; reſpuit ipſa Apoſtoli oratio. Nam is *diem Domini* interdum τὴν ἡμέραν diem ſimpliciter propter ejus excellentiam vocat; ut in epiſtola ad Hebræos. βλέπετε ἐγγίζουσαν τὴν ἡμέραν; *videtis appropinquantem diem*; id eſt (ut ego quidem ſentio) *diem Domini*. Tum Hebr. 10.25.
notum eſt articulum illum præpoſitivum (ut vocant Grammatici) ſæpe apud ſacros ſcriptores loco pronominis demonſtrativi uſurpari; ut ἡ ἡμέρα idem ſit quod ἐκείνη ἡ ἡμέρα, *illa dies*; quibus verbis *Domini diem* Paulum aliquando expreſſiſſe omnes conſentiunt, ut in altera ad Timotheum, *Scio cui credidi, & certus ſum, quod potens eſt depoſitum meum ſervare* εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν *in illum diem*. Et mox; *Det illi* 2 Tim. 1.12. 18. &
Dominus invenire miſericordiam à Domino ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ *in illa die*. Tum capite quarto: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex*. 4. 8.
Atque illam articuli vim Latinus in hoc ipſo argumento diſerte expreſſit in priore ad Theſſalonicenſes, ubi quod Paulus Græce ſimpliciter ſcripſerat ἡ ἡμέρα iſte reddidit *dies illa*; *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur deprehendat*. ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ. Iam 1 Theſſ. 5.4.
quod ad rem ipſam attinet, Paulus capite ſequenti docet, & quidem de iiſdem illis *architectis*, hoc eſt *doctoribus*, atque *prædicatoribus* verba faciens, *Chriſtum in adventu ſuo illuminaturum abſcondita tenebrarum, & manifeſtaturum conſilia cordium, & tunc* (inquit) *laus erit unicuique à Domino*; ut nemini mirum videri debeat, quod in præſenti loco ſimiliter 1 Cor. 4. 5.
illud *architectorum* Euangelicorum diſcrimen ſumma illa die patefactum iri moneat; & quorum opus rectum, ac legitimum illo examine probatum fuerit, *mercedem*; quorum pravum, & illaudatum, *detrimentum* accepturos. Idem alibi ait, *Deum die illa judicaturum occulta hominum per Ieſum Chriſtum*. Eſto ergo, quod Bellarminus cupit; *Dies declaratura, quale ſit cujuſque opus*, dies *Domini* intelligatur. Iam & quod Rom. 2. 16.

ub.ſupr.§.Quarta.§.Alii.§.Denique.§.Supereſt.

quarto loco idem ſubjicit, *ignem* illum, qui in *die Domini uniuſcujuſque opus* probabit, non *tribulationis*, non *gehennæ*, aut *conflagrationis* mundi, non denique *purgatorii* ignem eſſe, ſed ſeverum & juſtum Domini *judicium*, qui *ignis* eſt, non *purgans*, vel *affligens*, ſed *probans*, & *examinans*, id inquam, non modo non rejicimus, ſed etiam vehementer probamus. Quo loco non puto prætermittendas Bellarmini rationes contra ſuos hunc *ignem* de *purgatorio* perperam accipientes. Sic igitur

ibid. §. *Alii.*

ille diſputat. *Aliqui intelligunt de pœnis purgatorii. Sed neque id recte dici poteſt. Primo, quia ignis purgatorii non probat opera eorum, qui ædificant aurum & argentum. At iſte ignis de quo loquimur*, uniuſcujuſque opus quale ſit, probabit. *Secundo, Apoſtolus aperte diſtinguit inter opera, & operantes; & de iſto igne dicit, quod comburet opera, non operantes. Ait enim*, Si cujus opus manſerit, &, ſi cujus opus arſerit. *At ignis purgatorii, qui verus eſt, & realis ignis, non poteſt opera comburere, quæ ſunt actiones tranſeuntes, & jam tranſierunt. Denique ſequeretur omnes homines, etiam ſanctiſſimos, tranſire per ignem purgatorii, & ſalvari per ignem. Nam per hunc ignem, de quo loquimur, omnes tranſeunt. At omnes tranſire per ignem purgatorii, & ſalvari per ignem, eſt aperte falſum. Nam Apoſtolus hic aperte dicit ſolum eos, qui ædificant lignum, & fœnum, ſalvandos quaſi per ignem. Eccleſia quoque perpetuo ſenſit ſanctos Martyres, & infantes poſt baptiſmum morientes, mox in cœlum recipi ſine ullo tranſitu per ignem, ut Concilium Florentinum docet, ſeſſione ultima.* Atque hæc ille hactenus. Tum *judi-*

ibid. §. *Supereſt.* §. *Quod hac.* §. *Secundo.* §. *Tertio.*

cium Dei per *ignem* hoc loco intelligendum eſſe & auctoritate, & rationibus probat; *igni*que merito comparari oſtendit, quod ſit *puriſſimum*, celerrimum, & efficaciſſimum, & maxime penetrativum; eoque illud è Danielis ſeptimo refert, *Fluvius igneus egrediebatur de ore ejus*, quod (ut ſupra diximus) alii impudenter ad *purgatorium* trahunt. Quin & Deum ipſum obſervat, quod totus ſit juſtitia, totus judicium, *ignem* in Scripturis vocari. *Ipſe quaſi ignis conflans.* Malachiæ tertio. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Hebr. 12. Ad hæc adverſarii, quæ probamus, duo ſunt tantum, quæ præterea monemus. Ac prius quidem illud eſt, quod Apoſtolus hac metaphora, qua *ignem* dixit pro *Dei judicio*, omnino ad rem, quam agit, & ad ejus orationis, quam inſtituit, ut ſic dicam, filum apposite, atque convenienter hoc loco uſus eſt. Nam cum doctores *architectis*, præcipuum prædicationis caput *fundamento*, dogmata adjecta vera quidem & ſolida *aureo*, *argenteo*, *marmoreo*que operi, falſa vero & inania *ligneo*, *fœneo*, & *ſtramineo* compararit; quis non videt contextæ ex his metaphoris allegoriæ ſeriem, ac nexum, non modo popoſciſſe, ſed etiam flagitaſſe, & jure quodam ſuo exegiſſe, ut

judicium

judicium illud, quo utriuſque doctrinæ diſcrimen patefiet, *igni* quoque compararetur? Non enim aliud eſt in rerum natura clarius, atque efficacius κριτήριον, quo illæ *auri, argenti*que, & *fœni* ac *ſtipularum* diverſæ materiæ à ſe invicem ſecerni, ac diſtingui poſſint. *Ignis* ſimulatque iis admotus eſt, quæ *aurea* ſint, *argentea*, & *marmorea*; quæ contra *lignea, fœnea*, aut *ſtraminea* illico aperit, atque demonſtrat; hæc quidem vi ſua depaſcens, atque abſumens; illa vero illæſa, atque integra tranſmittens. Non aliter divina illa flamma, quæ tremendum Chriſti ad judicium venientis tribunal undique circumfulgebit, opera mortalium omnia, adeoque & tradita à prædicatoribus dogmata, quæ qualiaque fuerint patefaciet; ut nullum ſit, cujus vera natura, atque indoles in illa luce latere poſſit. Ac falſa quidem, & inania ad flammæ illius conſpectum ſtatim evaneſcent; vera autem & ſolida in ea illæſa conſiſtent, *auri*que & *argenti* in catino ardentis inſtar fulgebunt. Vnde liquet, quam decora, quamque elegans ſit omnis hæc Pauli oratio; quamque apta, & ſimplex, & ipſi rerum, de quibus agitur, naturæ accommodata illa *ignis* pro *Domini judicio* metaphorica ſignificatio, quam nos una cum Bellarmino hic admittimus. Alterum autem, de quo monendum lectorem putamus, hoc eſt, quod qui hæc ita conſtituit adverſarius, eum non decuit *ignis* vocabulum aliter accipere in iſtis proxime præcedentibus Pauli verbis, *quia in igne revelabitur*; quæ ille paulo ante ad eum *ignem* retulit, quo olim in ſuprema illa *die* mundus conflagraturus eſt. Quid enim neceſſe eſt alium huc *ignem* invehere, præter illum divini judicii *ignem*, de quo ipſe mox in verbis, quæ continenter ſequuntur, Pauli ſermonem intelligendum concedit? Plana erit, ſi ſic acceperis, Apoſtoli ſententia, *opus uniuſcujuſque* judicii divini *igne* revelatum iri, *ignem*que illum eam habere vim, ut clare probaturus ſit, *quale ſit cujuſque opus*. Sed quia non valde pugnat adverſarius ne ſic etiam illa verba ſumantur, non eſt, quod in eo ſenſu vindicando diutius moremur. Ad ea ergo veniamus, quæ in allato Pauli loco ſequuntur. Is enim poſtquam divinum illum Dominici judicii *ignem probaturum* dixit, *quale ſit cujuſque opus*, ea porro quæ operis utriuſque, tam probi & legitimi, quam pravi & vani, probationem conſequutura ſunt, in hunc maxime modum exſequitur; *Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem* (inquit) *accipiet*. *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quibus verbis cœptam allegoriam, ut palam eſt, pertexens, ac concludens docet, quis divini in duo illa ædificantium genera judicii exitus futurus ſit. Ac de priori quidem genere, *cujus opus manſerit*, (hoc eſt, cujus operi admotus divini judicii *ignis*,

Bell. l. 1. de purg. c. 5. §. Quarto.

ibid.

ignis, aureum aut argenteum, aut marmoreum fuiſſe patefecerit, quod ſuperædificaverat)eum ait *mercedem accepturum*. Sic enim & in ipſis humanis rebus, è quibus ducta eſt allegoria, fieri ſolet. Cujus *architecti* probatum eſt opus, is à Rege, cui palatium ex ſolido marmore probe ac ſolerter conſtruxit, mercedem regia liberalitate dignam accipit. Ita & quem in Euangelii opere ſeſe bene, ac ſapienter geſſiſſe, dignamque Chriſto doctrinam prædicaſſe in ſupremo illo divini judicii examine compertum, ac probatum fuerit, hunc affirmat Paulus operæ præmium à munificentiſſimo Domino conſecuturum. Ea autem merces, quæ qualiſque futura ſit, tum alias ſæpe, tum proximo etiam capite docet, quo ait *tunc laudem unicuique fore à Deo*. Et Chriſtus in parabola quadam Euangelica id ipſum etiam adumbravit; quo loco herum poſitis rationibus, ſervum, qui credita talenta ſumma fide, & induſtria auxerat, ſic facit alloquentem: *Euge, ſerve bone, & fidelis; quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini tui.* Itaque publicam illam laudationem, boni & legitimi operis *mercedem* fore conſtat; neque adverſarium repugnaturum putem. His ita conſtitutis obſcurum eſſe non poteſt, quod in altera parte ſequitur de eo, qui *lignum, fœnum*, & *ſtipulas* Chriſti *fundamento* ſuperſtruxerit; *Si cujus opus arſerit* (inquit Paulus) *detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ac primis quidem verbis vitium operis notari clarum eſt, quod divini *ignis*, ſive judicii vim ferre non poterit, ſed inſtar *ſtipulæ* flammis admotæ, ſtatim abſumetur; quo palam fiet, non *aurum*, aut *argentum*, ſed *lignum*, aut *fœnum* fuiſſe illius *architecti* opus. Nimirum id erit omnium, quæ vana, atque ſupervacanea homines in Eccleſia docent, ſupremo illa die fatum. Ea in divina illa, qua tum circumfundentur, luce falſa & inania deprehendentur; ſubitoque vi illius flammæ abſumpta evaneſcent, atque in fumos abibunt. Sed tanta eſt Domini bonitas, ut quamquam hujuſmodi operarii, ſi ſummo jure cum iis agatur, exitio digni ſint, tamen quod Chriſti *fundamentum* in ſubſtructione ſua conſtanter retinuerint, ſalutem & ipſi etiam conſecuturi ſint. *Opus* Dei judicio abſumetur; operarius, ea jactura multatus, *ſervabitur*. Sed qui hactenus non inepte cæteram Pauli orationem interpretabatur adverſarius, repente veluti tempeſtate aliqua longe à veri regionibus abreptus, aut certe eorum, quæ dixerat, omnium, quaſi de Lethe bibiſſet, oblitus, poſtrema verba, *detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, alio trahit. Vult enim per *ignem* iſtum, *per quem ſalvus erit* illaudatus *architectus*, pœnam aliquam *purgatoriam*, & *temporalem*

1 Cor. 4. 5.

Matth. 25. 21.

ut ſupr. 2. Eſt ignem.

lem intelligi, ad quam poſt mortem adjudicantur ſcilicet, qui in judicio particulari inveniuntur *ædificaſſe lignum*, *fœnum*, aut *ſtipulam*. Quid audio? Modo conſerta cum Cajetano manu acriter pugnabat Bellarminus non de particulari, ſed de univerſali *judicio* intelligendum hic à Paulo commemoratum *diem*. Nunc ille idem Bellarminus *judicium* particulare nobis occinit. Nimirum homo *purgatorii* amantiſſimus non putavit ſe operæpretium feciſſe, niſi hinc aliquid ad eam cauſſam, cui ſtudet, promovendam corraſiſſet. Sed in caſſum laborat. Sic enim in ſuperioribus omnem ſibi ad *purgatorium* viam obſepſit, ac præcluſit, ut conſtrictus teneatur, neq; eo elabi poſſit, niſi quæ hactenus pertexuit, omnia detexere velit. Nam illaudatum illum architectum, de quo nunc Paulus loquitur, in ultimi judicii luce conſtituit; conſtitutum illius judicialis flammæ, quæ neque *affligit*, neque *purgat*, ſed *probat* tantum, examini ſubjecit. Tum quod ejus *opus* (in illo nimirum *igne probatorio*, ut ſic dicam, & *examinatorio*) *arſerit*, ipſum *architectum detrimentum accepturum* cum Apoſtolo ait. Illam itaque ζημίαν, hoc eſt (ut vertit Latinus) illud *detrimentum*, quodcumque tandem illud ſit, neceſſe eſt ſtatuere tum demum paſſurum, poſtquam in ultimo judicio *examinatus* fuerit. Atqui quam adverſarii in *purgatorio* lui volunt pœnam, ea multis interdum ſæculis, certe ſemper aliquo tempore ultimum judicium antecedit (deſiturum enim docent *purgatorium* ante ultimi judicii diem) Ergo illa ζημία, de qua Paulus loquitur, *purgatorii* pœna eſſe non poteſt; quod tamen vult Bellarminus. Clara ſunt Apoſtoli verba; *Quale ſit uniuſcujuſque opus, ignis* (divini nimirum judicii, ex ipſo adverſario) *probabit. Si cujus opus, quod ſuperædificaverit, manſerit* (in illo *igne* ultimi judicii) *is mercedem accipiet*, (in illo nimirum ultimo judicio.) Tum *ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur*. Quis non videt hæc pariter ad ultimi illius judicii tempus pertinere? ac ut prioris *architecti opus* tum *manſurum* dicitur, ſic alterius eodem illo tempore *arſurum* intelligi? ac denique eadem illa die, & illum *mercedem accepturum*, & hunc *detrimentum paſſurum*? Nulla ars eſt, nulla vis tanta, quæ iſta valeat ſejungere, quæ apud Paulum ſic cohærent, ac inter ſeſe conſerta ſunt, ut niſi ſoluta totius Apoſtolicæ orationis compage, à ſe mutuo divelli non queant. Neque ego animo fingere poſſum, quæ Bellarmino mens fuerit; quove is modo hanc Pauli orationem reſolvendam putet, dum verbum illud ζημιωθήσεται de *purgatorii* pœna accipit. *Si cujus* (inquit) *opus arſerit* (admota ſcilicet ultimi Chriſti judicii flamma) *is detrimentum patietur*; id eſt (inquit Bellarminus) pœnam in *purgatorio* luet. Atqui ille ô bone, jampridem,

Ibid. §. primo quia ubique. & §. ſeqq.

fortaſſe ante mille, aut bis mille annos, luerat. Quid ſtultius, aut abſurdius fingi poteſt, quam ut eum pœnas eas, quas ante multa ſæcula dedit, daturum olim dicas? Certe ſi quod Bellarminus ſtatuit, id voluiſſet Apoſtolus, omnino dicendum erat, *Siquis detrimemtum* (in *purgatorio* nimirum) *paſſus fuerit, ejus in ultimi judicii igne opus ardebit.* At plane contra ait Paulus, *Si cujus opus* in ultimi judicii igne *arſerit, illum detrimentum paſſurum.* Itaque Bellarminum ſi ſibi ipſe conſtare, ſi Apoſtolum recte, ac non abſurdiſſime loqui velit, neceſſe eſt fateri illam ζημίαν ultimo die *paſſurum architectum*; nihil adeo commune habere cum *purgatoriis* pœnis, quæ ex adverſariorum hypotheſi ante illius judicii diem deſituræ ſunt. Quæ contra affert, ea vero futilia ſunt, quæ ab unius vocabuli ζημιωθήσεται prava, ac inſcita interpretatione manant omnia. Id enim hoc loco Bellarminus perinde accipit ac ſi pœnam aliquam vere & proprie ſic dictam miſero illi *architecto* infligendam, præter eam, quam facturus eſt, operis *jacturam*, ſignificaret. Nimirum, ut cum aliquis nummos adulteraſſe deprehenditur, non modo omni illa pecunia, quam illegitime conflaverat, privatur; ſed præterea etiam pœna aliqua afficitur (vel enim in furcam agitur; vel virgis cæditur;) Sic quoque fingit Bellarminus cum illaudato illo *architecto* actum iri, ut non modo *operis*, quod prave, ac præter Chriſti leges exædificaverat, *jactura* multetur, ſed præterea etiam aliquam *pœnam* patiatur; hoc eſt (ut ipſe quidem ſentit) per aliquot luſtra, vel etiam ſi forte ſæcula, non in piſtrino molam, vel remum in triremi verſet, ſed in *purgatorio* diro quodam igne noctes, dieſque crucietur. Hoc eſt, quod Bellarminus putat Apoſtolum intellexiſſe, dum iſtum, de quo loquitur, ait ζημιωθήσεσθαι. Atqui non ſi Bellarminus rumpatur, hoc valebit effectum dare. Nam iſtum Apoſtolus ait ζημιωθήσεσθαι, poſtquam ejus *opus arſerit*. *Arſurum* autem ſtatuit Bellarminus in ultimi judicii *igne*. Ergo niſi poſt illud etiam judicium vivicomburium, paſſuros putet ſui *purgatorii* cives, non poteſt Paulinum ζημιωθήσεται ad hujuſmodi ſupplicium referre. Sed iſtos nihil poſt judicium *paſſuros*, æternaque ſalute cum cæteris ſanctis fruituros & ipſe, & alii omnes *purgatorii* architecti ſciſcunt, atque edicunt. Hoc ergo ejus interpretamentum, tamquam *fœneum*, aut *ſtramineum*, καλαμαῖον neceſſe eſt. Ac cum non ipſi ſolum adverſarii, ſed omnes omnino Chriſtiani conſentiant nullis eos, qui ſalvabuntur, proprie dictis pœnis, poſt beatam reſurrectionem affectum iri; relinquitur ut illa ζημία de qua hic Apoſtolus loquitur, non ſit *pœna* proprie dicta; alioqui in judicio illo poſt reſurrectionem futuro, in quo eam clariſſime ponit Apoſtolus, nullum haberet

ub. ſupr. §. Secundo.

haberet locum in hominem ſalutis æternæ, non tam candidatum, quam compotem. Talis enim iſte eſt, de quo nunc quæritur. Quid ergo ſibi vult Apoſtolus, dum ait iſtum ζημιωθήσεται? Quaſi vero id obſcurum ſit. Ait ejus *opus arſurum*; tum ſubjicit ipſum ζημιωθήσεται. Quis non videt non aliud intelligere Apoſtolum, quam facturum illum operis, quod *igni* admotum *arſit*, jacturam? Alterius, qui bene ædificavit, opus manebit; hujus peribit. Ille alter laudabitur; Hic illaudatus tranſmittetur. Illa futura eſt illius *merces*; hæc hujus *multa*. Sic enim ſæpe accipi ſolet id vocabulum, quo uſus eſt Apoſtolus, ut ſolam alicujus rei *jacturam*, non autem ullam proprie edictam *pœnam* ſignificet. Eo ſenſu uſus eſt ipſe Paulus in Actis; *Oportebat quidem ô viri audito me non tollere à Creta*, κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν, Act. 27. 21.
id eſt ex ipſo Latino interprete, *lucrique facere injuriam hanc*, *& jacturam.* Ζημία ergo *jactura*; ζημιοῦσθαι *jacturam facere*; aut, ut Latinus hic habet, *detrimentum pati*. Suidas. ζημία ἡ ὑστέρησις. Ariſtoteles, eloquentiæ, & ſapientiæ Græcanicæ ſummus magiſter; τὸ μὲν γὰρ πλέον ἔχειν ἢ τὰ ἑαυτοῦ, κερδαίνειν λέγεται. τὸ δ᾽ ἔλαττον τῶν ἐξ ἀρχῆς, ζημιοῦσθαι. id eſt, interprete Lambino, *Nam plus ſuo obtinere, lucrum facere appellatur; minus autem, quam quod initio ſuppetebat, habere, damno affici.* ζημιοῦσθαι. Ethic. Nicom. l. 5. c. 7. Lap. 4.
Neque *pœnam*, ſi ζημιοῦσθαι ſæpe ſignificat, ſemper ſignificare neceſſe eſt. Quamquam illud etiam dari poteſt eam, quam Euangelicus ille *architectus* tum facturus eſt, & *operis* in quo olim laboraverat, & laudis, quæ id opus, ſi recte habuiſſet, conſecutura erat, *jacturam*, *pœnam* ſed improprie dici poſſe; quod ea aliquid ſit per ſe triſte, & ei qui id patitur, moleſtum. Sed (inquit) ζημία hæc opponitur *mercedi*. Ergo ut *merces* non eſt ſimpliciter *operis*, quod *manet*, conſervatio; ſic neque ζημία ſimpliciter *operis*, quod *arſit*, *jactura*. Quid ſi id conceſſero? Nam hæc *jactura*, non ſolum ejus operis *jactura* erit; præterquam hic *architectus* laude etiam ea cariturus eſt, quam ille alter operis bene ædificati *mercedem accepturus* eſt. Sed non eſt putandum tamen hic *mercedem* τῇ ζημίᾳ ſic opponi, ut ſint utrimque omnia contraria; quod ſi eſſet, hinc profecto conſequeretur, ut in *mercede* vita æterna continetur; ſic in ζημίᾳ mortem quoque æternam intelligi; quod plane eſt contra Apoſtolum, qui diſerte addit hunc τὸν ζημιωθέντα *ſervatum iri*. Vnde apparet, non ſi *merces* eſt aliquid præter operis conſervationem, ideo ſequi ut ζημία ſit aliquid quoque præter operis *jacturam*. Satis eſt, ut valeat oppoſitio, huic deeſſe, quod illi ſupereſt; hunc fructu operis carere, quo ille fruitur. Quod vero addit adverſarius, *ſi ita ſe res habeat*, lucrum *potius*, *quam* jacturam *facturum eum*, *cu-* Bellar. ubi ſup. s. 4.

jus

jus opus ardebit, id, inquam, ridiculum eſt. Fateor ſi ſeorſim, & per ſe ſpectetur, lucrum eum facere, qui non una cum opere ſuo perit, ut qui evaſit naufragus pro lucro habet animam, quam non una cum nave, & opibus amiſit. Sed ſi hunc cum altero illo contendas, qui non modo ſervatur ipſe, ſed & opere poſt examen ſuperſtite fruitur; nemo non videt eum ζημιοῦσθαι, quod ait Paulus, *jacturam facere*, cui quod *ædificaverat*, perit; ut neque naufragum, quamquam enatantem, damnum ſive detrimentum paſſum eſſe negamus, qui navim & opes, cæteraque diuturni laboris præmia amiſit. Denique ut hoc caput abſolvam, hunc architectum, de quo quæritur, non ullam aliam pœnam perpeſſurum præter *operis jacturam*, ipſe Paulus liquido conſtituit, dum τῷ ζημιωθῆναι opponit τὸ αὐτὸν σώζεσθαι. *Si cujus opus arſerit* ζημιωθήσεται. αὐτὸς δὲ σωθήσεται. *detrimentum patietur. ipſe autem ſervabitur*, ſive, *ſalvus erit*. Opus ab operante clariſſime diſtinguit; *opus* quidem periturum; *operantem* vero ſervatum iri. *opus arſurum*, atque hactenus artificem multatum iri; ipſum vero, hoc eſt ejus, (ut vulgo loquimur) perſonam ſalvam, & incolumem futuram. Hanc autem in verbis Apoſtoli manifeſtam antitheſin penitus ſubruit Bellarminiana gloſſa. *Opus ardebit*, inquit Paulus. Quid artifex? Ipſe etiam *ardebit*, inquit Bellarminus. Ergo (inquam ego) inepte artifex operi opponitur, cum ſit conſimilis utriuſque futura conditio. Atqui alterum alteri Apoſtolus oppoſuit; *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit.* Ergo ſtatuit non *arſurum* artificem; quem ſic multæ in operis jactura, quam facturus eſt, ſubjicit, ut ipſe nullam vel in corpore, vel in anima paſſurus ſit pœnam. Sed & ultima Apoſtoli verba, quæ jam explicanda ſunt, objicit adverſarius, nimirum iſta: αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρὸς *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Vult nimirum iis verbis ſignificari iſtum eodem modo *ſervatum iri*, quo is ſervatur, qui *per ignem* aliquem tranſit: non ſolere autem, qui *per ignem* tranſeunt, ſine dolore & læſione aliqua evadere. Sed primo quæcumque hic ſtatuatur læſio, eam ad ultimi judicii tempus referri ex ſuperioribus ipſius Bellarmini placitis neceſſe eſt. Nam Paulus hujus *architecti opus* in igne ultimi judicii *arſurum* ponit; cæterum ipſum ea *jactura* multatum σωθήσεσθαι *ſervatum iri*, eodem ſcilicet tempore. Quo pertinet ſimilitudo hic à Bellarmino adhibita, craſſa quidem illa, ac pœne ridicula, ſed tamen ad hoc quod præ manibus habemus, probandum idonea. Vult enim ille Evangelicum hunc operarium de quo nunc quæritur, illi *architecto* eſſe ſimilem, qui domum exſtruxit ex *aſſeribus*, & *ſtipitibus*, eamque *fœno*, & *ſtipulis* contexit. Iam inquit, illa ignem ſi adhibeatur,

Ibid. §. Secundo ignis iſte.

l. 1. de purg. c. 5. Vtitur. §. Hac poſita.

beatur, continuo concipiet, brevique tempore tota conſumetur; *& ſi architectus intus ſit, & velit ſalvus egredi, videbimus eum exire non poſſe niſi per ignem. In quo tranſitu, non quidem morietur, ſed tamen barba, & capilli non egredientur incolumes.* Tum ait hanc eſſe ſimilitudinem, qua B. Paulus utitur, cum ait, *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ex his apparet, eodem *igne* architecti & *opus* abſumi, & *barbam* ac *capillos* amburi. Atqui vult Bellarminus *opus* ultimi judicii *igne* conflagrare; Eodem ergo igne & ipſum operarium amburi, atque lædi neceſſe eſt; & quicquid iſti, dum tunc σωθήσεται, doloris, aut læſionis accidit, id totum quantumcunque eſt, illo ultimi judicii tempore contingere; neque adeo ad purgatorii pœnas pertinere, quæ ſcilicet ante illam diem deſituræ ſunt. Hoc primum. Tum vero donato, non autem conceſſo, aliquid valere hanc adverſarii argumentationem, reſpondebo illum dolorem, ſine quo non vult Bellarminus *ſalvari* illum à Paulo memoratum *architectum*, nihil aliud eſſe, quam tacitum illum mœrorem, atque pudorem, quem ipſi ædificati olim à ſe *operis* conflagratio allatura eſt. Sed ut is, qui ex incendio evadit, de vita ſervata multo magis lætatur, quam dolet de ambuſta ſi forte barba, vel amiſſo palliolo; ſic etiam iſte artifex, qui conflagrante opere *ſervabitur*, tanto ob inventam Dei miſericordia æternam vitam gaudio perfundetur, ut levem iſtam *operis* ſui in *igne* pereuntis jacturam, qua tum defungetur, vix, ac ne vix quidem ſenſurus videatur. Denique ajo perperam huc à Bellarmino trahi illa ab Apoſtolo adjecta verba, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός. Primum enim verbum σωθήσεται omnino hoc loco videtur idem eſſe, quod apud nos *evadere*, dum ex aliquo periculo *ſervamur*; quo in ſenſu ſæpe ſumitur apud ſcriptores ſacros; ut in Actis, λοιπὸν περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς *de reliquo ablata erat omnis ſpes nos ſervari*, id eſt nos ex eo diſcrimine evaſuros; ac ut vertit Latinus, *jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.* Quo etiam modo accipiendum videtur, quod Iudæis ait Petrus, σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, *Salvamini, evadite, eripite vos à generatione iſta prava.* Itaque cum de ſummo illo judicio hic agat Paulus, in quo vanum Euangelici artificis *opus arſurum* eſt, eleganter ipſum artificem ex tanto diſcrimine *evaſurum*, σωθήσεσθαι ait. Sed quoniam ſic ex illo judicio evadet, ut ſimul ac ſemel æternæ ſalutis compos futurus ſit, non eſt quod vehementius cum iis pugnemus, qui hoc verbum ſimpliciter de illa *ſalutis*, æternæ adeptione interpretantur. Illa autem, quæ ſequuntur οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός, *ſic tamen quaſi per ignem*, non ullam ejus, qui *ſervabitur*, læſionem, aut ullum dolorem, ſed rei tantum

Act. 27.21.

Act. 2.40.

difficultatem, ac (ut ſic dicam) miraculum notant. Sunt enim (ut doctiſſimus Scaliger obſervavit) ducta ex communi quodam, omniumque pæne hominum ſermone, ac linguis trito proverbio, quo is qui ægre ac difficulter ſervatur, dicitur *ereptus quaſi ex incendio*. δαλὸς σωθεὶς ἐκ πυρός. *torris ex igne ſervatus* אוּד מֻצָּל מֵאֵשׁ quod eſt apud Prophetam Amos. Hieronymus vertit: *Facti eſtis, quaſi torris raptus ab incendio*; & in commentario in eum locum proverbium illud his Apoſtoli verbis diſerte accommodavit, *juxta illud* (inquit) *quod in Apoſtolo legimus, ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem*. Apoſtolus igitur non *purgatorium*, non *probatorium*, non ullum alium certum, ac definitum ignem ſignificat; ſed in genere de quovis *igne*, ſive incendio intelligit, è quo nonniſi ægre evaditur. Itaque cum antea verſu decimo tertio *ignis* nomini articulum præfixiſſet ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι τὸ πῦρ δοκιμάσει, quia certum quemdam *ignem* (divini nempe judicii ſignificabat,) hic indefinite, ac ſine articulo ſcripſit, σωθήσεται οὕτως ὡς διὰ πυρός. Atque hoc loco mirari ſubit, quæ quantaque ſit vis veritatis, quæ Bellarminum quamquam contra nitentem, atque hanc Apoſtoli phraſin, ejuſque originem, aut ignorantem, aut certe minus obſervantem, Subegit tamen id ipſum, quod res eſt, fateri, & quidem non ſemel. Nam dum ad quoddam Cajetani argumentum reſpondet hæc Pauli verba, *ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, ſic explicat, ut ſignificent, *ſalvus erit, ut illi, qui per ignem tranſierunt*; & in extremo capite iterum, ſenſum eſſe ait, *ad ſalutem perveniet, ſed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad aliquem locum, is qui tranſit per ignem*; ac in ipſis poſtremo capitis initiis, ubi quæ ſit hujus loci ſumma docet, illam particulam conſimiliter exponit. Hæc vero ita accipere, quid aliud eſt, quam quod nos modo dicebamus, fateri, ſic iſtum die ultimo *ſervatum iri*, quaſi ex incendio? quod nimirum ſola Dei miſericordia, atque indulgentia factum eſt, ut evaderet, neque una cum *opere* periret? Iam ex his, quomodo *purgatorium* ſuum eruat Bellarminus, neque ipſe dicit, neque ego ſane divinare poſſum. Ex eo-ne quod ait Apoſtolus *iſtum ſervatum iri, ſic tamen quaſi per ignem*, concludet eum omnino, antequam *ſervetur*, per *ignem* aliquem tranſiturum? Sed primo, cum id quicquid eſt, non poſſit alio, quam ad illud divini judicii tempus referri, ut ſupra fuſe demonſtravimus, ſi hinc ſequitur iſtum, ut *ſervetur, per ignem* tranſiturum, omnino fatendum erit illo ſupremi judicii die tranſiturum, adeoque illum, per quem *ſervabitur ignem*, non *purgatorium*, qui ante illum diem exſtinguetur, ſed alium aliquem eſſe, ſupremis illis mundi temporibus exarſurum. Deinde ſi valeret hæc adverſariorum argumentatio,

Am. 4. 11.

ub. ſupr. 5. Ad primum.

1. objiciunt ſecundo.

4. Hac poſita.

tatio, cauſſa tamen dici non poſſet, cur hic *ignis*, per quem ad ſalutem perveniri volunt, potius de alio quopiam igne ſumendus eſſet, quam de eo ipſo, cujus paulo-ante in eadem oratione, uno tantum interjecto verſiculo, meminerat Apoſtolus, cum diceret, *Uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.* Quid tu mihi neſcio quem occultum, & ex ſubterraneis cryptis petitum *ignem*, Apoſtolo non nominatum, non intellectum, non uſpiam alibi memoratum, repente huc invehis? Præſto eſt, obvius, atque in medio poſitus ille ignis, quem tu ipſe Apoſtolum hoc loco ſignificaſſe, non fateris modo, ſed contendis, & pugnas; *ignis* videlicet judicii divini. Itaque ſi certum eſt, atque obſtinatum, non aliter fateri hunc, de quo Apoſtolus in poſtremo loci allati commate loquitur, *ſervatum* iri, niſi prius *per ignem* tranſierit; concedam ſane, quando hoc vis tam vehementer, ſed ea lege, ut *ignis*, per quem iſtum tranſire jubes, *ignis* ille idem ſit, de quo proxime memorabat Paulus; quo iſtius, cujus nunc agitur ſalus, *opus probatum*, atque exuſtum iri, & hoc, & ſuperiori verſiculo dixerat; quem tu *ignem* cum longe alium à *purgatorio* veſtro eſſe conſtitueris; vides quam nihil ad ejus cauſſam faciat, quod tu tantopere contendis, iſti nimirum de quo loquitur Paulus, omnino per aliquem *ignem*, ad hoc ut *ſervetur*, tranſeundum eſſe. Denique reſpondeo omnino ineptam, ac ridiculam eſſe, quam nectit adverſarius, ex hoc loco confectionem. *Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ergo non *ſervabitur*, niſi *per ignem* aliquem re vera tranſierit. Speciem fortaſſe aliquam, tametſi tenuem, atque exiguam, haberet, ſi ſimpliciter ſcriptum eſſet, *ſalvus erit per ignem.* Sed cum Apoſtolus, non *per ignem* ſed, *ſic quaſi per ignem.* ὕτω ᾗ ὡς διὰ πυρὸς, *ſervatum* iri dixerit; cum ipſe adverſarius diſertiſſime ſcripſerit, *particulam quaſi* ſimilitudinem ſignificare, non *ignis*, quaſi *ignis* ille non ſit *verus*, *ſed phantaſticus* (quod nos ſane minime affirmamus) *ſed tranſeuntis per ignem*; cum hunc eſſe ſenſum ſæpius, ut monuimus, inculcaverit, *ſalvus erit, ut illi, qui per ignem tranſeunt*; quæ major fingi poteſt ineptia, aut incogitantia, quam ex hoc ipſo loco ſic ſcripto, ſic explicato, concludere iſtum, qui *ſervabitur*, *per ignem* quoque vere ac proprie tranſiturum? Certe non quiſquis *ſervatur*, ut qui *per ignem ſervatur*, is ſtatim *per ignem* tranſiſſe ſignificatur. Quiſquis *velut ex incendio ereptus* dicitur, is *ſervatus* intelligitur, ſic quaſi *per ignem*; neque tamen eo credo concluſerit adverſarius neminem *velut ex incendio ereptum* dici poſſe, qui non ad ſalutem per medium *ignem*, pervenerit. An ergo per *ignem* vere ac proprie tranſierant, illi Iſraëlitæ, quos Amos factos eſſe ait, *quaſi torrem raptum ab incendio?* An ſi Noachum ex communi exi-

tio, quod omne hominum genus abſumpſit, velut ex univerſali incendio *ſervatum* ſuperfuiſſe dixero; tu inde pugnabis me intellexiſſe Noachum re vera per medios *ignes* evaſiſſe? Nugæ. Non ex *igne* evaſiſſe eum intellexi; ſed ſimiliter evaſiſſe, ac eum, qui ex *igne* ereptus eſt. Ita Paulus hoc loco, quem *ſervatum iri* ait, *ſic quaſi per ignem*, eum non ex *igne*, aut *per ignem* evaſurum ſignificat; ſed eadem ratione evaſurum ac qui *per ignem* evadit; id eſt *ægre* & cum diſcrimine, ſola Dei optimi maximi ope, atque miſericordia. Quæ autem ſimilia ſunt, non ideo eadem eſſe cenſenda ſunt; & inter ſe comparari ſolent, non quæ eadem, ſed quæ ſimilia; adeoque quod comparantur, eo ipſo fere intelliguntur non eſſe eadem. Itaque quod is, de quo Paulus loquitur, ei comparatur, qui *per ignem* tranſit, id potius non tranſire ipſum *per ignem*, quam tranſire docet. Si ipſe ad ſalutem non aliter perveniret, quam *per ignem* tranſeundo, nihil neceſſe erat illas ſimilitudinis particulas ὥσει & ὡς *ſic*, *quaſi*, hic adhiberi. Satis erat dicere, *ipſum per ignem ſervatum iri*. Fateor iſtis particulis etiam locum eſſe, ubi ſecum res ipſæ quodammodo comparantur; (Id enim aliquando fit) qualiter uſurpatam voculam *ut* Hebræi Grammatici vocant *caf veritatis* כף אמיתות cujus generis eſt, quod hic à Bellarmino è Ioannis primo capite laudatur, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre*, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός; hoc eſt, eam gloriam, quæ Chriſto, utpote unigenito Dei Filio, digna erat. Sed primo, non ſi aliquando ita ſumitur hæc particula, ideo & hic ita quoque eam ſumi neceſſe eſt. Adverſarii eſt id probare. Mihi, qui ejus argumenta nunc diſcutio, ſufficit ad hoc diluendum, quod ſæpe, imo longe ſæpius, in Scriptura aliter uſurpantur hæ voculæ ὡς, *ut*, *ſic*, *quaſi*, *tamquam*, & ſimiles; quod nemo negaverit. Præterea vix videtur huic loco convenire poſſe ille iſtius particulæ uſus; quæ quoties eo ſenſu ſumitur cauſſalis eſt, rationemque ejus reddit, quod quis affirmat, vel negat. Vt in allato exemplo, quod Chriſtus eſſet patris filius unigenitus, id ipſum ejus gloriæ cauſſa fuit, quam ſe in ipſo ſpectaſſe ait Apoſtolus. Sic ubi Paulus fideles hortatur, *ut ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ induant*, id ipſum, quod *electi Dei* erant, ſignificat cauſſam fuiſſe, cur miſericordes eſſe deberent. Si igitur eam vim habet illa particula in hoc Pauli dicto, *ſervatur ſicut per ignem*, ſtatuendum erit *ignem* cauſſam, & rationem eſſe, cur is, qui *per ignem* tranſit, *ſervetur*; quod eſt abſurdiſſimum. *Ignem* enim exitii potius, quam *ſalutis* cauſſam eſſe clarum eſt; adeo ut eum, qui hoc modo *ſervatur*, ex igne exire neceſſe ſit, non aliter *ſervandum*, niſi exierit, periturumque haud dubie, ſi in *igne* manſerit; quod plane contra ſe habet in allatis

Ioan. 1. 14.

Col. 3. 12.

in allatis exemplis. Nam eam *gloriam*, *quam* Chriſtus *habuiſſe* dicitur, quaſi Filius, ideo *habuit*, quod eſſet Filius, & quidem tanto majorem, quanto verius Filius fuit. Neque eum Filii dignitate exire neceſſe eſt, ut ea *gloria* fruatur; ſed plane contra. Sic & fideles quanto magis electi Dei ſunt, tanto magis miſericordes ſunt; & cum Petrus *Chriſti ſanguinem pretioſum* eſſe ait, *quaſi agni immaculati*; liquet eum ſignificare eo ipſo *pretioſum* eſſe illum Chriſti *ſanguinem*, quod ſit *agni immaculati ſanguis*, & quamdiu *agni* iſtius erit, tamdiu *pretioſum* fore; atque ita de cæteris, quantum equidem obſervare potui. Hic vero nihil hujuſmodi videre eſt. Nam nemo eo *ſalvus* eſt, quod *per ignem* tranſit; neque eo non *ſalvus*, quod non tranſit. Contra vero hæc duo ſimul ſtare non poſſunt. Quamdiu enim quis in *igne* eſt, tamdiu ſalvus non eſt. Itaque, quod nuper dixi, *igne* eum exire, ad hoc ut *ſalvus* ſit, neceſſe eſt. Denique, ut ſit finis, etiamſi particula *quaſi*, vel *ſicut* hoc loco ita ſumeretur, ut volunt adverſarii, non ideo tamen *purgatorii* cauſſam juvaret. Nam quod jam fuſe demonſtravi, *ignis* iſte per quem eum, de quo loquitur, *ſervari* dicit Apoſtolus, de *igne* accipiendus eſſet, non *purgatorio* (quem nuſquam vel leviter indicavit) ſed *probatorio*, de quo & hic & proximis verſiculis, etiam fatente adverſario, egerat. Nimirum hic erit verborum Apoſtoli ſenſus (ſiquidem ea ſic interpretari placuerit) *Ipſe ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. hoc eſt, Quamquam operis jacturam facturus ſit, ipſe tamen *ſervabitur*; ſed ægre, neque ſine diſcrimine; qualiter eum *ſervari* conſentaneum eſt, qui ex illa divini judicii flamma, ſingulari Chriſti miſericordia evaſit; tremendoque illo incendio, non quidem ſe, ſed tamen *opus* ſuum abſumi ſenſit. Atque ita jam ſatis, opinor, demonſtratum eſt nihil eſſe adverſariorum purgatorio in Paulino hoc loco præſidii. Antonius Godellus, Graſſenſis nunc epiſcopus in Paulinæ hujus epiſtolæ paraphraſi, quam ante annos non multos vernaculo ſermone edidit, totam hanc ejus particulam ſic fere explicavit, quo modo nos ſupra accipiendam diximus, nulla facta *purgatorii* mentione. Locum non pigebit Latine redditum hic deſcribere: *Certum eſt* (inquit) *Chriſtum Ieſum unicum eſſe Chriſtiani ædificii fundamentum; neque niſi impie aliud præter eum conſtitui poſſe. Qui vero ſuper ea petra ædificant non omnes vel ex eadem materia, vel eodem modo ædificant. Nam qui Euangelium prædicant alii quidem magno ad ſalutem animarum zelo flagrantes, unamque Ieſu Chriſti gloriam quærentes, probam ac ſolidam doctrinam annuntiant. Alii vero non ea quidem prædicant, quæ religionis principia evertant; cæterum iis, quæ recte prædicant, humana commenta, & nimiæ curioſitatis ludibria, vanæque laudis amorem permiſcent.* 1 Pet. 1. 19.

 Illi

Illi palatium ex auro, argentoque, & gemmis exædificant; Hi domum ex ligno, fœno, & ſtipula conſtruunt. Nolite vero exiſtimare hanc utrorumque operum tantam diverſitatem ſemper in occulto manſuram. Aliquando manifeſtabitur quæ ſingulorum fuerit in Euangelii opere ratio, tremendo illo ſcilicet Domini die cum igne venturi. Vt enim ignis lumen quidem, quæ latebant, detegit, atque aperit; vis vero etiam auri ſinceritatem probat; ita quoque Dei (qui ignis dicitur conſumens) judicium illud ſupremum conſcientiarum tenebras fugabit, & quæ hactenus variis fucis inumbrata homines latuerant, ea in lucem protracta omnium oculis objiciet. Si cujus ædificium manſerit, rigidumque illud examen ita ferre potuerit, ut eo defunctum illæſum tamen ſuperſit, is debitam labori mercedem conſequetur. Cujus vero opus in cineres abierit, hoc eſt qui quam ſecutus eſt docendi rationem, utpote vanam, & curioſam, tueri non potuerit, is inquam pudore, ac rubore non aliter perfundetur, quam qui domum ex futili aliqua materia conſtruxit architectus, dum eam mœſtus nullo facto operæ pretio ignem admotum concipere, momentoque in cineres dilabi videt. Ipſe tamen ex hac judicii flamma evadet; ſed ſic, ut qui per ignem neceſſario tranſeuntes vitam quidem ipſam ex illo diſcrimine ſalvam, & incolumem eripiunt; veſte tamen, aut capillis in tranſitu ambuſtis. Quæ ita accipienda ſunt, ut iſtorum, qui in verbi divini miniſterio male ſe geſſerunt, labor ipſis ſterilis, ac inutilis futurus ſit; idque quod bono fundamento perperam ſuperſtruxerunt, conſumptum iri intelligatur, ipſiſque propter pravam, quam ſecuti ſunt in docendo rationem, pereat quicquid ſe ſua iſta opera meritos eſſe putabant. Atque hactenus clariſſimus Godellus.

CAPVT XVII.

Solvitur locus octavus ex 1 Cor. 15. 29. de iis, qui baptizantur pro mortuis. & nonus Phil. 2. 10. de infernis Chriſto genu flectentibus.

NVnc ſequitur ex eadem Pauli ad Corinthios epiſtola locus difficilis ſane, & perobſcurus; in quo Apoſtolus de mortuorum reſurrectione diſputans inter cætera hæc habet: *Alioquin quid* (inquit) *facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?* vel potius *pro mortuis*, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ut in græcis codicibus habetur. Hujus loci caliginem ſtruendis inſidiis opportunam putavit adverſarius. Quinque affert, qua veterum, qua recentiorum in hunc locum diverſas interpretationes, quas ſigillatim omnes confodit; tum ſuam, cæteris dejectis, promit, ſolamque obtinere,

1 Cor. 15. 29.

Bell. l. 1. de purg. c. 6.

obtinere, ac regnare vult. Ipſa primum tam multiplex interpretationum varietas prodit locum (quod monuimus) eſſe obſcuriſſimum; non adeo ex eo genere, ex quibus religionis dogmata demonſtrari debent. Nam quod jam aliquoties monuimus, clara, & perſpicua eſſe decet ea, ex quibus aliquid probare inſtituimus; maxime ſi quod perſuadere volumus, magnum aliquid ſit, & momentoſum, qualia ſunt Chriſtianæ fidei capita. Sed videamus tamen, quid adverſarius tot explofis aliorum ſententiis, rectius ipſe afferat. Ait *baptizari* Paulo hic eſſe, *orare, jejunare, eleemoſynas largiri, flere*, denique pœnitentiam agere; ut ſenſus ſit, *Quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt ſe pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* Hæc autem ſi admittantur, nemo non videt iſtos, de quibus loquitur Apoſtolus, pro mortuis oraſſe; adeoque exiſtimaſſe, quod adverſarii probandum ſuſceperunt, mortuorum animas pœnas aliquas pati ad peccatorum, quæ olim admiſerunt, expiationem. Nolo hic ad Guillaudinam hujus loci expoſitionem confugere, quæ Bellarminiana multo eſt veriſimilior. Guillaudus enim cum Bellarmino ſupponens *baptizari* hic eſſe ſupplicia, & afflictiones pati, id quod apud Apoſtolum ſequitur, *pro mortuis*, interpretatur pro aſſerta mortuorum reſurrectione, ut *qui baptizantur pro mortuis, ii ſint, qui pro illius articuli fidei defenſione non dubitant ſubire martyrium*; Atque eam expoſitionem Gagnæius quoque & refert, & probat ſuis in Paulum annotationibus, Sorbonicæ & ipſe domus Theologus. Nolo Bellarmini ratiocinationem inſectari, quæ (quod alias fuſius ſuo loco demonſtrabitur) ex precibus pro mortuis *purgatorium* inepte concludit; cum etiam eos pro mortuis oraſſe, atque etiamnum orare conſtet, qui *purgatorium* nullum credunt, ſuaſque omnes preces, non ad *purgationem*, ſed ad *reſurrectionem* mortuorum referunt. Nunc quidem nihil opus eſt, eo venire. Ipſa enim illa Paulini loci interpretatio, ex qua longam hanc delitiorum ſeriem nectit adverſarius, à nobis negatur; quippe quæ ineptiſſima eſt, & cæteris, quas ille ſuggilavit, longe abſurdior. Principio enim, quod ille confidenter ſumit, ut *baptizari* ſit *orare, jejunare, flere, ſe affligere*, unde habet? quo teſte probat tam inſolentem hujus vocis catachreſin? *Chriſtus* (inquit) *uſus eſt* quo loco de futura paſſione intelligens ait, *Baptiſmo habeo baptizari; & quo modo coarctor uſque dum perficiatur?* Sic alibi rem eamdem eodem vocabulo expreſſit, cum filios Zebedæi alloquens, *Poteſtis* (inquit) *bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Patres paſſim vocant *afflictionem* pœnitentiæ *baptiſma laborioſum.* Cyprianus in ſermone de Cœna Domini. *Lacrymis* (inquit) *ſe baptizat*; & in prooemio libri de exhor-

ibid. s. Eſt igitur.

ibid. s. Hac expoſitio. s. Secundo.

Luc. 12.50.

Marc. 10.38.

exhortatione martyrii mori pro Chriſto frequenter vocat *baptiſma*; & Gregorius Nazianzenus oratione de Epiphan. *Scio* (inquit) *quartum baptiſma, quod per martyrium, & ſanguinem fit. Scio & quintum lacrymarum, & pœnitentiæ.* Tum addit nonnullos Patres, qui *baptizari igne* vel dixerunt ipſi, vel à Matthæo dictum intellexerunt pro pœnis *purgatoriis* affici. Ex quibus concludit elegantiſſime Apoſtolum dixiſſe, *eos baptizari pro mortuis, qui affligentes ſe oratione, & jejunio ſumunt in ſe partem illius baptiſmi ignei, quo animæ baptizantur in purgatorio.* Hæc adverſarius. Mitto, quod in illa exemplorum farragine Arnoldum Bonævallis in noſtra Gallia Abbatem, verum (ut à viris doctis deprehenſum eſt) libri *de Cœna Domini* auctorem, pro Cypriano, Carthaginis in Africa epiſcopo, quo nongentis annis poſterior fuit, nobis obtrudit. Ad rem venio. Nego igitur ullo iſtorum exemplorum id, quod quæritur, probari. Patres paſſim vocant pœnitentiam *baptiſma laborioſum*. Scio; ſed eo ipſo, quod *laborioſum* vocant, quid id ſit, quod ſignificant, aperte oſtendunt. Neque enim *laborioſus* eſt ſolennis Chriſtianorum *baptiſmus*. Cyprianus, vel verius Arnoldus, dixit *lacrymis ſe baptizas*. Certe; & ſi ſic dixiſſet Paulus, nemo dubitaret, quin uberes *lacrymas* intelligeret. Nazianzenus ſcire ſe ait *baptiſma*, quod fit *per ſanguinem*, & *martyrium*; item & *pœnitentiæ*, atque *lacrymarum baptiſmum*. His adjectis nemo non videt eum & *martyrium*, & *lacrymas* ſignificare; non autem communem aquæ *baptiſmum*, à quo & iſtos dividit. Sic etiam Cyprianus tam clare hoc martyrii baptiſma à quovis alio diſtinxit, ut nullum reliquerit ambigendi locum: *Nos* (inquit) *qui Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus; inſinuantes, & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius; baptiſma, in quo Angeli baptizant; baptiſma, in quo Deus, & Chriſtus ejus exultat; baptiſma, poſt quod nemo jam peccat; baptiſma, quod fidei noſtræ incrementa conſummat; baptiſma, quod nos recedentes de mundo ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo percipitur peccatorum remiſſa; in ſanguinis, corona virtutum.* Et ſiqui *igne baptizari* dixerunt, eos clarum eſt, non de ſolenni apud Chriſtianos *baptiſmo*, in quo *ignis* uſus nullus eſt, intelligere; ſed vel de *ſpiritu*, vel de *pœnis*, quæ metaphorice *ignis* interdum nomine ſignificantur. Paulus vero neque *lacrymis*, neque *igne*, neque *ſanguine*, neque ulla alia redicit *baptizari* eos, de quibus loquitur. Si dixiſſet, fateor, neque mens ejus hac in parte obſcura eſſet, & ſiquis de ea dubitaret, merito in eum hæc exempla afferrentur. Paulus ſimpliciter & abſolute dicit, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Contendit adverſarius, *qui baptizantur* hic ſignificare,

exhort. martyr. præfat.

care, qui ſe ſe *jejuniis*, & *lacrymis* macerant. Quis non videt, ſiquid efficere velit, hujuſmodi afferenda eſſe exempla, in quibus *baptizandi* vocabulum, ſimpliciter & abſolute, ut eſt poſitum apud Paulum, uſurpetur hoc ſenſu? Atqui nullum tale attulit; nec (ut opinor) afferre umquam valebit, quod quidem extet apud locupletem, & idoneum auctorem. Inepta enim haud dubie ejus eſſet oratio, qui vocabulo *baptizari* ita ſimpliciter ad id ſignificandum abuteretur; ut ſiquis verbi gratia ad ſignificandum Davidis luctum, aut Petri fletum dicat, *David Abnere*, vel *Ionata occiſo baptizatus eſt*; vel, *Petrus abnegato Chriſto baptizatus eſt*. Plane inuſitata eſt, & monſtri ſimilis hæc in eo ſenſu locutio. *Baptizandi* verbum (præſertim in forma paſſiva, ita ſimpliciter poſitum, vel id ſacramentum ſignificat, quo nos Chriſto initiamur, vel certe quamvis *ablutionem*, & immerſionem; quod ipſum quoque rarum eſt apud Latinos. Iam eorum locorum, quæ ex Euangelio afferuntur, eadem eſt, ac ſuperiorum ratio. Non enim Chriſtus ſimpliciter, & ἀπολελυμένως dixit, *Baptizabor*, pro *patiar*; ſed in utroque exemplo *baptiſma* illud, quod intelligit, certum quoddam, ac peculiare fuiſſe *baptiſma* ſignificat; quod quamvis ipſe quod, & quale futurum ſit, non dicat aperte, ſatis tamen innuit; *Habeo* (inquit) *baptiſmo baptizari*; &, *Poteſtiſne baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Certum, ac definitum, certoque ſibi conſtitutum *baptiſma* notat. Vt autem pateat, quantum ſit inter iſta diſcrimen, fac aliquem ut Chriſtum paſſum fuiſſe ſignificet, dicere, *Chriſtus ſub Pontio Pilato baptizatus eſt*, vel, *Chriſtus pro hominibus baptizatus eſt:* nonne is ineptiſſime loqui cenſebitur, omnibuſque vel inſanire, vel certe de *baptiſmo* Ioannis à Chriſto ſuſcepto intellexiſſe videbitur? Chriſtus eodem loco itidem, ut paſſionem ſignificaret, dixit, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo?* Dic mihi bona fide, nonne furere videbitur, ſiquis hoc exemplo etiam ſibi ita loqui licere putet, ut dicat, *Bellarminus calicem pro mortuis bibit?* ut ſignificet Bellarmini pro mortuorum peccatis *jejunia, preces, ac lacrymas?* Quid ſi dicat de adverſariis loquens, *Quid iſti homines faciunt qui calices bibunt pro mortuis? Vt quid & calices pro illis bibunt?* id eſt cur *flent*, & ſe *affligunt* pro mortuis. Hæc quidem non *elegantiæ* ſunt, quod ait Bellarminus, ſed mera portenta, quæ nulla auris, quantumvis barbara, & inerudita ferre poteſt. Atqui Paulum adverſarius non minus abſurde loqui facit, quem dixiſſe vult, *quoſdam pro mortuis baptizari*, pro *flere* ac *jejunare pro mortuis*. Scilicet multum intereſt vocem ſimpliciter-ne ponas, an aliquo adjecto ad certum ſenſum reſtringas. *Sol Poetarum*, aut *hic Sol*, ſi hominem demonſtravero, pro Virgilio, eleganter dicitur. *Sol* pro eodem ſimpliciter, ut

ſi dicerem, *Sol Æneam lavavit*, aut aliquid ſimile, non modo non eleganter, ſed etiam ſtulte, & abſurde dicitur; imo ne dicitur quidem; Quis enim adeo væcors, ut ſic loquatur? Eo fit, ut *baptizari lacrymis*, vel *igne* de eo, qui vel pœnitens luget, vel pro peccatis punitur, aut caſtigatur, dici poſſit; *baptizari* ſimpliciter pro eodem dici non poſſit. Sic *calicem Chriſtus bibiſſe*, *qui ipſi bibendus erat*, & *baptiſmate baptizatus eſſe*, *quo baptizari habebat*, de Chriſti paſſione optime dicitur. *Calicem bibere*, aut *baptizari* nemo ſanus ſic ſimpliciter, & abſolute pro *affligi*, aut aliquid *pati* dixerit; ut ex iis patet, quæ paulo ante attulimus. Non eſt ergo quod ſperet adverſarius ſe effeciſſe, ut Pauli oratio eo, quo vult, ſenſu accipi poſſit. Huc & illud accedit, quod id, etiamſi adhibitum ab eo vocabulum ferret, non fert tamen ea ratio, quam Apoſtolus in diſputando ſequi ſolet. Nam quæ vere ſunt Chriſtianorum officia, quæque ab ipſis recte ac legitime fiunt, vel feruntur & ſuſtinentur, ſemper ille vel in prima perſona plurali effert, vel certe, ſi pii ſunt, quos alloquitur, in ſecunda. In prima; ut hoc ipſo in loco, *Vt quid periclitamur omni hora?* & paulo ante, *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Alibi: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* In ſecunda; ut, *Liberati à peccato facti eſtis ſervi juſtitiæ.* Alibi: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Itaque cum aliter hoc loco ſe geſſerit, orationemque non in prima, aut ſecunda, ſed in tertia perſona formarit, apparet eum *pro mortuis*, baptiſmum, de quo loquitur, non verum, ac univerſale fidelium officium fuiſſe, ſed peculiare quorumdam tantum inſtitutum, *Quid facient* (inquit) *qui baptizantur pro mortuis? Vt quid & baptizantur pro mortuis?* Vnde conſequens eſt ex adverſariorum quidem hypotheſi *baptizari pro mortuis* minime ſignificare ſuſceptam pro mortuorum peccatis pœnitentiam. Nam cum eam & à Paulo, & à cæteris fidelibus jam tum ex Apoſtolica traditione celebratam fuiſſe velint, tamquam legitimum, ac neceſſarium Chriſtianæ pietatis officium, profecto ſi eam hic intellexiſſet Apoſtolus pro conſueto more, non tertiam, ſed primam, aut ſecundam hujus verbi perſonam adhibuiſſet hoc modo; *Alioqui quid faciemus, qui baptizamur pro mortuis?* vel, *quid facietis?* Non poteſt ulla fingi ratio, cur ſic non fuerit locutus, ſi vera ſunt, quæ ſupponunt adverſarii omnes Chriſtianos jam tum *oraſſe* pro mortuis. Nam quod Bellarminus hariolatur hic intelligi, non Chriſtianos proprie, ſed Iudæos, & qui ex Iudæorum conſuetudine *orabant* & *jejunabant* pro mortuis; idque de induſtria ita uſurpaſſe Apoſtolum, quod Chriſtianorum conſuetudo, ut nova, rejici potuiſſet ab in-

Rom. 6.

Gal. 3. 27.

ub. ſupr. s. At contra.

ab incredulis; id inquam, nihil aliud eſt, quam novum ingenioſæ pertinaciæ commentum. Quaſi vero aut apud incredulos potior fuerit Iudæorum, quam Chriſtianorum auctoritas; aut Pauli hic timidior, quam in ſequenti ſtatim verſu religio, quo ſuam ipſius, cæterorumque Chriſtianorum patientiam ad confirmandam reſurrectionis fidem afferre non dubitat. Mitto quod incertum eſt, & falſo propius, quod hic ſumit adverſarius Iudæos Pauli temporibus pro mortuorum peccatis *orare*, ac *jejunare* ſolitos fuiſſe. Sed de Iudæis quidem non eſt hic diſputandi locus. Hoc unum ajo, ſi Chriſtianorum mos ille fuiſſet, dubitandum non eſſe, quin eum Paulus Chriſtianis omnibus in prima, aut ſecunda (ut ſolet) perſona hic attributurus fuerit. Denique quam aliena ſit iſta adverſariorum interpretatio, vel ex eo liquet, quod cum multi veteres in hoc loco explicando ſudarint, nemo ſit inter eos per tot ſæcula repertus, qui ea vel ſomnians cogitaverit. Primos enim illius auctores Bellarminus eos laudat, qui in fæce temporum vixerunt, *ub. ſupr. §. Et ſequur.* Petrum neſcio quem Cluniacenſem libro contra Petrobruſianos, Dionyſium Carthuſianum, Hugonem, Gagnæium, & alios ejuſdem commatis heroas. Ephræmi quidem *teſtamentum* iſtis etiam permiſcet. Sed nemo neſcit, quam dubiæ fidei apud eruditos habeatur ille Ephræmo inſcriptus libellus. Quamquam ne ſi Ephremi quidem eſſet, ideo ſequeretur Ephremum hunc Apoſtoli locum ſic accepiſſe, ut nunc vult adverſarius. Iſtius enim quiſquis eſt teſtamenti autor, hæc quidem Pauli verba alludens uſurpat; quomodo vero intelligenda ſint, non dicit; *l. 6. c. 5.* quod nos infra ſuo loco demonſtrabimus. Sed (inquit) quænam eſt ergo hujus Paulini dicti ſententia, ſi hæc non eſt? Quid ſi dixero me neſcire? Tibine licebit mea vel modeſtia, vel ignorantia ad firmanda tua ſomnia frui? Certe inaudita eſt hæc diſputandi ratio; vel dicito, quid ſignificet Paulus; vel *purgatorium* ſignificare concedito. Facile fieri poteſt, ut neque *purgatorium* hic Paulus intellexerit; neque tamen ego ſciam, quid intellexerit. Nullus pœne ſcriptor eſt paulo eruditior, in quo non extet aliquid etiam doctiſſimis lectoribus non intellectum. Quid mirum eſt in divinis iſtis Pauli noſtri epiſtolis locum unum, aut alterum reperiri, quem nos minus capimus? Equidem hujus, de quo agimus, fateor mihi hactenus nullam occurrere interpretationem, quæ mihi plane, ac undequaque ſatisfaciat. Cæterum nulla eſt ex iis quinque, quas adverſarius confutavit, quæ Bellarminiana non videatur potior. Nihil neceſſe eſt omnes excutere. De una tantum, & altera dicam, quæ mihi maxime probabiles videntur. Hunc igitur ordinem (ut ego quidem exiſtimo) ducit illa, quæ Bellarmino prima commemora-

tur hujus loci expoſitio; quæ & ſimpliciſſima eſt; & Apoſtoli verbis convenientiſſima, & præterea antiquiſſima (eam enim Tertullianus ſequitur, Latinorum Patrum poſt victorem, & Apollonium vetuſtiſſimus) & multos habet fautores Ambroſium, Haimonem, Anſelmum & ex recentioribus Guillaudum. Quod enim iſti omnes tradunt, id hæc Pauli verba omnino videntur innuere, fuiſſe quoſdam in illis Chriſtianiſmi primordiis, qui pro amicis, aut conſanguineis in fide quidem Chriſti, ſed tamen ante ſuſceptum baptiſmum mortuis, ipſi vicaria quadam pietate baptizarentur, ne illis fraudi eſſet, quod de ſæculo non initiati diſceſſiſſent. Tales ergo fuiſſe videntur apud Corinthios nonnulli; ex quorum hoc facto reſurrectionis fidem confirmat Apoſtolus. Negari enim non poteſt, quin abſurdiſſima futura fuerit iſta illorum conſuetudo, ſi *mortuos* ſic interire putaſſent, ut numquam ii ad vitam redituri ſint. Sed objicit Bellarminus primo, quod Apoſtolus debuiſſet ſaltem inſinuare hunc eſſe errorem, ne daret occaſionem errandi. Reſpondeo inſinuaſſe; dum hoc iſtorum factum in tertia perſona plurali expreſſit, *Alioqui quid facient, qui baptizantur*, &c. Eo enim hunc iſtorum ritum à communi totius Eccleſiæ fide, atque diſciplina ſemovet, tanto evidentius, quod poſtquam de illis dixit, *Vt quid & baptizantur pro mortuis?* illico ſubjicit in prima perſona plurali, *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* Iſta tam ſubita perſonæ in verbo mutatio oſtendit non unius eſſe generis eos, de quibus loquitur; alios, qui *pro mortuis baptizantur*; alios, qui *omni hora periclitantur*; neque priorum, quod memorat factum, ſibi & aliis ejuſdem ordinis probari. Neque vero hinc ſequitur, quod vult Bellarminus; ſaltem iſtorum de juvandis mortuis intentionem probaviſſe Paulum. Vnum eſt, quod probaviſſe eum neceſſe eſt, nimirum quam iſti hoc facto teſtabantur reſurrectionis fidem. Cætera hoc eſt & factum, & facti intentionem, potius Apoſtolo diſplicuiſſe, quam placuiſſe, ex eo colligitur, quod hunc iſtorum ritum à ſuis & Eccleſiæ communibus inſtitutis ſecrevit. Sed & illud ſecundo loco objicit adverſarius; ſi hæc ita accipiantur, non videri Apoſtolum ſolide argumentari. Poſſet enim reſponderi, non bene probari reſurrectionem ex eo, qnod ita credant quidam errantes, quod ſicut in uno errant, poſſint & in altero errare. Reſpondeo hoc argumento uſum Apoſtolum *ad hominem*, ut ſi minus in cæteros, in eos certe valeret, qui cum vicarium hunc baptiſmum, aut uſurparent ipſi, aut ab aliis uſurpari non improbarent, mortuorum tamen reſurrectionem negare non dubitabant. Quamquam neque neceſſe eſt omnia ſic ad vivum reſecare. Multa enim tam Paulus, quam cæteri omnes, etiam divini

ſcriptores

ub ſupr. § Primo.

ibid. §. Prima etc.

ſcriptores in ſuis diſputationibus miſcere ſolent, quę ad illuſtrandam, aut amplificandam potius quam ad demonſtrandam quæſtionem pertinent. Tertio deniq; objicit adverſarius nondum Apoſtoli tempore hunc apud Chriſtianos *pro mortuis baptizandi* ritum in uſu fuiſſe, quod is à veteribus, vel Montaniſtis, vel Marcionitis, vel denique Cerinthianis tribuatur; quorum primi centum, ſecundi octuaginta, ultimi viginti poſt Apoſtolum annis exorti ſunt. Reſpondeo primo quod hic ritus apud iſtos hæreticos obtinuerit, ex eo non ſequi, non fuiſſe ante eos ab ullo uſurpatum. Tertullianus aliter ſenſit; diſerteque jam ipſis Apoſtoli temporibus in uſu apud nonnullos fuiſſe teſtatur; cujus fides, ubi de facto hujuſmodi quæritur, non video cur in dubium vocetur; præſertim cum iis omnibus, quos hic laudat Bellarminus, antiquior fuerit. Et ſane cum Cerinthianorum initia (apud quos hunc ritum obtinuiſſe omnes tradunt) tam prope ab Apoſtoli ætate diſſita fuerint; fieri potuit ut Cerinthus eum ab iis ipſis, quos hic tacite notat Paulus, hauſerit, ſuiſque ſuperſtitione aliqua auctiorem obſervandum tradiderit. Secundo reſpondeo Cerinthum ex Epiphanio Apoſtolorum temporibus vixiſſe, & Petro Hieroſolymis reſtitiſſe, ſuamque hæreſim, ac hunc ipſum alios *pro* aliis *mortuis baptizandi* ritum in Aſia iiſdem temporibus tradidiſſe; unde ſequitur cum Paulus ad Corinthios ſcriberet, jam fuiſſe, qui eum abuſum baptiſmi uſuparent. Atque ita patet, quam leves ſint rationes ab adverſario contra hanc Paulini dicti interpretationem allatæ; quæ neque ſane Godellum deterruerunt, quo minus eam nuper ſua in hanc epiſtolam paraphraſi retinendam putaret. Sic enim ille totum hunc Apoſtoli locum reddidit; *Si mortui* (inquit) *non reſurgunt, quid ſibi volunt, qui inter vos baptiſmum pro amicis, aut cognatis ſuſcipiunt, morte, antequam eo tincti eſſent, præreptis? Non ne ii ſibi ipſis contradicunt; ſi reſurrectionem, cujus ſpem, ac fidem eo facto fatentur, verbis negent?* Ex noſtris vero præter Pelicanum olim, eam expoſitionem nuperrime ſecutus eſt vir clariſſimus Ioannes Deodatus ſuis in verſionem Bibliorum Italicam annnotationibus. Sjquis tamen duriorem putet, is per me licet, vel Chryſoſtomi ſententiam amplectatur, quam noſter Camierius fuſe, ac docte, ut ſolet omnia, à Bellarmini objectiunculis & ineptiis vindicavit; vel Bezæ, qui hunc locum ad eos *baptiſmos*, ſive *lotiones* refert, quibus mortuorum cadavera, antequam tumulo mandarentur, ablui ac mundari ex Iudæorum uſu, non obſcura reſurrectionis ſpe, etiam à Chriſtianis tum ſolebant; ut in Tabithæ recens defunctæ corpore factum Actorum capite nono legimus; vel denique Piſcatoris, qui de iis accipere maluit, qui in cœmeteriis ὑπὲρ

Panar. t. 2. hær. 8. vel 28.

τῶν νεκρῶν *ſuper mortuos*, ſcilicet in ſepulcris jacentes, ideo baptizari volebant, ut teſtarentur ſe una cum Chriſto mortuos eſſe peccato, ac propter Chriſtum paratos eſſe mori, ac ſi jam in ſepulcris condendi eſſent. Nobis quidem, quibus unus hic labor eſt hinc ab adverſariis quæſitum pro *purgatorio* ſophiſma refellere, hæc dixiſſe ſufficit.

l.1.de purg.c.8. §. Nonus. Venio ad locum, quem ex Paulina ad Philippenſes epiſtola Bellarminus deſcribit; *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sed hic locus ad generalem quæſtionem pertinet de animæ poſt mortem ſtatu, non proprie ad præſentem de *purgatorio* diſputationem. Nam etiamſi daretur animas fidelium mortuorum, quod iſti ex his Pauli verbis concludunt, in ſubterraneis ſpatiis verſari, non ideo neceſſe eſſet fateri eas iſtic *igne purgatorio* cruciari, vel ulla alia vere, ac proprie dicta pœna affici. Scimus multos veterum illud diſerte poſuiſſe, qui hoc tamen non admiſerunt, ut alias ſuo loco demonſtrabimus. Tum neque illud prius ex hoc Pauli dicto neceſſario concludi verum eſt. Fatetur ipſe Bellarminus, qui per τὰ καταχθόνια *inferna non improbabiliter dæmones accipi* ait. Certe non aliter hæc interpretatur Io. Antonius Velaſques Ieſuita Hiſpanus; qui ad hæc Pauli verba, *Bene*, inquit, *Anſelmus*, infernorum *id eſt dæmonum, quia & ipſi tremunt ſub ejus imperio. Non quod Angeli, vel dæmones habeant, ut nos, genua, quæ flectant, ſed per ſimile dictum eſt. Dum enim videmus aliquem genua flectere alicui, credimus illum exhibere humilitatem & venerationem ei, ante quem genua flectit.* Qualis ergo eſt hæc Bellarmini demonſtratio, quæ *purgatorium* ex iis colligit, quæ probabiliter alio, quam ad *purgatorium*, referri queunt? Poſſunt & per iſtos καταχθονίους quivis *mortui* intelligi, quorum ſcilicet corpora ſub terra quieſcunt. Quod vero nonnulli ex adverſariis illi expoſitioni, quam & Velaſques ut veram ſequitur, & non improbabilem Bellarminus fatetur, objiciunt neque dæmones, neque damnatos *genu* Domino *flectere*, non eſt pauci; & id quicquid eſt, & Anſelmus, ut ex Velaſque modo recitavimus, & poſtea Thomas ipſe, ſcholæ Romanæ princeps, jampridem ſolverunt. *Dicendum eſt* (inquit Thomas) *quod eſt duplex ſubjectio; una voluntaria, & alia involuntaria; & eſt futurum, quod omnes Angeli ſancti Chriſto ſubjicientur voluntarie; ſed dæmones, & damnati non ſic, ſed involuntarie ſubjicientur.* Atque hæc eadem quoque fuiſſe videtur Cajetani, & Guillaudi ſententia, qui per genuflexionem *adorationem* intelligunt; per *cæleſtia, terreſtria, & inferna*, omnium creaturarum intelligibilium exercitum. Ego vero multo uberiorem, & ſumma, de qua hic agit Paulus, Chriſti majeſtate dignorem illius loci ſenſum fore exiſtimo, ſi ea quæ hic

Phil.2. 10.

in Epiſt. ad Phil. c.2. 10. num. 34. p. 489.

hic dicuntur Chriſto *genuflexura*, non de perſonis modo, id eſt *Angelis, dæmonibus*, & *hominibus*, ſed de omnibus omnino creatis rebus intelligantur, quas ut Scripturæ ſolenne eſt, in tres velnti claſſes dividit Apoſtolus, quibus quicquid omnino eſt contineri neceſſe eſt; primam *cæleſtium*, ſecundam *terreſtrium*, tertiam denique *ſubterraneorum* τ̃ καταχθονίων, ſive (ut Latinus reddit) *infernorum*. Plane ſimilis eſt in Apocalypſi locus, quo ait Ioannes *ſe audiviſſe omnem creaturam, quæ in cœlis eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ in mari, quæ ſunt, & quæ in iis omnia, omnes ſe audiviſſe dicentes, Sedenti in throno, & Agno, benedictio, honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Apoc. 5. 13. Nam Scripturæ familiaris eſt illa proſopopœa, per quam rebus ratione, ſenſuque etiam ipſo carentibus Dei *adoratio*, coram eo *genuflexio*, imo & oratio, & laudatio, & benedictio non aliter tribuuntur, quam ſi viverent, & intelligerent. Obvia ſunt paſſim in Pſalmis, & alibi hujus figuræ exempla. Ita cum Propheta de Deo in Chriſto ſuo patefacto vaticinatur, jubet *cœlos* in tanti Regis adventu *lætari*, *terram exſultare*, *commoveri mare*, & plenitudinem ejus; *Gaudebunt* (inquit) *campi*, *& omnia*, Pſ. 96. (Lat. 95.) 11. 12. *quæ in eis ſunt. Tunc exſultabunt omnia ligna ſylvarum à facie Domini, quia venit.* Sic alibi de eodem argumento; *Flumina plaudent manu* Pſ. 98. (Lat. 97.) 8. (inquit) *ſimul montes exſultabunt à conſpectu Domini.* Mitto alia ejuſdem generis pæne innumerabilia. Iam cum *plaudere manu*, & *exultare*, & *gaudere* non minus à creaturarum inanimatarum natura alienum ſit, quam *genu flectere*, non eſt mirandum, quod Paulus hoc omnibus creaturis tribuerit; venuſtiſſimaque, ac ut in hoc argumento decebat, longe magnificentiſſima ſermonis figura totum orbem cum iis omnibus, quæ à ſummo cœli vertice ad infimum uſque Tartarum vaſto ſinu complectitur, coram Domino Ieſu *genu flexo* procumbentem, ſanctiſſimumque ejus *nomen* humillime *adorantem* repræſentarit; quo donatæ ipſi à Patre majeſtati nihil non ſubjectum eſſe, eique & cœlos, & inferiora elementa, & quicquid iis creatum comprehenditur, faſces (ut ſic dicam) ſummittere, parere, ac morem gerere ſignificaret. Valeant ergo iſti *purgatorii* cives, fruſtra, ac temere huc acciti; quaſi ſcilicet nihil præter eos in *inferis* eſſe poſſit, quod *genu ad nomen Ieſu flectat*; cum plena ſint omnia creaturis, quæ hanc venerationem, eo quidem ſenſu, quem Paulus intelligit, Chriſto Domino tum alias indeſinenter, tum maxime ſuprema die mundum in ſumma gloria judicanti deferant.

CAPUT XIIX.

Solvuntur alia quædam loca ex novo Teſtamento ab adverſariis allata. Decimus ex Apoc. 5. 3. Vndecimus ex Apoc. 5. 13. Duodecimus ex Matth. 3. 11. Tertius decimus ex Rom. 12. 12. XIV.[us] *ex 2 Tim. 1. 16. 18. XV.*[us] *ex 1 Ioa. 5. 16. XVI.*[us] *ex 1 Tim. 2. 2. Concluſio hujus partis.*

Atque hæc è novo Teſtamento Bellarminus. Piget alia, quæ alii eodem torquent refellere; adeo ſunt inepta, & ab omni veri ſpecie aliena. Quale eſt, quod ipſe Bellarminus rejicit, fateturque non multum urgere, quod ex Apocalypſi quidam hæc citant, *Quis dignus eſt aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum.* Neque vero neceſſe eſt eos, qui *ſubtus terram* ſunt, patres in *limbo* degentes cum Bellarmino intelligere. Quis non videt hac ſingularum mundi partium enumeratione hoc tantum velle Apoſtolum, in toto orbe neminem omnino præter *Agnum*, inventum fuiſſe, qui *librum aperire* poſſet?

ub. ſupr. 5. Vtuntur.

Apoc. 5. 3.

Iam & illum alterum ex eodem libro nuper à nobis deſcriptum locum, ubi dicuntur *creaturæ*, quæ ſunt *in cœlo*, & *in terra*, & *quæ ſubtus terram dediſſe laudem* Deo, quo & ipſo ad *purgatorium* confirmandum nonnulli ex adverſariis abutuntur, Bellarminus ab hac cauſſa ſummovet, *non convincit*, inquit. *Nam poſſunt hic per creaturas intelligi res inanimæ, ut ignis, grando, &c. quæ in Pſ.* 148. (Hebræis 149.) *ad Deum laudandum invitantur; præſertim cum Ioannes addat etiam ea, quæ ſunt in mari.* Atque ita eum locum interpretatur Carthuſianus, & fuſius Pererius.

Apoc. 5. 13.

ub. ſupr. 5. Vtuntur.

Pauca alia, quæ à quibuſdam afferuntur, vel Bellarmini ſilentium fatetur nullam habere vim ad demonſtrandum *purgatorium*. Cujus generis illud eſt, quod ait Ioannes *Chriſtum baptizaturum in Spiritu, & igne.* Sunt (inquit Maldonatus) *qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, quo homines poſt mortem quodammodo baptizantur. Sed dubium non eſt, quin per ignem Spiritus ſanctus ſignificetur. Conjunctio enim* & *hic non eſt conjunctiva; ſed explicativa.* Hæc Maldonatus. Cajetanus *ignem* vel de *Spiritu ſancto*, quo baptizati ſunt die Pentecoſtes Apoſtoli, vel de *tribulationibus* præſentis vitæ accipit. Sic & Claudius Guillaudus, qui quamquam & *ignem futurum* obiter ex Hieronymo memoret, diſerte tamen ait *quæ hic de igne dicuntur non de terreſtri igne intelligenda eſſe*,

Matth. 3. 11.

eſſe, ſed de virtute Dei, qua corda credentium regenerantur, illuminantur, purgantur, & accenduntur.

Quod vero ibidem addit Ioannes Chriſtum *ventilabro aream ſuam permundaturum, & triticum quidem congregaturum in horreum ſuum, paleas vero combuſturum igne inextinguibili*, manifeſte pertinet ad eam electorum à reprobis ſeparationem, quæ à Chriſto ultimo die vi judicii, tamquam *ventilabri*, ſic fiet, ut electi quidem in cœlum colligantur; reprobi vero in *ignem* gehennæ mittantur. Atque ita hæc Ioannis verba vulgo accipiunt plærique, etiam adverſariorum, interpretes Carthuſianus, Cajetanus, Toletus, Salmero, Guillaudus, & res ipſa loquitur; niſi *ignem purgatorii* ipſum quoque ἄσβεστον eſſe velint; numquam adeo exſtinctum iri affirment; ut in re clara nihil opus ſit verba perdere.

Summæ vero eſt inverecundiæ, quod aliqui huc trahunt hæc Pauli ad Romanos verba, *orationi inſtantes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes*; quaſi mortuorum *neceſſitates* intelligat Apoſtolus, iiſque ſubveni- *Rom. 12.12.* re præcipiat oratione, eleemoſyna, jejunio. Atqui notum eſt Paulo quidem paſſim *ſanctos* dici fideles quoſvis etiam in hac vita conſtitutos; adverſariis vero ſolos cœlites. Hos cum in cœlo ſint, nihil noſtris ſuffragiis egere, ipſi docent. Illos ergo, hic nimirum in terris nobiſcum viventes Paulus beneficiis, & eleemoſynis noſtris juvari vult; quorſum & illud ſpectat, quod continenter ſubjicit, *hoſpitalitatem ſectantes*. Neque enim credo, hoc etiam ad *purgatorii* cives pertinere dicent, quos hoſpitio à ſuperſtitibus excipi inauditum eſt. Neque vero hoc Pauli præceptum, ut *neceſſitatibus ſanctorum communicemus*, aliter quam de benignitate in egenos fratres intelligunt ipſi etiam adverſariorum laudatiſſimi interpretes Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Claudius Guillaudus, Toletus, Godellus. Cajetanus vero iſta verba ne interpretatus quidem eſt, quaſi ſatis per ſe obvia & facilia. Iam quod nonnulli ex ad- *Panſtrat. T. 3. l. 26. c. 18 &c.* verſariis afferunt quoſdam è veteribus hic apud Paulum legiſſe μνείαις, non χρείαις *memoriis ſanctorum communicantes*, id nihil eorum cauſſam juvat. Nam aliud eſt *mortui meminiſſe*; aliud *pro eo precari*. Siquis plura deſiderat Camerium noſtrum adeat; qui fuſe & accurate docet, tum non *plæroſque*, ſed oppido paucos Patres μνείαις apud Paulum legiſſe; puta Rufinum, Optatum, auctorem commentariorum in Apoſtolum apud Ambroſium, & Pelagium in epiſtolam ad Romanos apud Hieronymum; tum illam lectionem, etiamſi ea admittatur, nihil ad purgatorium facere.

Quod ſequitur quamquam infirmum, minus tamen eſt, quam illud, abſurdum. Paulum pro *mortuis* oraſſe colligunt ex altera ejus ad Timo-

theum epiſtola, *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui; quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit; ſed cum Romam veniſſet ſollicite me quæſivit, & invenit. Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino*
2 Tim. 1. 16. 17. 18. *in illa die.* Joculare illud mitto, quod nonnemo Paulum, dum *Oneſiphori domum* Deo commendat, ejus patri, avo, abavo, matri, aviæ, & cæteris majoribus morte proculdubio jampridem functis, bene precari vult. Nam nepotis *domo*, ſive familia avum, patrem, & cæteros majores contineri, quis umquam fando audivit? Ergo ne etiam iſtos Oneſiphori avos, atque abavos, & tritavos in calce epiſtolæ intellexit Pau-
2 Tim. 4. 19. lus, cum Timotheum jubet *ſalutare Oneſiphori domum?* Nugæ. Sed *ipſum certe* (inquit) *Oneſiphorum, quo tempore hanc epiſtolam ſcripſit Paulus, mortuum fuiſſe neceſſe eſt.* Quid ita? Quia (inquit) Paulus ſalutem dicit ejus domui; *Saluta Priſcam, & Aquilam; & Oneſiphori domum;* Ipſum Oneſiphorum dixiſſet, ſi is tum adhuc ſuperfuiſſet. Mirum acumen. Quaſi non hoc nomine ipſe etiam Oneſiphorus comprehendi poſſit, qui *domus* ſuæ pars & ipſe fuit. Sane quo loco ait Paulus baptizatam *à ſe Stephanæ domum*, eamdemque alibi *primitias* Achaïæ vocat, ex
1 Cor. 1. 16. & 16. 15. eo nemo ſanæ mentis concluſerit ipſum Stephanam vel non baptizatam à Paulo, vel nullam fuiſſe iſtarum *primitiarum* partem. Tum ſi detur Oneſiphorum ipſum non fuiſſe hic à Paulo ſalutatum, non inde continuo ſequitur mortuum fuiſſe. Quid ſi *domo* eum abfuiſſe Paulus ſcivit, quo tempore hæc ad Timotheum ſcribebat? Nam non ſemper domi hæſiſſe vel illud docet, quod eum Romam veniſſe hoc ipſo loco ſcribit Paulus. Huc & illud accedit, quod ſolenni errore ex precibus pro mortuis *purgatorium* inepte colligunt. Hoc certe Pauli pro Oneſiphoro votum, etiamſi (quod non eſt concedendum) daretur eo mortuo factum fuiſſe, tamen clarum eſt nihil *purgatorii* cauſam promoturum eſſe. Non enim petit Paulus, ut Oneſiphorus è *purgatorio* liberetur; ſed ut *miſericordiam apud Dominum illa die*, hoc eſt, (ut omnes conſentiunt) ſuprema judicii die inveniat. Atqui nihil *purgatorio* cum ultimo judicio commune eſt. Clarum eſt optare Apoſtolum, ut Oneſiphorus Domini olim bonitate & miſericordia in tremenda illa die abſolutus beatam immortalitatem, gratuitum fidei, atque obſequii præmium à Chriſto accipiat. Cajetanus *Ratione majoris hujus officii orat pro æterna retributione in die judicii.* Hæc vero quid ad *purgatorium?* Eſpenſæus: *Miſertus eſt mei. Miſereatur ejus Dominus. Vt me requirens invenit: Sic miſericordiam, miſericordiæ ſuæ fructum requirens inveniat. Eſt enim παρονομαϲία in* εὗρε *&* εὕρεν; *reperit in ergaſtulo, quem quærebat (me ſcilicet Romæ) reperiat in paradiſo, quod præſtitit.*

Huc-

Huc etiam aliqui torquent hæc Ioannis ex priori epiſtola verba; *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Nimirum quæ fiunt pro iſto preces, eas poſt ejus mortem fieri volunt. Atqui nihil tale Apoſtolus; & verbum *peccare ἁμαρτάνοντα* præſentis, non autem præteriti temporis, eum quo tempore pro ipſo petimus, ſupereſſe indicat. Neque repugnat Lorinus, quamquam Ieſuita, *Probabile arbitror* (inquit) *ſermonem hic eſſe tantum de peccatis vivorum, & non de ſtatu jam mortuorum cum mortali peccato.* Heſſelius: *Qui ſcit* (inquit) *fratrem ſuum peccare grande aliquod peccatum, per quod etiam vita amittitur, tale tamen quod non ſit ad corporalem uſque mortem ejus duraturum, quia videlicet propoſuerit illum Deus ex eo peccato eripere, petat à Deo.* Godellus; *Qui novit fratrem peccatum aliquod ex infirmitate potius, quam ex malitia admiſiſſe, neque in eo ſcelerata pertinacia perſeverare velle, pro eo orare poterit, confidens Dominum hujuſmodi peccatorem ſibi donaturum, hoc eſt crimen illi remiſſurum.* Ferus eodem modo explicat *peccatum, quod non eſt ad mortem.* Sane novum eſt & mirum, hæc verba, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare*, ſic accipere, ut ſignificent, *Siquis ſcit fratrem ſuum mortuum, peccatum cum olim viveret commiſiſſe hujuſmodi, quod non eſſet ad mortem.* 1 Ioan. 5. 16.

Sed omnes omnium ineptias ſuperat, quod Turrianus *purgatorium* etiam ex eo Pauli præcepto concludit, quo *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus fieri* jubet. Putaverant hactenus omnes interpretes, ac lectores, omnes mortales, qui in terris vitale ævum agitant, intellexiſſe Paulum; quod præter conſuetam loquendi rationem, vel ea ſatis docent, quæ continuo ſequuntur, *pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate.* (Non enim hoc quidem certe quiſquam credo ſic acceperit, ut voluerit nos Paulus pro Regibus, & magiſtratibus olim fato functis orare; ut eorum ſcilicet, qui nulli amplius ſunt in terris, auctoritate, atque imperio, quod ſupereſt vitæ quiete ac in pace exigere poſſimus.) Sed homo acutiſſimus Turrianus longe ſapientius de hoc loco philoſophatus eſt. Vult enim Paulum cum *pro omnibus* preces fieri præcipit, etiam mortuos intelligere. Quare? Quia *neminem* (inquit) *excepit.* Atqui cum ne damnatos quidem exceperit; ſequeturne Paulum pro ipſis etiam damnatis obſecrationes faciendas intellexiſſe? Atqui ne beatos quidem, qui in cœlo Deum vident, excepit. Ergo-ne etiam pro iſtis precari nos vult Apoſtolus? Certe pro utriſque ex Turriani quidem Dialectica; Qui ſi non putat recte hinc colligi pro alterutris faciendas *obſecrationes*, neceſſe 1 Tim. 2. 1.

eſt,

eſt, ut concedat ne pro aliis quidem mortuis preces hinc concludi poſſe, quos ipſe flammis in neſcio quibus cryptis purgari fingit.

Sed nos jampridem ineptiarum tædet, pigetque. Neque ſane, quod ſciam, plura ſunt, quæ ex novi Teſtamenti libris adverſarii ad hanc cauſſam torquent. Atque ex his patet nihil eſſe in Scripturis, è quo purgatorium demonſtrari poſſit. Nam ex his omnibus locis, quos ab adverſariis allatos expendimus, primo nullus omnino eſt, qui diſerte, ac (ut in ſcholis loquuntur) *formaliter* teſtetur, uſtulari poſt mortem piorum animas, aut omnino pœnas aliquas pendere; nullus è quo id ipſum ſolida ac evidenti & neceſſaria conſecutione inferri poſſit; nullus qui ſine purgatorio commodiſſime explicari non queat; pauci, qui eo citra abſurdum, & incommodum trahi poſſint, etiamſi eſſe *purgatorium* aliunde conſtaret; ut ex ſuperiori diſputatione clarum eſt. Tum loci illi omnes (quod facile deprehendet, quiſquis eos ſigillatim recognoſcere voluerit) vel hiſtorici ſunt, qui res nude quidem & ſimpliciter, ſed plane *purgatorio* alienas narrant; vel allegorici, quales Prophetarum qui ſua oracula multis tropis, ac figuris inumbrant; vel parabolici, in quibus ſub unius rei imagine aliud quiddam ſignificatur; vel denique obſcuri, ac difficiles; quæ omnia nemo non intelligit, quam ſint inepta ad demonſtrandum materia; cum in primo genere conjecturas adhibere neceſſe ſit; de ſecundo, ac tertio, ut illud Ariſtotelis mittam, οὐ διαλεκτικὸν μεταφορεῖς, ipſi adverſarii vulgato in ſcholis adagio dictitent *Theologiam ſymbolicam non eſſe argumentativam*; in quarto denique ipſa eorum difficultas lucem potius à claris, & perſpicuis decideret, quam ut eam dubiis, & obſcuris dare poſſit. Sed & quanta ſit hujus diſputationis futilitas, inde quoque manifeſtum eſt, quod tametſi adverſarii in genere, atque univerſim *purgatorium* omnes aliquod eſſe fateantur, tamen ubi ad ſingula loca ventum eſt, tum vero diſcordes, ut turris olim Babylonicæ architecti, inter ſe ſe, aut altercantur, aut certe quamquam taciti diſſentiunt; quod hi tamquam idoneum *purgatorii* argumentum afferunt, illi vel ineptum eſſe ad hanc cauſſam diſerte monent, vel aliter æque commode accipi poſſe docent, vel denique omittunt, ſilentio nihil ad rem pertinere fatentes; quod ex ſuperioribus patet. Nam nullus fere eſt vel à Bellarmino, vel ab alio aliquo objectus locus, quem non alii earumdem quoque partium Theologi aliter vel explicent ipſi, vel certe explicari poſſe fateantur. Id ſupra in omnibus pæne locis, qui quidem eſſent alicujus momenti, ſigillatim oſtendimus; & iis, quos ex adverſariis teſtes in rem noſtram citavimus, alii fortaſſe non pauci addi poſſent. Ne-

que

que enim omnes nobis legere, vel conſulere licuit. Quod vel unum docet, quanta ſit Peltani vanitas, qui non eſt veritus aſſerere hoc dogma, *non quovis modo, ſed expreſſe, & quidem non uno in loco in ſacris diviniſque litteris traditum exſtare.* Neque ſane omnes adeo defecit pudor, ut non aliqui in tanto numero reperiantur, qui contraria confeſſione hanc Peltani confidentiam retundant. Nam ut Eraſmum, & ſimiles mittam, quibus ſunt iratiores, quod quæ ſentiebant bona fide eloqui auſi ſint, quoſque idcirco *hæreticorum fautores* vocare ſolent; Ioannes certe Fiſcherus, Roffenſis epiſcopus, Romanæ cauſſæ, ſi iſtis credimus, martyr illuſtriſſimus, non obſcure teſtatur nullum hactenus à ſuis vel prolatum, vel animadverſum fuiſſe ſacrarum litterarum locum, è quo *purgatorium* liquido, ac neceſſario demonſtrari poſſit; *Quamquam fortaſſe* (inquit) *unam aliquam Scripturam, quæ protervientem adigat, uti rem velit nolit confiteatur, in promptu non ſit adducere; ſed poteſt eſſe nihilominus illic aliqua, tametſi diligentiſſimos hactenus inquiſitores ipſa latuerit.* Ioachimi Perionii par quoque fuit candor, ac ingenuitas, qui ſcribere non dubitavit, *ſolum Maccabæorum locum* (de quo alias ſuo tempore atque ordine videbimus) *depromi poſſe ex Scripturis, qui aperte doceat preces, & ſacrificia prodeſſe mortuis;* quod Scripturæ ea de re ſilentium quemdam de rure parochum non inurbana facetia apud ſuam plebem purgaſſe accepimus; Nimirum ut in Geographicis regnorum, ac provinciarum tabulis inſignes civitates notantur, oppidula, & pagi ignobiles omittuntur; itidem ille in Scripturis factitatum eſſe dicebat; in iis paradiſum, ac infernum, quod eorum præcipua eſſet, ac longe cognitiſſima nobilitas, in cœleſtibus illis tabulis clare, ac perſpicue deſignata fuiſſe; *purgatorium*, obſcurum, ac devium, & minus frequentem locum, repræſentari, vel notari non fuiſſe operæ pretium. Itaque & Iulius Cæſar Bullengerus in genere difficile eſſe ait, *dari aliquem Scripturæ textum in hanc rem expreſſum, & clarum; & ſi rationibus de ſingulorum locorum, qui afferuntur, interpretatione agatur, annum abiturum totum; tandemque rem manſuram indefinitam.* Idem ſentiebat Petrus Aureolus, Cardinalis, qui cum Græcorum, purgatorium negantium, dogma retuliſſet, ſubjicit *ſanctos quidem expreſſe loqui de purgatorio; Scripturæ vero auctoritatem non haberi faciliter contra iſtam Græcorum doctrinam.* Sic Sonnius Antverpienſium olim Epiſcopus quædam in ſpecie loca, quæ pro validiſſimis hujus cauſſæ firmamentis apud alios venditantur (nimirum ea quæ ex Matthæi quinto capite, & ex Lucæ duodecimo, & ex prioris ad Corinthios epiſtolæ tertio à Bellarmino objecta ſuo ſupra ordine expendimus) ea inquam

cap. 6.

reſp. ad art. Luth. 37.

Topic. Theol. edit. Lut. an. 1549. apud Thom. Rich.

reſp. ad Mornaum de Euch.

in 4. d. 21. art. 1. pag. 151. a.

Demonſtr. l. 2. c. 3. pag. 294. edit. Par. an. 1568.

loca negat Sonnius *per ſe revera demonſtrare locum, & ignem eſſe, quibus animas juſtorum Deus poſt hanc vitam probet, ac puniat. Non enim* (inquit) *loquuntur claro ſermone de ſtatu animarum poſt hanc vitam, & aliam apud nonnullos Patres recipiunt interpretationem.* Ideoque iis adjungi vult *uniformem* (ut ipſe vocat) *Catholicam, vereque Apoſtolicam traditionem totius Eccleſiæ*; id eſt (ut quidem intelligit) Epiſcopi Romani, & eorum, qui ab eo pendent, ſententiam. Eo factum eſt, ut Petrus Cotonus, Ieſuita in Chriſtianiſſimi Regis aula patrum noſtrorum memoria nobiliſſimus, cum in quamdam energumenam incidiſſet, neque tam opportunam occaſionem negligendam putaret homo diſcendi cupidiſſimus, inter cætera, quæ à malo quidem, ſed tamen callido, & docto dæmone ſciſcitanda in chartula quadam annotaverat, etiam diſerte perſcripſerit, *quis evidentiſſimus Scripturæ locus ad probandum purgatorium, & invocationem Sanctorum*; ut eſt ab ampliſſimo viro Iacobo Auguſto Thuano in Hiſtoriarum libris proditum. Quæ certe à Diaboli ſatellite vir eruditus numquam quæſiviſſet, ſiquid in eo argumento certi, atque explorati aut ipſe habuiſſet, aut à ſuis haberi credidiſſet. Ea enim, ut optime judicat Thuanus, *ſciſcitari voluit, quæ aliunde cognoſcere ſpes non erat*; ac ut Iuno Virgiliana, *Acheruntem* ſibi *movendum* ideo putavit, quod apud *ſuperos* nihil profici videret. Quod autem ab erroris, & mendacii patre Ieſuita reſponſum tulerit, neque ipſe umquam teſtatus eſt, neque quiſquam alius, quod ſciam. Hoc quidem conſtat nullum poſt id temporis, vel ab ipſo, vel à cæteris adverſariis, prolatum locum, qui *purgatorium* evidentius, quam antea, probaret; magno argumento, ne infernales quidem ſpiritus, quorum eſt vel Cotono judice, maxima perſpicacia, mirabileque acumen, quicquam in Scripturis videre, quo *purgatorium* demonſtrari poſſit. Neque enim veriſimile eſt diabolum, ſiquid arcanum aut ſingulare hac de re ſcivit, id optimo ac urbaniſſimo Ieſuitæ, præſertim exorciſmis armato, invidiſſe.

l. 132. a. D. 1604.

DE

DE POENIS ET SATISFACTIONIBVS HVMANIS,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Demonſtratur è Scripturis in genere nullas eſſe fidelium aut hic, aut alibi poſt remiſſam culpam proprie dictas pœnas. 1. *argum. inde ſumptum, quod remitti peccatum, niſi cujus nulla pœna exigitur, dici non poteſt; idque oſtenditur tum ex divini humanique ſermonis uſu, tum ex ipſo vocum, & rerum ingenio.*

EX iis ergo, quæ hactenus diſputata ſunt, concluſum eſto nuſquam in ſacris litteris doceri pios homines, veraque fide Chriſto inſitos ullas peccatorum proprie dictas pœnas vel hic in terris pendere, vel alibi poſtquam è ſæculo diſceſſerunt exſolvere. Id vero ad profligandam totam hanc cauſſam abunde eſt. Nam ſi vera ſunt, de quibus adverſarii in hac quæſtione affirmant, omnino neceſſe eſt, ut ea à Deo ſupernaturali revelatione patefacta acceperint; quæ nempe hujuſmodi ſunt, ut neque ſenſu, neque ratione explorari, aut deprehendi queant. Itaque cum in iis libris, quibus divina revelatio continetur, nullum iſtorum dogmatum exſtet, quantumvis leve, veſtigium, palam eſt iſtos temere, ac præter rationem facere, qui inter fidei Chriſtianæ capita hæc referre auſi ſunt, quæ neque à naturæ ſenſu, neque à Dei oraculo didicerunt; omninoque tyrannicam, ac inexcuſabilem eſſe ipſorum vim, atque crudelitatem, qui nos, quod hæc, quæ in verbo Dei non comparent, credere, ac pro fidei articulis habere abnuamus, tamquam hæreticos, ac perduelles proſcribere, diriſque ac anathematiſmis figere non dubitant. Sed quamquam hæc ſane ad demon-

demonſtrandam noſtram innocentiam ſufficiant, tamen quo omnis hæc cauſſa clarior, atque manifeſtior fiat; poſtquam è Scripturis nihil habere adverſarios oſtendimus, libet jam ἐκ περιουσίας, & ex quadam juris abundantia demonſtrare hoc eorum dogma è Scripturis non modo non probari, ſed etiam confutari, ac everti, hujuſmodique eſſe, quod cum iis, quæ in ſacris illis litteris clare ac perſpicue tradita habentur, adverſa fronte pugnet. In qua diſputationis parte ſic verſabor, ut priori loco ea è Scripturis argumenta afferam, quæ in genere docent nullas omnino proprie dictas pœnas Deum à fidelibus poſt remiſſa peccata exigere; deinceps ſuo quoque ordine exſecuturus, quæ vel hujus, vel alterius ſeorſim vitæ pœnas refellunt.

Ac prioris quidem generis primum hoc eſto argumentum, quod *remitti* ea *peccata* dici non poſſunt, quorum à peccatoribus pœnæ aliquæ expoſcuntur. Atqui omnibus omnino hominibus, qui cum vera fide ac pœnitentia ad Deum accedunt, *peccata remitti* Scripturæ frequentiſſime, ac diſertiſſime teſtantur. Ergo ab iis, qui ſunt hujuſmodi, nullæ pœnæ repoſcuntur. Quod vero reſpondent adverſarii *remitti* quidem iis *culpam*, ac *pœnam æternam*, non *remitti* pœnas temporales, id & cum Scripturæ, & cum communi hominum loquendi uſu, & cum ipſa vocis ratione, ac denique cum rei natura pugnat. Primo enim Scriptura ſic loqui ſolet, ut cum *alicui peccatum remitti* dicit, nullam ab eo peccati pœnam exigi intelligat: Verbi gratia, cum Petrus Iudæos ju-
Act. 2.38. bet *pœnitentiam agere*, ſuſceptoque Chriſti baptiſmo peccata ipſis remiſſum iri pollicetur, clarum eſt eum intelligere, iſtos non culpa tantum, & pœna æterna, ſed omnibus omnino pœnis, adeoque etiam temporalibus liberatum iri. Nihil opus eſt plura hujus generis congerere. Fatentur enim adverſarii in hujuſmodi locis, in quibus iis, qui primum ad Chriſtum accedunt per *baptiſmum*, aut *remiſſio peccatorum* promittitur, aut data fuiſſe dicitur, ab utraque & culpa, & pœna, etiam temporali, liberationem intelligi. Sic etiam, quoties hominibus *remiſſa peccata* negat Scriptura, toties intelligit exigi ab iis omnes peccatorum pœnas. Ita in eo Matthæi loco, quem ſupra explicavimus, cum Chriſtus dicit, *Spiritus blaſphemia non remittetur*, nemo eſt qui neget ſic accipiendam eſſe hanc ejus orationem, ut ſignificet iſtius *blaſphemiæ* ſiquis reus fuerit, eum pœnas illas univerſas daturum, quas tantum crimen meretur. Eadem quoque eſt eorum locorum ratio, in quibus de peccatis in homines agitur; Verbi gratia, ubi Chriſtus apud Marcum ait, *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens,*

Pœnitet

Pœnitet me, dimitte illi. Nemo eſt, opinor, qui iſta Domini dicta ſic accipienda eſſe contendat, ut is fratribus in nos peccantibus culpam quidem nos dimittere jubeat, pœnam autem, vel aliquam ſaltem ejus partem ab iis repoſcere minime vetet. Cum ergo hic perpetuus ſit phraſeos iſtius in Scriptura ſenſus, concludendum eſt eam non aliter eſſe intelligendam, ubi fidelibus delicta poſt baptiſmum admiſſa *remitti* dicuntur; verbi gratia cum Ioannes, Chriſtianos alloquens, *Si confiteamur* (inquit) *peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus Deus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Quod ſi hæc, & alia conſimilia aliter accipere fas eſt, ut culpa tantum, & aliqua pœnæ pars condonari intelligatur, profecto magna in Scripturas perturbatio invehetur, ut vix quicquam ex iis fixum, ac certum de hoc quidem capite haberi poſſit. Sic enim Origeni, & cum eo delirantibus lata aperitur porta ad inducendam, quam futuram aliquando fingunt, inferni exſtinctionem. Nam quæcumque Scripturæ loca peccata infidelibus, & impœnitentibus *remitti* negant, ea iſti, adverſariorum exemplo, ſic interpretabuntur, ut pœnas quidem peccatorum temporales minime *remitti* concedant, in inferno nimirum ab iis certiſſime exigendas; culpam vero, & æterna culpæ ſupplicia aliquando *remiſſum* iri contendant. Atque ita fractis, ac enervatis Dei comminationibus, peccatoribus, ac profanis hominibus dabitur occaſio perſeverandi in ſceleribus. Sed ea quoque ratione pœne omnibus gratiæ, ac veniæ promiſſionibus, quæ in Scriptura extant, magna caligo offunditur. Nam ſi *remittere peccatum* non eſt omnem ejus pœnam, ſed aliquam tantum pœnæ partem una cum culpa condonare; quoties Dominus aut baptiſmum, aut pœnitentiam ſuſcipientibus pollicetur ſe *peccata remiſſurum*, hærebimus dubii an culpam, pœnamque complectatur iſta remiſſio, an vero alterutram tantum. Huc & illud denique accedit, quod ſic commodiſſima ſtropha duris, & in ultionem propenſis ingeniis ſuppeditabitur, qua ſanctiſſimæ Chriſti diſciplinæ illudant, eaque Euangelii præcepta, quibus fratribus offenſas *remittere* jubemur, ſic accipiant, quaſi ſolam admiſſi in nos peccati culpam, non autem & pœnam, iis condonare teneamur. Vnde videre eſt, quam ſit peſtilens & exitialis iſta adverſariorum gloſſa, quæ & profanis hominibus æterni ſupplicii metum demit, & piis gratiæ ſpem, atque fiduciam turbat, & pravis atque odio inflammatis vindictæ fibulam laxat. Neque enim cauſſa dici poteſt, cur non & illis æque, ac adverſariis, liceat quæ in Scriptura de *remiſſione peccatorum* legimus, ea ad ſuum ſingulis ingenium trahere, proque ſuo commodo atque uſu interpretari. Itaque quo ſua Scripturis firmitas, atque certitudo conſtet, illud neceſſario conſti-

Marc. 11. 25.
Luc. 17. 3. 4.
1 Ioan. 1. 9.

tuendum videtur *remittere peccatum* nihil in earum ſermone ſignificare aliud, niſi omni peccati noxa, ſive culpa, pœnaque univerſa peccatorem liberare. Id ipſum quoque ſuadet communis omnium mortalium loquendi uſus. Eſt enim in humano ſermone inauditum, ut à quo aliqua peccati pœna exacta eſt, ei peccatum *remiſſum* fuiſſe dicatur. Neque aliud, quam ludere, & jocari putabitur, ſiquis ei ſe crimen majeſtatis *condonaſſe* jactaverit, quem ejus criminis nomine aut fortunis multaverit, aut in exilium miſerit, quamquam ea pœna multo ſit iſto ſcelere levior. Quis judicem, aut Principem ferat pro tribunali pronuntiantem ſe culpam quidem peccati reo condonare; cæterum pœnam ipſi decernere, edicereque, ut quamquam peccato clementer abſolutus virgis cædatur, aut naſo, vel auribus mutiletur? Nullæ, quod ſciam, apud probatos rerum, & linguarum humanarum auctores, hujus generis phraſes occurrunt. Itaque inverecunde faciunt adverſarii, qui cum nulla vel ex divino, vel ex humano ſermone afferant, vel afferre poſſint hujuſce modi locutionis exempla, non dubitant tamen ea Scripturarum loca, in quibus *peccata fidelibus remitti* dicuntur, ſic interpretari, quaſi velint, non (quod alias ſemper hæc verba ſignificant) nullas à fidelibus peccati pœnas repoſci, ſed culpam quidem iis condonari, pœnam vero, vel ſaltem pœnæ partem exigi. Sed præter divini, atque humani ſermonis conſuetudinem, huic quoque ſenſui repugnat ipſa vocum, de quibus quæritur, natura, atque indoles. Duo ſunt præcipue vocabula, quibus novi Teſtamenti ſcriptores in hoc negotio paſſim utuntur ἀφιέναι, & χαρίζεσθαι; quorum prius Latinus interpres *remittere*, vel *dimittere*; poſterius *donare*, ſive *condonare* vertere ſolet. Illius innumerabilia propemodum exempla occurrunt; hujus vero pauciora. At neutrum de eo peccato dici poteſt, cujus pœnæ expetuntur. Nam ἀφιέναι hanc vim habet, ut ſignificet aliquid à ſe amovere, ſive id niſu fiat, ut cum quid projicimus, ſive ſimplici manus remiſſione, ut cum quid nobis excidit; ejuſque contrarium eſt κρατεῖν *tenere*; unde eſt, quod Euſtathius ἀφιέναι ἔγχος apud Homerum interpretetur παύσασθαι κρατεῖν. Eo factum eſt, ut quæ miſſa facimus, & quibuſcum nihil nobis negotii eſſe volumus ea ἀφιέναι *dimittere*, vel omittere dicamur; quo ſenſu τὸ ἀφιέναι Scholiaſtas Græcos per τὸ ἀμελεῖν exponere viri doctiſſimi obſervarunt. Hinc ducta metaphora peccatum ἀφιέναι dicitur, qui id ignoſcit, vel condonat. Atqui tranſlatio non conſtabit, niſi peccatum, qui dicitur ἀφιέναι, impunitum relinquat. Nam peccatum ſane qui punit οὐκ ἀμελεῖ *miſſum non facit*, de eo ſatagit. Ac ut haſtam ἀφιέναι minime is dicitur, qui eam adhuc tenet; ſic neque

in Iliad. ε. pag. 1226. lin. 23. edit. Rom.

Grot. de ſatisf. Libr. c. 2. p. 47.

pecca-

peccatum, qui punit. Eſt enim ex Euſtathio τοῦ ἀφιέναι contrarium τὸ κρατεῖν. Itaque ut haſtile, ſic peccatum nemo ἀφιέναι, dicendus eſt, niſi qui παύεται κρατεῖν *tenere deſinit*. At peccatum, qui punit κρατεῖν οὐ παύεται; *tenere non deſinit*. Nam & in hoc etiam negotio apud ſcriptores ſacros τὸ ἀφιέναι, & τὸ κρατεῖν τὴν ἁμαρτίαν, oppoſita ſunt; ut videre eſt apud Ioannem capite viceſimo, Eadem eſt vocabulorum Latinorum ratio *remittere*, & *dimittere*, quæ & ipſa eam ferè vim apud nos habent, quam habet τὸ ἀφιέναι apud Græcos. *Remittere* enim ſignificat aliquid à ſe amovere, ut iidem viri doctiſſimi obſervarunt; Sic *librum arbor*, *eques fræna* remittit; & per tranſlationem cuſtodia, diſciplina, animus *remitti* dicuntur. Hinc peccatum is *remittere* dicitur, cujus nullam habet rationem. At peccati rationem habet, qui id punit. Non ergo qui punit, remittit. Neque aliter huc invectum eſt *dimittere*, quatenus ſignificat *miſſum facere*. Peccatum vero qui ulciſcitur, miſſum non facit. Eadem eſt vis Latinæ vocis *ignoſcere*, qua Bibliorum interpres in veteri Teſtamento aliquoties uſus eſt. *Sceleris pœnam prætermittere*, id eſt, definiente Marco Tullio, *quod vocatur ignoſcere*. Sic etiam Seneca; *Ignoſcere* (inquit) *eſt quæ judicas punienda, non punire*. *Venia debitæ pœnæ remiſſio eſt*; & paulo ante, *Venia eſt pœnæ meritæ remiſſio*. Id ipſum vocis etymon ſatis docet. Eſt enim *ignoſcere* non agnoſcere. At peccatum is, qui punit, agnoſcit; Ergo neque id ignoviſſe dicendus eſt. Iam neque alterius vocabuli χαρίζεσθαι, id eſt, ut vertit Latinus, *donare*, obſcurior eſt ſignificatio. Sciunt omnes quid ſit *donare*; nimirum (ut viri docti definiunt) quod ſuum dominio eſt, id gratis alienum facere. Unde (ut iidem obſervarunt) rector, quod non punit peccatum, id *donare* dicitur; quod ut donantis jus in donatione; ſic rectoris in impunitatis conceſſione tollitur, utrumque ex quadam benignitate. Nam ut qui donat jure dominico, quod in rem donatam habebat, ſponte ſe abdicat; ita & qui peccatum ignoſcit, jure prætorio, aut βασιλικῷ, quod ad id puniendum habebat, ſponte quoque ſe exuit; eoque & *peccatum donare* dicitur. At peccatum qui punit, eum clarum eſt illud, quod habebat, puniendi jus adhuc retinere; quippe qui eo utitur. Ergo peccatum qui punit, id donaſſe minime dici poteſt. Fateor non fuiſſe in vocibus, ac phraſibus per ſe claris, atque obviis immorandum. Sed coegit adverſariorum importunitas, qui res etiam clariſſimas negare, ac convellere non dubitant, quo ſua ſomnia tueantur. Sed præter vim vocum, ipſa rerum ratio multo etiam vehementius pugnat cum allata ab adverſariis diſtinctione. Nam ſic ad *culpam* refertur *pœna*, ut hæc ſine illa eſſe non poſſit. Pœna enim non eſt, niſi quæ

Ioan. 20. 23.

Grot. ibid.

ep. 15. ad Brut.

l. 2. de clem. c. 7.

ibid. c. 6. extr.

ta diſputatione alienum ſit nemo non videt. De iis *pœnis* quæritur, quas admiſſa à peccatore culpa merita quidem eſt, quaſque niſi aliud accidat, in peccatoris caput certiſſime eſt aliquando acceſſitura, ſed quæ tamen nondum ſunt ei inflictæ. De iis inquam, quæritur; nimirum an culpa, quæ ipſas non dimiſſa paritura (ut ſic dicam) atque editura erat, dimiſſa eas nihiloſecius parere, atque edere queat. Quod cum affirment adverſarii, profecto neceſſe eſt eos, vel negare culpam, quæ remittitur, tolli; vel certe defendere cauſſam, quamquam ſublatam, & abolitam, aliquid tamen efficere; ac procreare poſſe; quod utrumque cum ſtultiſſimum ſit, atque abſurdiſſimum (nam & culpam, quæ remittitur, tolli atque aboleri, & cauſſa ſublata eorum, quæ efficiebat, productionem, ut ſic dicam, & effectionem una quoque ceſſare ac deſinere, omnes qui quidem ſenſu communi non carent, nobiſcum conſentiunt, atque confitentur) illud poſtremo concludendum eſt, eam peccati culpam remiſſam dici, aut intelligi non poſſe, cujus à peccatore pœna repoſcitur. Itaque, ut argumentum tandem aliquando concludamus, cum neque divini, humanique ſermonis uſus, atque conſuetudo, neque ipſa verborum, rerumque ratio, ac natura, ferat, ut quod *punitur* peccatum, id *remitti* dicatur; clarum eſt fideles nullas vel in hac, vel in futura vita eorum peccatorum pœnas daturos, quæ ipſis remitti & Scripturæ diſertiſſime teſtantur, & adverſarii non modo confitentur, ſed etiam ultro tradunt ac docent.

CAPUT II.

Arg. II, ex eo quod peccata debitis in Scriptura comparantur Matth. 18. 23. Luc. 11. 4. Arg. III, ex Matth. 6. 12. & Eph. 4. 32. ubi ſic jubemur fratribus dimittere, ut Deus nobis dimittit.

ID ipſum non minus clare evincit, quod in Scripturis peccata *debitis* comparantur, *peccatores* debitoribus, Deos *creditori*, peccatorum denique condonatio *debiti remiſſioni*. Nota eſt parabola, in qua Dominus Chriſtus Deum fidelibus peccata condonantem Regi comparat ſervulo creditam pecuniam remittenti. Quo etiam illud ſpectat, quod in dominica precatione, quo loco fideles peccatorum admiſſorum veniam à Patre cœleſti petunt, quæ apud Lucam *peccata* vocantur ἁμαρτίαι, ea apud Matthæum dicuntur ὀφειλήματα *debita*. *Dimitte nobis*

Matth. 18 23. 24. 35.

Luc. 11. 4. Matth. 6. 12.

bis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quin & uſque adeo familiaris eſt divinis ſcriptoribus hæc ſimilitudo, ut interdum ipſum ὀφειλέτου *debitoris* vocabulum, quod eum proprie ſignificat cui credita eſt pecunia, pro *peccatore* ſive *nocente* nude ac ſimpliciter ponant; Quale illud eſt, quod apud Lucam occurrit, *Illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos; putatis, quia & ipſi* ὀφειλέται *de-*
Luc.13.4. *bitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hieruſalem? Debitores* enim iſtic pro *peccatoribus* uſurpatum eſſe, & res ipſa loquitur, & ſuperior verſiculus docet, quo in re eadem adhibitum eſt ipſum *peccato-*
Ibid.v.2. *rum* vocabulum, *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint?* Sic etiam alibi, dum refert Dominus quamdam Phariſæorum & Scribarum traditionem, *Væ vobis* (inquit) *duces cæci, qui dicitis, Quicumque juraverit per templum, nihil eſt; qui autem juraverit in auro*
Math.23.16. *templi, debet* ὀφείλει, id eſt *peccat*, ſive *peccato tenetur.* Quem hujus vocis uſum, ut alia multa ejus ſermonis, quo conſcripti ſunt novi Teſtamenti libri, à lingua Syriaca manaſſe non eſt obſcurum, qua peccator חיב, id eſt *debitor*, dicitur, ipſumque peccatum חובא, id eſt *debitum*; ut ex eo conſtat, quod Geneſeos capite quinquageſimo Chaldæus Paraphraſtes חובי אחיך *debita fratrum tuorum* reddidit, quod in Hebræo eſt,
Gen.50.17. פשע אחיך *ſcelus fratrum tuorum*; idemque quod in pſalmo primo habetur
Pſ.1.1. בדרך חטאים *in via peccatorum* interpretatus eſt באורחת חיבין *in ſemita debitorum*, ut eſt à viris doctis obſervatum. Iam neque illa à Chriſto adhibita parabola, neque inde ducta metaphora conſtabit, ſiquas Deus ab iis, quibus peccata remittit, fidelibus pœnas repoſcat. Nam is quidem Rex, cui Deus in hoc nobiſcum negotio comparatur, ſervuli ad pedes procidentis, ejuſque benignitatem implorantis ſic miſertus dicitur, ut *debitum ei remiſerit*, nec ullum ex tam multis talentis, quæ debebat, exe-
Math.18.27. gerit. Si hæc ejus benignitatis imago eſt, qua Deus in ſervos ſuos utitur (eſſe autem & Chriſtus in extremo capite affirmat, & res ipſa loquitur, neque quiſquam, quod ſciam, negat) quis non intelligit Dominum univerſam illis peccati *pœnam condonare*, neque ullam ejus partem ab iis exigere? Si vero Deus (quod adverſarii ſtatuunt) etiam dimiſſi peccati pœnas repoſcit, fideleſque per aliquot annos ſæviſſimis in *purgatorio* flammis uſtulat, palam eſt nihil minus eum facere, quam quod ille à Chriſto inductus rex facit; ſervumque fidelem, atque miſericordem eodem plane modo habere, quo ille nequiſſimum, crudeliſſimumque mancipium habuiſſe in parabola narratur. Nimirum ſi iſtis credimus, ſervum Deus etiam fidelem, etiam humanitate in conſervos uſum, ob ea ipſa, quæ ei dimiſſa ſunt, peccata *in cuſtodiam conjicit*,

jicit, non exiturum quo adúſque reddat univerſum debitum; quo modo à rege illo habitus eſt non is ſervus, cui fideles, ſed is cui hypocritæ, & damnati in parabola comparantur. Atque ita Dei optimi maximi multo minor erit, quam Regis illius benignitas, atque indulgentia; quod quam per ſe indignum ſit, atque abſurdum, quam à Chriſti in illa parabola mente ac ſcopo alienum, manifeſtius eſt, quam ut pluribus demonſtrari debeat. Sed etiamſi hæc à Domino in illa imagine non ita clare demonſtrata, ac ut ſic dicam, depicta eſſent; nobis tamen ſufficeret, quod in genere peccati *condonatio* debiti *remiſſioni* comparatur. Quis enim quæſo, *remiſſum* dixerit id debitum, quod exigitur? quod creditor repoſcit? quod debitor exſolvit? Certe fateri eos neceſſe eſt, vel, quod nos volumus, eorum peccatorum, quæ nobis *dimiſſa* ſunt, pœnam neque Deum exigere ullam; neque nos expendere; vel Deum nobis peccata condonantem inepte ac perperam comparari *creditori* debitam pecuniam *remittenti*; quod ſine blaſphemia dici nequit. Neque eſt, quod reſpondeant, Deum idcirco dici peccati debitum nobis remittere, quod etiamſi non univerſam ejus pœnam, tamen multo maximam ejus partem nobis condonet, nimirum æternam; eam autem tantum exigat, quæ præ altera, quam dimittit, valde exigua eſt, ac pro nihilo habenda; velut ſiquis à debitore, cui plura talenta remiſit, paucos tantum aureos exigat. Nam nihil eos juvat hoc effugium. Primum enim quædam ſunt ex eorum hypotheſi peccata, in quibus ea res locum non habet. Negant enim (ut notum eſt) peccata omnia pœnam æternam mereri, nonnullaque eſſe volunt (*venialia* vulgo appellant) quibus pœnæ tantum temporales ex juſtitia divina debentur. Certe cum quæ ſunt hujus generis dimittit Deus, clarum eſt eum ex iſtorum ſententia, nullam fidelibus ejus pœnæ, quam ſunt commeriti, partem condonare; neque adeo poſſe creditori debitum remittenti comparari, qui nonniſi ſtulte, & inſcite dici poteſt id debitum *remittere*, quod à debitore totum *exigit*. Sed neque de peccatis, ut vocant, *mortalibus* procedit reſponſio. Siquis pecuniæ creditæ partem debitori remiſerit, is fateor, mitius, atque humanius cum eo egerit, quam ſi totam exigeret. Sed non ideo tamen debitum ei *remiſiſſe* ſimpliciter, & abſolute dici poterit; quod ſic dictum non niſi de toto debito intelligi ſolet. Atqui Deus nobis *peccatum condonare*, & quidem etiam adhibita hac metaphora, *debita nobis remittere* ſimpliciter, & abſolute dicitur. Ergo de omni pœna quam debemus, intelligenda eſt hæc oratio; falſa & inepta erit, ſi aliter intellexeris. Siquis verbi gratia hæc Titio promiſerit, *Ego Titio pecuniam idibus Martiis à me creditam benevo-*

lentiæ ergo remitto; eum ne bene, ac honeſte putas aliquam ejus pecuniæ partem à Titio repoſcere poſſe, cauſſantem, quod indefinite pecuniam ſe *remittere* dixerit *idibus Martiis creditam*, non autem expreſſerit totam-ne, an partem tantum remitteret? tum & illud inſuper adjicientem, quod ut dici queat pecuniam illam remiſiſſe ſatis eſt, quod meliorem ejus partem remiſerit, quamquam non plane totam? Nugæ. Nemo eum, qui ſic agat, negaverit hominem eſſe peſſimæ fidei. Quod cum de Deo, patre optimo, cogitare ſit nefas, ſanctiſſimas ejus de remittendo nobis debito promiſſiones ſic liquet eſſe accipiendas, ut de univerſo cujuſque peccati debito, non autem de una tantum ejus quantavis parte eſſe intelligendas. Denique hoc etiam adverſariis effugium præcludit ſupra allata ex Matthæo parabola; in qua clarum eſt Regem dici debitam pecuniam ſervo remittere, quod totam, non autem aliquam tantum ejus partem condonet. Itaque & Deum, qui regis illius imagine repræſentatur, pariter fatendum eſt eodem modo dici peccata nobis *remittere*, quod ea tota, non autem eorum tantum partem, condonet. Atque hoc loco libet adverſarii in alio argumento verba παρῳδεῖν, *noſtrum non eſt reſtringere, quod Deus amplum eſſe voluit.*

Bell. de pœnit. l.4.c.13.§. Reſpondeo.

Gratiam, quam nobis pollicetur, in arctum cogere maligni eſt, atque invidi animi. Nam cum & in jure humano gratiam reſtringi, ac cohiberi, neque quo verba patiuntur exporrigi, atque extendi nefas putent; quanto minus id nobis in divinæ gratiæ promiſſionibus permitti debet, quam effuſiſſimam, planeque ſtupendam in nos fore Scripturæ ubique deprædicant?

Tertium argumentum inde ducimus, quod & Chriſtus, & Paulus Deum ſic nobis peccata *remittere* docent, qualiter nos fratribus in nos peccantibus offenſas remittere decet. Nam Chriſtus quidem in divina illa oratione, quam Apoſtolis tradidit, ita Deum precari nos inſtituit;

Matth.6.12. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Paulus vero ſic nos jubet offenſas fratribus remittere, quo modo Deus peccata nobis remiſit; *Eſtote* (inquit) *invicem benigni; miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.*

Eph 4.32. Col. 3.13.

Iam vero conſtat pios omnem fratribus pœnam, quantacumque eſt, remittere; neque ſi aliter fecerint, præceptam à Chriſto benignitatem implere. Ergo & Deum omnem nobis peccati pœnam remittere fatendum eſt. Nam ſi, quod volunt adverſarii, partem *remittat*, partem *exigat*, palam eſt, neque eum *debita* nobis *dimittere*, *ſicut nos debitoribus noſtris* ex Chriſti diſciplina *dimittimus*; & Paulum perperam Dei in nos benignitatem nobis proponere, ut ad hoc exemplum alii aliis offenſas invicem donemus.

mus. Nam ſi ſtat adverſariorum ſententia allatum divinæ in nos gratiæ exemplum conficiet nos fratri in nos peccanti culpam quidem donare debere; pœnam vero vel totam, vel certe partim exigere ab eo nobis licere; quod quam abſurdum ſit, & à Paulinæ, adeoque Chriſtianæ caritatis ingenio alienum, nemo non videt.

CAPUT III.

Arg. IV, *quod remiſſio peccatorum gratuita ſit. Arg.* V, *ex variis Scripturæ locis, in quibus peccata dicuntur* projici, deleri, longe fieri, non imputari. *Arg.* VI, *inde ductum, quod Deus eorum peccatorum, quæ remittit, non recordatur.*

SEd & Deum ſic fidelibus peccata *remittere*, ut nullam ab iis exigat pœnam, ex eo manifeſtum eſt, quod hanc, quam ab eo accipimus, remiſſionem Scriptura doceat eſſe *gratuitam*. Ait enim *omnes juſtificatos eſſe gratis, per gratiam Dei, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto* Rom. 3. 24.
Ieſu; Item *nos per ſanguinem Chriſti habere remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus*; quod ipſum apud Iſaiam teſtatur Dominus; Eph. 1. 7.
Ego ſum (inquit) *ego ſum, ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* His Iſ. 43. 25.
enim verbis ſignificat, quod nobis peccata remittit, id ab una ſua bonitate, quantumcumque eſt, proficiſci, adeoque plane gratuitum eſſe. Plura in re clara, & quam ipſi quoq; adverſarii confiteri videri volunt, nihil eſt opus addere. At gratuitam tamen non fore peccatorum noſtrorum *remiſſionem*, ſiquas pro iis pœnas exſolvamus, non minus apertum eſt. Quis enim *gratis* remiſſum ei debitum dixerit, à quo pars ejus aliqua exſoluta eſt? quis ſonti *gratis* condonatum crimen, pro quo aliquas pœnas dedit? Quod *gratuitum* eſt adverſa fronte pugnat cum eo, quod alicujus vel pecuniæ, vel pœnæ pretio redemptum eſt. Reſpondet Bellarminus *gratuitam* eſſe peccatorum remiſſionem, *quia* l. 4. de pœnit.
gratis Deus fidem & pœnitentiam nobis inſpirat; gratis ad amicitiam ſuam, c. 14. §. Porro.
& gratiam nos recipit; gratis culpam, & reatum mortis æternæ condonat; gratis denique gratiam illam infundit, per quam pro pœna temporali, quæ dimiſſa culpa remanet, ſatisfacimus. Hæc adverſarius. Quamquam autem nos nunc quidem de ſatisfactione nondum; ſed (ut diſtinguunt adverſarii) de *ſatiſpaſſione* agamus, hoc eſt de ipſius pœnæ, quæ peccato debetur, *perpeſſione*, non autem de aliquo ejus vicario; ac ſuccedaneo opere (id enim eſt quod proprie *ſatisfactio* dicitur) tamen quod res

 utrobi-

utrobique conſimilis ſit, iſtam adverſarii reſponſionem perinde accipiemus, ac ſi de *ſatiſpaſſione* quoque eſſet. Ajo igitur ne ſi ſexcentas quidem alias præter eas, quas commemorat, gratias attulerit, ideo effecturum, ut id *gratis remittatur* peccatum, pro quo pœna ſolvitur. *Gratis* (inquit) *nos Deus ad amicitiam ſuam, & gratiam recipit.* Ergo (inquam) *gratuita* quidem eſt ipſa illa noſtri cum Deo reconciliatio; non ideo tamen *gratuita* peccati, pro quo pœnam pendimus, remiſſio. neque enim *gratuitum* eſt, quod ſoluto aliquo precio comparatur. *Gratis nobis Deus fidem, & pœnitentiam inſpirat.* Ergo, inquam, *gratuita* etiam erit illa fidei, & pœnitentiæ donatio, quæ nimirum nullo ſoluto pretio habetur; peccati vero, quod non *gratis*, ſed ſoluta pæna expungitur, remiſſio *gratuita* non erit. *Gratis Deus culpam, & mortem æternam condonat.* Fateor, cum ita res habeat, *gratuitam* merito dici illam culpæ, & mortis æternæ condonationem. Non ideo tamen fiet, ut ea quoque peccata *gratis* remiſſa dici poſſint, pro quibus pœnas dedimus; neque ipſa illa culpæ, mortiſque æternæ condonatio *gratuita* foret, ſi quo à nobis pretio redimeretur. Denique (inquit) *gratis etiam Deus gratiam illam nobis infundit per quam pro pœna temporali ſatisfacimus.* Audio; neque ſi eadem nobis lege pœna temporalis condonetur, qua gratia illa infunditur, (hoc eſt ſine ullius vel pretii, vel pœnæ ſolutione) abnuo, quin & peccatum *gratis* condonatum fuiſſe dici poſſit. Nunc cum aliter fieri, nobiſque peccatum ea lege remitti velint, ut ejus pœnam expendamus; quis non iſtum vel delirare, vel nobis certe illudere intelligit, qui ut oſtendat *gratuitam* eſſe illam ipſam peccati, quod punitur, remiſſionem, ea affert in medium, quæ *gratis* donantur, id eſt ſic, ut ab accipientibus nullum omnino pro iis pretium vel exigatur, vel expendatur? Quis non videt his, quæ affert, ipſius quidem cauſſam everti; noſtram vero conſtitui? Nimirum nulla in iſtis omnibus, quæ *gratis* fieri dicit, intercedit vel pretii vel pœnæ ſolutio. Ergo neque in peccati remiſſione (ſi ea quidem *gratis* fit) ulla à nobis ad eam conſequendam pœna expendetur. Expendi autem ipſi volunt. Ergo neque ea ex iſtorum ſententia vel *gratis* fit, vel *gratuita* dici poteſt. Sed (inquit) etiamſi hactenus quidem *gratuita* non ſit peccati remiſſio, tamen quod ejus culpa, pœnaque æterna *gratis* condonetur, *gratuitam* ea ratione dici par eſt. Ego vero *gratis* id donatum dici poſſe nego, quod aliquo pretio redemptum eſt. Si quod exigi jure licebat, id non exigitur totum, ſed pars tantum ejus aliqua, minoris emptum fuiſſe concedam; *gratis* donatum negabo. Non enim *partem pretii*, ſed *omne omnino pretium* excludit, quod *gratis* fit; neque ei, quod caro venit id, quod

quod donatur *gratis*, opponitur, ſed id quod vili emitur. Vili ergo *pretio* peccati remiſſionem ei conſtitiſſe, qui non æternum in inferis, ſed centum tantum annos in *purgatorio* ob peccatum arſerit, concedam quidem, quando ita vis; *gratis* donatam eſſe, ut dicas, non patitur ſenſus communis. Iſta quidem lege, quam tu hic fers, *vilis* erit liberalitatis & clementiæ annona. Nam qui nocentem ad triremes damnavit Princeps, is, ſi te quidem audimus, *gratis ei peccatum ſe remiſiſſe* vere gloriari poterit. Quid enim? (inquiet.) Nonne mortem ei, quam exigere potui, *gratis* remiſi? nônne alimentum, quo ad pœnas ferendas ſuſtinetur, *gratis* præbeo? Captivum hoſtis, quem ingenti accepta pecunia dimiſit, *gratis* per te dimiſit. Quid ni enim cum eum ſervaverit, cui animam eripere poterat? cum in amicitiam ſuam receperit (hoc enim interdum contingit.) quem ab ea excludere licebat? Per te ingratus fuit Claudius Lyſias, qui civitatis Romanæ jus multa ſumma ſe conſecutum ait. Ex te quidem prædicare potius debuit ſe id *gratis* à Romanis accepiſſe; à quibus ſcilicet & in amicitiam *gratis* receptus erat, & ampliſſima præfectura donatus, & à quorum liberalitate eam ipſam fortaſſe pecuniam habebat, qua numerata hoc ſibi jus quæſivit. Per te mercator ſuas nobis merces, artifex, & mercenarius operas, caupo vinum, & cibos *gratis* donant; etiam ſi pretium à nobis & exigant, & accipiant; ſi modo nos blande, & amice aut ipſi conveniant, aut ad ſe accedentes admittant, neque totas exigant, quas ſummo jure extorquere poſſent, mercedes. Si iſtæ apud vos ſunt liberalitatis, & *gratiarum* leges, non jam miror, quod tui Ieſuitæ omnia *gratis* facere dicantur, etiam ea, quorum immenſam accipiunt mercedem. Sed, ut iſta, quæ ſunt in vita communi obvia, mittamus, certe ea conditione, quam tu conſtituis, dicendum quoque erit Deum *gratis* Chriſto Domino noſtra peccata, pro quibus ſe ſe vadem ſtitit, remiſiſſe; quem ſcilicet quamquam pœnis acerbiſſimis affectum, amore tamen ſummo proſequi non deſtitit, cuique quidquid erat ad crucem ferendam neceſſarium, affatim præbuit. Et tamen nemo, opinor, ſanus Chriſto peccatorum noſtrorum remiſſionem, quam immenſo pretio mercatus eſt, *gratis* donatam fuiſſe dixerit. Itaque cum ex his appareat nemini id *gratis* remiſſum dici, aut debitum, aut crimen, quod vel omnino vel certe ex parte exſolvitur, aut punitur; fatendum eſt fidelibus *gratis remiſſa* non eſſe ea peccata, pro quibus pœnas aliquas vel hic, vel in *purgatorio* luunt; quantumvis eos Dominus *in amicitiam ſuam receperit, fidem & pœnitentiam iis inſpiraverit, culpam, & mortis æternæ pœnam donaverit, & gratiam* denique *infuderit, per quam peccatorum pœnas ferant.*

Act. 22. 28.

R 2 Quiſ-

Quiſquis ſit peccator, undecumque vitam, & vires habeat, certe non dimittitur *gratis*, qui pœnas pro crimine exſolvit. Iſti piorum cruciatus, quos adverſarii fingunt, ſunt ne peccati ab iis admiſſi *pœnæ*, an non ſunt? Si eſſe negant, ergo ne *pœnæ* quidem omnino ſunt, cum *pœna* nulla proprie ſit, quæ non alicujus ſit *peccati pœna*. Si ajunt, ergo *gratis* dimiſſum non eſt, id peccatum, ob quod eæ infliguntur. Denique vel unum ex idoneis auctoribus exemplum afferant hujuſmodi locutionis, qua peccatum *gratis* ei condonari dicatur, cui aliqua pro eo pœna infligitur. Cum ergo Scripturæ doceant fidelibus peccata *gratis*, & ex immenſa quadam gratia, atque bonitate à Deo condonari, profecto ſic ea condonari neceſſe eſt, ut nullam pro iis vel nunc, vel olim pœnam luant.

Quintum nobis argumentum ſufficiunt, quæ apud Prophetas extant variæ ejus *remiſſionis* deſcriptiones, quam à Deo accipimus, ita magnificæ, ac luculentæ, ut pœnæ alicujus retentio cum iis conſiſtere non poſſit. Sic Ezechias, ut Dominum ſibi peccata *remiſiſſe* ſignificet, *Projeciſti* (inquit) *poſt tergum tuum omnia peccata mea.* Dominus vero ipſe fidelium ſuorum plebem apud Iſaiam alloquens, *Delevi* (inquit) *ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Michæas de eadem Dei in nos gratia vaticinans, *Miſerebitur noſtri* (inquit) *deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Non aliter, quam Poëtæ noſtri ea, quibus nullum in animo, aut in curis noſtris locum amplius futurum ſignificant, dicunt ventis in mare rapienda tradi. Pſaltes conſimili metaphora idem alibi expreſſit; *Quantum* (inquit) *diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.* Quod ipſum aliis inſuper verbis alio loco ſignificavit, quo ſic canit; *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; quem locum Paulus in epiſtola ad Romanos totum laudavit, atque deſcripſit. Ex his, aliiſque conſimilibus locis apertiſſimum eſt fidelibus peccata Deum ſic *remittere*, ut omnino nullam pro iis pœnam exigat. Nam, ut egregie Calvinus noſter, *ſi punit Deus peccata, imputat; ſi vindicat, recordatur, ſi ad judicium vocat, tecta non habet; ſi examinat, poſt tergum non projecit; ſi inſpicit, non obliteravit inſtar nebulæ; ſi ventilat, non projecit in profundum maris.* Vnde factum eſt, ut quod peccatum punire decrevit Deus, id *ſtylo ferreo*, & *ungue adamantino* ſcriptum eſſe dicat, nimirum ſic, ut deleri nequeat; item *colligatum*, & *reconditum*, & quaſi in *ſacculo* obſignatum; ſic nimirum ut projici, & foras mitti non poſſit. Reſpondet Bellarminus *allata à nobis teſtimonia hoc tantum ſignificare, Deum projice-*

Marginal notes: *Iſ.* 38.17. & 44.22. — *Mich.* 7.19. — *Pſ.* 103. (*Lat.* 1.2.) 12. & 32. (*Lat.* 31.) 1, 2. — *Rom.* 4.7.8. — *Inſt. l.* 3. *c.* 4. *ſ.* 29. — *Ier* 17.1. *Oſ.* 13.12. *Iob.* 14.17. — *l.* 4. *de pœn. c.* 15. §. *Recte.*

projicere, delere, non videre, non imputare, tegere peccata eorum, quibus amicitiam ſuam, gratiamque reſtituit; quia quod attinet ad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, ita illos reſpicit ac ſi numquam peccaſſent; licet ob eorum utilitatem, aliiſque juſtis de cauſſis aut eos ipſe temporaliter caſtiget, aut ut ipſi ſe caſtigent, velit. Atqui hic merus coccyſmus eſt; non vera & idonea reſponſio. Nihil enim iſte aliud nobis hic narrat, niſi quid ipſe cum ſuis opinetur. Argumenti objecti vim, neque infringit; neque diluit; imo eam ne ſentire quidem videtur. Significant (inquit) Prophetæ Deum reatum culpæ, & pœnæ æternæ iis remittere, quibus amicitiam ſuam, gratiamque reſtituit. Sane. Sed aliud jam quæritur; nimirum annon etiam ſignificent, ſiquid præterea pœnæ commeriti ſunt, id ipſis totum eadem illa gratia remitti. Id enim eſt quod adverſarii quidem negant, nos vero ex illis Prophetarum locis probamus, hoc argumento, quod cujus peccati aliqua pœna exigitur, id dici nequit *projectum poſt tergum*; vel *nebulæ inſtar deletum*, vel *in profundum maris abjectum*, vel denique *tectum*, aut *non imputatum*. Palam enim eſt divinos ſcriptores tam diſertis, tamque emphaticis metaphoris velle, ut hoc nobis certiſſimum ſit, atque perſuaſiſſimum, clementiſſimum illum Dominum, ſi ſemel bona fide cum eo in gratiam redeamus, nullam omnino admiſſorum à nobis peccatorum rationem habiturum, eaque plane inulta, ac impunita prætermiſſurum. Id vero nullo modo ſtare poteſt, ſi vera ſunt, quæ docent adverſarii, Deum nimirum etiam eos, quos in gratiam ſuam, atque amicitiam admiſit, ſic habere, ut eorum peccatorum, quæ ipſis condonavit, aliquas nihiloſecius, & quidem ſatis graves pœnas repoſcat; niſi forte leve eſſe putent flamma gehennæ conſimili aliquot annos uſtulari. Tuam fidem, Bellarmine, qui ſic cum peccatore agit, tunc eum cenſes peccatum ipſi *non imputare*? Atqui ſi *non imputas*, inique facit, qui hominem innocentem *punit*. Neque enim *nocens* eſt, qui *peccati expers* eſt; & cui peccatum non *imputatur*, is ejus *expers* eſt. Qui ſic agit, iſne peccatum ejus, quem ſic habet, *delevit, projecit, texit?* iſ-ne nullam (ut uno verbo dicam) ejus rationem habet? Ego vero quid ſit peccatum *inſpicere, ventilare, imputare*, ejus denique *rationem habere*, neſcio, ſi hoc non eſt. Deus enim cum ſit juſtiſſimus, ac ſapientiſſimus, neminem *punit*, cujus peccatum non *examinet, diſcutiat, judicet*, ut quos punit, eorum peccata *texiſſe, deleviſſe, projeciſſe, non imputaſſe*, omnino dici nequeat. Sed iis (inquit) *culpam, & æternam pœnam remittit*. At (inquam ego) Prophetæ ſimpliciter peccatum *projicere, delere, tegere, non imputare* ajunt; quod profecto non facit, niſi & cum ge-

henna quicquid aliud eſt pœnæ remittat. Quaſi vero judicem ſontis crimen *texiſſe, obliteraſſe, poſt tergum projeciſſe, non imputaſſe* dicas, quem quamquam damnatum, diriſque tormentis cruciatum, & variis iiſque quæſitiſſimis pœnis per aliquot menſes excarnificatum, ultimo tamen ſupplicio minime affecit. Non alia eſt (ſi te audimus) hæc à Prophetis tam magnifice deprædicata Dei in ſuos benignitas. Quod vero ſubjicit adverſarius Deum ſuos etiam *poſt dimiſſa peccata caſtigare ob eorum utilitatem*; id primo nullum habet in iis locum, quos iſti in *purgatorio* uſtulari volunt. Nihil enim illis proſunt dira illa ſupplicia, quæ iſtic perpeti dicuntur, quorum ipſi adverſarii nullum ad iſtorum, qui ea perpeti finguntur, emendationem, atque ſanctificationem uſum eſſe confitentur. Tum hæc præter rem ab adverſario afferuntur. Nos enim de *pœnis* proprie dictis diſputamus. *Caſtigationes* & *probationes* Dei beneficia ſunt, non piorum pœnæ; quibus ad ſalutem, laudemque noſtram, ac Dei gloriam, & proximi ædificationem utiliſſime exercemur; non autem ad hoc, ut Dei iræ, juſtitiæque ultrici ſatisfiat; qua de re nihil hic attinet pluribus dicere, cum ea in prima diſputationis parte abunde fuerit explicata.

Sequitur ſextum ſuperiori ſimile argumentum; *Ego ſum; ego ſum ipſe*, (inquit apud Iſaiam Dominus) *qui deleo iniquitates tuas propter me,*
Iſ. 43.25. *& peccatorum tuorum non recordabor.* Sic apud Hieremiam novum fœdus in Chriſto cum populo ſuo paciſcendum deſcribens, *Propitiabor*
Hier. 31. 34. (inquit) *iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius*; quæ poſtrema Paulus citans in epiſtola ad Hebræos ſic expreſſit, *Peccato-*
Hebr. 10.17. *rum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Mitto, quod nuper expendimus, Deum polliceri ſe iniquitates noſtras *deleturum*. Quod vero ſubjicit *ſe peccatorum noſtrorum non recordaturum*, omnino eam vim habet, ut nullas à nobis eorum pœnas ſit repoſciturus. Nam cum peccatum qui punit, in animo, & memoria præſens habeat (ob id enim punit), profecto dici non poteſt peccati non amplius recordari, vel ejus memoriam abjeciſſe, qui id pœna aliqua ulciſcitur. Itaque alibi quæ peccata Dominum puniturum Prophetæ ſignificant, ipſum eorum *recordaturum* affirmant; ut Hieremias, *Nunc recordabitur iniquitatum eo-*
Hier. 14.11. *rum, & viſitabit peccata eorum*; quæ totidem pæne verbis etiam apud
Oſ. 8.13. & 9.9. Oſeam bis occurrunt. Simili ratione apud Latinos *in ſcelus animadver-*
de ſatiſf. ſect. 10. ad arg. 10. p. 155. *tere* is dicitur, qui id punit. Peltanus ſane ea ipſa peccata, quorum pœnam tantum temporalem à nobis Dominum exigere vult, *adhuc hærere* ait *in Dei memoria, atque imputatione.* Atqui Dominus, quos in gratiam ſuſcipit, eorum ſe peccata minime *recordaturum* pollicetur. Ergo vel

go vel vana eſt, & ludibrii plena hujuſmodi promiſſio (quod vel cogitare horret animus) vel certe, quod volumus, nullam ab iis peccatorum pœnam exigit, ne temporalem quidem.

CAPUT IV.

Arg. VII. ductum ex duabus illuſtriſſimis promiſſionibus Ezech. 18.21. & 33.12. in quibus pœnitenti nihil eorum, quæ antea admiſit, nociturum dicitur.

SEptimo, idem quoque clariſſime confirmat, quæ apud Ezechielem extat, hæc Domini oratio; *Si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. In juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet. Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Si autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione, qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur.* Atque hactenus Dominus. Iſtis paria ſunt, quæ capite triceſimo tertio habentur; *Juſtitia juſti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua; & juſtus non poterit vivere in juſtitia ſua in quacumque die peccaverit. Etiamſi dixero juſto, quod vita vivat, & confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injuſtum, vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei; judicium & juſtitiam fecit: vita vivet.* Vtroque loco manifeſtum eſt fideli pœnitenti tale in veniam promitti, quâ fiat ut nullam peccatorum antea admiſſorum pœnam luat. Nam qui à peccato ſe ad juſtitiæ, atque ſanctitatis ſtudium convertit, hoc eſt, fidelem pœnitentem ei opponit, qui à pietate, & juſtitia ad impietatem, & iniquitatem deſciſcit; ac ut *juſtitiarum* hujus, ſic & *peccatorum* illius ſe *recordaturum* negat; quod nihil aliud eſt, quam neque illarum habiturum rationem, ut abſolvat & remuneretur, neque horum, ut condemnet, & puniat. Sed cum priorem locum Calvinus, poſteriorem Lutherus objeciſſet,

Ezech. 18. 21. 22. 23. 24.

c. 33. 12. 13. 14. 15. 16.

de pœnit. l. 4. c. 11. §. Reſpondeo. §. Et confirmatur. §. Denique. & c. 15. §. Ad primum.

ſet, utrumque Bellarminus ſic ſolvit, ut dicat, *id tantum velle Dominum ſe impium, ſi ab impietate ſua receſſerit, non puniturum ſempiterna morte, & æterno illo igne, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus; non autem nulla temporaria pœna caſtigaturum.* Quam reſponſionem duplici firmat argumento; priori quidem ex ipſo Ezechiele petito in hunc modum. *Si impietas* (inquit) *impio poſt converſionem nullo modo noceret, etiam quo ad pœnam temporalem, eodem modo juſtitia juſto poſt averſionem nullo modo prodeſſet etiam quo ad præmium temporale. Nam Deus in eo loco dicit,* juſtitia juſti non liberabit eum in quacumq; die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit. *& capite 18 ſicut Deus dicit non recordaturum ſe iniquitatum, quas impius geſſerit, ſi pœnitentiam egerit; ita quoque dicit non recordaturum ſe juſtitiarum, quas juſtus operatus eſt, ſi peccaverit. At negari non poteſt, quin ſæpenumero Deus opera bona impiorum remuneret temporali mercede, ut Sancti Patres docent,* &c. *Sicut igitur bona opera poſt averſionem dicuntur non prodeſſe juſto, quia non eum liberant à morte æterna, licet non fraudent temporali aliquo præmio; ſic etiam impietas dicitur poſt converſionem non nocere impio, quia non impedit vitæ æternæ conſecutionem, licet temporalem pœnam ſecum ferat.* Alterum adverſarii argumentum ſic habet; *Si Deus per Prophetam teſtaretur nullam omnino pœnam ſe de peccatore ſumpturum poſt converſionem; qua ratione Moſem, Aaronem, Davidem, & alios tam multos poſt converſionem temporaliter puniviſſet, ut Scripturæ divinæ teſtantur, quarum teſtimonia jam ante protulimus? Quare neceſſe eſt, aut Scripturam Scripturæ repugnare, quod abſurdiſſimum eſt; aut, quod eſt veriſſimum, alteram ex altera explicari. Proinde pœna temporalis de Davide poſt converſionem ſumpta apertiſſime docet locum Ezechielis intelligendum eſſe de pœna ſempiterna, quæ per converſionem tollitur; non de pœna temporali, quæ poſt converſionem manet.* Atque hæc quidem de Ezechielis locis philoſophatur Bellarminus; quæ tametſi ſic auctori placuerint, ut ea bis inculcare capite undecimo primum, mox etiam decimoquinto operæ pretium putaverit, facile tamen refelluntur. Primum enim, quod ſtatuit promiſſam à Domino remiſſionem, non temporalem, ſed æternam tantum gehennæ pœnam reſpicere, id & cum Prophetæ verbis, & quadamtenus etiam cum ipſa adverſariorum doctrina pugnat. Ille enim diſerte negat Deum *recordaturum omnium iniquitatum*, quas ante pœnitentiam operatus fuerit, qui ad verum juſtitiæ ſtudium converſus fuerit; negat item
c. 33. 16. peccata ejus, quæ peccavit, ei *imputatum iri*; & hi fatentur, ſi non omnibus à peccato converſis, iis ſaltem omnem pœnam, etiam temporalem, condonari, qui vel primum ad Deum per ſacramentum regenerationis

tionis accedunt, vel inſigni aliqua contritione peccata, etiam poſt baptiſmum admiſſa proſequuntur. Iam vero ſi quæ pœnitentibus peccati pœnæ, vel in hac, vel in altera vita temporales infliguntur, palam eſt admiſſi ab iis peccati *recordari* Dominum, palam eſt peccatum iis *imputare*. Nullam enim, quantumvis exiguam ob peccatum pœnam cuiquam imponit judex, quin peccati *meminerit*, idque *imputet*, hoc eſt, ejus rationem habeat, ut eſt paulo ante fuſius à nobis explicatum. Itaque cum Deus ſanctiſſime teſtetur ſe *omnium iniquitatum*, quas peccator ante converſionem operatus fuerit, *minime recordaturum*, Bellarminus, qui eum contendit temporales à peccatore converſo pœnas exigere, non tam argumentum noſtrum ſolviſſe, quam Prophetæ, ipſique Domino obloqui cenſendus eſt. Huc accedit, quod iſta pœnarum temporalium exceptio abſurdam, & ridiculam ac ludificatoriam reddit totam Prophetæ orationem. Nam de his maxime pœnis capite illo decimo octavo intelligit, ut locum legenti manifeſtum eſt. Totus enim hic ejus ſermo inde ortus eſt, quod Iudæi in Babylonia captivi falſo & impie jactarent *patres ſuos comediſſe uvam acerbam*; & *dentes filiorum obſtupeſcere*; quibus verbis non æternas gehennæ pœnas, ſed captivitatem, & cætera mala intelligunt, quæ in illo exilio perpetiebantur. Ad hanc iſtorum querelam reſpondet toto illo capite Propheta; divinæque juſtitiæ & miſericordiæ gloriam tuetur. Ergo niſi eum perperam reſpondiſſe velimus, fatendum eſt eum etiam temporales pœnas intelligere, ut Iudæos quibus reſpondet. Quam vero affert adverſarius geminam reſponſionis ſuæ rationem, utraque nihili eſt. Nam ut à poſteriori ordiar, ſi de *pœnis* proprie dictis intelligit, ut ſane intelligere neceſſe eſt, nego Davidem, vel Moyſem, vel Aaronem, vel ullum alium fidelem hujuſmodi *pœnas* poſt remiſſionem perpeſſum eſſe. Nego Scripturam id uſpiam teſtatam eſſe; & quæ ex ea protulit adverſarius, ſupra ſuo loco nihil tale affirmare oſtenſum eſt, ut nihil opus ſit hanc Ezechielis promiſſionem corrumpere, ac in ſenſum ab iis, quibus expreſſa eſt, verbis alienum detorquere, ad hoc ut Scripturæ cum Scriptura conveniat. Quæ enim David, & cæteri fideles in hac vita perpeſſi ſunt, ea non vere ac proprie dictæ peccati *pœnæ* ſunt (quas iis poſt converſionem nullas incumbere clariſſime docet Ezechiel) ſed vel paternæ *correptiones*, vel ſalutares animi *medicinæ*, vel utiliſſimæ fidei *probationes*, vel glorioſæ denique pietatis *exercitationes*; quibus neque hoc loco Propheta, neque alibi divinorum ſcriptorum quiſquam immunem fore piorum vitam pronunciavit. Sed de hoc ſupra ſuo loco fuſius. Prior vero Bellarmini ratio undequaque laborat. Nam & male concludit, & falſum ſupponit,

Ezech. 18.2.

S Non

Non enim ſi verum eſſet, quod ille ſumit, nimirum Deum interdum juſtitias, quas iniquus ante ſuam averſionem operatus erat, præmio aliquo temporali poſt eam remunerare; ideo quoque verum eſſet, quod exinde concludit; Deum pariter peccata, quæ fideles ante converſionem ſuam admiſerant, poſt eam pœna aliqua temporali punire. Non enim hæc paria ſunt, cum ſit Dominus ad benefaciendum, multo quam ad puniendum promptior, atque propenſior; perindeque facit Bellarminus, ac ſi ex eo, quod vel paterfamilias, vel Princeps etiam minima ſuorum benefacta præmio aliquo remunerat, concluderet eos pariter etiam leviſſima illorum peccata punire; quod quam ſtultum ſit, nemo non videt. Videtur enim plane contra argumentandum; in puniendis ſubditorum delictis tanto quemque tardiorem ac indulgentiorem eſſe, quanto eſt in eorum benefactis remunerandis facilior, ac liberalior. Ac in præſenti quidem argumento res clara eſt. Si enim ea eſt Domini bonitas, atque indulgentia, ut (quod vult adverſarius) etiam eorum, qui ab integritatis, & juſtitiæ ſtudio deſciſcunt, benefacta, ſiqua ante averſionem fuerant, præmio aliquo proſequatur; multo veriſimilius eſt, eum fidelium, qui ad pietatem, & ſanctimoniam convertuntur, peccata ante converſionem admiſſa, venia proſecuturum, quam pœna ulla puniturum. Cum enim & illorum benefacta *remunerare*, & horum peccata *ignoſcere*, ejuſdem utrumque ſit benignitatis, atque clementiæ, videtur profecto unum ex altero non inepte colligi. Contra vero cum horum peccata, & quidem dimiſſa *punire* ſit, non juſtitiæ modo, ſed & ſummæ cujuſdam, atque immanis ſeveritatis; illorum vero benefacta *remunerare*, magnæ planeque ſingularis clementiæ, perperam, ac (ut dicam quod res eſt) ridicule diſputat adverſarius, qui illud ex hoc concludit, Deumque in ſuos eo *ſeveriſſimum*, ac *rigidiſſimum* eſſe probat, quod ſit etiam in alienos *benigniſſimus*, atque *clementiſſimus*. Sed præterquam, quod non cohærent quæ nectit adverſarius, eo etiam in hac ratiocinatione peccat, quod ea aſſumit, quæ falſa eſſe ex ipſo Prophetæ teſtimonio liquet. Nam ut procedat ejus argumentum hoc aſſumi neceſſe eſt, *juſti qui à juſtitia deſciverit, juſtitias, etiam poſtquam is deſciverit, præmio aliquo à Domino coronari, vel remunerari.* Atqui contra clamat Propheta, diſerteque negat omnes ejus juſtitias, poſtquam is à recto deflexerit, *recordatum iri*; eodemque ſenſu capite triceſimo tertio, *omnes* (inquit) *ejus juſtitiæ oblivioni tradentur.* Eas ſi, quod ſumit adverſarius, aliquo præmio, ſive temporali, ſive alio (nihil enim nunc quidem intereſt) Deus remunerat, *oblivioni* profecto *non tradit.* Nam ut nemo peccatum *punit*, cujus non amplius *recordatur*; ſic neque be-

33. 13.

nefactum

nefactum *remunerat*, quod *oblivioni tradidit*. At negari non poteſt (inquit adverſarius) quin ſæpenumero Deus *opera bona impiorum remuneret temporali mercede*. Sed neque id quiſquam noſtrum negat, ô bone; ut nihil neceſſe hic fuerit nobis Chryſoſtomum, & Hieronymum, & Gregorium,& Auguſtinum adducere. Hoc negamus,impiorum benefacta, poſtquam ii ab eorum ſtudio ad contrarios mores defluxerint, præmio ullo remunerari, vel impios à parata ſceleribus, ad quæ deflectunt, pœna liberare. Imo non nos, qui nihil ſumus, ſed Deus ipſe id apud Prophetam negat, cujus unius teſtimonium omnibus Gregoriis, & Auguſtinis, ſi ii (quod abſit) obloquerentur longe potius eſt. Nimirum præter illud judicium, quod Deus in homines cultum ejus, religionemque profitentes ex verbo ſuo exercet, eſt etiam aliud quoddam, quo alienos à cultu ſuo mortales in hoc mundo regit; quatenus neceſſe eſt aliquem apud eos politicum ordinem præſtari, & quas in eorum animis ipſa (ut ſic dicam) naturæ manus inſevit recti, pravique notiones,eas ſic ſervari,ut non omnino obliterentur. Quod ut procedat, ſolet ſapientiſſimus rerum omnium moderator nonnulla etiam apud iſtos juſtitiæ, ac bonitatis ſuæ ſpecimina dare; & ſiqui ſint, qui ſingularia honeſtatis, temperantiæ, fortitudinis, clementiæ aliarum virtutum exempla ediderint, eos beneficiis temporalibus augere, atque ornare; parteque alia inſigniter facinoroſos magna aliqua, & notabili pœna coercere. Quamquam neque hic Domini uſus adeo fixus, & immotus eſt, ut non etiam interdum pro ſua incomprehenſibili ſapientia aliter cum nonnullis agat. Iam de hoc divini judicii genere palam eſt Ezechielem non loqui, ſed de eo, quod Dominus in Eccleſia adverſus illos exercet, qui cultum in ipſius verbo præſcriptum, vel peccatorum ſerio pertæſi ex animo ſuſcipiunt, vel mundi, carniſque tentationibus corrupti abjiciunt. Sed quamquam duo hæc divini judicii genera plurimum inter ſe differant, non tamen negaverim aliquam inter ea intercedere ſimilitudinem, quæ ut hic teneatur, oſtendendum eſt,non ſimpliciter (quod fecit Bellarminus) quoſdam eſſe in mundo impios,id eſt veri Dei neſcios, qui quod juſtitiæ, aliiſve moralibus virtutibus præ cæteris ſtuderent, aliquo divinitus præmio affecti ſint; ſed fuiſſe,qui cum aliquando bene honeſteque ſe geſſiſſent, poſteaque, ut fit, relictis prioris vitæ ſtudiis, in ſcelera, ac flagitia ruiſſent, præteritæ virtutis præmia à Deo nihilo ſecius poſt fœdam illam mutationem, acceperint. Quod cum adverſarius demonſtrari non poſſe intelligeret, callide à ſcopulo declinavit, & rem à Prophetæ hypotheſi alienam aſſumpſit, nimirum *bona impiorum opera temporali*

mercede remunerari, quod concedi quidem poteſt de iis operibus, in quorum illi ſtudio perſeverant; de iis vero negatur, à quibus libidine, aliiſve vitiorum illecebris capti, victique deſciſcunt; cum tamen ad hos tantum, non autem ad illos trahi poſſint allata Ezechielis verba. Sed de his quidem plus ſatis. Nunc ad cætera pergamus.

CAPUT V.

Arg. VIII. ex Iſai. 1. 18. *pœnitens Dei gratia dealbatur, ut nix.*

OCtavo ergo loco afferam Domini apud Iſaiam verba, quibus Iſraelitas, id eſt, homines ipſius quidem cultum profitentes, ſed corruptiſſimis tamen moribus, ac fœdiſſimis peccatorum ſordibus contaminatos alloquens, eorum ſcelerum ac flagitiorum, quibus ſcatebant, remiſſionem his legibus promittit; *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſe; diſcite benefacere; quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, ſicut nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi*
Iſ. 1. 16. 17. 18. *vermiculus, velut lana alba erunt.* His poſtremis verbis perfectiſſimam peccati, id eſt culpæ, pœnæque univerſæ, remiſſionem deſcribi palam eſt. Neque enim inſtar *nivis*, aut *lanæ dealbatus* dici poteſt, is in quo adhuc ſupereſt aliquis pœnæ reatus. Sed nihil opus eſt in eo probando
Bell. l. 4 de pœnit. c. 15. §. Verum. immorari, cum ipſe adverſarius fateatur *promittere hic Dominum perfectam peccati purgationem, ut nulla reſtet luenda pœna, ut Calvinus cupit. Sed* (inquit) *promittit iis, qui prius lavantur, & mundantur per veram contritionem, & pœnitentiam; deinde ceſſant à peccatis, quibus antea male aſſueverant; tum in bonis operibus aſſidue ac diligenter exercentur; atque ita dignos pœnitentiæ fructus faciunt.* Nihil ſane eſt in his adverſarii verbis, quod non probemus, ſi modo id exceperis, quod iſta omnia, quæ recenſet, prius à fidelibus præſtari velit, quam eam à Domino remiſſionem conſequantur, quæ hic apud Iſaiam promittitur. Nos enim iſta omnia non quidem antecedere, ſed tamen neceſſario conſequi ſtatuimus veram pœnitentiam, cui peccatorum remiſſio donatur. Neque enim aliis peccata à Domino condonari putamus, niſi iis, qui eorum vere pertæſi ſanctitati ex animo ſtudent, & bonis operibus, quæ hic à Propheta commemorantur. Scimus enim, exerteque defendimus, eam fidem, qua peccatorum remiſſionem conſequimur, cum vera pœnitentia, atque caritate, unde bona opera profluunt omnia, indivulſo

nexu

nexu conjunctam eſſe; neque ad hoc peccata nobis ab optimo patre remitti, ut vitiis indulgeamus; verum ut ſancte atque innocenter coram ipſo vitam traducamus. Abſit vero, ut impuris, profaniſque hominibus, qui ſine ullo ſcelerum, ac flagitiorum ſuorum ſenſu ſecuri in luto volutantur, tantum theſaurum patere exiſtimemus. An vero præter eos, qui ſanctitati ex animo ſtudent, alii ſint quibus quoque peccata remittat Deus, ſed ea conditione, ut partem pœnæ debitæ aliquam exſolvant, viderit adverſarius. Nos quidem nullos ſcimus. Ille vero, qui hæc concedit, hoc quoque fateatur neceſſe eſt, his certe, qui ita ſe gerunt, ut præſcribit Propheta, vitæ anteactæ peccata, quantumvis gravia tota ſic remitti, ut (quod nos volumus) nulla deinceps ab iis pœna exigatur. Vnde patet (ut hoc obiter dicam) cum qui ſunt hujuſmodi multa nihilominus, & quidem gravia, Deo volente, perpetiantur, ea profecto *pœnas* dici non debere; adeoq; perperam colligere adverſarium, quoties ex iis malis, quibus fideles, etiam poſt acceptam peccatorum remiſſionem in hac vita premuntur, concludit etiam iis, quibus remiſſa ſunt peccata, luendam adhuc ſupereſſe aliquam *pœnæ* partem. Sed hic operæ pretium eſt attendere, quo tandem evadat tanta illa adverſarii liberalitas, qui hæc concedens videri poſſit cauſſam nobis totam paucis verbis prodere. *Cum igitur* (inquit) *plena peccati remiſſio, quoad omnem pœnæ reatum, præmium ſit bonorum operum, quæ poſt converſionem, & culpæ remiſſionem ſiunt, quæque ſatiſfactoria dici ſolent; quis non videt ex hoc loco non deſtrui, ſed aſtrui potius & ſtabiliri noſtram de ſatisfactione doctrinam?* O egregium artificem, qui uno verbo, ac halitu victoriam nobis de manibus extorſit, clademq; repente ſuam in triumphum convertit! *Hic locus* (inquit) *noſtram de ſatisfactione doctrinam aſtruit, & ſtabilit.* Itane vero? Atqui plenam remiſſionem fidelibus, abjecto ſcelerum, ac vitiorum ſtudio ad bonam frugem redeuntibus, pollicetur hic locus. Nullam *pœnam* edicit vel in hac vita, vel in *purgatorio* pro anteactis peccatis luendam: non *cilicium*, non *chamæuniam*, non alia dura imperat, quæ vicariæ quædam ſunt *pœnæ*. Vnam morum emendationem, unum ſanctimoniæ ſtudium à peccatoribus poſcit. Vos ne ergo ſic docetis? Si ita eſt, fateor veſtram diſciplinam hic à Propheta, non, quod nos putabamus, everti, ſed, quod tu gloriaris, conſtitui. Neque erat ſane (ſiquidem ſic ſentitis) quod hanc contra nos diſputationem ſuſciperes, cum noſtra quoque ſit eadem ſententia. Sed tamen (ſi bene memini) vos totam peccati *pœnam* non aliter remitti vultis, quam ſi ejus partem, eam nimirum quam vos temporalem dicitis, aut luerit ipſe peccator, aut certe *ſatisfactione* (quam & ip-

ſam *pœnalibus* operibus conſtare vultis) defunctus fuerit; quorum nihil apud Prophetam comparet. Imo vero (inquit) etiam ille hanc, quam nos ad peccati remiſſionem neceſſariam eſſe defendimus, ſatisfactionem à peccatore exigit. Nam illa opera, quorum præmium eſſe docet plenam peccati remiſſionem, ea ipſa ſunt, quæ poſt converſionem, & culpæ remiſſionem fiunt, quæque *ſatisfactoria* dici ſolent. Atque ita quidem agit adverſarius. Ego primum moneo perperam dici peccati *remiſſionem* bonorum operum *præmium*, quorum illa potius ex Paulo *fons*, ac *radix* quædam ſtatui debet. Non enim ideo nobis *remittuntur peccata*, quod bona opera ulla præſtiterimus; ſed contra bona opera inde profluunt, quod peccata nobis à Domino remiſſa fuerint. Illud quidem certum eſt, cum nulli, niſi credenti & vere pœnitenti *remittantur* peccata, cuicumque remiſſa ſunt, eum caritate, ac ſanctimonia, quæ veram fidem neceſſario conſequuntur, eſſe præditum, adeoque bonis operibus ſtudere. Vnde eſt, quod Propheta hoc loco bona opera ſigillatim, accurateque commemoravit; velut ejus fidei, ac pœnitentiæ, cui peccatorum remiſſionem proprie pollicetur, non quidem cauſſam, ſed certa & neceſſaria ſigna, atque argumenta. Sed hæc, quod alio pertineant, nunc quidem non urgeo. Satis eſt ad eam, quam ago cauſſam, quod qui commemorata à Propheta opera præſtant, eos omni præteritorum peccatorum pœna liberari, & liquet, & confeſſus eſt adverſarius. Inde enim clariſſime conſequitur id, quod in hac diſputatione probandum ſuſcepimus, nimirum peccata ſic à Domino fidelibus *remitti*, ut eorum nullam ab iis exigat pœnam. Secundo callide quidem, & verſute, ſed tamen fruſtra, duas hic *remiſſiones* nobis inſinuat adverſarius; priorem *culpæ*, quam commemorata à Propheta opera conſequantur; alteram totius *pœnæ*, quæ eadem illa opera conſequatur. Priorem illam, quam *culpæ remiſſionem* vocat, ubinam tandem apud Prophetam reperit? Ille certe unam eam commemorat, quam his verbis expreſſit, *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, ſicut nix dealbabuntur*, quamque non culpæ tantum, ſed univerſæ etiam *pœnæ remiſſionem* eſſe fatetur adverſarius. Aut oſtendat alteram illam ſolius *culpæ remiſſionem* in hoc Prophetæ loco, aut ei certe ſua ſomnia tribuere deſinat. Ille quidem ſe in omnes & partes & formas, ut libet, convertat, novas *remiſſiones* fingat, quæ bona opera vel præcedant, vel ſequantur. Manet divini vatis fixa, & immota ſententia, Deum vere ad ſe converſis peccata ſic dimittere, ut nullam ab iis pœnam exigat. Perſpicua ſunt quæ exigit, *Lavamini* inquit, *mundi eſtote. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſe;*

diſcite

diſcite benefacere ; & quæ nuper deſcripta ſequuntur. Hæc ſi præſtent continuo plenam peccatorum *remiſſionem* pollicetur, ac fatente adverſario talem, quam nulla pœna conſequatur. Ergo neceſſe eſt, vel, quod nos volumus fateri, nimirum iſtis, qui ea præſtant, quæ poſcit Dominus, ſic *dimitti peccatum*, ut nullam omnino ejus pœnam luant, vel certe iſta, quæ ab iis expoſcit, pœnas eſſe, quod (ut ego quidem arbitror) nemo ſanæ mentis dixerit. Nam cum ea, quæ hoc loco Dominus exigit omnia ſint vel *pietatis*, vel *caritatis officia*, abſurdiſſimum eſt ea inter *pœnas* cenſere. Cum enim hoc ſit *pœnæ* omnis ingenium, ut naturam noſtram dehoneſtet, atque deformet, iſta quæ à Propheta commemorantur, opera eam potius ſic decent, ſic perficiunt, atque exornant, ut nihil magis. Sed unum ſupereſt adverſarii effugium, iſta quidem *pœnas* non eſſe, ſi proprie loqui velimus; eſſe tamen, quod vulgo dicuntur, *ſatisfactiones*. At mihi nunc quidem ſatis eſt, quod hinc conſtat Deum ita nobis peccata *dimittere*, ut nullas omnino pro iis *pœnas* exigat. De *ſatisfactionibus* alias ſuo loco videro, quid eæ ſint, quamque vim ad remiſſionem peccatorum habeant. Hoc unum in præſentia monebo, ſi iſta, quæ à divino Scriptore hic commemorantur opera, *ſatisfactiones* ſunt; cum perſpicuum ſit nullam hic nobis *remiſſionem peccatorum* promitti, niſi ea lege, ut iſtis officiis, operibuſque fungamur, illud quoque fateri adverſarios debere, nullam omnino eſſe ſine ſatisfactione remiſſionem, eoſque adeo qui ea nondum præſtita ex hac vita diſcedunt, non *purgatorio*, qua illi ſpe ſe lactant, ſed *inferno* excipi. Certum enim eſt iis *ſatisfactionibus*, quas hic à Propheta ſignificari volunt, nullum eſſe poſt mortem locum.

CAPUT VI.

Arg. IX, *ex Rom.* 8. 1. *Arg.* X, *ex Rom.* 8. 33. *Ioan.* 3. 18. *&* 5. 24. *cui remiſſa ſunt peccata, non condemnatur. Arg.* XI, *ex Rom.* 5. 1. *qui juſtificatus eſt, pacem habet apud Deum. Arg.* XII, *ex Gal.* 3. 10. *fidelis à maledicto liber.*

NOno adverſariorum ſententiæ oppono celebre Pauli dictum, *Nihil damnationis*, vel (ut habet græcus codex) *nulla condemnatio eſt iis, qui ſunt in Christo Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.* Non potuit diſertius iſtud de dimidiata pœnæ remiſſione commentum explodi. Nam cum ei aliquam *condemnationem* eſſe neceſſe ſit, Rom. 8. 1. qui à Deo *punitur* (neminem enim ſapientiſſimus, atque æquiſſimus

mus judex *punit* indemnatum) profecto conſequens eſt, ut dicamus, neminem eorum *puniri*, qui *in Chriſto ſunt*, quibus ſcilicet *nulla* ex Paulo *condemnatio* eſt. Iam neque illud obſcurum eſt, quibuſcumque remittitur peccati culpa, ac pœna æterna, eos *in Chriſto eſſe*, cum unus Chriſtus *agnus* ſit *Dei*, *qui tollit peccata mundi*, neque veniæ, & ſalutis ab eo partæ quiſquam, niſi qui fide ipſi inſitus eſt, particeps eſſe queat; manifeſtum eſt, neque quemquam niſi Chriſti beneficio peccati noxa liberari, neque beneficium ejus cum aliis communicari, quam cum iis, qui in ipſo ſunt. Ex quibus illud poſtremo, quod nos volumus, neceſſario atque evidenter conficitur, quibuſcumque peccati culpa à Deo remittitur, iis nullam amplius peccati pœnam luendam ſupereſſe. Ad hæc non uno modo reſpondent adverſarii. Sunt qui dicant Apoſtolum non de quibuſvis Chriſtianis, ſed de iis tantum loqui, quorum poſt ſuſceptum Pelranus. baptiſmum, conſtans, perpetuaque fuit pietas, ac ſingulare ſanctimoniæ ſtudium; idque inde probant, quod eos negat Paulus *ſecundum carnem* ambulare. Ego vero accipio in primis, quod iſti donant, eſſe aliquos ſaltem Chriſtianos, quibus peccata ſic *dimittuntur*, ut *nulla* ab ipſis exigatur *pœna*. Nam cum etiam ex adverſariorum confeſſione, vix ac ne vix quidem hæc vita ſine peccato traducatur, ut ut ſanctiſſimi fingantur illi Chriſtiani, quos hic memorant, fieri tamen non poteſt, quin *peccent* interdum, adeoque gratia & remiſſione egeant; quam profecto *totam* (hoc eſt hujuſmodi quæ à culpa, & pœna omni liberet) iis obtingere fatendum eſt; quod iis, cum ex Paulo *nulla condemnatio ſit*, ne *pœna* quidem ulla eſſe poteſt. Non enim eſt *pœna* ſine antecedente *condemnatione*. Præterea tametſi concedam diverſos eſſe Chriſtianorum ordines, & horum, quam illorum perfectiorem eſſe ſanctimoniam, atque innocentiam; conſtanter tamen nego quemquam eſſe vere Chriſtianum, cui non pro ſuo modulo conveniat duplex ille Paulinæ deſcriptionis character; ut nimirum & *in Chriſto ſit*, neque *ſecundum carnem ambulet*. Utrumque ſexcentis locis docet Apoſtolus. Nam omnes omnino Chriſtianos, qui non nomine tenus, ſed re vera Chriſtiani ſunt, ait *eſſe Chriſti membra*, *Chriſtumque induiſſe*; 1 Cor. 6. 15. *Chriſto commortuos*, *& complacitatos*; *in Chriſto fundatos*, *ac in ipſo vi-* & 12.13. 14. *ventes*; & cætera ejuſdem generis, quæ recenſere longum eſt: quæ Gal. 3. 27. Rom. 6. 3. 5. profecto de veris Chriſtianis dici non poſſent, niſi ii *in Chriſto eſſent*. Eph. 2. 20. Sed neque alterum elogium parcius, aut obſcurius omnibus vere Chriſtiauis tribuit Paulus. Nam & in epiſtola ad Galatas, qui *Chriſti* ſunt eos in genere pronunciat *carnem crucifixiſſe cum vitiis*, *& concupiſcentiis*, Gal. 5. 24. (quod ſane haud paulo magnificentius eſt, quam quod eos hic negat *ſecundum*

ſecundum carnem ambulare) & in hoc eodem capite, *ſiquis Spiritum Chriſti non habet eum Chriſti eſſe* exſerte negat. Cum igitur hæc Pauli ſit conſtans ſententia, fateor eum cum hoc loco negat fidelibus ullam eſſe condemnationem, de iis tantum hominibus intelligere, qui & *in Chriſto ſunt*, neque *ſecundum carnem ambulant*. Sed cum & *in Chriſto ſint*, neque *ſecundum carnem ambulent* omnes, quotquot ſunt vere fideles, neque aliis, quam vere fidelibus peccati culpa à Domino remittatur, clarum eſt ex hoc Apoſtoli dicto, quod nuper concludebamus, neceſſario conſtitui, nimirum quibuſcumque peccati culpa remittitur, iis *condemnationem nullam* eſſe, adeoque nec *pœnam* ullam, quæ ſcilicet ſine *condemnatione* nulla eſt. Qui vero extra *Chriſtum* ſunt, & *ſecundum carnem ambulant*, iis *condemnationem eſſe*, adeoque & *pœnam*, libenter fatemur; ſed neque iiſdem *culpam*, aut mortem æternam magis remitti contendimus, quam *pœnam* temporalem. Itaque cum de iis tantum inſtituta ſit præſens diſputatio, quibus remiſſam eſſe *culpam* ajunt, *pœnam* negant; nemo non videt, quam inepta ſit iſtorum reſponſio, qui ad ſolvendum objectum à nobis argumentum, eos in medium afferunt, quibus *culpam* minime remitti conſtat, quique adeo nihil habent cum hac cauſſa commune. Non eſt melior altera, quæ Bellarmini, & aliorum eſt, ſolutio; qui hanc Pauli ſententiam, *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto* ad concupiſcentiam reſtringunt; ac ſi vellet Apoſtolus, *eos qui ſunt in Chriſto Ieſu, quique ejus gratia muniti ſunt, nihil peccati contrahere ex ejuſmodi motibus.* Quam diluta ſit, ac putida hæc iſtorum cavillatio, facile perſpiciet, qui paulo attentius rem conſiderare voluerit. Illud nunc mitto, quod falſum, & à Pauli doctrina alienum eſt, quod ipſi hic affingunt; nempe *non peccare eos, qui concupiſcunt*, ſi modo his carnis motibus non conſentiant; cum ipſe Paulus initio ſuperioris capitis omnem in genere concupiſcentiam *peccatum eſſe*, & dixerit non ſemel, & ex Dei lege probaverit, à qua hoc ſe, quod antea ignorabat, didiciſſe profitetur. Illud vero quis adverſario conceſſerit his Pauli verbis, *nihil nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, ſignificari Chriſti fidelibus, qui *motibus carnis* ſuæ *non conſentiunt*, licere impune concupiſcere, neque eſſe, quod ullam propterea *condemnationem* metuant? Atqui *concupiſcentiam* ne ſemel quidem nominavit Paulus toto hoc capite. Abſolute, ac in genere pronunciat *nihil iis damnationis eſſe, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Quis eſt, qui lectis, vel auditis his verbis non ſtatim animo percipiat, *nullam* omnino veris Chriſti fidelibus metuendam eſſe *condemnationem*? Quis adverſario id juris dedit, ut quæ Apoſtolus in genere, & univerſim enunciat ea pro libitu ad

Rom. 8.9

l. 1. de purg. c. 12. §. Reſpondeo.

Rom. 7. 7. 8.

ſpeciem unam reſtringat? Si ea licentia obtinet, nihil erit in Pauli ſcriptis certum, atque fixum; nihil quod non alio poſſit à quovis deflecti, ac detorqueri. Quod vero ajunt, Apoſtolum de *concupiſcentia* ſuperiori capite locutum, id, inquam, nihil eorum hac in parte licentiam juvat. Quæſo enim, ſiquid in præcedentibus locis Apoſtolus dixerit, vel nominaverit, ideo ne eo ſtatim pertinebunt quæcumque poſtea in ſequentibus diſputationis partibus, quamquam diverſis, ſubjiciet? Atqui clarus eſt hujus dicti, ſi in genere, ut verborum vis eſt, ſumatur, cum præcedentibus, & cum ſequentibus nexus. Apoſtolus fuſe in ſuperioribus demonſtraverat, nos Chriſti gratia primum quidem peccati *crimine*, & *reatu*, tum etiam *tyrannide*, & *jugo* liberari; illud quidem capitibus quarto, & quinto; hoc vero ſexto, & ſeptimo; ac in ſeptimi quidem calce diſerte *gratias Deo* egerat de hac noſtra *per Chriſtum Ieſum* liberatione. Nunc ergo ea diſputatione abſoluta concludit *nihil* nobis in Chriſti regno, atque gratia conſtitutis, *damnationis* ſupereſſe. Itaque cum ea diſputatio, ex qua hoc colligit, quicquid *damnationis* timeri poterat, id omne complectatur, clarum eſt eo pariter extendi, quod jam ex ea infert. Idem etiam oſtendit ea hujus concluſionis ratio, quæ mox ſubjicitur, inde petita, quod *Deus Filio in ſimilitudinem carnis*
Rom. 8. 3. *peccati miſſo, quod legi impoſſibile erat, impleverit.* Nam ſic *damnato* per Chriſti mortem *peccato*, hoc eſt vi ejus per Chriſti ſacrificium exſtincta, atque deleta, patet *damnationem*, quæ à peccato erat, Chriſti fidelibus nunc minime metuendam eſſe. Vnde videre licet, quod Paulus hac ratione demonſtrat *nihil* fidelibus Chriſto inſitis *damnationis eſſe*, id non ad concupiſcentiæ motus (quam hic omnino non nominat) ſed in genere ad omnia *peccata* referri, quæ fidelibus à Deo in Chriſto Domino ſic remittuntur, ut ob ea nulla plane ipſis incumbat *condemnatio.* Tanta autem eſt hujus ſenſus evidentia, ut ex ipſis adverſariis non paucos, neque ignobiles interpretes nobiſcum hac in parte conſentientes habeamus, Thomam, Sotum, alios. Atque ita ſatis patet quam ſit futile allatum à Bellarmino Paulinæ hujus ſententiæ interpretamentum.

Sed etiamſi donaremus id in hoc Pauli dicto locum habere poſſe, non ideo tamen argumenti à nobis objecti vis convelleretur; quod alia ſint Scripturæ teſtimonia, quæ id clariſſime conſtituunt, ex quo nos illud duximus; nimirum *nullam eſſe iis damnationem, qui in Chriſto ſunt.* Id enim Paulus eodem illo capite luculentiſſimis verbis confirmat, *Quis* (inquit) *accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat. Quis eſt, qui condemnet?* τίς ὁ κατακρίνων; *Chriſtus Ieſus is eſt, qui mor-*
Rom. 8. 33. 34. *tuus eſt; imo qui & reſurrexit; qui eſt ad dexteram Dei; qui etiam interpellat*

pellat pro nobis. Significat Apoſtolus tantam eſſe ſummi judicis in nos benevolentiam, ut nemo ſit vel ad nos apud ipſius tribunal accuſandos ſurrecturus; tantam mortis, reſurrectionis, ac interceſſionis Chriſti vim, atque efficaciam, ut nos, quos ille *tegit*, nemo ſit *condemnaturus.* Nam illas interrogationes ex omnium linguarum, præcipue vero Hebrææ conſuetudine notum eſt eam vim habere, ut id, de quo interrogant, vehementer negent. *Quis condemnabit?* idem eſt, ac ſi diceret, *Fieri omnino nequit, ut nos, qui Chriſtum habemus patronum, quiſquam condemnet.* Idem quoque Chriſtus ipſe apud Ioannem pronunciat, *Qui credit in Filium Dei* (inquit) *non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Alibi apud eumdem; *Amen amen dico vobis; quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit.* Clarum eſt iis locis *judicari* poſitum eſſe pro *condemnari*; ſimplex *κρίνειν* pro compoſito *κατακρίνειν*; ac tametſi non ea eſſet verbi vis, hinc tamen apertiſſime conficeretur neminem, qui in Chriſtum credit, *condemnari*; quod qui *non judicatur*, eum multo magis intelligitur *non condemnari*; cum *condemnatio* ſit altera judicii ſpecies; ut qui ne animal quidem eſt, is multo minus homo eſt. Cum ergo ex his Pauli, Chriſtique verbis conſtet, neminem eorum *condemnari*, qui in Chriſtum mortuum, ac reſuſcitatum, & ad dexteram Dei pro nobis intercedentem credunt; neque vero dubium ſit in Chriſtum omnes credere, quibus culpa, & pœna æterna remiſſa eſt, illud profecto neceſſario quoque conſequitur, quibus culpa remiſſa eſt eos *non condemnari*, adeoque nec *puniri*, aut ullis omnino proprie dictis *pœnis* affici, cum *puniri* quemquam niſi *condemnatum*, non ſinant jura. Ac prius quidem, quod Pauli eſt, teſtimonium, quomodo adverſarii ſolvant, non vidi. Ad poſterius, quod Chriſti eſt, Bellarminus ſic reſpondet: *Qui credit, ſalvus erit, & non judicatur, id eſt, non condemnatur, modo addat cætera, quæ requiruntur. Fides enim ex ſe juſtificat, & ſalvat, ſi aliunde non ſit impedimentum; quemadmodum dicere ſolemus, ex hoc ſemine naſcetur arbor, ſi videlicet non deſint calor ſolis, humor aquarum, & ſi qua alia requiruntur. Neque continuo qui ſalvus erit per fidem ſine purgatorio ſalvus erit. Multi enim ſalvantur, ſic tamen quaſi per ignem, ut ſupra ex Apoſtolo demonſtravimus.* Sed hæc argumentum non ſolvunt. Mitto, quæ hic adverſarius immiſcet de *fide*, & iis, quæ proprium ejus effectum, nimirum *juſtificationem*, impediunt; quaſi fieri poſſit, ut quiſquam vere in Chriſtum credat, neque tamen *juſtificetur*, aut *ſervetur*; quod Chriſti ſententiam obverſis cornibus recta impetit, atque oppugnat; qui cum diſertiſſime pronunciet, *Qui*

Ioan. 3. 18. & 5. 24.

l. 1. de purg. c. 12. §. Reſp. in extr. jud.

credit, *eum vitam habere æternam*, *neque in judicium* (hoc eſt in condemnationem) *venturum*, profecto falſo (quod abſit) loquutus fuerit, ſi quis eſt (quod vult adverſarius) qui, cum *credat*, non ideo tamen *ſervetur*, ob quædam ſcilicet impedimenta. Neque hic quam de ſemine affert, ſimilitudinem excutio, cui cum propoſita Chriſti enunciatione nihil commune eſt. Siquis vero de ſemine dixerit, *Quiſquis ſemen arboris habet*, *is ipſam quoque arborem habebit* (quo modo Chriſtus de fide profitetur, *quiſquis credit*, *eum ſalvum futurum*) is ſane inepte locutus fuerit; quod clarum ſit non quiſquis ſemen habet, eum arborem quoque habiturum, quæ ex tali ſemine procreatur. Quo fit, ut cum Chriſtus, qui nihil inepte, ſed omnia veriſſime, ac ſapientiſſime loquitur, dixerit & quidem non ſemel, *Quiſquis in ipſum credit*, *ſervatum iri*, neceſſe ſit fateri, nihil eſſe, quod impedire poſſit, ne is, qui in eum vere *credit*, *ſervetur*; quem ſi à ſalute arceri, ac prohiberi contingeret, omnino falſa futura eſſet Chriſti oratio, quod piorum omnium aures abominantur. Sed hæc, quod ad præſenten cauſſam non pertineant, nunc quidem miſſa facio. Illud unum urgeo; quod Chriſtus, *qui credit in ipſum*, *judicari*, id eſt (ipſo teſte adverſario) *condemnari* negat; *modo addat cætera* (inquit Bellarminus) *quæ requiruntur.* Nihil dico de gloſſæ hujus ineptia, quæ ſi locum habet, nihil vetat, quin & eum *divitem* futurum dicam, qui bovem habet; *doctum*, qui prima litterarum elementa noverit; *formoſum*, cui oculi, vel capilli nigri fuerint, *beatum*, qui pſalmos bene cantaverit, & alia innumerabilia, etiam abſurdiora; quæ ſic ex Bellarmino ſcilicet tuebor, ut dicam me intellexiſſe *divitem*, *doctum*, *formoſum*, *beatum* demum futurum, modo & cætera, quæ ad iſta requiruntur, una cum iis, quæ commemoravi, habeat. Sed eſto tamen ita ut vult adverſarius; neque alia lege vera ſit Chriſti oratio, niſi ut adhibita bella iſtorum gloſſa intelligatur, ne ſic quidem eorum cauſſa in tuto erit. Nam cum Chriſtus polliceatur fore, ut *ſiquis credat*, *non condemnetur*, quæcumque ſint ea, quæ in iſto præter commemoratam à Domino fidem, requiruntur, hujuſmodi certe eſſe neceſſe eſt, ut *condemnationis*, à qua ille immunis futurus eſt, nulla pars ſint. Alioqui non ſtabit, quod Chriſtus ipſi promittit, fore, ut non *condemnetur.* Ergo cum illæ *pœnæ*, quas adverſarii ſtatuunt, ſpecies, & pars quædam ſint *condemnationis*, eas omnino neceſſe eſt ex eorum cenſu expungi, quæ in iis requiri volunt, qui ejus beneficii quod Chriſtus hic promittit, participes erunt. Ergo eos neceſſe eſt *non condemnari. Condemnabuntur* autem, ſi vel hic in terris, vel in *purgatorio* puniantur. Ergo eos neceſſe eſt, neque hic, neque

que illic *puniri.* Quod ſi adverſarius dicat, ad hoc ut *non condemnentur*, inter cætera requiri, ut *pœnas* dent, vel hic, vel poſt mortem, nemo non videt, quam inſulſa ſit, & impudens hæc ejus exceptio, quæ ad hoc ut quis *non condemnetur*, requiri ait ut *condemnetur.* In hujuſmodi enunciationibus, quod exigimus, id omnino diverſum eſſe neceſſe eſt ab eo, quo liberatum iri promittimus, eum quem alloquimur. Alioqui ſtulta, nullaque erit promiſſio, ut ſiquis ægrotanti ſanitatem polliceatur, ſed ea tamen lege, ut ægrotet. Qui ſic promittit, nihil promittit, adeoque nugatur. Chriſtus promittit immunitatem à *condemnatione.* Fidem exigit. Ergo quicquid illud eſt, quod fidei nomine exigit, aliud certe eſt ab ea *condemnatione*, cujus immunitatem promittit. Aliud vero non erit, ſi, quod vult adverſarius, hujus fidei aut pars, aut comes ſit *pœna*, adeoque *condemnatio.* Siquis Princeps *condemnatum* iri reum neget, qui ipſi peccatum confeſſus fuerit; nonne is luſiſſe putabitur, ſi reum, audita ejus confeſſione, ad triremes damnet? cauſſeturque ſe crimen confitenti *condemnationis* immunitatem promiſiſſe, ſed ita ſi confeſſioni cætera quoque adderet, quæ requiruntur; ex his autem requiſitis unum fuiſſe, *condemnationem* ad triremes?. Chriſtum faciunt adverſarii eadem plane nobiſcum ratione agentem; quem credentem à *condemnatione* liberum fore ſic promittere volunt, ut is ad aliquas vel hujus, vel futuræ vitæ pœnas damnetur. Itaque cum Chriſtus nemini illudat, ſed vere ac ſerio nobiſcum agat, illud denique neceſſario confitendum eſt, quibus hoc promittit, *nullam* iis revera *condemnationem*, nullam adeo proprie dictam *pœnam*, fore. Promittit autem omnibus fidelibus; neque cuiquam peccati culpa remittitur, qui idem fidelis non ſit; Ergo neque ulli, cui remiſſa fuerit culpa, ulla omnino vel hic vel alibi, infligetur proprie dicta peccati *pœna.* Quod adjicit adverſarius de iis, qui *ſicut per ignem ſervabuntur*, id ſupra ſuo loco explicatum eſt.

Vndecimo; id ipſum ex eo quoque demonſtratur, quod qui *ex fide juſtificati ſunt, eos pacem ad Deum*, ſive *apud Deum habere*, docet Paulus. *Rom.* 5.1.
Pacem autem *apud Deum* nondum habent, quos ille proprie dictis pœnis ſive viventes, ſive mortuos adhuc vexat. Quis enim eum reum, de quo ex Prætoris ſententia ſupplicium vel ſumitur jam, vel mox ſumetur, *pacem* apud Prætorem habere dixerit? Patet à civitatibus, & Principibus ductam eſſe hanc metaphoram, quod ut iis, quibuſcum *pacem* habet Rex, vel reſpublica, nullum bellum infert, nihilque in eos hoſtile molitur, ſed liberos, tranquillos, ac incolumes, quatenus quidem in ſe ſitum eſt, agere ſinit; ſic Deus, ſic quivis judex eos, quibus peccata remiſit,

miſit, nullis ſuppliciis, aut pœnis exagitat; Quæ locutio non conſtabit, ſi Deus etiam à juſtificatis aliquam *pœnam*, aut *ultionem* repoſcit. Iam vero *ex fide juſtificatos* eſſe, quibus culpa remiſſa eſt, clarius eſt, quam ut probari debeat. Ergo cum *fide juſtificatis pax apud Deum* ſit, patet, quibus culpa remittitur, eos *pacem apud Deum habere*, adeoque ab omni peccati *pœna* proprie dicta immunes eſſe.

Præterea id etiam ex eo conſtat, quod quibus aliqua peccati proprie dicta *pœna* incumbit, ii maledicto legis neceſſario feriuntur. Hæc enim eſt à lege in eos omnes pronunciata *condemnatio*, qui peccaverint, Gal. 3.10. ut Paulus docet in epiſtola ad Galatas, *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Ea peccati eſt proprie dicta *pœna*, quæ ex lege peccatori conſtituitur. Lex autem hanc peccanti *pœnam* ſtatuit, ut is *maledictus* ſit. *Maledictum* ergo hactenus eſſe neceſſe eſt, quiſquis veram, ac proprie dictam peccati *pœnam* luit. At quibuſcumque *culpa*, & *pœna* æterna remittitur, ii *maledicti* Gal. 3.13. non ſunt. Sunt enim Chriſti. *Omnes* autem *ſuos Chriſtus* (ut eſt apud eumdem Apoſtolum) *redemit de maledicto legis, factus pro ipſis maledictum.* Ergo nemo eorum, quibus peccati *culpa* remiſſa eſt, vera ac proprie dicta peccati *pœna* ulla vel hic, vel in inferis afficitur.

CAPVT VII.

Arg. XIII. ex eo quod cum juſtitia pugnet peccatum dimiſſum punire. Arg. XIV. quod id ipſum pugnet cum Chriſti ſatisfactione. Arg. XV. quod id ipſum Dei miſericordiæ repugnet.

TErtiodecimo, idem quoque ex eo conſtat, quod univerſæ Scripturæ Deo ſummæ integritatis, atque juſtitiæ laudem ubique tribuunt; quod cum & notiſſimum ſit, & rectæ quoque rationi conſentaneum, nihil opus eſt allatis ſigillatim teſtimoniis probare. Iam vero neque illud minus clarum eſt, nihil fere cum juſtitia pugnare vehementius, quam ut cum, cujus *culpa nulla* eſt, *pœna aliqua* afficias. Nam *immerenti præmium dare*, quamquam eſſe videatur à juſtitia alienum, multo tamen minus cum ea pugnat, quam eum, *cujus culpa nulla* eſt, *punire.* Cum ergo eorum, qui ad patefactam in Chriſto gratiam cum vera fide, ac pœnitentia confugiunt, nulla amplius *culpa* ſit, (eam enim Oſ. 14. 3. & *dimitti* fatentur adverſarii, & *auferri* ac *tolli* ajunt divini ſcriptores) Ioan. 1.29. injuſtitiam Deo aſcribunt, qui eum aliquas à talibus *pœnas* exigere docent.

cent. Neque eos ad amoliendam tantam abſurditatem juvat, quod *parentum iniquitatem in filios viſitari* docent Scripturæ. Non enim *pa-* Exod. 20.5.
rentes, quorum ſcelus liberorum morte vindicatur, *culpæ* immunes eſſe patet. Neque iis peccati culpam *remitti*, vel (quod idem eſt) *non imputari*, Scripturæ tradunt. Hic aliter res habet. Nam quibus *pœnam* infligere Deum contendunt, culpam iiſdem remiſiſſe volunt; ut ex eorum ſententia clarum ſit, homines, quibus nulla imputatur culpa, ejus tamen *pœnas* dare; quod quam iniquum ſit nemo non videt. Iam ſi regerant Chriſto, quamquam extra omnem culpam poſito, peccatorum noſtrorum pœnas citra ullam injuſtitiæ notam à Patre inflictas eſſe; reſpondeo, quod jam ſupra attigi, mortem, quam Chriſtus tulit, culparum noſtrarum *pœnam* fuiſſe, quæ *remiſſæ* non erant, ſed *imputabantur*. Hic vero ubi culpam *remiſſam* eſſe confitentur, cogitari non poteſt, quomodo pœna illæſa juſtitia locum habere poſſit.

Idque eo iniquius, atque abſurdius cenſeri debet, quod iſtorum peccatorum, ob quæ fideles puniri volunt, pœnas Dominum Chriſtum in cruce jam luiſſe conſtat. Clamant enim univerſæ utriuſque Teſtamenti ſcripturæ *Chriſtum vere languores noſtros ipſum tuliſſe; vulneratum eſſe propter iniquitates noſtras; attritum eſſe propter ſcelera noſtra; diſciplinam pacis noſtræ ſuper eum fuiſſe, noſque ejus livore ſanatos eſſe; quoſque ſcientia ſua juſtificat, eorum iniquitates portaviſſe, ac peccata multorum tuliſſe; ſe-* Iſ. 53 4.5.6. 11 12.
mel oblatum fuiſſe, εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας ad tollenda, vel *ſurſum ferenda* (*exhaurienda* dixit Latinus) *multorum peccata; Agnum eſ-* Hebr. 9. 28.
ſe, qui tollit peccata mundi; ac denique, ut alia ſexcenta omittam, *peccata* Ioa. 1.29.
noſtra ipſum pertuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum. Quorum, aliorumque 1 Pet. 2.24.
conſimilium locorum hæc omnino vis eſt, ut ſignificent Chriſtum *pro nobis*, ac *loco noſtro* eas *pœnas* exſolviſſe, quas peccata noſtra merebantur. Quo etiam ſpectat, quod ait Paulus, *Chriſtum pro nobis factum eſſe maledictum*; & alibi eodem ſenſu, *ipſum à Deo peccatum pro nobis factum* Gal. 3.13.
fuiſſe, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. Ibi enim ex Hebræorum idio- 2 Cor. 5.21.
tiſmo *peccati* nomine *hoſtiam pro peccato* intelligit. Quæ cum ita ſe habere ne ipſi quidem adverſarii negent, hoc etiam neceſſario fateri debent, iſtorum peccatorum, quæ in Chriſto dimiſſa ſunt, pœnas, neque hic, neque alibi ullas proprie dictas à nobis vel *repoſci*, vel *exſolvi*. Id enim ſi fieret, clarum eſt unum, idemque peccatum bis *punitum* iri; quod quam ſit à juſtitiæ rationibus alienum, omnes vident. Certe nemo, cui vel mica æquitatis fuerit, id æs à debitore exigit, quod ejus nomine à vade, ſive ſponſore numeratum accepit. Quanto minus Deus benedictus, abſolutiſſima omnis juſtitiæ, atque æquitatis norma, eas à

miſeris

miſeris peccatoribus *pœnas* repoſcet, quas ipſorum nomine Dominus Ieſus pleniſſime exſolvit? Fortaſſe dicent adverſarii, Chriſtum pro culpa quidem, & pœna peccati *æterna* ſatisfeciſſe; pro pœna vero *temporali* minime ſatisfeciſſe; itaque non eſſe abſurdum, ut eam, quippe quæ à Chriſto minime exſoluta fuit, nos pendamus. Nam Bellarminus certe omnino ſic ſentire videtur; dum quærenti Calvino, *quid pro nobis Chriſtus præſtiterit*, ſi adhuc pro peccatis pœna exigitur, reſpondet, *Chriſti mortem pretium, & ſatisfactionem eſſe pro peccatis noſtris, quoniam* (inquit) *ſolvit ipſe pretium, & ſatisfecit immediate, ut ſic loquar, pro culpa, & reatu mortis æternæ eorum, quibus ſanguis ejus per ſacramenta applicatur; mediate autem pro pœna etiam temporali, quatenus gratiam præbet, per quam ipſi nos Domino ſatisfacimus.* Sed hæc & temere, & periculoſe, & denique falſo dici, non eſt obſcurum. Ac primo quidem *temere*, quia ſine ulla Scripturæ auctoritate afferuntur. Vbi enim quæſo, dimidiatam hanc Chriſti *ſatisfactionem* ſcriptura memoravit? Vbi pro culpa quidem omni, pro *pœna* autem non omni Chriſtum ſatisfeciſſe docuit? Profecto ea ubique univerſaliter, ac indefinite ait Chriſtum pro peccatis noſtris paſſum eſſe, ut vel ex iis conſtat, quæ nuper laudavimus, aliiſque ejuſdem generis pœne innumerabilibus locis, nec uſquam iſta diſtinxit, quæ nunc dividunt adverſarii. Sed & *periculoſe* hæc dici apparet, quia ſic lata porta Chriſti ſatisfactionem negantibus aperitur, qua ea peccata, pro quibus ipſe minime *ſatisfecit*, *redemiſſe* tamen, & *expunxiſſe* eum defendant; quæ ſi concedantur, ipſam Domini ſatisfactionem, omnis gratiæ, ac ſalutis fundamentum, labefactari neceſſe eſt. Sed & (quod potiſſimum urgebimus) *falſo* hæc ab iſtis affirmari facile eſt probare. Primo enim, quod tam inhoneſti dogmatis invidiam veriti, pro *pœna* etiam temporali Chriſtum quadamtenus, ac, ut loquuntur, *mediate* ſatisfeciſſe ajunt, *quatenus gratiam præbet, per quam ipſi nos* Domino ſatisfacimus, id inquam, ſtare non poteſt, neque aliud, ſi vere ac ſimpliciter loquendum eſt, ſignificat, niſi Chriſtum pro pœnis temporalibus ipſum quidem minime *ſatisfeciſſe*; ſed efficere tamen, ut nos pro iis *ſatisfaciamus*. Nam Scriptura nullam Chriſti aliam pro nobis *ſatisfactionem* novit, niſi qua ipſe *peccatum* tulit, eiuſque pœnam bajulavit; iſtam, qua pœnam peccati ipſe quidem non fert, ſed tamen efficit, ut eam nos feramus, plane ignorat, quinimo diſerte repudiat, cum ait Dominum Chriſtum *peccatorum noſtrorum purgationem feciſſe δἰ ἑαυτοῦ per ſe ipſum*; item cum nos *à legis maledicto* eo redemiſſe teſtatur, quod ipſe *pro nobis maledictum factus eſt*. Neque ſane ipſa rerum ratio, communiſque loquendi uſus patitur, ut *pro nobis ſatisfeciſſe* dicatur, niſi qui ære ſuo debitum

l.4.de pœnit.c. 15. §.Porro.

Hebr 1.3.

Gal.3.13.

debitum noſtrum expunxit. Si Bellarmini ratio valeret, Deus pater pro nobis ipſe quoque *ſatisfeciſſe* dici poſſet; quod eſt abſurdum, & inauditum. Is enim Chriſto ſuo vim eam omnem dedit, quæ ad *ſatisfaciendum* fuit neceſſaria. Qui nos de latronis manibus eripit, efficit ut nobis ſit, unde debitum diſſolvamus (neque enim ſolvendo fuiſſemus, ſi latro, à cujus injuria nos ſervavit, pecunia nos ſpoliaſſet.) Medicus, qui gravi morbo conſtrictos liberavit, nobis vires eas præbuit, quæ ſunt ad pecuniam, unde creditori ſatisfaciamus, labore noſtro comparandam neceſſariæ. Ideone iſtos pro iis debitis *ſatisfacere* vel putabis, vel dices, quæ nos, quamquam eorum beneficio liberati, ære tamen noſtro diſſolvimus? Ergo ne Chriſtus quidem pro pœnis temporalibus ullo modo *ſatisfeciſſe* dicendus eſt, ſi nullas quidem, quæ ſuæ ipſius eſſent, perpeſſiones pro iis luit; tantum beneficio ſuo effecit, ut nos iis ſolvendis pares eſſemus. Non eſt, quod Bellarminus ſubterfugiat. Si quod ſentit, tenere vult, neceſſe eſt aperte eloquatur, ac defendat Chriſtum pro *aliquibus* tantum peccati pœnis, non autem pro *omnibus* ſatisfeciſſe. Omnis hæc impii, & hactenus inter veros Chriſtianos inauditi dogmatis, infamia illi ſubeunda eſt. Quis enim non exhorreſcat, quam Domino Chriſto omnis ſemper Eccleſia tribuit, totius in ſolidum *ſatisfactionis, mediationis*, ac *redemptionis* noſtræ gloriam, eam nunc ab iſtis imminui, ac decurtari? *Chriſtus* (inquiunt) *non ſatisfecit pro pœnis peccati temporalibus*. Ergo, inquam, non eſt noſter ex aſſe redemptor. Nam cum *redemiſſe*, niſi quatenus *ſatisfecit*, non dicatur, patet eum neque nos ab iſtis pœnis *redemiſſe*, pro quibus (ſi iſtos audimus) minime ſatisfecit. Tum quid eſt, quæſo, *pro peccato noſtro mori, noſtros dolores, langoreſque portare, peccata noſtra ipſum perferre in corpore ſuo ſuper lignum*, niſi peccatorum noſtrorum *pœnas* perpeti, ac ita pro iis ultrici Dei juſtitiæ ſatisfacere? Adhæc teſtatur Apoſtolus Chriſtum *chirographum, quod erat nobis contrarium, deleviſſe, tuliſſeque de medio, & cruci affixiſſe*. At ſi Chriſtus minime *ſatisfecit pro temporalibus peccati pœnis*, patet adhuc manere illud *chirographum*, ſic ut ejus vi iſtas *pœnas*, quæ nondum à Chriſto expiatæ finguntur, nos exſolvere cogamur. Huc accedit, quod *una Chriſti in cruce oblatione* dicuntur *in ſempiternum conſummati, qui ſanctificantur*. At *conſummati* non ſunt, qui aliquarum pœnarum reatu adhuc tenentur; tenentur vero quotquot in Chriſtum credunt fideles, ſi pro iis Chriſtus, quod ad hanc partem pertinet, minime ſatisfecit. Præterea ſi vera eſt hæc adverſariorum hypotheſis, Chriſtus pro peccatis venialibus, quorum non aliam eſſe ſtatuunt *pœnam*, quam temporalem, minime *ſatisfecit*, neque nos adeo ab iis crucis ſuæ merito purgat; cum

Col. 2. 14.

Hebr. 10.

peccati remiſſionem, non aliter quam *ſatisfactione*, acquiſiverit. At Ioannes diſertiſſime pronunciavit, *ſanguinem Ieſu Chriſti Filii Dei emundare nos ab omni peccato*; Ergo & à *veniali*; quod etiam adverſarii ipſi in alia diſputationis parte confitentur. Statuunt enim (ut ſupra audivimus) baptiſmum ſuſcipientibus vel omnes, vel certe plæraſque peccati pœnas, etiam *temporales*, dimitti. Atqui in baptiſmo nihil nobis remitti conſtat, pro quo non ſatisfecerit Chriſtus. Totum enim baptiſmum ad ejus mortem referri, ab eaque pendere, clariſſime docet Apoſtolus. Cum igitur pœnæ peccati *temporales* plæræque in baptiſmo remittantur, conſequens eſt, ut Chriſtum morientem pro iis *ſatisfeciſſe* dicamus. Sed de Domini quidem *ſatisfactione*, ejuſque plenitudine, ac perfectione infra ſuo loco fuſius. Nunc ſatis eſt concludere, cum ex iis, quæ breviter attigimus, appareat Chriſtum etiam pro pœnis peccati *temporalibus* ſatisfeciſſe, non poſſe eas citra injuſtitiam ab iis repoſci, quibus Chriſti ſanguis applicatus eſt; Deumque adeo, qui procul eſt ab omni injuſtitiæ labe, à nullis eas fidelibus vel hic, vel in *purgatorio* repoſcere, quibus Chriſti ſanguinem per fidem, & ſacramenta applicatum fuiſſe nemo negat. Hoc denique addo, etiamſi Bellarmino, quæ *temere* & *falſo* aſſumpſiſſe eum demonſtravimus, donarentur omnia, non eo tamen liberatum iri Deum omni injuſtitiæ crimine ex adverſariorum hypotheſi. Chriſtum enim Bellarminus, quamquam neget pro temporalibus pœnis proprie, ac immediate ſatisfeciſſe, concedit tamen pro pœna æterna eorum *ſatisfeciſſe*, quibus ſanguis ejus per ſacramenta applicatur. Iam peccatorum (ut vocant) mortalium nulla, niſi æterna, *pœna* eſt. Ergo Chriſtus pro omni horum ſaltem peccatorum pœna ſatisfecit. Vnde conficitur nullam pro iis *pœnam* à fidelibus, quibus applicatus eſt Chriſti ſanguis, jure exigi poſſe. Sic enim in idem peccatum bis vindicaretur, totiuſque à Chriſto ſemel optima fide exſolutæ pœnæ pars à fidelibus iterum repeteretur; quod quam iniquum ſit, nemo non videt. Atqui volunt adverſarii Deum hoc modo quotidie cum fidelibus agere, quibus per pœnitentiam, & euchariſtiam Chriſti ſanguis applicatus eſt; ſic nimirum ut ab iis pœnas aliquas vel hic, vel in purgatorio exigat ob ea ipſa peccata, ut vocant mortalia, pro quorum pœna Chriſtum in cruce pleniſſime ſatisfeciſſe confitentur; quorum adeo fideles remiſſionem à Domino ſacerdotis miniſterio acceperant. Ergo ſi iſtorum dogma verum eſt, nobiſcum hac ſaltem in parte inique aget Deus; quod cum ne cogitari quidem poſſit ſine maxima impietate, fatendum eſt falſum eſſe, & abſurdum illud adverſariorum dogma, unde hoc conſequitur. Neque eſt, quod reſpon-

1 Ioa. 1. 7.

Rom. 6. 3. 4.
Col. 2. 12.

Bell. l. 1. de purg. c. 14. § Porro.

ſpondeant æternam peccati mortalis pœnam temporali commutari. Nam ne ſic quidem ſe expedient. Quæro enim an Chriſtus pro æterna peccati pœna *plene*, ac *penitus* ſatisfecerit? Si negant, ergo *imperfecta* eſt Chriſti *ſatisfactio*, neque *pretii infiniti*; quod dicere blaſphemum eſt. Si ajunt, ergo inquam, nihil omnino fidelibus *pœnæ* luendum ſupereſt, pro quibus præſtita eſt illa Chriſti *ſatisfactio*. Nam qui à debitore partem ejus æris, quod totum ab illius ſponſore diſſolutum eſt, exigit, is inique ſe gerit. Minime (inquit.) Nam quod olim debuerat *æs immenſum exigua ſummula commutavi*. Verum, ô bone, cum illud æs, quantumvis *immenſum*, totum fuerit ab hujus ſponſore exſolutum, jus tibi nullum eſt *ullam* ejus, quantumvis exiguam, partem repoſcere. Illa *commutatio*, quam tu memoras, in iis tantum habet locum, quæ cum debeantur, tota, ſi ſummo jure agere libeat, exigere licet; ut cum ſonti pœnæ, quam totam debet, pars aliqua benignitate judicis remittitur. In his vero, quæ bona fide *ſoluta* ſunt, ſtultum, & ridiculum eſt eam adhibere velle. Cum ergo æternam peccati pœnam *totam* Chriſti ſatisfactione expunctam fuiſſe ipſi adverſarii concedant, nihil amplius ejus nomine à fidelibus exigi poteſt citra aliquam injuſtitiam. Vnde patet, quam ſit ineptum, quod alicubi ait Bellarminus, juſtitiam exigere, ut *cui remittitur culpa, ejus peccatum puniatur aliquo modo*, ideoque mutari pœnam *æternam* in *temporalem*. Nam cum fidelibus peccata ideo remittantur, quod Chriſtus pro ipſis *ſatisfecerit*; ſatisfeciſſe autem Chriſtum pro pœna *æterna* conſtet; profecto vel pœnam illam *totam*, vel aliquam aliam ſuccedaneam fidelibus infligi, non juſtum, quod ait adverſarius, ſed injuſtiſſimum & iniquiſſimum eſt. *l. 1. de purg. c. 14. §. Porro.*

Sed divinæ miſericordiæ multo etiam magis, quam juſtitiæ repugnat illa remiſſionis ratio, quam adverſarii commenti ſunt. Cum enim, & Scripturæ doceant, & ipſi prædicent Deum nobis jam eſſe, non iratum judicem, ſed amantiſſimum patrem, *& quomodo miſeretur pater filiorum, ſic miſereri Dominum timentium ſe*, ejuſque hanc in nos caritatem etiam tenerrimos matrum in liberos affectus & animos ſuperare; profecto neque dici, neque cogitari poteſt, quomodo cum hac tanta ejus in nos miſericordia conſiſtat tanta ejuſdem, tamque inuſitata ſeveritas, ut qui æternam mortem nobis merentibus benigniſſime condonavit, repente velut immutatus etiam eas pœnas à nobis repoſcat, quas, ſi vere (quod iſti volunt) remiſſa eſt omnis culpa, minime debebamus. *Bell. l. 4. de pœnit. c. 15. §. Reſpondeo, ſi Chr. Pſal. 103. (Lat. 102.) 13. Iſ. 49. 14.*

Poſſem ſi liberet, fuſius iſta perſequi; aliaque inſuper è Scripturis, argumenta addere; Vix enim ullus in iis locus occurrit, vel de divina in nos gratia, vel de noſtra conditione, poſtquam peccatorum remiſſio-

nem conſecuti ſumus, è quo non poſſit aliquod telum depromi ad hunc adverſariorum errorem configendum. Sed quoniam iſta, vel ad ea ipſa, quæ propoſuimus, capita facile revocari poſſunt, vel certe infra in loco de ſatisfactionibus dicentur opportunius, hæc quæ hactenus explicavimus, nunc quidem ſufficere putamus.

CAPVT VIII.

Nullas eſſe fidelium in hac vita pro peccatis dimiſſis proprie dictas pœnas. Arg. I. ex eo quod fidelium perpeſſiones ex paterno affectu imponuntur. Arg. II. quod diſciplinæ expertes ſint reprobi. Arg. III. à diſciplinarum noſtrarum finibus, qui ex Scriptura explicantur.

SIc itaque expoſitis, atque vindicatis iis Scripturæ teſtimoniis, quæ nullam omnino ſive hic, ſive alibi luendam *pœnam* fidelibus ſupereſſe demonſtrant, quibus culpa à Domino remiſſa eſt; jam ex inſtituto ordine ad illa quoque veniamus, quæ eas *pœnas* proprie, ac peculiariter refellunt, quas à fidelibus in hac vita pro peccatis expendi volunt adverſarii. Quo loco lectores meminiſſe debent, non hic quæri fideleſne etiam poſt acceptam à Deo peccati remiſſionem varia hic mala, ac poſtremo mortem temporalem perpetiantur, (hoc enim utrique confitemur.) Sed, quod ab ipſo ſtatim totius diſputationis initio monuimus, præſens controverſia in eo tantum verſatur, ſint-ne iſtæ piorum in hac vita perpeſſiones remiſſi peccati *pœnæ*, & quidem proprie ſic dictæ; quod cum affirmarent adverſarii, nos negavimus. Merito autem negaſſe, tum ex eo patet, quod adverſariorum affirmationem nulla Scripturæ auctoritate niti ſupra demonſtravimus; (nam cum nihil temere, præſertim in religione, credendum ſit, ad hoc ut rejiciatur alicujus ſententia, ſatis eſt, quod nullam ejus, quod affirmat, rationem idoneam afferre poſſit) tum etiam ex iis, quæ vel univerſim, atque in genere nuper diſputavimus, vel nuuc ſeorſim & proprie contra hujus vitæ pœnas ex divinarum litterarum monumentis petita allaturi ſumus.

Quo in genere primum illud erit, quod teſtatur Scriptura Deum fidelibus ex paterno illo amore, quo eos in Chriſto ſuo complectitur, quicquid in hac vita triſte, atque acerbum perpetiuntur, imponere

Heb. 12. 6. Prov. 3. 11. Paulus ex Salomone id luculentiſſime docuit; *Quem* (inquit) *diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quibus verbis hæc, quæ idem ſignificant, ſubjicit; *Tamquam filiis, vobis offert ſe Deus.*

Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Sic ipſe Dominns in ea epiſtola, quam Laodicenſi Eccleſiæ apud Ioannem inſcribit: *Ego* (inquit) *quos amo, arguo & caſtigo.* Iam vero quæ à ſontibus vere ac proprie dictæ ſcelerum pœnæ expenduntur, eas manifeſtum eſt judicem, non ex aliquo in ipſos ſontes amore imponere, ſed ex mero legum, ac juſtitiæ ſtudio. Nemo facinoroſos ideo Principem punire dixerit, quod eos *amet*; nemo Deum impiorum ſcelera in inferno æternis cruciatibus ulciſci, quod eos *diligat*; Nemo Deum ſe talibus, tamquam filiis, offerre. Scriptura eum affectum, quo Dominus hæc ab illis ſupplicia expoſcit, numquam *amorem*, ſed *odium*, *iram*, *furorem* conſtanter vocat; figurate, fateor, & ἀνθρωποπαθῶς; ſed tamen ſignanter; quo averſam ejus ab omni in iſtos favore voluntatem oſtendat. Itaque cum eam quam hic pii perferunt, *crucem*, non modo non ex *ullo* Domini in eos odio, ſed contra ex benevolo, quo ipſos complectitur, affectu, ſummoque amore, ac dilectione iis imponi ex Scripturis conſtet, neceſſario illud quoque fatendum eſt, eam neque eſſe, neque dici debere veram, ac propriam peccatorum *pœnam*. Apoc. 3. 19.

Sed & has fidelium diſciplinas ab impiorum *pœnis* clariſſime eodem loco diſcriminat Paulus, dum continenter ſubjicit, *Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri* (ſive potius *ſpurii*, & *adulterini* νόθοι, ut eſt in græco codice) *& non filii eſtis.* Nam eo apertiſſime ſignificat, eam *diſciplinam*, de qua loquitur, hujuſmodi eſſe, ut qui *filii* Dei non ſunt, illius non ſint *participes*; qui ſunt, ejus *participes* ſint. Atqui ſi ea vere, ac proprie peccati *pœna* eſt, (ut volunt adverſarii) neque ejus *participes* neceſſario eſſe debebunt filii; contra, quo quiſque verius Dei filius fuerit, eo magis ejus expers erit; quo enim quiſque ſanctior eſt, atque innocentior, eo minus pœnarum expendere debet, cum peccato minus ſit obſtrictus. Pariter ſi hæc *diſciplina*, de qua quæritur, vere peccati pœna eſt, nulli minus, quam impii, ſunt ejus expertes, quibus ſic tota incumbet, ut nullam ejus partem non ſint vel hic, vel in inferis perpeſſuri. Ergo illam piorum *diſciplinam* plane aliam eſſe neceſſe eſt, neque eodem cum peccati proprie dictis pœnis, ordine ac numero cenſeri. Hebr. 12. 8.

Tertio idem quoque ex eo videre eſt, quod alii ſunt *diſciplinæ* noſtræ, alii *pœnæ* proprie dictæ fines. Hæc enim ideo infligitur, ut ultrici juſtitiæ, & legibus ex ea conſtitutis ſatisfiat: Illa vero eo animo fidelibus imponitur, ut ipſi vel *reſipiſcant*, & *emendentur*, vel certe *probentur*, & *exerceantur*; idque adeo eſt ex Scripturis apertum, ut mirari ſubeat, quod viri alioqui docti, & perſpicaces id animadvertere vel noluerint,

luerint, vel nequiverint. Principio enim divinus ille ſcriptor, quem nuper laudavimus, & quidem eo ipſo loco, quem attigimus, id nobis clariſſime ponit ob oculos, dum Dominum ſuos caſtigantem parentibus liberos ſalutari virga erudientibus comparat; *Tamquam filiis* (inquit) *vobis offert ſe Deus.* tum mox; *Deinde patres quidem* (inquit) *carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & vivemus?* Iam vero pater, dum filium caſtigat, ideo caſtigat, ut *emendet*; neque id cogitat, ut ultrici juſtitiæ, quæ à peccatore debetur pœna, ea ratione exſolvatur; ſed ut filius verbere, tamquam acriori magiſtri voce, permotus de officio cogitet. Vnde eſt, quod hujus generis caſtigatio *diſciplina* vocatur παιδεία. Ergo eadem eſt Dei nos caſtigantis ratio. Id unum ille ſpectat, ut ferulis admoniti peccati fœditatem expendamus, atque exhorreſcamus, & ad meliorem frugem redeamus. Quod ſi is proprie, ac per ſe criminis vindictam, legiſque violatæ expiationem, ac ultricis juſtitiæ ſatisfactionem in animo haberet, profecto prætori, non parenti comparandus erat. Itaque inſignis eſt Bellarmini incogitantia, qui cum Deum ex *irato judice* fateatur factum eſſe nobis *patrem* amantiſſimum, contendit tamen eas *diſciplinas*, quæ nobis ab ipſo imponuntur, *pœnas* eſſe proprie dictas. Atqui iſta inter ſe pugnare clarum eſt. Nam quæ vere peccati *pœnæ* ſunt, eæ, à judice, non autem à parente, imponuntur. Cum ergo ipſe conſentiat quas hic perpetimur *diſciplinas* à Domino, non tamquam ab *irato judice*, ſed velut *ab amantiſſimo patre* nobis imponi, certe ne *pœnas* quidem peccati eſſe proprie dictas fateri debuit. Sed Apoſtolus diſerte, quod res eſt, mox expreſſit, dum inſtitutam inter parentes, & Deum comparationem perſequens ait; *Et illi quidem* (nempe parentes carnis noſtræ) *in tempore paucorum dierum ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos; hic autem* (nimirum Deus) ἐπὶ τὸ συμφέρον, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ, *ad commodum noſtrum, ut participes ſimus ſanctimoniæ ipſius*; quæ Latinus paulo horridius, atque obſcurius ſic vertit, *ad id quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus.* Itaque ex Apoſtolo Deus, dum nos caſtigat τὸ συμφέρον *utile, & commodum*, id eſt quod nobis confert, atque ex uſu eſt, proprie ſpectat; Nimirum, ut ipſe explicat, ideo nos caſtigat, ut *ſanctificemur*, & ejus *ſanctitatis*, quæ in ipſo ſumma eſt, *participes efficiamur*. At qui proprie *punit* judex, non ſontis uſum, ſed legum, ac juſtitiæ majeſtatem, ac reipublicæ bonum reſpicit; niſi fortè aut prætorem, dum latronem in crucem agit, aut Deum, dum reprobos in inferno cruciat, ad ipſorum, quos damnaverunt, nocentium *utilitatem*, atque *commodum* pœnas eas miſeris inflige-

Hebr. 12. 7. 9.

L. 4. de pœnit. c. 15. ſ. Reſpondeo.

Hebr. 12. 10.

infligere dixeris; quod quàm abſurdum ſit, omnes vident. Eadem eſt Pauli ſententia in eo loco, quem jam alibi attigimus, *Dum judicamur* (inquit) *à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Dic ſodes, dum nocens à judice *punitur*, an ideo *punitur*, ne damnetur? Ridicula eſt, vel hæc ipſa oratio. Idne ſpectat judex? hoccine ejus conſilium eſt, hæccine mens in pœna infligenda, ne nocens pereat? Atqui etiam interdum, ut pereat, decernit. Nimirum clarum eſt eum per ſe, ac proprie, quatenus eſt judex, id ſpectare, non ut nocens ex aliquo periculo evadat, vel aliquod ex pœna *commodum* percipiat; ſed ut punito ejus crimine, juri violato conſulatur, legumque majeſtas ſacroſancta ſervetur; adeoque ſi redit aliquis ad eum ex pœna fructus, id omnino fit per accidens (ut loquimur in Scholis) ac præter ipſam judicis, qua quidem judex eſt, intentionem. Ergo cùm Deus in caſtigandis ſive corripiendis fidelibus primario, proprie, ac per ſe eorum utilitatem, atque commodum ſpectet (nimirum ſic cavet, ne pereant, ſic procurat, ut *ſanctitatis ſuæ participes ſint*) profecto clarum eſt non *puniri* proprie eos, dum caſtigantur; neque adeo peccati *pœnam* eſſe id, quod tum ex Dei decreto atque voluntate perpetiuntur. Ac tametſi hæc in genere de *diſciplinarum*, quibus pii exercentur, fine, atque uſu dicta ſatis ſententiam noſtram probent, tamen quo argumenti vis clarius, atque explicatius eluceſcat, proprium ſingularum ſcopum minutatim expendere libet. Eſt quidem omnium in genere finis, piorum (ut Apoſtolus loquitur) τὸ συμφέρον, id eſt *commodum*, atque uſus. Sed cum variæ ſint ſpecies τοῦ συμφέροντος, ejus quod *nobis confert*, atque uſui eſt, eo fit ut neque ſigillatim uſus, idemque ſit omnium Dei *diſciplinarum* finis. Nam ut diverſus eſt, & multiplex fidelium ſtatus, ita quoque diverſa ſunt, quæ requirit ſingulorum uſus, ad quem optimus idem, ac ſapientiſſimus rerum noſtrarum arbiter ſuas diſciplinas varie accommodat, ac dirigit. Sunt quorum conſcientiam excitari neceſſe ſit; ut ſegnes, & deſides, & qui in grave aliquod peccatum identidem prolabuntur; quales erant Corinthii, qui non ea qua par erat, reverentia cœnam Domini celebrabant. Qui tales ſunt, & ſunt proh dolor! nimium quam multi, eos clementiſſimus parens, ut excuſſo crebris ictibus veterno ad pœnitentiam revocet, ſuis ferulis haud perfunctorie verberat. Hanc ille diſciplinam intelligit, ubi de Salomone, fidelium, qui Chriſti filii ſunt, typo verba faciens, *Si inique* (inquit) *aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum; miſericordiam autem meam non auferam ab eo*; quo loco paternam *diſciplinam*, qua nos erudit, quod ea ſit moderata, ac lenis, ac ut ſic dicam, *humana*, familiari

1 Cor. 11 32.

2 Sam. (Lat. reg. 7. 14.

liari Hebræis phraſi *virgam virorum* vocat, *& plagas filiorum hominum*;
1 Cor. 10.13. quo etiam ſenſu Paulus *tentationem humanam* dixit, affirmans *Deum eſſe fidelem, qui non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus.* Hujus ergo *diſciplinæ* finis eſt pœnitentia; ex qua, tamquam ex fœcunda matre, procreatur mundi odium, & ardens ſanctimoniæ ſtudium. Eo ſibi profeciſſe Domini flagella nemo fere pius eſt, qui non ſentiat; idque, ut alios taceam, ſive accidiſſe teſtatur David, *Bonum* (inquit) *mihi, quia*
Pſ. 119. (Lat. 118.) 71. *humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Atque hunc noſtræ diſciplinæ fructum etiam commemorat Apoſtolus loco ſupra laudato, *Omnis* (inquit) *diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris;*
Hebr. 12. 11. *poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* Sed alii ſunt fideles, quos quamquam in rebus ſpiritualibus florentes, ac in virtutis & pietatis ſtudiis exultantes cohiberi intereſt, ne ex læta illa cœleſtium bonorum copia efferantur. Iis in hunc uſum ſuas quoque *diſciplinas* admovet Dominus; quo pertinet Paulo *datus ſtimulus, Angelus Sathanæ, qui* ipſum *colaphizaret, ne* eum *revelationum magnitudo*
2 Cor. 12. 7. *extolleret.* Nimirum ut corporis, ſic animi perículoſæ ſunt nimiæ εὐεξίαι; neque purgatione minus, quam ipſi morbi indigent. Eo fit, ut Dominus ſalutarem *diſciplinæ* alicujus medicinam utriſque pariter adhibeat. Eſt & alius fidelium ordo, quorum virtutem in proſperis calumniæ obnoxiam adverſis explorari, atque in apertum educi & ipſorum, & Eccleſiæ intereſt. Teſtatur Scriptura eum fuiſſe horrendarum calamitatum uſum, in quas olim Iobus Dei vôluntate incidit. Ad hoc genus pertinent afflictiones, quibus *probari* fideles paſſim in divinis litteris dicuntur. Nempe, ut eſt apud Paulum, *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non con-*
Rom. 5. 3. 4. *fundit.* Itaque Iacobus, cum fideles juſſiſſet *lætari, ſiquando in afflictiones incidunt*, hanc exhortationis ſuæ rationem addit; *ſcientes* (inquit) *quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur*; quo loco ſignificat idcir-
Iac. 1. 3. co nos *affligi*, ut fides noſtra, atque ex ea manans pietas *probetur.* Idem quoque eſt Petri ſenſus, ubi ait *modicum nunc oportere nos contriſtari in variis tentationibus, ut* (inquit) *probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in*
1 Petr. 1. 6. 7. *revelatione Ieſu Chriſti.* Atque hæc Petri oratio inprimis notanda eſt. Duo enim docet ad rem, quam agimus, illuſtrandam non parum idonea. Vnum eſt, quod quæ nobis à Deo immittuntur *afflictiones* eo proprie ſpectant, ut *fides noſtra, tamquam aurum, igne probetur.* Alterum, quod ea probatio ad hoc inſtituitur, ut nobis *laudi*, ac *gloriæ* cedat. Denique ſunt quædam *afflictiones*, quibus ſuos Dominus exercet ad profectum

fectum Evangelii; quod de ſuis *vinculis* ait Paulus. Qualia ſunt confeſſorum, & martyrum certamina; quorum ſanguinem quoddam eſſe *Eccleſiæ ſemen* ſcite dixerunt veteres; quòd admirabili eorum fortitudine, manſuetudine, atque patientia confirmata Chriſti Domini veritas clariſſimè eluceſcit, ſummaque cum ipſorum *laude*, ac Dei *gloria* alios ad fidem rapit, alios dat in ſtuporem; atque ita longe, lateque diſſeminata propagatur. Atque hi quidem ſunt *diſciplinarum*, quæ hic à Domino piis imponuntur, veri fines, atque uſus; quibus quam nihil cum *pœnarum* propriè dictarum fine, atque uſu commune ſit, omnes facile vident. Nam ut à primo ordiar, ſontes non ideo à judice *puniri*, ut eos admiſſorum ſcelerum pœniteat, & quivis per ſe intelligit; & ex eo clarum eſt, quod nocens, ſive eum criminis pœniteat, ſive non pœniteat, nihiloſecius plectitur; quod in iis caſtigationibus, quæ à Domino in fideles decernuntur, plane aliter eſt. Eas enim ipſi adverſarii ob inſignem peccatoris pœnitentiam ſæpe mitigari, interdum etiam penitus refigi, atque omitti concedunt; ut eſt jam à nobis alibi obſervatum. Itaque Deus quidem ſi quando fideles impoſita *diſciplina* minus ad pœnitentiam commovet, indignatur, ac de eorum duritie conqueritur; ut apud Iſaiam, *ſuper quo percutiam vos ultra?* Iudex vero, quod nocens indictam pœnam nulla pœnitentiæ ſignificatione, contumaci, ac infracto animo fert, non queritur; imo ad id, qua judex eſt, ne attendit quidem. Nimirum eo tendebat Dei *caſtigatio*, ut peccator *reſipiſceret*; judicis vero *animadverſio* eo ſpectat, ut nocens *puniatur*. Secundus vero noſtrarum *diſciplinarum* finis longe etiam magis eſt à *pœnis* propriè dictis alienus. Quis enim umquam fando audivit hominem à prætore ideo *puniri*, non quod hactenus peccaverit, ſed ut in poſterum à peccato caveat? Peccata leges non alia plectunt, quam *admiſſa*: ab admittendis homines in futurum deterrent, non illatis *ſuppliciis*, quod iniquum in hoc genere videretur, ſed inferendorum *minis*, & metu. Divinæ *diſciplinæ* alia ratio eſt: quæ etiam ei non raro imponitur, qui nondum quidem peccavit, ſed metus tamen eſt, ne peccet. Qualiter ſapiens medicus morbos, non tantum exortos variis remediis expugnat, ſed & exorituros, ac, ut ſic dicam, minantes ſanguinis miſſione, purgatione, cæteriſque opportunis medicamentis mature antevertit. Quo fit ut diſciplina quidem *medicina* peccantis aptiſſime dicatur; *pœna ſontis*, inepte. Neque enim judices ideo quemquam ad furcam, aut ad ignem damnare dixeris, quo ei medeantur. Iſta reipublicæ, è qua facinoroſus, tamquam noxius è corpore humor, vi edicti prætorii excernitur, medicina eſt; rei ipſius

Phil. 1. 12.

Iſ. 1. 5.

X (niſi

(niſi forte per accidens) medicina non eſt. De cæteris *diſciplinæ* noſtræ finibus, quid attinet dicere? Palam eſt nihil iis cum proprie dictis *pœnis* commune eſſe. An quiſquam uſque adeo ſtultus eſt, ut ſontes ideo *puniri* putet, quo *probentur?* quove claris experimentis patefiat, qualis ſit eorum natura, ac virtus? Contra non *puniuntur*, niſi quales ii ſint, ante conſtiterit; Non enim prius à reo pœna exigitur, quam certo deprehenſum, atque exploratum fuerit ea ipſum edidiſſe ſui ſpecimina, quibus nocens eſſe convincitur. Nocentium pœnis multo etiam minus convenit, quod noſtræ probationi, quæ per afflictiones fit, tribuit Petrus; nimirum eam ad hoc à Domino inſtitui, ut nobis in *laudem*, ac *gloriam* cedat. Quis enim ex prætoris decreto, vel latronem ideo ſuſpendi, vel furem in triremibus ideo vexari dixerit, quo ſit aliqua ejus vel apud Deum, vel apud homines *laus*, ac *gloria?* Atqui plane contra ſe res habet. Nemo enim neſcit hujus generis, id eſt proprie dictas *pœnas* cum ignominia, atque infamia eſſe conjunctas; idque eum, qui *punit*, ita velle, eoque ſpectare. Nam cum vera omnis *pœna* criminis alicujus nota ſit, ſi crimen omne turpe, & fœdum eſt (eſſe autem nemo eſt uſque adeo perditus, qui neget) profecto illud quoque neceſſe eſt, ut *pœna* eum, qui *punitur*, turpitudine, ac ignominia aliqua aſpergat. In iis vero afflictionibus, quæ à fidelibus ad Euangelii profectum, Eccleſiæque propagationem ſuſcipiuntur, ac perferuntur, res etiam multo eſt, quam in cæteris clarior. Tanta enim eſt iſtarum perpeſſionum apud Deum, homineſque, ſæpe etiam apud ipſos inimicos, gloria, ut vix Chriſtianum putem, qui rem omnium, quæ apud mortales in pretio ſunt, longe præclariſſimam, atque honeſtiſſimam *pœnæ* nomine dehoneſtare ſuſtineat. Itaque ut hoc tandem argumentum concludamus, cum eorum *diſciplinæ*, quos Deus poſt remiſſam peccati culpam, variis ferulis, atque afflictionibus, vel *erudit*, vel *munit*, vel *probat*, vel ad Chriſti gloriam *exercet*, per ſe, & ex Dei, qui eas immittit, ſcopo ac inſtituto fines habeant à proprie dictis *pœnis* adeo diverſos, & alienos, conſequens eſt, ut eas ne *pœnas* quidem eſſe cenſendum ſit.

CAPVT IX.

Arg. IV. ex eo, quod fidelium in hac vita diſciplinæ Dei beneficia ſunt. Arg. V. quod ea cum gaudio conjuncta ſint. Arg. VI. quod eas comitetur gloriatio.

QVarto id ipſum etiam probat, quod ex iis, quæ nuper diſſeruimus, evidenter conficitur; nimirum quod hæ noſtræ *diſciplinæ*, ſi vere loquendum eſt, Dei optimi maximi *beneficia* ſunt, & quidem ſingularia, ut vix majora cœlitus hominibus, in hac quidem terra degentibus, conferri queant. Quid enim homini melius, aut felicius contingere poteſt, quam ad pœnitentiam *erudiri*? ad *ſanctimoniam formari*? à peccato *arceri*? à morte, & exitio *eripi*? Quid honeſtius, & glorioſius, quam & pietatis in Deum, & caritatis in proximum, & fortitudinis, atque patientiæ ſpecimina coram Domino, & Angelis edere? ac *auri* inſtar in Chriſti, ut ſic dicam, catino lucere? quam denique Domini veritati teſtimonium dicere? hiſque exemplis, pios quidem in ſuſcepta fide confirmare; impios vero ad eam efficaciſſime pellicere? Atqui hos eſſe *diſciplinarum*, quibus pii ex Dei voluntate hic varie exercentur, per ſe ac proprie fines, atque uſus demonſtravimus. Negari ergo non poteſt, in Spiritus quidem ſchola, quin ſint ejus eximia in nos *beneficia*, ut ut aliter *caro & mundus* ſentiant. Vnde eſt, quod Pſaltes *beatum* pronuntiat, *quem Dominus caſtigaverit*; cui Eliphas quoque apud Iobum ſuccinit, *Beatus* (inquit) *homo qui corripitur à Deo*. Sic etiam Iacobus, *Beatus* (inquit) *vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Quæ profecto divini illi viri numquam ſic ſcripſiſſent, niſi has fidelium ſeu *caſtigationes*, ſeu *probationes*, Dei *beneficia*, & quidem *ſingularia*, eſſe putaſſent. Sed quid pluribus opus eſt, cum diſertis verbis id dixerit Paulus, quo loco Philippenſibus *donatum*, ſcilicet divinitus, *fuiſſe* ait, *non ſolum, ut in Chriſtum crederent, ſed etiam, ut pro illo paterentur*? Non enim hoc tantum vult Apoſtolus, *donum* Dei fuiſſe, quam illi habebant ad *patiendum* conſtantiam, atque fortitudinem; ſed hoc inprimis, quod in id certamen deſcendiſſent, quod delecti potiſſimum eſſent, qui talia pro Euangelio paterentur, & in quos hoſtis ſpicula dirigeret, hoc inquam, ipſum divini fuiſſe muneris, χάρισμα id fuiſſe, id eſt *donum gratuitum*. Neque enim omittendum eſt hoc ipſo verbo, cujus ſingularis eſt emphaſis, Paulum iſtic uſum eſſe ὑμῖν ἐχαρίσθη, *vobis*

Pſ.94. (Lat.93) 12.
Iob. 5.17.
Iac. 1.12.
Phil.1.29.

gratis, ſive *gratuito donatum eſt.* Iam vero *pœnam* proprie dictam nihil minus eſſe, quam *beneficium*, ipſa rerum ratio ſatis docet. Quis enim *donum*, aut munus prætoris eſſe dixerit ſontis, quem damnavit, ſupplicium? vel qui ſuſpenditur, aut virgis cæditur, ei *donatum* fuiſſe judicis *gratia* (hoc enim proprie eſt χαρίζεσθαι) ut hæc pateretur? Hæc ſtultiora ſunt, & abſurdiora, quam ut ea vel ſenſus communis ferre poſſit. Itaque cum Dei *dona*, χαρίσματα, ac *beneficia* ſint, quæ piis ejus decreto incumbunt poſt peccatum remiſſum diſciplinæ, profecto abſurdiſſimum eſt eas in pœnarum, quæ ſic proprie dicuntur, cenſu habere.

Quinto idem etiam ex eo ſatis evidenter apparet, quod cum pœna omnis, vere ac proprie ſic dicta, eum, qui plectitur, mœſtitia perfundat, contra hæ Dei *diſciplinæ gaudium* ſecum afferunt. Teſtes Apoſtoli, quos ait Lucas *gaudentes diſceſſiſſe à conſpectu Concilii; quoniam digni habiti eſ-*
Act. 5.41. *ſent pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Teſtis Paulus, qui *ſe in paſſionibus*
Col. 1, 24. *pro fidelibus gaudere* ait. Teſtis Iacobus, qui pios, quoties *affliguntur, gaudere* jubet. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias*
Iac. 1. 2. *incideritis.* Quæ profecto non modo falſo, ſed etiam ſtulte dicerentur, ſi proprie *pœnæ* eſſent fidelium afflictiones. Quis enim miſerum aliquem, de quo ob crimen ſupplicium ſumitur, ad lætandnm hortetur, aut *gaudendum*? Quis, ſi faciat, non homini illudere, aut certe deſipere putetur? Sed cum omnis, quæcumque ſit *pœna, mœrore afficiat*, tum nulla magis, quam quæ à Deo, ſummo judice, infligitur. Eſt enim ejus tam terribilis majeſtas, tamque tremendum judicium, ut ſine ſummo horrore, totiuſque animi pavore, ac mœrore, inflicta ab eo peccatum ulciſcente pœna ferri non poſſit. Quoties ille ultricis iræ fulminibus, ut ſic dicam armatus in peccatorem accingitur, neceſſe eſt miſerum aut ſtupere, ac velut in ſaxum obrigeſcere, aut ingenti pavore, & dolore quaſſatum ſic coborreſcere, ut gaudii, vel conſolationis ne minimo quidem ſenſu frui queat. Atqui aliter plane fidelibus uſuvenit, cum eos Dominus ferulis ſuis exercet. Nam neque obſtupefacti torpent, neque ſic triſtitia abſorbentur, ut non etiam gaudeant. Fateor eos, ubi ad pœnitentiam revocat, primo interdum conſpectu percelli, quo pertinent tam multæ Davidis, cæterorumq; fidelium preces pavoris, ac trepidationis plenæ. Sed mox collectis mentibus exhilarantur, poſtquam deprehenderunt illum, quamquam in ſpeciem minacem, ac terrificum, non alium tamen eſſe, quam optimi, dulciſſimique parentis vultum, eo animo adventantis, non ut *perdat*, ſed ut *ſervet*, peccatique non *pœnam*, ſed *medicinam* afferat. Quod egregie notavit divinus ſcriptor in epiſtola ad Hebræos; *Omnis diſciplina in præſenti quidem* (inquit) *videtur*

non eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. *Pœnarum* vero proprie dictarum longe diverſa est ratio; quæ nocentium animos, & in præſenti, dum eas patiuntur, & poſtea dum eas recogitant, nullo gaudio, ſed tacito potius mœrore perfundunt. Itaque & hinc etiam concluſum eſto multum ab iis differre piorum hominum *diſciplinas*; acres quidem illas, & carni moleſtas; cæterum pace, ac gaudio ſpirituali, velut ſuavi aliquo unguento, conſperſas, atque delibutas. Hebr. 12.11.

Sexto denique id evincit eorum, qui hujuſmodi *diſciplinis* exercentur, gloriatio. Nihil enim eſt, quod minus iis conveniat, qui puniuntur; quos *pœnæ* & ſenſus, & ſola ſæpe recordatio (niſi peſſimi ſint, & perditiſſimi) totos pudore ſic perfundit, ut nihil iis accidere poſſit gravius. Atqui Paulus, omnium hominum verecundiſſimus, in ſuis afflictionibus *gloriatur*, ac pœne triumphat; eaſque oſtentat, ac fuſe deprædicat; ut videre eſt in altera ad Corinthios epiſtola. Quin & cæterorum fidelium eumdem quoque ſenſum eſſe teſtatur, quo loco ait; *Gloriamur in ſpe filiorum Dei; non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Ac tametſi confitear hanc notam iis potiſſimum perpeſſionibus convenire, quas pro Euangelii defenſione perferendas ſuſcipimus; tamen eam neque à cæteris, quibus vel ad pœnitentiam provocamur, vel adverſus peccati illecebras munimur, omnino alienam eſſe facile intelliget, quiſquis conſideraverit, quæ ſit animæ exſultatio, qui triumphus per has diſciplinas, vel ex peccato admiſſo emergentis, vel ab eo certe admittendo caventis. 2 Cor. 11.23. 24. &c. 30. & 12.9.10. Rom. 5.2.3.

Atque ex his ſatis, niſi fallor, clarum eſt, *pœnas* proprie neque eſſe, neque dici debere ea mala, quibus fideles hic Dei voluntate, vel *caſtigantur*, vel *probantur*, & *exercentur*; adeoque nullas ab iis poſt remiſſionem culpæ peccati veras *pœnas*, dum in terris vivunt, vel exigi, vel expendi; quando nullæ ſunt eorum in terris aliæ *diſciplinæ*, quam hæ, quas commemoravimus.

CAPVT X.

Nullas eſſe fidelium poſt hanc vitam in purgatorio (ut vocant) pœnas. Arg. I. ex eo, quod omnes piorum perpeſſiones hujus vitæ tempore iis contingunt. idque multifariam probatur; primo ex 1 Pet.1.6. 2°. ex 2 Cor.4.17. 3°. ex 1 Tim.2.11. 4°. ex Luc. 16. 25. 5°. ex eo quod hæc vita ſtadio paſſim comparatur. 6°. & peregrinationi. 7°. quod noſtræ paſſiones Chriſti perpeſſionibus ſimiles ſunt. 8°. quæ non videntur, æterna. 2 Cor.4.18.

SVpereſt, ut quod ultimo loco differendum propoſuimus, nullas omnino poſt mortem à fidelium animabus corpore ſolutis *pœnas* lui ex Scripturis demonſtremus; quæ pars diſputationis *purgatorii* figmentum proprie oppugnabit.

Principio igitur id ex eo probatur, quod eas perpeſſiones, quæ fidelium ſunt, divini ſcriptores huic vitæ conſtanter omnes attribuunt; nuſquam alias alibi perferendas memorant. Ita Petrus docet, dum quæ nobis ante patienda ſunt, quam paratam à Chriſto hæreditatem adeamus, ea nunc nobis incumbere tradit. *In virtute Dei* (inquit) *cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam revelari tempore noviſſimo, in quo* (ut habet Latinus codex) *exultabitis*, vel (ut Græcus) *exultatis, modicum* NVNC
1 Pet.1.6. *ſi oportet contriſtati* λυπηθέντες *in variis tentationibus*. Siquid eſt mœroris, ac triſtitiæ, quo priuſquam cœleſte regnum ingrediamur, defungi nos oportet, id totum ἄρτι *nunc* nobis accidere ſignificat; *nunc*, id eſt, ut liquet, ἐν τῷ νῦν καιρῷ *in præſenti tempore*, ſeu vita. Quos dolores in *purgatorio* ferri fingunt, ii vel ſunt ex eorum numero, *quibus* δέον ἐστὶ λυπηθῆναι ἡμᾶς *oportet nos contriſtari*, vel non ſunt. Si ajunt, ergo eos ex Apoſtolo nunc perpetimur; non adeo poſt mortem. *Modicum* (inquit) *nunc ſi oportet contriſtati*. Si negant, ergo fruſtra piis eos denunciant, quos certum eſt nihil, quod non deceat, atque oporteat, pati; cum omnis eorum, quantacumque eſt paſſio à ſapientiſſimo Domino decernatur, ac gubernetur. Præterea clarum eſt Apoſtolum hæc eo animo commemorare, quo fideles ſub cruce gementes conſoletur. Eo enim primo pertinet, quod monet non immodicam, aut improbam fore triſtitiam, ſive tentationem, ſiquâ nobis incumbat; ὀλίγον *modicum* nos *contriſtari* affirmans; qualiter etiam Paulus afflictionem noſtram
2 Cor. 4. 17. elevat, *momentaneam*, & *levem* appellans. Tum addit nos ea *nunc* defunctu-

functuros; denique varios, præclaroſque ejus uſus in iis, quæ ſequuntur, explicat. Atqui inepta, & ludicra erit iſta conſolatio, ſi vera ſunt, quæ narrant adverſarii. Mitto, quod fideles nonniſi ridicule dici poſſint *modicum contriſtari*, ſi eos, quod iſti volunt, dirus *ignis* per aliquot luſtra, imo etiam fortaſſe ſæcula noctes, dieſque indeſinenter cruciabit. Id unum urgeo, quod qui conſolandi cauſſa ſic loquitur, evidentiſſime ſignificat iſtis præſenti ſemel dolore, ac triſtitia defunctis nihil amplius eſſe metuendum, lætitiamque mœrori, ac requiem labori ſucceſſuram; quod plane contra eſt ex adverſariorum hypotheſi. Nam poſt modicam illam à Petro memoratam præſentis vitæ triſtitiam, aliam longe majorem, atque acerbiorem ſupereſſe volunt. Quod ſi, ut docent, verum eſt, eo denique redibit præclara hæc Apoſtoli conſolatio. Non eſt, quod iſtis afflictionibus, quæ Euangelicam pietatem profitentibus incumbunt, vehementius commoveamini. Eſtote bono, alacrique animo. Nam *nunc* quidem iſtis, *ſi neceſſe ſit, modicum contriſtamur*. Poſthac vero, ubi ex præſenti vita diſceſſerimus, longe graviora, atq; acerbiora fortaſſe patiemur; Quod quam ſit inexpectatum, quam ineptum, & ridiculum, quivis per ſe intelligit. Quis non ſentit totius loci genium omnino poſtulare, ut nos Apoſtolus, quibus *nunc contriſtari* ait iis olim levatum iri ſignificet? quæque nobis perferenda ſunt triſtia ea brevibus hujus ævi terminis omnia concluſum iri? quod vero illi ſucceſſurum eſt tempus, totum quietis ac lætitiæ fore? neque ullum in eo vel mœſtitiam, vel lacrymas habituras locum? quod quam falſum ſit, ſi modo conſiſtat *purgatorii* figmentum, omnes ſatis intelligunt.

Atque, ut id, quando in hunc locum incidi, obiter dicam, mirum eſt divinos ſcriptores, dum nos paſſim contra omnia, quæ nobis metuenda ſunt, *conſolationibus* ſuis muniunt, nullam uſpiam *purgatorii* mentionem facere. Nihil in hac quidem vita grave, nihil triſte, & acerbum accidere poteſt, quod non aliqua conſolatione mitigent, ac leniant; ut in octavo epiſtolæ ad Romanos capite, aliiſque locis paſſim videre eſt. Sed nuſquam ultra mortem progrediuntur. Atqui cum malorum omnium, quæ piis ferenda ſunt, nullum ſit cum *purgatorii* cruciatibus comparandum, ſiquid hujuſmodi fidelibus timendum eſſet, in primis decebat nos contra eum metum armari, ac muniri. Cum igitur de eo ne unum quidem verbum conſolatores illi noſtri fecerint, profecto vel hoc eorum ſilentium clariſſime loquitur nullas nobis poſt mortem hujuſmodi pœnas eſſe metuendas; quique eas expaveſcunt, *illic* (ut ait Pſaltes) *trepidare timore, ubi non eſt timor*. Pſ. 14. (Lat. 13.) 5.

Sed ut ad propoſitum argumentum redeam, omnia quæ piis, antequam

quam in cœlum admittantur, ferenda ſunt, præſenti vita contineri,
Paulus non minus, quam Petrus oſtendit; dum triſtia noſtra cum dul-
Rom. 8. 18. cibus comparans ait; *Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones*
hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et ipſa rerum
ratio, & loquentis ſcopus exigebat, ut *gloriæ*, qua olim fruemur, id om-
ne bona fide opponeret, quod antequam ad eam perveniamus, perpe-
timur. Nam hæc comparatio, & per ſe inſcita erit, ſi cum omnibus bo-
nis, quæ futura ſunt. pars tantum eorum malorum, quæ antecedunt, con-
tendatur; neque ad *conſolationem*, quam eo loci molitur Apoſtolus, ſa-
tis apta, & accommodata, ſi multo majorem, ac potiorem eorum, quæ
nobis metuenda ſunt, partem omittat. Quo fit, ut omnia, in quæ fide-
lis aliquis incidere poteſt, antequam cœlo admittatur, omnino hic
complecti voluiſſe cenſendus ſit. Atqui id totum, quantumcumque eſt,
ad hanc vitam reſtringit, dum *hujus temporis paſſiones* vocat. Nemo enim
dubitat, quin ὁ νῦν καιρὸς *præſentis* vitæ, quam in terris degimus, cur-
riculum ſignificet. Fidelium igitur, antequam *revelandam* olim *gloriam*
conſequantur, nullæ ſunt ex Paulo, niſi in hac vita *paſſiones.*

Id ipſum quoque confirmant hæc ejuſdem verba in altera ad Corin-
thios epiſtola, *Id* (inquit) *quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tri-*
bulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus opera-
2 Cor. 4. 17. *tur in nobis.* Nam & hic *perpeſſiones* noſtras cum futura vita comparat.
Non alias autem intelligere, quam quæ ſunt hujus vitæ, & res ipſa lo-
quitur, & Latinus interpres, cujus apud adverſarios ſumma eſt aucto-
ritas, expreſſit, qui quod in Græco eſt τὸ παραυτίκα vertit *in præſenti.*
Quo loco illud etiam obſervandum eſt, quod iſtas hujus vitæ perpeſ-
ſiones *gloriam in nobis operari* ait. Nam ſi, quod vult Apoſtolus, ea eſt
illarum vis, ut illud *ſupra modum excellens*, ac ſublime *æternæ gloriæ pon-*
dus nobis comparent, ac in nobis efficiant; ſtultum eſt alias poſt mor-
tem nobis perpetiendas fingere; cum his exantlatis, teſte Paulo id om-
ne jam habeamus, quod vel conſequi, vel optare licet. Itaque Petrus
nullam omnino aliam perpeſſionem mediam ponit inter ea, quæ hic
ferimus, & eam gloriam, qua ex Domini dono fruemur, *Deus* (inquit)
omnis gratiæ vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum
1 Pet. 5. 10. *paſſos.* Sic enim legenda, & diſtinguenda eſſe hæc verba, conſtat ex
Græcis codicibus, qui ſic habent: ὁ δὲ θεὸς πάσης χάριτος ὁ καλέσας
ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν χριστῷ ἰησοῦ, ὀλίγον παθόντας, & quæ
ſequuntur. Petrum autem his verbis *modicum paſſos*, non alia, quam hu-
jus ævi adverſa intelligere, & per ſe planum eſt, & ex ipſo Petro li-
1 Pet. 1. 6. quet, qui rem eandem in loco nuper laudato ſic expreſſit, *modicum nunc,*
ſi opor-

ſi oportet, contriſtati in variis tentationibus. Statuit ergo Petrus ad hoc, ut *æternam* illam, ad quam à Deo vocamur, *gloriam* adeamus, nulla nobis alia ferenda incumbere, quam modica illa, quæ hic in præſenti vita patimur.

Idem quoque docet Paulus, cum iſta paſſim inter ſe *ἀμέσως* nectit; *ſi commortui ſumus Chriſto* (inquit) *& convivemus. Si ſuſtinebimus & conregnabimus. Si compatimur, conglorificabimur.* 1 Tim. 2. 11. Rom. 8. 17. Vnde eſt, quod ipſe alibi præfatus ſe *bonum certamen certaviſſe*, *curſumque conſummaſſe*, hoc eſt, omnia, quæ in terris ferenda erant, triſtia & adverſa tuliſſe, indubitanter ſubjicit, *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2 Tim. 4. 7. 8. Tua vero Paule, præpropera eſt, ſi iſtis credimus, omnis hæc gloriatio, qui etiam conſummato hujus vitæ curſu in reliquo novos labores, novaq; certamina ante coronam illam tuam ſupereſſe volunt; quæ cum (ut iſti quidem cenſent) certo non ſcias, annon etiam tibi ſint poſt hanc vitam exantlanda, fruſtra, ac nimis juveniliter exſultas, quaſi re confecta, cujus fortaſſe pluſquam dimidium tibi conficiendum adhuc ſupereſt. Sed hæc ille videlicet nova Romæ de *purgatorio* myſteria nondum inaudiverat; quorum cum rudis, & ignarus eſſet, homo ſimplex nimis profecto (ſi iſti quidem ſapiunt) craſſe, ac temere ſibi perſuaſit poſt exantlatos hujus vitæ labores, nihil aliud fore reliqui, niſi ut coronaretur.

Qua etiam in ſententia (errorem enim dicere, quamquam iſti jubent, non equidem audeo) ipſe quoque Abrahamus fuiſſe videtur, qui divitem epulonem de Lazaro nequicquam obtundentem his verbis compeſcit; *Fili, recordare quia recipiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur; Tu vero cruciaris.* Luc. 16. 25. Si hunc audimus, *mala* non alibi, quam *in* hac *vita*, fideles perpeſſuros exiſtimabimus. Vtriuſque enim ſtatus tempora ſic ille fidelibus, atque impiis partitur, ut quaſi alteri alteris antipodes ſint, quo tempore his lux eſt, illis tenebræ ſint; & contra. Itaque pronunciat piis quidem hic male eſſe; illic bene; impiis contra hic quidem bene; illic vero male; Ac ut in vita præſenti hi bona, illi mala accipiunt; ſic in futura viciſſim, commutatis veluti ſortibus, hos quidem conſolationem, illos vero cruciatum, anteactæ utroſque vitæ mercedem habituros. Quæ nemo non videt cum adverſariorum placitis conſiſtere non poſſe; qui aliquem etiam Lazarum, quamquam in alia cellula, æque ac divitem in inferis uſtulari volunt; hoc uno cum diſcrimine, quod illius numquam, hujus aliquando deſiturus eſt cruciatus. Nos igitur, qui parentem fidelium potius ſequendum exiſtimamus, quam quemvis Romæ epiſcopum, ut nullam impiorum *conſolationem*, ſic nullam piorum *pœnam* poſt mor-

tem futurum credimus; neque minus abſurdum putamus illic ut in igne ſit aliquis Lazarus, quam ut in Abrahæ ſinu aliquis epulo. Oppoſita ſunt utriuſque fata. Vno exſultante alterum plorare neceſſe eſt. Itaque cum nullus poſt mortem epulo exſultet, neque ullum poſt hanc vitam Lazarum ploraturum certum eſt; adeoque præſentis vitæ termino concludi quicquid *malorum* fidelibus perpetiendum eſt.

Id ipſum autem ex eo clariſſime quoque conficitur, quod hujus vitæ, quam in terris degimus, ſpacium, Paulus fidelium *ſtadium* eſſe paſſim docet; in quo illi *curſum* omnem ſuum explicare, *propoſitum*que ad *coronam* conſequendam *certamen* abſolvere, velut *athletæ*, debeant; quam ſimilitudinem in priore ad Corinthios epiſtola fuſe exſequitur; *Neſcitis* (inquit) *quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem verberans. Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitu-*
1 Cor. 9.24. *tem redigo.* Eo etiam reſpicit, dum negat alibi *ſe in vanum cucuriſſe*; Item
Phil. 2.16. & 3.13.14. cum ait, *ſe, quæ retro ſunt, obliviſcentem, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendentem ſe ipſum, ad deſtinatum perſequi, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Quo itidem pertinet illa divini ſcriptoris cohortatio,
Hebr. 12. 1. *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Hoc autem fidelium *ſtadium*, ſive *curriculum* præſenti hac vita totum concludi, atque contineri, & omnes fatentur, & idem ille Paulus apertiſſime docet; quo loco, ut mortem inſtare, ſeque brevi impletis terrenæ vitæ temporibus ad Deum migra-
2 Tim. 4. 7. turum ſignificaret, ait *ſe curſum conſummaſſe*; *Bonum* (inquit) *certamen certavi; curſum conſummavi; fidem ſervavi.* Iam quid hinc ſequatur, non eſt obſcurum. Nam ſi fidelis quiſque curſoris & athletæ, vita præſens *curriculo*, ſive *ſtadio* & arenæ recte comparantur, profecto ut athleta in arena, ſic fidelis in hac vita, quicquid eſt in certamine ferendum, & perpetiendum ſuſtinet. Hoc uno ſpatio omnes utriuſque labores continentur. Hic utrumque, ſi *bravium* conſequi velint, ſudare, niti, anhelare, multa gravia ferre decet. Ac ut *athletæ* nullos extra arenam ictus, nullas plagas excipiunt; ita neque fideles ullos extra hanc vitam labores, quicquamve triſte, aut acerbum patiuntur. Inde, velut è *curriculo*, & arena dimiſſis, nullum amplius *certamen* nullus labor ſupereſt. At ſi adverſariis credimus, falſa ſunt hæc omnia; ut nihil ea ſimilitudine, ex iſtorum quidem hypotheſi, fingi poſſit magis præpoſterum. Volunt enim fideles, ad hoc ut cœleſtem gloriam (quæ curſus noſtri *bravium*

eſt)

eſt) conſequantur, vita hac egreſſos longe plura, atque graviora perpeti, quam quæ in toto vitæ decurſu tulerant. Non eſt ergo hæc vita iſtorum *ſtadium*; ex adverſariorum quidem ſententia. Atqui *ſtadium* eſſe docet Paulus. Ergo, ut ſtet Pauli doctrina, exploſo iſtorum figmento, fatendum eſt, quæ piis hominibus ad hoc, ut in cœlum recipiantur, ferendæ ſunt perpeſſiones, eas omneis hujus vitæ terminis contineri. Neque eſt, quod hic reſpondeant, ut athletæ, tametſi omne ejus *certamen* in *arena* conſummetur, ſupereſſe tamen interdum etiam è theatro dimiſſo, vulnera in *certamine* accepta, non ſine aliqua medicamentorum acerbitate ſananda; ſic quoque contingere poſſe, ut fidelibus, quamquam legitime decurſo præſentis vitæ ſtadio, & conſummato agone peccatorum, velut plagarum in certamine acceptarum vibices maneant, non aliter quam igne *purgatorio* curandæ, atque eluendæ. Primo enim patet diſſimilia eſſe, quæ ſic inter ſe ſe comparant. Nam qui athletis interdum ſuperſunt poſt certamen ferendi medicinæ dolores, ii nihil ad bravium conſequendum cônferunt, quod jam accepit athleta. *Purgatorii* diverſa ratio eſt; cujus cruciatus ſic finguntur ad cœleſtem gloriam obtinendam neceſſarii, ut eam miſeri, quibus hæc tormenta ferenda ſunt non prius accipiant, quam iis plane defuncti fuerint. Vnde patet ſi ullæ eſſent *purgatorii* perpeſſiones, cum ad cœleſtem vitam conſequendam conferre exiſtimentur, eas omnino ejus certaminis, quo illa nobis adeunda eſt, partem non minimam futuras, adeoque in hac vita, quæ illius certaminis locus eſt, ferri debere. Quo illud quoque accedit, quod eos cruciatus, qui in *purgatorio* à piis ferri dicuntur, peccati *pœnas* eſſe proprie dictas docent; quas vero ad ſananda vulnera athleta patitur medicinæ acerbitates, eas nemo ſanus *pœnas* dixerit. Ex quo liquet, cum athletam, cui bravium datur, antequam id accipiat, *puniri* ſit inauditum, ne illos quidem fideles, qui vitam à Deo accepturi ſunt, antequam eam adeant, ullas in *purgatorio* pœnas perpeſſuros. *Quid ergo* (inquiet) *fiet illis peccati reliquiis, quæ etiam ex hoc noſtri certaminis loco dimiſſis ſuperſunt?* Reſpondeo, ſi eo nomine ſignificantur animo inuſti vitiorum habitus, nihil hujuſmodi ſupereſſe iis, qui *in Domino moriuntur*; & ipſi adverſarii confitentur, quæ talia ſunt omnia morte ſimul, & ſemel expungi. Iam ſi has peccati reliquias *pœnas* eſſe dixerint (& dicunt ſane) reſpondeo fidelibus eadem Dei miſericordia, qua ipſa peccata, quorum *pœnæ* erant, remiſſa ſunt, ipſas quoque condonari; idque rem ipſam neceſſario poſtulare. Nam liberatio à peccati pœnis ejus *bravii* pars eſt, quod Dominus voluit legitime currentibus eſſe conſtitutum. Hoc enim bravium nihil aliud eſt, quam æterna ſalus; quæ non modo ſummam

cum immortalitate gloriam, ſed inprimis etiam abſolutam ab omni miſeria immunitatem complectitur, atque adeo plenam ab omni *pœna* liberationem. Ergo ſi, quod docet Paulus, vita hæc fidelium ſtadium eſt, & arena ea ſemel decurſa peractoque agone ſupereſt, ut bravium accipiant, pœniſq; adeo omnibus liberentur; cum hæc ipſa liberatio prima ſit bravii pars. Denique cum nihil inter expletum in ſtadio curſum aut in arena certamen, & bravii donationem medium interſit, illas quas in *purgatorio* ferri volunt perpeſſiones omnino neceſſe eſt, ſiquid ſint, vel bravii, quo donamur, vel certaminis, quo exercemur, partem eſſe. Illud, credo, non dicent. Quis enim umquam fando audivit *pœnas* eſſe bravium? athletamque quod *punitur* eo ipſo *coronari?* Non alia lege *purgatorium* bravii noſtri pars cenſeri poteſt, niſi hac, ut *puniri* idem ſit quod *coronari*, præmium idem quod *ſupplicium*, hoc eſt *ignis* idem quod *aqua*, *tenebræ* idem quod *lux*. Supereſt ergo, ut *certaminis* partem eſſe dicant. Quod ſi ita ſe res habet, cum in ſtadio quicquid eſt curſus in arena quicquid eſt certaminis expleri debeat, in hac profecto vita, quæ unum fidelium ſtadium eſt, & theatrum omnino abſolvi neceſſe eſt, iſtarum ſiquid eſt pœnarum, quas adverſarii ſomniant.

Idem quoque ex eo concluditur, quod Petrus hujus vitæ, quam in terris degimus, ſpacium & vere & eleganter appellat τ̀ τ̃ς παροικίας ἡμῶν χρόνον, *tempus incolatus noſtri*; tempus, quo domo noſtra abſumus, atque extra eam moramur; ac, (ut loquitur Patriarcha Iacobus) *dies peregrinationis noſtræ*. Quo illud quoque pertinet, quod utriuſque Teſtamenti fideles ſe hic in terris *inquilinos*, & *peregrinos* eſſe profitentur; ut videre eſt, tum in hac ipſa Petri epiſtola, tum in ea Pauli, quæ eſt ad Hebræos, atque alibi. Iam vero non eſt obſcurum quicquid moleſtiarum, dolorum, ac perpeſſionum piis exantlandum eſt, id dum *peregre* ſunt, dumque extra paternam domum commorantur, accidere. Neq; enim ſemel domo receptis ullæ metuendæ ſunt ærumnæ. Ergo quicquid hujuſmodi eſt, id hac vita terminari neceſſe eſt, cujus ſpatio *peregrinationem* noſtram Scriptura definivit; niſi forte iſti, qua ſunt ſagacitate, fidelibus ex hac vita dimiſſis novam, & quidem ſuperiore longe acerbiorem in inferis, ubi ſui *purgatorii* ſedes locant, *peregrinationem* ſuſcipiendam, atque obeundam ex divinis litteris depromant, quam quidem in iis nemo hactenus vidit; nemo in poſterum viſurus eſt.

1 Pet. 1. 7.
Gen. 47. 8.
Hebr. 11. 13. & 13. 14.
Pſal. 39. 13. & 119. 19 24.
1 Chr. 29. 15.

Sed neque debile hujus veritatis, quam hactenus confirmavimus, argumentum nobis præbet Domini Ieſu exemplum. Nam quibus ille *paſſionibus conſummatus eſt*, ſive *conſecratus* ἐτελειώθη, (ut eſt apud Apoſtolum) eæ omnes vitæ, quam in terris egit, curriculo concluſæ fuerunt;

Hebr. 2. 10.

neque

neque omnino quicquam perpeſſus fuiſſe dicitur, poſtquam animam de cruce in ſinum Patris efflavit. Itaque cum is princeps, & primaria, & quidem omnibus ſuis numeris abſolutiſſima imago ſit, cujus conformes ex Dei decreto fieri neceſſe eſt eos, qui beatam immortalitatem adituri ſunt; profecto conſequens eſt, ut eorum quoque perpeſſiones præſentis vitæ ſpatiis terminentur. Siqui ſunt, qui extra hoc Chriſti *συμπάθειον* patiuntur, Chriſti diſſimiles ſunt, neq; adeo ejus fratres, cum ii ſoli hunc *primogenitum fratrem* habeant, qui ſunt ejus *imaginis conformes*. Neque (ſi verum amamus) dicemus eos *cum Chriſto pati*, qui in inferis, ubi nihil Chriſtus perpeſſus eſt, aliquid patiuntur. Atqui omnes, qui ut æternam vitam adeant, aliquid patiuntur, eos *cum Chriſto pati* non ſemel affirmat Apoſtolus, *Hæredes* (inquit) *Dei ſumus; cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Alibi; *Fidelis ſermo; ſi commortui ſumus* (Chriſto nimirum) *& convivemus*. Quo & illud ſpectat, quod quæ ad immortalitatem adipiſcendam perpetimur, Paulus *Chriſti paſſiones* vocat, & *Chriſti afflictiones*: quod elogium iis non convenit, quæ in *purgatorio* quidam perpeti finguntur. Nam cum Chriſtus nihil ſimile perpeſſus fuerit, hæ *purgatorii* paſſiones, quas adverſarii ſomniant, plane ſunt alterius generis, neque adeo *Chriſti* dici poſſunt, cum ſint ab iis alienæ, quas ipſe tulit. Denique quod ad perpeſſiones, atque infirmitates pertinet, dicitur *Chriſtus nobis per omnia aſſimilatus, vel ſimilis factus, & tentatus per omnia pro ſimilitudine*, id eſt comſimiliter, *abſque peccato*; quod ſtare non poteſt, ſi nobis ſunt aliquæ, & quidem omnium diriſſimæ, longeque graviſſimæ perpeſſiones in purgatorio ferendæ; cum Dominum Ieſum nihil hujuſmodi perpeſſum fuiſſe conſtet.

Rom. 8.29. | Rom. 8. 17. | 2 Tim. 2.11. | 1 Cor. 1.5. | Col. 1.24. | Hebr. 2.17. & 4. 15.

Sed hanc quoque quæſtionem clariſſime definit, quod alibi apud Paulum legimus, *Quæ videntur* (inquit ille) *temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt*; quo loco de piorum afflictionibus, ac repoſito iis præmio diſputat. Iam ſi ſtat hoc Pauli effatum, clarum eſt, quæ fidelibus ad hoc, ut in cæleſte regnum admittantur, exantlandæ ſunt perpeſſiones eas hac vita contineri. Nam cum eas *temporales* eſſe, non autem *æternas* certum ſit; quicquid autem hujuſmodi eſt, videri dicat Apoſtolus; quæ autem ſunt poſt hanc vitam minime videri ſit perſpicuum; profecto & illud quoque neceſſario conficitur, quicquid hujuſmodi *perpeſſionum* eſt, id totum ad præſentem hanc vitam pertinere. *Purgatorium* ſi eſt, aut *temporale* eſt, aut *æternum*. *Æternum* quidem eſſe, ipſi qui ponunt, negant. *Temporale* vero ut ſit, non patitur Paulus; qui *quod non videtur, æternum eſſe* affirmat. *Purgatorium* vero non videri palam eſt. Itaque cum neq; *temporale* ſit, neq; *æternum*, ne eſſe quidem apparet, cum nihil omnino ſit, quod non in altero ordine ſit.

1 Cor. 4. 18.

CAPVT XI.

Arg. II. ex eo, quod fideles poſt mortem à laboribus ſuis quieſcant. Apoc. 14. 13. *qui locus fuſe exponitur, & vindicatur. & Iſ.* 57. 1. 2.

VErum, quid opus eſt argumentis rem, quaſi obſcura ſit, ſectari, ac inveſtigare? Spiritus ſanctus in divinis litteris diſertiſſime pronunciat eos ſumma *pacè*, ac *quiete* excipi, quotquot ex hac vita diſcedunt veri Chriſti fideles. *Audivi* (inquit Ioannes) *vocem de cælo dicentem mihi, Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo. jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. Opera enim illorum* *Apoc.* 14. 13. *ſequuntur illos.* Sic enim hodie habet Latinus interpres; è cujus verbis mendum, quod iis inolevit, obiter abſtergendum eſt, & quidem eru- *de Miſſa p.*128. 129. ditiſſimi viri Petri Picherelli ſpongia. Is obſervat voculam *jam*, quæ hic legitur, irrepſiſſe pro *etiam*. Omnino res ita habet. Nam in græco codice, cui hæc Latini vocula reſpondet, eſt dictio *ναὶ*; confirmantis, ut notum eſt, ſive aſſeverantis particula; quam alibi Latinus *etiam* reddere ſæpe ſolet; ut videre eſt apud Matthæum, *Etiam dico vobis. ναὶ* *Matth.* 11. 9. & 15. 17. *λέγω ὑμῖν. Etiam Domine.* Ναὶ Κύριε. Itaque hic Ioannis locus ſic omnino apud Latinum reſtituendus videtur; *à modo (etiam dicit Spiritus) ut requieſcant à laboribus ſuis. ἀπάρτι ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν.* Huic cœlitus ad Ioannem delatæ voci, & quidem inviolabili Spiritus ſancti aſſeveratione firmatæ, palam eſt adverſarios obſtrepere, fidelium *in Domino mortuorum* requiem turbantes. *Spiritus* enim ſanctiſſime affirmat, mori eos, ut *quieſcant à laboribus ſuis.* Adverſarii contendunt mori, ut laborem iis omnibus, quæ gravia & moleſta in hac vita exhauſerant, longe acerbiorem ferant. Spiritus beata morte compoſitos *quieſcere* ait. Iſti occlamant dira flamma dies noctesque uſtulatos torqueri. Poteſt-ne quicquam dici à divina hac *l.* 1. *de purgat. c.* 12. *ſ. Reſpondeo cum S. Anſel.* Spiritus ſancti doctrina magis alienum? Bellarminus gemino effugio conatur evadere; quorum prius hoc eſt, *particulam* à modo *non ſignificare à morte uniuſcujuſque; ſed ab extremo judicio, de quo toto eo capite S. Ioannes loquitur. Itaque hic* (inquit) *erit ſenſus*, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. à modo enim *id eſt à fine judicii, de quo nunc loquor, requieſcent à laboribus ſuis.* Sed hanc iſtius gloſſam primum refellunt libri Græci. Nam ex omnibus codicibus, quos plurimos, & optimos diligentiſſime contulit Rob. Stephanus, ſi duos exceperis, nullus fuit, qui particulam *ἀπάρτι à modo* non conjungeret cum participio *ἀποθνήσκοντες*,

σκοντες, *qui moriuntur*, vel *morientes*, hoc modo : *μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι. ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα.* id eſt, *Beati mortui*, *qui in Domino moriuntur à modo.* *Etiam*, *dicit ſpiritus.* Patet enim ſi hæc verba ita diſtinguantur, nullum hic Bellarminiano commento locum eſſe. Nam cum *Spiritus* (ex græcorum codicum lectione,) dicat *beatos eſſe mortuos*, *qui à modo moriuntur*, ſi particula *à modo* id ſignificaret, quod vult Bellarminus nempe *ab extremo judicio*, clarum eſt hanc orationem nugatoriam, & ridiculam fore, cum certum ſit nullos plane futuros iſtos, qui hic prædicantur *beati*; quod poſt ultimi judicii diem nulli omnino in terris,neque *in Domino*,neque *extra Dominum* morituri ſint,ut omnes confitentur. Sed demus ſic locum eſſe conſtituendum, ut particula *amodo* conjungatur non cum præcedente verbo, *qui moriuntur* (ut volunt græci codices)ſed cum ſequente,nimirum *ut requieſcant* (quod jubet adverſarius) ideone vocula *à modo* ad ultimi judicii tempus referenda erit ? At (inquit Bellarminus) de ultimo judicio toto eo capite ſanctus Ioannes loquitur. Sane difficile eſt & obſcurum illud caput, ex propheticis imaginibus fere contextum. Hoc quidem certum eſt quædam alia præter ultimum judicium, eo contineri ; ut quæ iſtic de Babylonis caſu narrantur, & quæ locum à nobis allatum proxime antecedunt, *Hic patientia ſanctorum eſt*, *qui cuſtodiunt mandata Dei*, *& fidem Ieſu.* Sed non eſt, quod nunc quidem de reliquo capite *Apoc.* 14 12.
admodum ſimus ſolliciti. Quiſquis ſit cæterorum ſenſus, hic certe clarum eſt nihil Ioannem de ultimo judicio dicere. Si quod judicii mentio alicubi in hoc capite facta eſt, idcirco tibi licere putas in hac Spiritus oratione particulam *à modo* ad judicii diem referre ; quidni & cerebroſo alicui licebit eam trahere ad tempora caſus Babylonici, quod de eo etiam in iſto capite agatur ? Sed res clara eſt. Ait Apoſtolus ſe vocem audiviſſe cœlitus. Narrat ſe ab ea juſſum ſcribere inſignem hanc gnomen, *Beati mortui*, *qui in Domino moriuntur à modo* (*etiam dicit Spiritus*) *ut requieſcant à laboribus ſuis.* Profecto quiſquis ſine ſtudio hæc legerit, fatebitur particulam illam *à modo*, vel ad tempus, quo iſtorum ſinguli moriuntur eſſe referendam, ſi ea cum verbo *requieſcant* conjungatur ; vel certe ad ipſum illud tempus, quo vox Ioannem cœlitus alloquuta eſt, ſi ea cum verbo *moriuntur* connectatur. *ἀπάρτι.* *à nunc. ab hoc ipſo momento.* Neutrum tempus judicii eſſe, certum eſt. Ac tametſi nihil nunc quidem noſtra interſit utrum ſenſum eligas (conficit enim uterque omnes eos, *qui in Domino moriuntur*, *à ſuis laboribus requieſcere* toto illo tempore, quod vel ab ipſorum morte, vel ab Apoſtoli ævo ad ultimum uſque judicium fluet) videtur tamen prior, & ſimpli-

ſimplicior, & menti Spiritus ſancti convenientior. Nam in verſiculis ſuperioribus deſcripſerat Angelus eorum, qui *Beſtiam adoraverint* ſummam futuram poſt mortem infœlicitatem; pronunciaveratque ipſos
vers. 11. *cruciatum iri igne & ſulfure, nec habituros requiem die, ac nocte.* Tum ſubjunxerat:
vers. 12. *Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu*;
vers. 13. Quibus illa continuo additur Spiritus de cœlo conteſtatio, *Beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, ut à modo requieſcant à laboribus ſuis.* Itaque qui *in Domino moriuntur*, id eſt in Chriſti fide, ac pietate, iis opponuntur, qui in Beſtiæ cultu ad obitum uſque perſeverarunt, & horum tormentis illorum quies. Ac ut de mortuis *beſtiæ adoratoribus* diſerte dictum eſt, *non habent requiem die, ac nocte*; ſic contra de fidelibus Chriſti cultoribus dicitur, quod *mortui requieſcent à laboribus ſuis.* Omnino ergo hic inſtituitur quædam utrorumque antitheſis ad erigendam, ac firmandam fidelium in tam multis adverſus mundum certaminibus patientiam. Quod enim Babylonici homines rebus in hac vita proſperis utuntur, dominantur, libidinantur, opibus abundant, florent honoribus, luxu diffluunt; veri contra Chriſtiani variis calamitatibus affliguntur, ac in egeſtate, atque inopia, in contemptu, & ignominia, & omnis generis perpeſſionibus ætatem agunt; id inquam graviſſimum & ipſis, & aliis objicit ſcandalum. Cui ut medeatur *Spiritus*, oſtendatque nos iſtis percelli non debere, affirmat utcumq; ea ſit rerum humanarum in hoc mundo conditio, tamen poſt mortem omnia ſecus fore; habituros Babylonicos juſtam ſuæ impietatis mercedem, & à luxu, atque deliciis abituros in ſempiternos cruciatus; fideles vero Chriſti ſervos labores, quibus cum hic fuerunt conflictati beatiſſima *requie* permutaturos. Iam ut ſtet hæc oppoſitio, neceſſe eſt, ut impiis nulla mortuis quies conceditur; ita piis nullos poſt mortem labores ſupereſſe; ac ut illi ſtatim à præſentis vitæ deliciis in tormenta incidunt; ſic hos quoque ab hujus vitæ laboribus ſtatim ſuaviſſimam quietem invenire. Quiſquis ſepoſito cauſſæ ſtudio totum locum diligenter expenderit, non dubito quin facile ſit animadverſurus hunc verum eſſe, & genuinum ejus ſenſum. Quod ut liquidius conſtet, obſer-
de miſſ. p. 157. vanda eſt quædam vocum trajectio, quam Picherellus hic notavit; Nimirum ἀπάρτι ἵνα ἀναπαύσωνται *à modo ut requieſcant* dictum eſt pro ἵνα ἀπάρτι ἀναπαύσωνται, *ut à modo requieſcant.* Nec enim divinis ſcriptoribus inuſitatæ ſunt hujuſmodi trajectiones; qualis illa eſt in epiſtola ad
1Rom.1.31. Romanos, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, pro ἵνα τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι; quod quia non obſervavit interpres Latinus, peſſime locum illum reddidit. Sic & in altera ad Corinthios epiſtola

τῇ ὑπερβολῇ τ͂ ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι; pro, ἵνα μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ὑπεραίρωμαι, *ne magnitudo revelationum extollat me*, ut reſtituto orationis ordine recte expreſſit Latinus. Tale etiam eſt, quod in Actis legimus εἰς τ͂ ἐρχόμενον μετ᾽ αὐτὸν ἵνα πιςεύσωσι pro, ἵνα εἰς τ͂ ἐρχόμενον μετ᾽ αὐτὸν πιςεύσωσι. *in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent.* pro, *ut in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, crederent.* Iam neque illud eſt prætermittendum, quod à viris doctis eſt obſervatum, particulam ἵνα hic omnino poſitam videri pro διότι, *quoniam*; ex quodam Hebræorum idiotiſmo, qui voculam ט ſumunt tum pro ἵνα, *ut*, tum etiam pro διότι, *quoniam.* Atque eodem recidit Picherelli interpretatio, qui poſt hæc Spiritus ſancti verba *ut requieſcant a laboribus ſuis*, vult hæc ſubaudiri, *Nam revera tales jam nunc requieſcunt à laboribus ſuis.* qualiter infra capite viceſimo ſecundo, cum ait Apoſtolus, *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem*, omnino videtur ſubaudiendum, ac repetendum hujuſmodi aliquid; *nam revera jus eſt talibus in arborem vitæ, & per portas ingrediuntur in civitatem.* Niſi (quod mihi quidem commodius, ac magis expeditum videtur) & in hoc ipſo loco ἵνα *ut* poſitum eſſe dicamus, pro διότι, *quoniam*; *ut ſit poteſtas eorum*, id eſt *quoniam eſt poteſtas eorum.* Itaque præſentis quidem loci hic omnino ſenſus eſt; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur (Etiam, dicit Spiritus.) quoniam à modo requieſcunt à laboribus ſuis; opera vero* (vel ut habet Latinus) *opera enim illorum ſequuntur illos.* Vnde patet, quam abſurdum ſit, & alienum adverſarii commentum, qui particulam *a modo* ad futuri judicii tempus referri vult. Quod cum ipſe quam vanum ſit intelligeret, ad aliam gloſſam confugit, quam ipſam, ut futilem, titubanter proponit, *Si id minus* (inquit) *alicui probetur, reſpondere poſſumus cum Richardo de Sancto Victore, & Haymone in hunc locum, loqui Beatum Ioannem de viris perfectis, ac præſertim de Sanctis martyribus (eos enim eo loco conſolari volebat) qui ſimpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum ſecum ferunt. Nam qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicujus temporalis, ii non ſimpliciter moriuntur in Domino, ſed partim in Domino, ratione caritatis, quam ſecum ferunt; partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus ſecum ferunt.* Ego vero reſpondeo falſum, & à Scripturis alienum eſſe hoc interpretamentum. Nam ex Scripturarum quidem ſtylo dicuntur *in Chriſto mori* quicumque in Domini fide moriuntur. Atqui nemo ad beatam immortalitatem perventurus eſt niſi qui in Domini fide mortuus fuerit. Neque enim aliis, quam perſeverantibus Chriſti ſalus parata eſt. Cum igitur omnes omnino

2 Cor. 12. 7.

Act. 19. 4.

ub. ſup.

Apoc. 22. 14.

Bell. l. 1. de purg. c. 12. §. Reſpondeo.

ſalvandi in Chriſti fide moriantur, clarum eſt neminem ex ſalvandis eſſe, qui non in *Domino moriatur*, quique adeo poſt mortem non *quieſcat à laboribus ſuis.* Ex quo neceſſario conficitur, cum quos in *purgatorium* mittunt, velint eſſe ex numero ſalvandorum, eos quoque, contra quam ipſi ſentiunt, poſt mortem *quieſcere*, atque adeo à flammarum cruciatu, omnique alio labore immunes degere. Quos vero nobis hic obtrudit Bellarminus hybridas, & geminæ naturæ Chriſtianos, *qui partim in Domino, partim non in Domino moriantur*; eos nulla Scriptura, nulla recta ratio novit. Nam qui *in Domino moritur*, eum extra Dominum mori; vel qui extra Dominum moritur, eum in *Domino mori*, utrumque æque ſtultum eſt, atque *ἀσύςατον*. Qui Chriſto fide, ac (ut ipſe ponit adverſarius) caritate inſitus eſt, is nulla ratione extra Dominum eſſe, dici poteſt. At (inquit) *nihil eum prohibet, qui eſt hujuſmodi, peccata ſecum ferre; quorum certe reſpectu in Domino non eſt.* Ego vero ſi *peccata ſecum ferre* eſt *extra Chriſtum eſſe*, eorum qui *in Domino moriuntur*, quemquam eſſe negabo, qui *peccata ſecum ferat.* Nam nemo *in Chriſto*, niſi totus, vel eſt, vel non eſt. Non enim fingi poteſt aliquem, ut in domo, vel in circulo, ſic in Chriſto unum quidem pedem intus habere, alterum

Matth. 6.24. vero foris. Bifidam hanc unius, ejuſdemque hominis partitionem reſpuit Chriſtus; *Nemo* (inquit) *poteſt duobus Dominis ſervire. Utinam*

Apoc. 3.16. *frigidus eſſes, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* At iſtos, qui in *purgatorium* ire finguntur, Chriſtus non evomuit. Toti ergo *in Chriſto ſunt*; neque adeo ulla ratione dici poſſunt eſſe extra Chriſtum. Sane non cohærent, quæ nectit adverſarius, iſtos *in Chriſto mori*, & tamen *peccata ſecum ferre.* Nam cum Chriſtus *agnus ſit, qui tollit peccata mundi*, fieri non poteſt, ut quis *in Chriſto moritur*, is peccata ſecum nihiloſecius ferat. Ipſi adverſarii docent neminem iſtorum *mori*, cui non ſint *remiſſa peccata.* Atqui peccata ab eo *removentur*, cui remittuntur. Qui ergo dici poteſt *ferre*, quod ab eo per gratiam ablatum eſt? At (inquit) *cum peccatum iſtis remiſſum confiteor, de culpa intelligo; pœnam vero, quam remitti nego, eam iſtos ſecum ferre recte dixi.* Non repeto, quam ineptum ſit, quamque ab omni & ſcriptura, & ratione alienum, ut ei peccatum *remiſſum* dicas, qui peccati *pœnam* exſolvere cogitur. Id abunde in ſuperioribus demonſtratum eſt. Hoc nunc tantum dico; Si (quod tu vis) ita ſe res habet, ut ei etiam cui peccatum *dimiſſum* eſt, aliqua ſit *pœna* luenda, nulla ratione negari eum, qui in eo ſtatu eſt, hactenus *in Chriſto eſſe.* Non enim efficiunt hujuſmodi cruciatus, ut quis ſit extra Chriſtum.

Alioqui

Alioqui & martyres, & ſanctiſſimos atque innocentiſſimos viros, & eos, quos tu *perfectos* vocas extra Chriſtum quoque eſſe fatendum eſſet, quoties ii (quod non raro contingit) cruciatus, ac tormenta patiuntur. Tu vero iſtos negas partim eſſe *in Chriſto*, partim *extra Chriſtum*: Ergo neque eæ *pœnæ*, quas aliis in *purgatorio* luendas eſſe ais, prohibebunt quo minus & ipſi ſimpliciter *in Domino mori* dicantur. Nimirum ſi quid eſt, quo à Chriſto divellantur homines, id profecto non *pœna* eſt, aut cruciatus, ſed *infidelitas*, & in vitio perſeverantia; quorum utrumque cum ab iis procul abeſſe velint, quibus *purgatorium* deſtinant, nulla omnino ratio eſt, qua eos *in Domino* vel *eſſe*, vel *mori* negent. Poſtremo huc & illud accedit, quod ex iſtorum hypotheſi nugatoria efficitur Ioannis oratio. Is enim, ſi iſtos audimus, cum qui *in Domino moriuntur eos requieſcere à laboribus ſuis* affirmat, eos *in Domino mori* intelligit, qui non modo in Chriſti fide, atque caritate moriuntur, ſed & præterea ſic *in Chriſto moriuntur*, ut iis nullæ omnino peccati *pœnæ* poſt mortem luendæ ſuperſint; Ex quo clarum eſt *huc* denique redire totam Apoſtoli promiſſionem, nimirum fore, ut ii demum *quieſcant*, id eſt nullas pœnas poſt mortem patiantur, qui ſic *in Domino moriuntur*, ut nullas poſt mortem *pœnas* pati debeant. Iam quæ adverſarius ad fulciendum ineptiſſimum hoc gloſſema attulit, ea vero vel falſa ſunt, vel inutilia. Quod enim ait Apoſtolum martyres hoc loco conſolari voluiſſe, vel ſic intelligit, ut eorum fidelium, quos hic conſolatur Spiritus martyres pars ſint; vel ſic, ut nullos alios præter martyres, conſolari velit. Prius ſi ait, concedo; ſed quicquam ad rem facere nego. Cum enim ii, quos conſolatur Apoſtolus, non ſoli martyres ſint, ſed omnes fideles, apparet omnibus omnino fidelibus convenire, quod ait, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Si poſterius vult, quæro unde habeat? Nam Apoſtolus quidem in genere loquitur; & conſolatione contra mortem, ac cætera pericula non ſoli martyres, ſed omnes omnino fideles opus habent. Quid? quod hanc gloſſam ne Richardus quidem, vel Haimo, quos ejus teſtes laudat, ſequuti videntur? Richardus enim ait *in Domino*; id eſt in *fide*, *& confeſſione Domini*; quod non video cur ad ſolos martyres referri debeat. Haymo vero diſerte ſcripſit hanc vocem tam ad ipſum Ioannem pertinere, quam ad omnes fideles, qui remunerationem quidem ſempiternam exſpectant. Atque hæc quidem contra adverſarium ſatis ſunt. Sed fuit etiam è noſtris non nemo, qui hæc Ioannis verba ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες, ſic accipienda putavit, quaſi ſignificent, qui *Domini cauſſa*, *ſive propter Dominum moriuntur*; adeoque exiſtimavit hoc quidem loco de iis ſolis cogitaſſe Ioannem, qui

 animas

animas pro Chriſti Euangelio, ſive *propter juſtitiam* profundunt; eoſq; reprehendit, qui hunc locum verterunt, *in Domino moriuntur*; quod obſcurum eſſe ait. Ego vero mirari ſatis non poſſum quod viro eruditiſſimo hæc ita viſa ſint. Primum enim quod queritur obſcure dici *mori in Domino*, id quidem ſi culpa eſt, etiam ipſius Ioannis culpa fuerit; qui & ipſe dixit ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες; quod non eſt apud Græcos clarius quam apud nos *qui in Domino moriuntur*. Quod aſſumit ἐν Κυρίῳ *in Domino* Hebræiſmum eſſe ביהוה, id equidem fateor; quod vero Hebræiſmum illum ait ſignificare *propter Dominum*, aut *Domini cauſſa*, id vero tam abſurdum eſt, ut doleam id tanto viro excidiſſe. Quid? cum nos Paulus ait

Rom. 6. 11. *Deo vivere in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, hoccinè intelligit nos *propter Chriſtum* vitam eligere, ut qui mortem ejus cauſſa vitæ præoptant? Quis hoc ſomniaverit? Clarum eſt nos dici *in Chriſto vivere*, quod fide ei inſiti in hac cum eo communione vitam eam agamus, quæ Deo grata ſit. Igitur & *in Domino*, ſive *in Chriſto mori* (Chriſtum enim haud dubie *Domini* nomine hic ſignificavit Spiritus) nihil aliud eſt, quam Chriſto vera fide conjunctum, atque in myſtico ejus corpore fixum, ac radicatum mori. Sexcenta ſunt hujus ſenſus exempla, ſic in Scripturis obvia, ut deſcribere pigeat. Duo tantum afferam, quod ea ad rem, quam agimus, omnino pertineant. Prius habetur in priore ad Corinthios epiſtola, quo loco Paulus de reſurrectione diſputans, abſurda colligit, quæ ſi ea nulla ſit, conſequi neceſſe eſt, ac inter cætera hoc

1 Cor 15.18. quoque ponit, *Ergo & qui dormierunt in Chriſto perierunt*. Nemo negaverit *in Domino mori* idem eſſe quod *in Chriſto obdormiſcere*. At *in Chriſto dormientes* clarum eſt apud Apoſtolum eos omnes intelligi, qui in Chriſti fide, atque communione ex mortali hac vita diſceſſerunt; non autem eos ſolos, qui in Euangelii cauſſa ſanguinem profuderunt. Alterum exemplum hujus phraſeos eſt in priore ad Theſſalonicenſes epiſtola, ubi de reſurrectionis noſtræ ordine diſſerens ait, οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον: *mortui in Chriſto reſurgent primum. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam*

1 Theſſ. 4. *Chriſto in aera*. Quæſo te, hiccine Paulus eos ſolos *in Chriſto mortuos* intelligit, qui martyrium fecerunt? Si ita eſt, ergo ii ſoli reſurrecturi ſunt. Omnium enim fidelium, qui cum Chriſto poſt reſurrectionem futuri ſunt, non plures, quam duos ordines facit, unum τῶν νεκρῶν ἐν Χριστῷ, qui primum reſurrecturi ſunt; alterum eorum, quos tum viventes illa *Domini dies* deprehenſura eſt. Quod ſi in priori ordine illos tantum recenſet, qui martyrium paſſi fuerint, conſequens eſt, ut cæteros omnes in fide Chriſti ante illam diem mortuos tum reſurrecturos neget.

neget. Quòd cum ſit abſurdiſſimum, profectò fatendum eſt hic etiam Paulum τοὺς ἐν Χριστῷ νεκροὺς dicere omnes omnino homines, qui in vera Chriſti fide obierunt. Cum ergo eam ipſam phraſin, de qua nunc quæritur, bis Paulus ſic uſurpaverit, dubitandum non eſt, quin eam hoc quoque loco Spiritus ſanctus eodem omnino ſenſu intellexerit. Atque hæc etiam ratio contra poſterius Bellarmini gloſſema militat. Hinc enim patet, non ſolos perfectos, quod vult adverſarius, ſed omnes omnino fideles, qui cum vera in Chriſtum fide obeunt, *in Domino mortuos* à Spiritu ſancto dici. Clarum enim eſt in utroque illo loco omnes omnino de ſæculo dimiſſos fideles intelligi nomine τῶν ἐν Χριστῷ κοιμηθέντων, ſive νεκρῶν. Nam ſi ſoli iſti (quos *perfectos* Bellarminus vocat) eo vocabulo cenſerentur, profectò cæteros non *quiete* modo, ſed beata quoque reſurrectione excludi neceſſe eſſet. Sed de his quidem hæc hactenus; ex quibus liquet meritò ſcripſiſſe Picherellum illum, quem paulo ante memoravi, tametſi Sorbonicæ domus Doctorem, *Ioannem his paucis verbis purgatorium ignem exſtinxiſſe.* de miſſ. p. 156.

Idem autem eſt eorum ſenſus, quæ de piorum morte, Iſaias jam olim multis ante Ioannem ſæculis docuerat; *A facie malitiæ*, inquit, *collectus eſt juſtus*; vel ut habet hebræus codex, *à facie mali*, id eſt, ut malis in mundum venturis ſubducatur, morte velut in aſylum quoddam ab omni malo tutum transferatur. Tum; *ingredietur in pace; requieſcent in cubilibus ſuis, qui ambulaverit coram eo.* Sic enim Paguino interprete, habent Hebræa. At nulla iis pax, nulla requies, qui ſunt in purgatorio. Iſ. 57. 1. 2.

CAPUT XII.

Arg. III. ex eo quod fideles ex hac vita in domum cæleſtem migrant. 2 Cor. 5. 1. Arg. IV. quod fideles mortui ſint apud Dominum. 2 Cor. 5. 6. 7. 8. Arg. V. quod iidem vident faciẽ ad faciem. 1 Corinth. 13. 12. Arg. VI. quod iidem ſunt cum Chriſto. Phil. 1. 23.

SEd alia ſunt præterea Scripturæ teſtimonia, quorum non minor vis eſt ad evertendum hoc adverſariorum dogma. Quale eſt, quod in altera ad Corinthios epiſtola occurrit, *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis ἐπίγειος diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis.* Conſtat prioribus verbis, *ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur*, 2 Cor. 5. 1.

 mortem

mortem fidelium ſignificari, qua incolatus noſter, ſive noſtra in terreno hoc tabernaculo commoratio ſolvitur. Hoc enim infirmum, & mortale corpus nemo neſcit σκῆνος, *tabernaculum* eleganter dici; (quod *habitationem* vertit Latinus; obſcure, nec ſatis ad rem appoſite;) propterea quod, ut *tabernaculi*, ſic hujus corporis inhabitatio, non fixa, & perpetua eſt, ſed duntaxat ad tempus aliquod; quo ſenſu eodem vocabulo uſus quoque eſt Petrus, cum ut ſuæ in terris vitæ ſpatium ſignificaret, dixit, *quandiu ſum in hoc tabernaculo*, ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν

2 Pet. 1. 13. τούτῳ τῷ σκηνώματι. Tum neq; obſcurum eſt, poſterioribus verbis, *ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœlis*, noſtram in domo Patris cœleſtem, ac æternam habitationem deſcribi; à qua dolores, & perpeſſiones omnes abeſſe, nemo eſt Chriſtianus, qui non confiteatur. Cum ergo priore illa commoratione per mortem ſoluta hanc fideles cœleſtem inhabitationem habituros teſtetur Apoſtolus, clarum eſt fideles ex hac ſemel vita dimiſſos nullos amplius dolores, nullos cruciatus perpeſſuros, ſed beatiſſima quiete cum ſummo

l. 1. de purg. c. 12. §. Reſpondeo. B. Paul. gaudio conjuncta in cœlis fruituros. Bellarminus reſpondet, *B. Paulum id ſolum aſſerere patere domum cœleſtem poſt mortem, non patere ante mortem; quod autem omnes pii continuo transferantur ad cœlum poſt mortem, ipſum*

2 Cor. 5. 2. *non dicere, ſed contrarium potius indicare, cum ait*, Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur.

Atque hæc ille; quæ antequam expendamus, operæ pretium videtur hominis inconſtantiam, ſive potius ſophiſticen, & malignitatem obſervare.

l. 1. de Sanct. beat. c. 3. §. Alterum. Nam idem iſte Bellarminus Græcis alibi hunc ipſum Pauli locum objicit, & quidem velut clariſſimum Scripturæ teſtimonium, quo probet piorum hominum ſpiritus, qui & corpore ſoluti ſunt, & nulla purgatione indigent, ſtatim poſt obitum cœlo recipi, & ad Dei viſionem admitti; Ac ut hinc dogma illud concludat, duo demonſtrat; primo

§. Nota. 1. §. Nota ſecundo. illa Apoſtoli verba *ſi terreſtris domus noſtra* diſſolvatur, non de hujus mundi ſenſibilis exitio, (quod quibuſdam placuit) ſed de corporis terreni, in quo nunc vivimus, ſolutione eſſe intelligenda; ſecundo per *domum* æternam & cœleſtem, non corpus immortale, quo olim ultimo die donabimur, ſed vitam æternam, ſive viſionem Dei in cœlis ſignificari. Tum illud etiam præter cætera urget, *quod Apoſtolus cum dicit*, Si

§. Præterea. hæc domus diſſolvitur, habemus aliam, *vult dicere, Non eſt quod timeamus nobis domum defuturam unquam; namque ſi hinc pellimur, habemus aliam. At ſi per domum cœleſtem (inquit) intelligit corpus immortale, non eſt verum nobis nunquam defuturam domum. Deerit enim à die mortis uſque ad diem reſurrectionis.* Iam hæc quomodo cum iſtis conſiſtant, quæ

nobis

nobis nunc reſpondet eundem Pauli locum contra purgatorium aſſerentibus,haud equidem videre poſſum. Nam ſi, quod nunc ait, verum eſt, *Paulum id ſolum aſſerere patere domum cœleſtem poſt mortem, non patere ante mortem*; nihil hic locus contra Græcos efficiet, qui neque ipſi ajunt cœlum nobis ante mortem patere. Tantum negant nos ſtatim poſt mortem cœlo recipi. Ergo ſophiſtice vel illic contra eos, vel hic certe contra nos diſputat Bellarminus. Tum ſi quod illic ait verum eſt ex hoc Pauli loco conſequi *nobis nunquam defuturam domum*, quod ſcilicet & hic terrenam, & iſtic cœleſtam habeamus; profecto clarum eſt noſtrum neminem in purgatorium ire; ubi quicumque ſunt, iis cum neque in corpore terreno, neque in cœleſti habitatione ſint, domum deeſſe manifeſtum eſt. Hæc eſt nimirum eorum pœna, qui in veritatem calcitrant; ut neceſſario in *ἀντιλογίας* incidant. Sed iſta qui conciliari poſſint, Bellarminus viderit. Nos iis, quæ hic attulit, demonſtrationem ex hoc loco noſtram ſolvi negamus. Quod enim ait Paulum ſignificare *cœlum nobis ante mortem non patere*, in confeſſo eſt, cum is nonniſi *ſoluta terreni tabernaculi habitatione cœleſtem* promittat. Sed neque id ad rem, quam agimus, facit; cum nemo ſit noſtrum, qui dicat fideles hac terreni corporis velut ſarcina onuſtos in cœlo habitare. De fidelibus quæritur morientibus, iis ne *ſoluta hujus tabernaculi commoratione* purgatorii in Erebo ſedes ad tempus incolendæ, an cœleſtes *in domo patris manſiones* æternum inhabitandæ dentur. Paulus hoc ait, idque ipſum imprudens, ac invitus fatetur adverſarius. Nam quod B. Paulum aſſerere concedit *patere domum cœleſtem poſt mortem*, id vel hoc, quod nos affirmamus, ſignificat, vel nihil, quod ſit ad rem, ſignificat. Apoſtolus loquitur de fidelibus *diſſoluta hac terreni corporis habitatione* morientibus. Iſtis ergo *poſt mortem patere domum cœleſtem* aſſerit. Atqui ſi ſtat adverſariorum hypotheſis, fidelibus, qui in *purgatorium* relegantur, non patet *domus cœleſtis*; niſi forte *domum*, aut inſulam, aut regionem ei patere dixeris, qui ab ea excluditur; aut paradiſum Adamo peccatori patuiſſe, à quo Cherubini framea arcebatur, quam iſti ſupra nobis narrabant fuiſſe *purgatorii* imaginem. Quod ſi reſpondeant ideo dicere Paulum *fidelibus poſt mortem patere cœlum*, non quod ſtatim eo admittantur, ſed quod poſt aliquam in *purgatorio* moram ſint illas introducendi, plane nugantur. Primum enim ſtultum eſt, & inauditum, ut *ei domum aliquam patere* dicas, cujus ingreſſu, quamquam eo ingredi volens ac ſummopere cupiens, ſummovetur. Id mihi patet, à quo minime excludor, quo ingredi, ſi libeat, & liceat. Cœlum ergo *purgatorii* incolis nunc quidem non patet, quo ſi maxime velint, (& volunt proculdubio) ingredi tamen,

men, vel pedem in eo ponere non queunt. Præterea ſi ideo *cælum poſt mortem fidelibus patere* intelligit adverſarius, quod in cœlum non quidem continuo, ſed tamen aliquando ſint ingreſſuri, nimirum poſt aliquot ſi forte luſtra, aut ſæcula; profecto hoc quidem ſenſu cœlum fidelibus in terra viventibus patere, falſo & inepte negavit. Nam & ii, quamquam non continuo, tamen aliquando cœlum ſunt ingreſſuri. Fateor non ante ingreſſuros, quam ex hac terra diſceſſerint. Sed neque *purgatorii* cives, ſi ulli ſunt, cœlum prius ingreſſuros reor, quam ex infauſtis illis ſedibus migraverint. Quinimo ſi bene res putetur, fidelibus in *purgatorio* multo minus, quam in terra degentibus patet cœlum. Nam quamdiu ſunt in terris, meritis, quibus cœlorum fores patefiunt, locus eſt; in purgatorii carcerem ſemel conjectis, nihil amplius mereri licet. Quo pertinet illa ſuperius ab ipſis allata debitoris Euangelici imago; cui, *dum in via eſt*, multo facilius eſt reconciliari, eoque liberam ſuarum ſibi ædium habitationem parare, quam ubi ſemel in cuſtodiam conjectus eſt; è qua exire non licet, niſi exſoluto omni ære, quod debet. Iſti domum ſuam, quamdiu in carcère tenetur, mûlto minus patere dixeris, quam antequam in eum conjiceretur. Itaque cum adverſarii (niſi ſophiſtæ ſint) cœlum mortuis fidelibus patere eodem ſenſu affirment, quo viventibus patere negant; hoc vero non ita negent, quaſi eos vel ſemper vel diu cœlo excluſum iri, ſed quòd nunc, & quamdiu ſunt in hoc ſtatu cœlo minime receptum iri ſignificent; profecto neceſſario conficitur, ut quod ajunt *cælum fidelibus poſt mortem patere*, ſic quoque accipiendum ſit, ut mortuos ſtatim, ac ubi primum ſunt in eo ſtatu, cœlo excipi intelligant; non autem diu poſtea, multis poſt mortem annis. Sed id ipſum multo etiam vehementius poſcit ipſa Apoſtoli oratio, qui ait *ſoluta terreni tabernaculi habitatione*, non (ut loquitur adverſarius) *cælum nobis patere*; ſed quod multo eſt diſertius, *nos habere ædificationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis.* Hæc antitheſis neceſſario poſtulat, ut poſteriorem hanc *domum*, cujus ſpe nos ſolatur, ſic *habere* nos intelligat, ut eam ex priore dimiſſi, reapſe & actu (ut loquuntur) *inhabitemus*. Aliter & frigida erit conſolatio, & inepta oratio. Fingamus enim aliquem amico *domum* dono dediſſe tuguriolum inhabitanti, eumque his verbis alloqui; *Si quod jam inhabitas tugurium, vel vetuſtate collapſum, vel alia vi quaſſatum, ac ſolutum fuerit, habes ædificium à me, domum paratam, firmam, ac ſolidam:* Eritne qui aliter accipiat, quam hoc ſenſu, futurum ut iſte everſo priori habitaculo donatam ab amico *domum* inhabitet? Quod ſi is qui ita locutus eſt, amicum collapſa poſt aliquot annos caſula ad ſe venientem, & in pro-

in promiſſas ædes induci ſe flagitantem, repellat, atque excludat, eumque in carcere decem, aut viginti annos habitare jubeat; ita demum in paratas ædes immiſſum iri; nonne is omnino luſiſſe videbitur, quo tempore iſtum affirmabat *dujecto tugurio domum à ſe habiturum?* Atqui eadem eſt Dei in Paulo fideles hic alloquentis ratio; Si (inquit) *terreni hujus tabernaculi*, in quo jam degitis, *diſſoluta fuerit habitatio, domum* ex me *æternam habetis in cœlis*. Venit tempus indictum. *Tabernaculum*, in quo ſumus, diſſolvitur. Eo ejecti promiſſam nobis à Domino in cœlis *domum* pergimus. Pulſamus fores. Admitti poſcimus. Ille (ſi adverſarios audimus) cœlo quidem excludit; in *infernum* vero paulisper ſecedere jubet, atque iſtic aliquot luſtra, vel etiam ſæcula in igne habitare. Obſecro, hoccine eſt promiſſam habitationem bona fide repræſentare? Si ſic nobiſcum ageret Deus, nonne ludere nos merito cenſeretur? qui nunc de morte ſecuros ideo eſſe jubet, *quod domum in cœlis paratam habeamus, ſi terrenum hoc corporis noſtri tabernaculum diſſolutum fuerit?* Omnino hęc hujuſmodi orationis vis eſt, ut impleto eo quod priori loco ponitur, ſtatim & continenter ſequatur id quod poſteriore ſubjicitur. Verbi gratia, dicat aliquis, *Si hic mundus, quem jam incolimus diſſolvatur, novum mundum ex Deo habemus æternum*; clarum eſt eum intelligere, noſtræ in hoc mundo *habitationi* continenter, ac ſine ulla mora ſucceſſuram noſtram in novo illo mundo *habitationem*. Quod cum intelligerent acuti quidam homines, qui videntur defunctorum animabus non ante ultimam diem cœlum aperire, ut hujus loci vim declinarent, auſi ſunt dicere Paulum, dum ſic loquitur, ſupponere, *& ſe, & eos*, quos alloquitur, *fideles ad ultimum uſque judicium victuros*, adeoque *ſoluto terreno* hoc, & *infirmo corpore*, per ſubitam illam mutationem, quæ tum ſuperſtitibus continget, ſtatim atque eveſtigio aliud *domicilium habituros*, novum nempe, *cæleſte*, & *æternum corpus*, in quo ſempiternam vitam deinceps acturi ſunt. Primum ſi hoc detur, illud ſaltem ex hoc loco habebitur, quas ſuprema illa mundi dies in hoc ſæculo deprehendet, eos certe nullo *purgatorio* antequam in cœlum admittantur, cruciatum iri, quos Apoſtolus docet exuto hoc mortali corpore continenter, ac ſine ulla mora cœleſte, ac glorioſum induturos. Iam cum non ſit veriſimile iſtos omnes peccati magis expertes fore, quam cæteros fideles, qui ante illud tempus morientur, difficile dictu eſt, cur horum, quam illorum durior eſſe conditio debeat. Quod ſi non eſt, conſequens eſt, ut cum illi noviſſimi ab ea *immutatione*, quæ ipſis accidet, ſtatim ſint in beatiſſimam vitam transferendi, hi quoque ſimulatque morte exſoluti ſunt, quiete & gaudio fruantur, neque ullis proprie di-

ctis *pœnis* crucientur. Nam quod ſupra viſus eſt alicubi Bellarminus iſtos in mundi ſupremis ſuperfuturos neſcio quibus *purgatorii* (ſic dicam) vicariis *pœnis* ſubjicere , id cum nulla vel ratione , vel Scriptura firmetur,non difficilius à nobis rejicitur,quam ab illo proponitur. Sed neque illud,quod ingenioſi illi homines ſumunt,veriſimile videtur ; nimirum Paulum *ſupponere & ſe,& quos hic alloquitur fideles,ad judicii diem victuros.* Hoc enim Paulus , cum falſum eſſe ſciret, cur hoc loco, tamquam verum ſupponeret , ratio dici non poteſt. Tum clarum eſt prioribus hujus verſiculi verbis quorumvis fidelium mortem perſpicue deſcribi , non autem illorum duntaxat , quos ultima dies in terris deprehenſos mutabit , *ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur.* Hæc enim communi fidelium morti , ſi non melius , certe non minus , quam noviſſimorum *immutationi* conveniunt. Sed iſtos quidem , quibuſcum non eſt inſtituta præſens diſputatio,nunc ſane mittamus ; quoſque non alia de cauſſa hic obiter memoravimus , niſi ut oſtenderemus, quam continenter cum *tabernaculi noſtri diſſolutione* apud Paulum cohæreat *cœleſtis domus habitatio* ; cum hoc ne ii quidem negare ſuſtinuerint, quorum id negare maxime intererat. Iam vero ad Bellarminum redeamus. Is non modo negat Apoſtolum hic dicere omnes pios ad cœlum poſt mortem continuo transferri ; ſed addit eum contrarium potius indicare,cum ait, *Si tamen veſtiti,& non nudi inveniamur. Significat enim* (inquit) *his verbis,eos qui virtutibus, & meritis veſtiti ſunt,ac proinde perfectam pœnitentiam in hac vita egerunt , mox in domum cœleſtem deduci ; alios autem ſalvari quidem , ſed ſic tamen quaſi per ignem , ut idem ipſe ait,* 1 *Cor.* 3. Atque in his primum ſe prodit adverſarii inconſtantia ; qui quod modo negare videbatur, nunc ultro concedit, omnes eos,de quibus hic Paulus intelligit , continuo ad cœlum poſt mortem transferri. Nimirum ſic hominem urget aperta hujus loci veritas, ut quid vel concedat , vel neget animo ſatis conſtituere non poſſit. Ac id quidem , quod negavit,quam parum ejus cauſſam juvet,jam oſtendimus. Nunc videamus quod concedit , quam id vim habeat ad tuendam ab hac objectione purgatorii cauſſam. Concedit eos,qui *veſtiti ſunt*,mox ab obitu in *domum cæleſtem* deduci. De iis autem ſolis,qui *veſtiti* obeunt, locutum primo verſiculo Apoſtolum ex eo concludit,quod verſu ſequenti,poſtquam dixit, *Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cælo eſt,ſuperindui cupientes,*continuo ſubjicit, *ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur* ; quibus verbis, ſive voculam *ſi* pro conditionali particula, ſive pro rationali accipiamus , certum eſt eos à *cæleſtis domus inhabitatione* excludi, qui *nudi*, non autem *veſtiti inveniuntur.* Nos ſane non

repugna-

repugnamus.' Ac tametſi aliæ afferri poſſent verſiculi ſecundi interpretationes Bellarminiana fortaſſe non deteriores, de ea tamen minime litigandum putamus. Nam ex iis ipſis, quæ ſupponit, *purgatorium* evertitur. Cum enim eos, qui *nudi invenientur*, *habitatione cæleſtis domus* hic ab Apoſtolo excludi putet, illud quoque confiteatur neceſſe eſt, quos in *purgatorium* mittit, eos vel nunquam cœlum ingreſſuros, vel certe *veſtitos inveniri*. Neque eſt, quod reſpondeat iſtos, non quidem ſtatim poſt mortem, ſed tandem tamen aliquando cœlo receptum iri. Primo enim ſimpliciter, & abſolute loquitur Apoſtolus, eos ſolos *terreſtri tabernaculo diſſoluto domum cæleſtem ex Deo habere* pronuncians, *qui veſtiti, non nudi inveniuntur*. *Nudis* neque continuo, neque diu poſt mortem, manſionem in cœlo ullam promittit. Eos itaque cœlo non in aliquot modo annos, ſed in æternum exulare, ex Apoſtolo quidem neceſſe eſt. Plana eſt, & aperta ejus oratio. Neque omnino quicquam vel ex eo, vel ex aliis divini fœderis ſcriptoribus proferri poteſt, quo nudis iſtis ſpes fiat, fore ut etiam ipſi olim in *cæleſtem domum*, tametſi quam *veſtiti* ſerius admittantur. Neque ex Apoſtolo colligi poteſt eo *veſtitos* à *nudis* differre, quod illi maturius, hi ſerius cœlo recipiantur. Vnum ille inter utroſque diſcrimen innuit, quod cum in iis, qui *diruto terrenæ* vitæ *tabernaculo* cœleſtem *domum habent*, hoc diſerte requiri dixerit, ut *veſtiti inveniantur*, eo ipſo ſatis ſignificat iis, qui *nudi* reperientur, nullam in cœlis habitationem exſpectandam. Quod vero affert adverſarius *de eo qui ſervabitur, ſic tamen quaſi per ignem*, id neque eos probat, qui *nudi invenientur*, *ſervatum iri* (de quo proprie hic quæritur) neque hilum *purgatorii* cauſam juvat; quod fuſe ſuo loco demonſtratum eſt. Tum illud etiam quæro; Si *nudi* ſunt, qui poſt mortem in *purgatorium* conjiciuntur, unde & qua ratione in illis flammis *veſtiuntur?* Nam cum ſolis *veſtitis* cœleſtem habitationem promittat Apoſtolus, omnino in *purgatorio* veſtiri oportet, qui *nudi* illuc deſcenderunt, ſi eos olim in cœlum admiſſum iri verum eſt. *Veſtiri* autem eos in *purgatorio*, quo modo dicet adverſarius, qui illic neque meritis, neque pœnitentiæ operibus neque proprie dictæ *ſatisfactioni*, neque ullius virtutis profectui, vel incremento locum eſſe vult, ex quibus tamen contextum eſſe docet, quam hic Apoſtolus intelligit, *veſtem?* Si ita eſt, *nudos* illinc exire oportet, qui *nudi* illuc venerunt. Itaque cum cœlum nemo *nudus* intret, iſtos cœlo in æternum exulare, vel inter damnatos, vel, ſi mitius cum iis agatur, inter infantes ſine baptiſmo mortuos, ex Bellarmini quidem diſciplina, neceſſe eſt. Quæ cum ſint abſurdiſſima, profecto fateri debent adverſarii, quos ipſi *purgatorio* cives

Aa 2 deſtinant,

deſtinant, eos *veſtitos* inveniri. (Neque enim aliter ſalutem umquam obtinerent.) Sane mirari ſatis non poſſum, cur iſtos Bellarminus *nudos* eſſe putaverit. Omnis enim adverſariorum ſchola docet, quicumque in *purgatorium* mittuntur, eos vera fide, ſpe, ac caritate præditos eſſe; ad hæc peccatorum remiſſionem obtinuiſſe; quæ qui habent, ſi *nudi* ſunt, *veſtitum* eſſe quid ſit ego quidem neſcio. Fides, ſpes, caritas, nonne virtutes ſunt, & quidem præcipuæ? peccatorum vero remiſſio poteſtne ſine pœnitentia haberi? Cum ergo hunc piorum *veſtitum* his definiverit Bellarminus, negare non poteſt, quia veſtiti ſint etiam ii, quos ad *purgatorium* ablegat. Quamquam nos quidem Apoſtolus multo brevius, ac ſolidius, quid ſit veſtitum eſſe docet; *Quicumque* (inquit) *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Chriſtus, ſi hunc audimus, piorum indumentum eſt, ut qui hunc habet, ſine Chriſti contumelia *nudus* dici nequeat. Iam vero Chriſtum habere eos quoque fideles, qui in *purgatorium* ire finguntur, ne adverſarii quidem negare poſſunt, cum *fidem* iis donent, qua *Chriſtus in cordibus noſtris habitat*, & culparum, atque æternæ pœnæ remiſſionem, quæ nemini extra Chriſtum datur; denique cum eos Deo patri reconciliatos, ac in ejus amicitiam reſtitutos fateantur, quod ſine Chriſto fieri nequit. Cum igitur *Chriſtum* iſti quoque *induerint*, omnino *veſtiti inveniuntur*; cœloque adeo ſtatim à morte excipiuntur; cum qui *veſtiti ſunt* eos adverſarii ſine mora in *cœleſtem domum* deduci concedant. Denique idem ex eo concluditur, quod clarum eſt Paulum in loco laudato de omnibus omnino fidelibus loqui. Nam cum in præcedenti capite extremo dixiſſet, *quæ videntur temporalia eſſe; quæ autem non videntur, æterna*; id jam ex eo probat, quod depoſito hujus vitæ *tabernaculo* in divina, ac cœleſti *domo*, quæ eadem æterna eſt, ſimus habitaturi. Hæc enim cum præcedentibus rationalis particula connectit, *Scimus enim* (inquit) *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur*, &c. Iam vero inefficax erit hoc Apoſtoli argumentum, ſi non eſt ea omnium fidelium conditio, ut hac vita exuti, cœleſtem & æternam adeant. Nam ſiqui ſint, qui vita hanc functi *purgatorio* aliquandiu detineantur, antequam cœlum adeant, liquet non fore, quæ non videntur, æterna, cum iſtorum in *purgatorio* commoratio, & temporalis futura ſit, & eadem tamen ſit inviſibilis. Itaque ut ſtet Apoſtoli argumentum, neceſſe eſt fateri eum omnes omnino fideles hic eſſe complexum; adeoque etiam eos, quos adverſarii *purgatorio* deſtinant. Quod etiam evincit Pauli ſcopus qui hæc omnia eo animo ſcribit, ut fideles, quicumque ſub cruce gemunt, conſoletur. Vnde liquet in ſecundo capitis verſiculo, hæc verba, εἴγε καὶ ἐνδυσά-

Gal. 3. 27.

δυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα, ſic vertenda eſſe, *ſiquidem veſtiti, non nudi inveniemur*; ut particula *ſi* non dubitantis ſit, quaſi fidelium quiſquam *nudus* inveniri debeat, ſed affirmantis, & ratiocinantis, atque nos omnes, quotquot vere fideles ſumus, ex eo *ſuperindutum* iri concludentis, quod *veſtiti*, non *nudi* inveniemur.

Sed jam ad ſequentia in eodem capite Apoſtoli verba progredior, quæ non minus, quam hæc, adverſariorum de *purgatorio* ſomnium refellunt. Sic enim ille paucis interjectis verſiculis; *Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem;) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ἐνδημῆσαι ad Dominum*, ſive *apud Dominum* πρὸς τὸν Κύριον. Hactenus Apoſtolus; 2 Cor. 5, 6, 7, 8. quibus verbis duos omnino fidelium ſtatus ponit; priorem in hoc corpore quod *circumferimus*, poſteriorem extra hoc corpus. Ac prioris quidem hoc proprium eſſe vult, quod *quamdiu in eo ſumus, tamdiu peregrinamur à Domino*, perque *fidem, non autem per ſpeciem, ambulamus*. poſterioris autem contra, ut in eo *à corpore* quidem *hoc peregrinemur ἐκδημοῦντες*; apud Dominum autem *ἐνδημοῦντες habitantes*, ſive præſentes ſimus; Quo loco, ut plena ſit antitheſis, illud quoque neceſſario eſt ex præcedentibus adjiciendum, nos in hoc ipſo poſteriori ſtatu *per ſpeciem*, contra quam in priori, non autem *per fidem ambulare*. Hæc vero, quæ ſunt in Apoſtoli oratione perſpicua, omnia plane evertit purgatorii dogma; quod ſi ſtat, neque noſtræ in hoc corpore *commorationis* proprium erit *peregrinari à Domino, & per fidem, non autem per ſpeciem ambulare*; neque item noſtræ *à corpore peregrinationis* proprium erit, ut *apud Dominum habitemus*, & *per ſpeciem, non autem per fidem, ambulemus*. Nam ex adverſariorum hypotheſi conſtat, ſiqui ſunt in *purgatorio*, eos quamquam corpore exutos, adeoque *à corpore peregrinantes*, tamen neque apud Dominum *commorari*, neque *per ſpeciem ambulare*, ſed quamdiu iſtic ſunt, *à Domino* quidem abeſſe, ſive *peregrinari, per fidem autem ambulare, non per ſpeciem*. Ex quibus promptum eſt ſic ratiocinari. Nulli eorum, qui *apud Dominum habitant*, ἐνδημοῦσι ſive *præſentes ſunt*, (ut habet Latinus interpres) ullos cruciatus perpetiuntur; Omnes vero fideles hoc mortali corpore exuti, ſive (ut loquitur Paulus) *peregrinantes à corpore apud Dominum habitant*, ſive præſentes ſunt, ἐνδημοῦσι; Ergo nulli fideles corpore exuti ullos cruciatus perpetiuntur; nulli adeo ſunt in *purgatorio*, in quo nemo eſſe fingitur, qui non aliquid perpetiatur. Item: Quiſquis piorum *per fidem ambulat* is in hoc corpore verſatur; Nullus autem piorum mortuorum in hoc cor-

pore verſatur; Ergo nullus piorum mortuorum *per fidem ambulat*. Sed qui pii *per fidem* non *ambulant* eos *per ſpeciem ambulare* neceſſe eſt; Ergo & pios omnes morte ſemel functos fatendum eſt *per ſpeciem ambulare*; adeoque non in *purgatorio*, ſed in cœlo eſſe, in quo ſolo *per ſpeciem ambulabimus*, Deum *videntes facie ad faciem*, ut Scriptura loqui ſolet. Omnia vel ex hoc Pauli loco, vel ex adverſariorum hypotheſi clara ſunt. Hoc autem noſtrum ex præſenti loco argumentum non modo non ſolvit in hac diſputatione Bellarminus; ſed in alia contra Græcos, plane confirmat, ac ſtabilit; ex eo concludens piorum Spiritus ſtatim poſt mortem Dei viſione frui. videat lector quæ illic habet, & cum noſtris comparet.

l. 1. de ſanct. beat. c. 3. §. Tertium.

Cæterum, ut hoc addam, idem quoque habetur ex priori ad Corinthios epiſtola, quo loco fidelium in hac vita ſtatum cum eorumdem in futura vita ſtatu, tamquam ejuſdem hominis pueritiam cum virili ætate comparans, *Nunc* (inquit, id eſt hujus vitæ tempore, quo *parvuli* adhuc ſumus) *videmus per ſpeculum in ænigmate*; *tunc autem* (id eſt in vita poſt hanc futura, cum *viri facti* fuerimus) *facie ad faciem*. Iam quotquot morte conſummati ſunt fideles, ii pueritia exierunt, virique facti ſunt. Nemo ergo ex iis eſt, qui non *facie ad faciem videat*; nemo ergo, qui habitet in *purgatorio*; in quo Deum ſic videri negant.

1 Cor. 13.12.

Iam idem quoque alibi docet Apoſtolus, cum ait ſe *cupere diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; qui verborum nexus clariſſime conficit res ipſas ita cohærere, ut qui *diſſolutus* eſt fidelis (hoc eſt, *mortuus* ut apud omnes conſtat) is *cum Chriſto* ſit: Cum Chriſto autem non eſt, ſiquis in *purgatorio* cruciatur; cum à cœlo in quo Chriſtus eſt, immenſo pæne ſpatio diſtare velint *purgatorium*. Supereſt ergo, ut eorum fidelium, qui *diſſolvuntur*, neminem in *purgatorio* habitare confiteamur. Quid, quod paulo ante ibidem affirmat Apoſtolus *mori ſibi lucrum eſſe?* quod dubium non eſt unumquemque fidelem de ſe affirmare poſſe. At ſi, quod volunt adverſarii, ea conditione morimur, ut diuturnis, diriſque cruciatibus ac longe ſuperantibus omnes hujus vitæ dolores in inferno torqueamur, non video, quomodo vel Paulus, vel alii fideles, qui hunc mortis ſuæ exitum (ex iſtorum quidem dogmate, quibuſcum diſputamus) omnes timere debent, pro certo affirmare poſſint mortem ſibi *lucrum* eſſe eamque vitæ præſenti præoptare, in qua noſtra, quamquam triſtis, & acerba conditio, infinitis tamen partibus, ſi iſtis credimus, ea tolerabilior eſt, quæ nos poſt mortem in *purgatorio* manet; niſi forte *lucrum* facere eum putent, qui ex carcere in flammam traducitur, aut qui (ut vulgo loquimur) *ex fumo in ignem incidit*; vel eum ſapere exiſtiment, qui

Phil. 1.23.

Ibid. 21.

qui longo crudeliſſimoque incendio uſtulari ſatius ducat, quam in hac luce cum aliquo licet incommodo, verſari. Iam hoc quoque argumentum Bellarminus evidentiſſime confirmavit in ſua contra Græcos diſputatione; ubi allatis Pauli verbis, *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*; *At* (inquit) *ſi animæ ſervantur in aliquo loco extra cœlum, fruſtra hoc deſiderabat Paulus. Chriſtus enim in cœlis eſt.* *L. 1. de ſanct. beat. c. 3. §. Sextum.*

CAPUT XIII.

Arg. VII. ab exemplis Stephani, Lazari, latronis in cruce converſi; qui omnes poſt mortem ſtatim in quiete & conſolatione fuerunt.

AD hanc conſtantiſſimam Pauli doctrinam exempla accedunt eorum fidelium, quorum nobis mortes ſunt in Scriptura commemoratæ. Nam cum nullus ex iſto numero ſit, quem ad *purgatorii* pœnas abiiſſe vel moneant, vel ſaltem innuant divinæ litteræ; contra nonnullos diſertiſſime teſtantur in eum ſtatum continuo poſt mortem traductos eſſe, in quo omnis tormenti, cruciatuſque expertes ſuaviſſima quiete fruerentur. De Stephano, qui primus ex Chriſti diſcipulis martyrio initiatus eſt, nemo dubitat, quin ejus ſpiritum, ſimul atque è corpore evolavit, Dominus Ieſus, cui eum in ſupremis commendaverat, ſuſceperit; eoque dicitur Stephanus *in Domino obdormiviſſe*. Hoc enim *Act. 7. 58. 59.* eximium martyribus, ut ſtatim Domini ſinu eorum animæ excipiantur, jam à vetuſtiſſimis temporibus tributum fuiſſe conſtat, etiam ab iis, qui cæterorum fidelium animas cœlo ad ultimi uſque judicii diem excludebant. Neque ſane videtur de eorum, qui hujuſmodi ſunt, quiete, ac gloria dubitari citra impietatem poſſe. Sed cæterorum fidelium cur aliam rationem eſſe vel olim, vel nunc opinati ſint, equidem non video. Sunt enim omnes fideles ejuſdem omnino generis; unius ejuſdemque corporis membra; quorum dona, officia, certamina diverſa ſunt; ſors, non eadem eſſe non poteſt. Cum igitur martyres ſtatim poſt mortem ab omnibus laboribus *quieſcere* quotquot ſunt, aut fuerunt Chriſtiani uno ore conſentiant, cauſſa dici non poteſt, cur aliorum fidelium, quorum eſt ἰσότιμος πίστις, & κοινὴ σωτηρία, alia eſſe debeat *2 Petr. 1. 1.* poſt mortem conditio. Sed tamen ne hæc nobis fidelium diſparitas *Iudæ 3.* fraudi eſſet, Scriptura cavit. Nam & eorum exempla propoſuit, qui cum martyres non fuiſſent, eadem poſt mortem quiete nihiloſecius donati ſunt. De Lazaro mendico jam ſupra in alio argumento monuimus;

quem Dominus diſertiſſime teſtatur, ſimul atque mortuus fuit, *ab*
Luc. 16.22.25. *Angelis in ſinum Abrahæ portatum fuiſſe.* De loco, in quem delatus eſt, nunc quidem non diſputo. Id unum mihi ad eam, quam ago, cauſſam abunde eſt, quod ejus anima, non modo nullum cruciatum perpeſſa dicitur, ſed præterea in ſanctiſſimi Patriarchæ conſortio, cum cæteris haud dubie ſpiritibus, qui tum *conſummati* erant, fuiſſe, ibique *conſolationem* habuiſſe narratur. Quid de latrone dicam, quem eodem fere illo quo crediderat, temporis puncto de cruce *in paradiſum* translatum
Luc. 23.43. legimus? *Dixit illi Ieſus*, (inquit Lucas;) *Amen dico tibi hodie mecum*
l. 1. de purg. c. 12. ad obj. 6. *eris in paradiſo.* Reſpondet Bellarminus paucorum privilegia legem non facere. Ego vero ſiqua in divinis tabulis lex exſtaret, qua diſerte cautum haberetur, nequis fidelium nondum remiſſa omni *pœna* moriens alio quam in *purgatorium* recipiatur, libenter concederem hæc paucorum exempla latæ à Domino legi minime fraudi eſſe; ut quod vel Enochus, vel Elias vivi *in cœlum rapti ſunt*, nemo in cæterorum fidelium exemplum trahit. Sed cum nulli vel Prophetæ, vel Apoſtoli de *purgatorio* vel unum verbum uſpiam fecerint; cum culparum in hac vita remiſſarum pœnas à mortuis exigi nuſquam docuerint; cum Spiritus ſanctus eos *à laboribus ſuis quieſcere, qui in Domino moriuntur*, clariſſime edixerit; cum *ſoluto noſtro hoc tabernaculo cœleſtem nos domum habere* Paulus ſcripſerit; quis non videt hæc univerſa legis vim obtinere? Sed ut iſta nunc quidem mittam, certe adverſarius negare non poteſt, quin de illa noſtri poſt mortem ſtatus lege multum in utramque partem dubitatum fuerit. Quis ergo non videt, quo extant in Scripturis exempla, eo utiliſſima eſſe, ut intelligamus; quæ nam tandem illa ſit lex, de quo ambigitur? Ego do tria è novo Teſtamento exempla, eaque illuſtriſſima, fidelium ſtatim à morte quieſcentium gaudioque ac conſolatione fruentium, & quidem diverſi generis omnia, unum martyris, alterum mendici citra vim externam ſuo (ut loquuntur) fato morientis; tertium latronis in ipſo vitæ exitu ad Deum converſi. Tu ne unum quidem profers cujuſquam è terris in *purgatorium* rapti. Et vis tamen iſta, quæ affero, privilegia fuiſſe. Tua, quæ nullo divinarum litterarum vel exemplo, vel teſtimonio firmas, *legem* eſſe vis. Quidquam-ne iniquius fieri poteſt? Nam quis non videt & vero, & recto multo eſſe propius, ut quæ extant exempla, quamquam pauca, pro cæterorum conſimilium legé, ac norma accipiantur; quàm veſtra illa ſomnia, quorum, è divinis litteris nullum vel exemplum, vel documentum affertis? Ego igitur, donec tu (quod nondum feciſti, neque facies umquam) demonſtraveris tria illa, quæ in ſanctis litteris occurrunt divinæ in credentes

dentes bonitatis exempla, trium iſtorum privilegia fuiſſe, ex propria quadam & peculiari cauſſa, non ex communi, quo Deus omnes in genere fideles complectitur, affectu atque à more orta, equidem ea ſic habebo, tamquam ejus gratiæ, quæ nobis omnibus in Chriſto diſpenſatur, illuſtria quædam ſpecimina, quibus optimus parens teſtatum nobis fecit, quæ omnium *in Domino morientium* futura ſit conditio; maxime cum ea lex, quam inde eruo, & euangelicis promiſſionibus, & Dei clementiæ ad amuſſim congruat; quam vero tu nullo ſcripturæ vel exemplo, vel teſtimonio, ſola hominum auctoritate conſtituis purgatorii legem, ea Dei & juſtitiæ, & miſericordiæ apertiſſime repugnet, noſtramque & pacem & conſolationem vehementer conturbet; ut de cæteris abſurdis nihil dicam, quibus eam implicari ſatis in ſuperioribus docui. Quod ſi ſingulorum, quæ in ſcripturis memoriæ prodita ſunt, fidelium exempla, tamquam eorum, quibus acciderunt ſingularia privilegia, ab uſu noſtro rejicere licet, profecto exiguum ex divinis illis hiſtoriis fructum percipiemus; cum tamen teſtetur Apoſtolus *quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Atque hic quidem Paulus ſua nobis auctoritate luculentiſſime præivit; qui ex ſingularibus Abrahæ, Davidis, & aliorum exemplis univerſales divinæ nobiſcum diſpenſationis leges colligit, ut videre eſt paſſim in ejus epiſtolis; quæ divini viri methodus hoc omnino fundamento nititur, eadem via, ac lege omnes fideles à Domino ſervari.

Rom. 15. 4.

Rom. 4. 3. 7. & 9. Gal. 4. Hebr. 11.

CAPVT XIV.

Arg. VIII. ex eo ductum, quod preces pro fidelibus mortuis nuſquam in Scriptutis vel imperatæ, vel à piis uſurpatæ leguntur.

SEd neque parum ſententiam noſtram id confirmat, quod nullum uſpiam in divinis litteris occurrit precum pro mortuis vel mandatum, vel exemplum. Nam tametſi pro mortuis oraverint etiam, qui eorum animas nullo *purgatorio* cruciari putabant; fieri tamen vix poteſt, ut *purgatorium* quiſquam eſſe credat, qui non idem pro mortuis oret. Cum enim hoc ſit caritatis ingenium, ut proximo laboranti manum porrigat, eumque qua licet, adjuvet, profecto qui ſuorum animas diro igne in inferis jugiter cruciari perſuaſum habet, is ſi pius eſt, & ſuorum amans, amicorum tam gravem, tamque acerbum dolorem

fuſis ad Deum, ſi fas eſt, pro eorum ſalute precibus, levare ac mitigare conabitur. Neque negamus, ſi vera eſſent, quæ de *purgatorio* narrant adverſarii, orationes pro mortuis neceſſarium futuras noſtræ in fideles caritatis officium. Iam nullus omnino exſtat, vel in veteris, vel in novi fœderis libris, locus, in quo hujuſmodi pro mortuis (ut vocant) *ſuffragia* Dominus præceperit. Moyſes in lege accuratiſſime exſequitur omnia, quæ illis temporibus piis ex Iſraële incumbebant, religionis ac pietatis officia; ſacrificia, expiationes, ac purgationes ſigillatim ediſſerit, luctum ſuper mortuis memorat, & Gentilium in eo ritus diſerte damnat. Cujus in iſtis tanta fuit diligentia, eum-ne veriſimile eſt, ſiquid de ſuffragiis pro mortuis multo magis neceſſariis, præcipiendum erat, omiſſurum fuiſſe? Atqui nullas pro iis precationes præcepit, nulla ſacrificia, quorum tunc erat uſus frequentiſſimus. Fingamus (quod tamen abſurdiſſimum eſt, & ab omni veri ſpecie alienum) tam utile, tam, ſi iſtos audimus, neceſſarium officium Moyſi per incuriam, aut oblivionem excidiſſe. Certe de eo Prophetarum, qui tam multi ſecuti ſunt, aliquis fideles monuiſſet. Sed neque iſti magis, quam Moyſes, quicquam hujuſmodi, vel præcipiunt ipſi, ut fiat, vel ab aliis aut factum gaudent, & laudant, aut prætermiſſum dolent, & conqueruntur; vel ullo denique modo memorant. Quin & ea dicunt interdum, quibuſcum non videtur iſte ſuffragiorum uſus conſiſtere poſſe; quale eſt, quod apud Eccleſiaſtem legimus, qui *mortuos negat habere partem in hoc ſæculo, & in opere, quod ſub ſole geritur*; quæ profecto numquam ille dixiſſet, ſi tunc ullus in Eccleſia fuiſſet iſtorum ſuffragiorum uſus, cum tantos ex iis fructus mortui capere putentur. Quod enim ajunt adverſarii non aliud eum velle, quàm mortuos non edere, vel bibere, neq; ſimilibus vitæ animalis actionibus amplius fungi, id inquam dilutum eſt, ac frigidum. Nam cum ſapiens ſimpliciter neget *mortuos habere partem in opere, quod ſub ſole geritur*, patet eum velle nullius rei, quæ hic in terris geritur, ullum ad mortuos uſum, fructumve redire; quod falſiſſimum eſt, ſi quod adverſarii volunt id eſt vivorum & mortuorum inter ſe commercium, ut illorum, quæ certe *ſub ſole* præſtantur, ſuffragia his maximam adferant utilitatem. Quæ cum ita ſint neceſſe eſt fateri, vel nulla ſciviſſe ſapientem, quæ tum pro mortuis præſtarentur, vivorum ſuffragia, vel ſi ſcivit aliqua, ea inania, neq; ullius in rem mortuorum uſus exiſtimaviſſe. Iam de novi Teſtamenti ſcriptoribus quid dicam? quos, quid officii noſtri eſſet, eo impenſius docere oportuit, quod partem hanc totam à veteribus omnino prætermiſſam fuiſſe intelligebant? Atqui ne iſti quidem ultimi fidei noſtræ illuminatores quicquam hac de re præceperunt in tam multis

Levit. 19. 28. Deut. 14. 1.

Eccl. 9. 6.

Bell. l. 2. de purg. c. 15. §. Supereſt.

multis ſuæ doctrinæ monumentis, quæ nobis litteris mandata reliquerunt. Paulus quidem certe, cum in priori ad Theſſalonicenſes epiſtola de fidelium luctu moneret, eumque moderatum eſſe nec qualis eorum eſt, *qui ſpem non habent*, & præciperet, & in medium allata de mortuorum reſurrectione doctrina ſuaderet, hoc, ſiquidem revera neceſſarium eſt, noſtræ in mortuos pietatis officium tam opportuno loco non videtur ſine flagitio omittere potuiſſe. Omiſit tamen. Quo & illud pertinet, quod Dominus Chriſtus diſcipulum rogantem, ut ſibi *patrem ſepelire* permitteret, minime admonuit ſatis futurum ſi pro eo mortuo Deum precaretur, aut ullam omnino ejus rei mentionem fecit, quod locus poſcere videbatur; ſed ſimpliciter eam curam omittere juſſit, ac ſe continuo ſequi; *Sequere me* (inquit) *& dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Cum igitur neque in veteris, neque in novi Teſtamenti libris uſquam Dominus fidelibus præceperit hujuſmodi pro *mortuis* officia, apparet nullum eſſe id *purgatorium*, ex quo illa neceſſario manant. 1 Theſſ 4 12. Matth. 8. 21. 22.

Sed neque ulla alia ratione de hoc officio, quod tanti fit ab adverſariis, edoctos fuiſſe veteres fideles, inde ſatis conſtat, quod ejus nullum à quoquam eorum editum exemplum exſtet in divinis libris. Nam ſi eamdem cum adverſariis de hoc religionis capite fidem habuerunt, ſive ex Scripturis hauſtam, ſive ex traditione, aut ulla denique alia ratione acceptam, dubitandum non eſt, quin viri pietate, atque caritate præſtantes Deum pro amicis mortuis & crebro & ſedulo precati ſint. Atqui nulla omnino illorum hujuſmodi precatio in iis libris legitur, quibus res ab iis geſtas, maxime quæ ad pietatem ſpectabant, fuſe à Prophetis, & Apoſtolis narratas habemus. Multorum in iis litteris referuntur piorum mortes; funera non pauca ſtudioſe deſcribuntur; ut Saræ, ut Abrahæ, ut Iſaaci, ut Iacobi, ut Ioſephi, ut Mariæ, ut Aaronis, ut Davidis, ut omnium pæne regum Iudæ, ut Tabithæ, & aliorum. Non tacentur ſuperſtitum luctus, lacrymæ, planctus; quin & eorum in mortuos næniæ, lugubreſque lamentationes commemorantur, ut Davidis in Saulem, & Ionatham, & Abnerem; ut Hieremiæ in eos, quos communis Iudææ, & Hieroſolymorum clades abſtulerat. Habentur etiam piorum quorumdam ad ſuos ſupremi, dum ſe ad mortem accingerent, ſermones, ut Iacobi, Ioſephi, & Davidis. Qui *purgatorium* eſſe credunt, numquam ii in hujuſmodi occaſionibus preces pro mortuis omittunt, ſine quibus non putant ſe ſuis juſta legitime feciſſe; imo ne ſemel quidem vel in communi ſermone mortuos nominant, quin iis *pacem*, *requiem*, & *peccatorum abſolutionem* optent ac precentur. Ipſi vero morientes nihil magis anxie mandant, quam ut pro ſe, poſt-

quam ex hac vita diſceſſerint, preces & ſacra fiant. Nullum iſto eſt vel morientium ardentius votum, vel ſuperſtitum antiquius officium. Non eſt ergo dubitandum quin iſti, quos ex divinis libris modo laudavimus, cum eſſent ſingulari pietate, ac caritate prædití, hæc officia, ſi *purgatorium* ullum eſſe crediderunt, & ipſi aliis ſtudioſe exſolverint, & ſibi ab amicis exſolvi optaverint, quaque fas erat, præceperint. Atqui nihil omnino apparet hujuſmodi in iis Scripturæ locis, ubi ii commemorantur caſus, quibus iſta & ſolent, & debent fieri ab iis, qui *purgatorium* eſſe aliquod credunt. Nihil Iacobus familiæ; nihil fratribus Ioſephus; nihil Salomoni David de precibus, & ſacris ad animarum ſuarum levamen, atque ſolatium faciendis præcepiſſe leguntur; nihil hujuſmodi vel Saræ Abrahamus, vel Abrahamo Iſaacus, aut Iacobus Iſaaco, aut Ioſepho fratres, aut Aaroni filii exſolviſſe cernuntur; non Abneri, aut cariſſimo Ionathæ David; non Davidi Salomon; non cæteris regibus liberi ſuperſtites; non Tabithæ piæ, quæ eam deflebant, fœminæ; non denique (ut ſemel dicam) ullis aliis mortuis ulli ex populo Dei fideles. Iſta (inquit) quamquam facta, tamen quod eſſent nota, & ſolennia, ab hiſtoricis ſacris prætermiſſa ſunt. *Solennia* piis fuiſſe neſcio equidem unde habeas, quæ ne ſemel quidem vel à Deo mandata, vel à piis facta ſpatio quatuor millium annorum vel in canonica Scriptura legis, vel ex ea probas. Tum & quos *ſolennia* ſunt, quamquam ſi eadem ſæpius recurrunt, parcius & brevius dicantur, ſemel tamen alicubi à prudenti ſcriptore narrantur; ut ex veteribus rerum Græcarum, & Romanarum auctoribus patet; qui mortuorum inferias, qui ſacra, ludos, certamina, comitia, officia gentium, de quibus narrant, quamquam *ſolennia* deſcribunt tamen, & quidem optimi accurate. Quid? Funerari mortuum nonne etiam *ſolenne* fuit? Non ideo tamen ab hiſtoricis ſacris omiſſum fuit. Atqui preces pro mortuis non minus, imo multo magis, quam earum funera commemorari intererat. Cum igitur ſcriptores, omnium, qui umquam extiterunt, longe optimi, atque ſapientiſſimi non ſemel, neque uno in loco, ſed innumeris pæne locis, ubi rem eam, ſi vere facta fuiſſet, commemorari & ad eorum de quibus ſcribebant, laudem, & ad noſtram, in quorum uſum ac gratiam ſcribebant, ædificationem, pertinebat, conſtanter tamen taceant, neque vel una ſaltem ſyllabâ innuant, profecto quibus liber eſt à cauſſæ ſtudio animus, ſatis intelligunt ex hoc iſtorum ſilentio ſequi nihil hujuſmodi factum fuiſſe; quod ſi factum eſſet, ab iſtis ſine quodam flagitio taceri non potuiſſet. Nam qui locis tam multis, tamque opportunis rem dictu neceſſariam penitus prætermittit, is vel ſtultus eſt, vel

malevolus; vel eorum, de quibus ſcribit, laudi invidet; vel eorum à quibus legitur, utilitatem inſuper habet; à quibus vitiis nemo non videt, quam procul divini iſti ſcriptores abfuerint. Et ſiquis aliquid hujuſmodi de illis ſuſpicetur, non tam in ipſos contumelioſus, quam in Sanctum Dei Spiritum, à quo eorum mentes, & calami proprie regebantur, blaſphemus futurus ſit. Huc præterea accedit, quod in divinis libris non tantum habentur rerum ipſarum litteris à ſcriptoribus mandatæ narrationes; ſed etiam interdum ipſæ eorum, qui rebus intererant, voces, ſumma haud dubie fide expreſſæ. qualis eſt Davidis in Ionatham, & Abnerem comploratio; Hieremiæ in univerſi populi caſum lamentatio; quibus profecto locis comparerent ſiquæ ab iſtis factæ ſunt pro mortuis, quos deflent, preces; ſiqua pro eorum requie nuncupata vota. Atqui non in his magis, quam in Prophetarum narrationibus, quicquam iſtorum legitur. Dicent-ne vel Davidem, vel Hieremiam eam curam omiſiſſe? Atqui mortuos ipſi ne nominari quidem fas putant ſine aliqua hujuſmodi precatione. Cauſſabuntur-ne precationem quidem aliquam ab auctoribus in iſtis ſermonibus pro mortuis inſertam fuiſſe; cæterum de induſtria à Propheta, qui ſermones illos in codicem ſacrum retulit, obliteratam? Atqui id non patitur cuiquam in mentem venire ſumma iſtorum fides, atque religio. Quid ergo eſt? Certe cum neque illorum in vita pietas, neque horum in ſcriptis fides poſſit eſſe nobis ſuſpecta; ex eo quidem quod hi nullam in hujuſmodi ſermonibus pro mortuis precationem repræſentaverint, ſtatuendum eſt illos nullam revera fudiſſe; ex eo vero, quod hi nullam in tali tempore, & caſu fuderint, concludendum precationem pro mortuis nullum eſſe vel pietatis in Deum, vel caritatis in proximos officium; quam, ſi ea eſſet hujus generis, eo tempore omiſſuri non erant viri totius fere antiquitatis ſanctiſſimi, atque laudatiſſimi. Ex quibus porro evidentiſſime conſequitur ne *purgatorium* quidem illos credidiſſe in rerum natura ullum eſſe; quod qui eſſe credit precationem pro mortuis non poteſt non habere pro neceſſario caritatis officio.

CAPVT XV.

Arg. IX. inde ductum, quod quæ finguntur piorum in purgatorio pœnæ, plane vanæ & inutiles, poſita Chriſti in cruce ſatisfactione, reperiuntur.

Denique ut hanc diſputationis partem tandem aliquando concludamus, nullum eſſe *purgatorium* ex eo poſtremo conſtat, quod cum Deus nihil omnino inutile inſtituerit, eæ tamen *pœnæ*, quæ à fidelibus in inferis poſt mortem expendi finguntur, ſi aliquæ forent, nullam omnino utilitatem habituræ eſſent. Apoſtolus quidem, quod ſupra audivimus, docet Deum ſuos πρὸς τὸ συμφέρον caſtigare; ad id quod *ipſis utile eſt* quod ad eorum ædificationem, adeoque ſalutem συμφέρει *confert*. Iſtæ vero *purgatorii*, quæ ab adverſariis ponuntur, *pœnæ* ad quid fidelibus ſunt utiles? *Purgandis*, & ipſum vocabulum, & communis iſtorum doctrina utiles eſſe vult. Atqui res ipſa contra pugnat. Nam cum non alia peccati labes, aut macula ſit, quam vel *ipſa* vitioſi habitus, è quo prava facta manant, *fœditas*, vel *crimen*, quo à Domini amore, atque conjunctione divellimur, vel denique *pœnæ* reatus, hanc quam luendis poſt mortem pœnis fieri volunt purgationem omnino ad unum ex his tribus referri neceſſe eſt. De primo, ipſi negant. Docent enim omnem animam in *purgatorio* exiſtentem *perfectam eſſe in caritate*, adeoque nullo omnino vitioſo habitu laborare; & qui ſunt hujuſmodi habitus credibile eſſe ajunt eos *tolli per primum actum contrarium animæ ſeparatæ*; quem ſtatim à ſeparatione elicit. Itaque hac quidem peccati labe, cui eluendæ utiliſſime adhibentur variæ hujus vitæ perpeſſiones, nihil omnino nos *purgant* qui ab iſtis finguntur *purgatorii* poſt mortem cruciatus. Sed neque *criminis*, ſive quod idem eſt, culpæ maculam in *purgatorio* elui, vel expungi certum eſt; cum culpam ipſi jam in hac vita dimiſſam fuiſſe velint; niſi forte de *venialibus peccatis* excipiant. Sola ſupereſt *pœna*, qua purgari fideles poſt mortem dicant. Sed primo cum pœna per ſe ſumpta, & à culpa, quæ remiſſa fuiſſe dicitur, ſeparata, nulla ſit proprie animæ labes, (omnis enim vere dicta animi labes, peccati eſt vel *habitus*, vel *crimen*) profecto neque ſi proprie loqui velimus, *purgatur*, qui tantum *punitur*; hoc eſt, qui ſic *punitur*, ut nullum interea vitium ex ejus animo vel abſumat, vel abſtergat ea pœna, quam ſuſtinet. Neque enim damnati eo purgari dicuntur, quod dum cruciantur, aliquam ejus pœnæ, quam debent, partem exſolvant; neque Chriſtum iis pœnis, quas in morte pertulit, purgatum

Bell. l. 2. de purg. c. 3. §. Reſp. ad antec. ibid. c. 9. §. Credibile eſt.

tum fuiſſe ipſum quiſquam ſanus dixerit; cujus rei ratio in promptu eſt. Nimirum Chriſtus, cum eſſet ſanctiſſimus, nullam vitii labem, qua omnino carebat, in ea pœna deponere potuit; neque damnatis, cum ſint in ſcelere obdurati, ullum eorum vitiorum, quæ in ipſis abundant, eluitur, dum pœnas divinitus inflictas perferunt. Itaque cum ex adverſariorum hypotheſi, neque fideles, qui poſt mortem uſtulantur, ullas vitiorum (ut ſic dicam) ſcorias in illo *igne* deponant, illos profecto per iſtas pœnas, quas ferre finguntur, *purgari*, non minus abſurde dicitur, quam ſiquis damnatos in inferno *purgari*, vel Dominum Chriſtum in cruce *purgatum* fuiſſe diceret.

Sed quid in iſtis probandis moror? Ipſe adverſarius alibi fatetur *pœnam non facere ſordidum*; ipſe eam *maculam eſſe negat*, ipſe negat qui pœna vel defungitur, vel liberatur, *emundari*, adeoque, quod idem eſt, *purgari*; contendit qui *emundatur* vel *purgatur*, *ei culpam*, *quæ proprie maculam gignit in anima*, *remitti*. Itaque cum qui in igne illo ſubterraneo habitant, non *culpa*, ſed *pœna* ſola liberentur, apparet neque eos *emundari*, vel *purgari*; neque adeo *ignem* illum *purgatorium* vere vel eſſe vel dici. Vnde conſequitur pœnas quæ in eo luuntur, plane fruſtra, & inutiliter conſtitui, quæ cum non alium ob finem in religionem invectæ ſint, quam ut fideles *purgent*, ipſum tamen hunc uſum piis minime præſtare valent. Sed eo etiam inutiles eſſe multo clarius deprehenduntur, quod quæcumque per eas fieri *purgatio* fingitur, eam in Chriſto Domino omnem abunde habeamus. Certe *purgatos purgari* ſupervacaneum eſt. Atqui Apoſtolus docet Chriſtum *purgationem peccatorum noſtrorum* δι' *ἑαυτοῦ per ſe ipſum* feciſſe; & alibi *ejus ſanguinem emundare conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi*; & Ioannes teſtatur ipſum *Ieſum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris*, *ejuſque ſanguinem emundare nos ab omni peccato*; quo etiam illa ſpectant, quæ in epiſtola ad Hebræos leguntur, *unica oblatione à Chriſto in ſempiternum conſummatos eſſe*, *qui ſanctificantur*. Hæc vel falſa eſſe neceſſe eſt, vel iſtas certe *purgatorii pœnas* inutiles & ſupervacaneas, quæ ad eorum *purgationem* adhibentur, qui jam pleniſſime ac perfectiſſime Chriſti ſanguine, atque ſacrificio *purgati* ſunt. Iam illud prius nemo Chriſtianus dixerit. Hoc ergo omnino confitendum eſt; ex quo conſequitur nullum eſſe purgatorium, cum ſumma Dei ſapientia minime ſinat, ut nos quicquam ab eo in uſum fidelium inſtitutum eſſe credamus, quod ipſis inutile ſit, & ſupervacaneum.

Bell. l. 2. de jud. c. 3. §. In epiſt. 1. Ioa.

Heb. 1. 3. & 9. 4.

1 Ioan. 2. 2. & 1. 7.

Heb. 10. 14.

DE SATISFACTIONIBVS

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Præfatio. Status controverſiæ. Adverſariorum in hoc argumento inconſtantia, & anguſtiæ.

ATque hactenus quidem de *pœnis*, quas adverſarii fidelibus poſt acceptam peccatorum remiſſionem ſupereſſe fingunt vel hic, vel in *purgatorio* luendas. Sequitur, ut quod proximo loco diſputandum ſuſcepimus, de *ſatisfactionibus* nunc âgamus; in quibus non minima pars rei Romanæ ſita eſt. Primum enim cum eorum ſingulis fidelibus conſtituendarum arbitrium ad ſe pertinere dictitent, neque vero eæ recte, ac legitime conſtitui poſſint, niſi accurate teneatur, quod pœnitentis crimen ſit, qui animus, quæ ſtudia, quæ vitæ ratio, quæ copiæ; eo ſibi mirificum quoddam neque poſt homines natos uſpiam in ulla Republica viſum, aut auditum tribunal erexerunt; in quo ſic regnant, ut nullus omnino ſit Chriſtianus qui non ſe ante illorum pedes, velut ante judicem ſordidatus reus, abjiciat; qui non illis omnia vitæ, imo etiam animi arcana, tanquam in equuleo, nudet, ac revelet, ſeque totum, ac ſuas omnes fortunas illorum arbitrio permittat, judiciumque pavens exſpectet. Itaque eo fit, ut omnes ſibi habeant ſummopere obnoxios; quorum dicta, facta, ipſas animi tacitas cogitationes, occultiſſimoſque motus perſpectos habent; omnium ipſis conſcii, quæ in vita vel geſſerunt, vel mente agitaverunt; quod quantum ſit ad iſtorum & gloriam, & utilitatem, nemo non intelligit. Quid enim eſt, vel ambitioſis ingeniis jucundius, quam omnis generis mortales viros, mulieres, juvenes, ſenes, privatos, principes, proſtrato ante ſe corpore jacentes, & ad genua ſibi humillime accedentes de tribunali deſpicere? vel callidis, & avidis ad rem gerendam opportunius, quam omnium ingenia, & mores noſſe? ut pro cujuſque indole, ac natura eum captare, & ad uſus tuos inflectere nullo negotio poſſis? Iam de ipſis *ſatisfactionibus*, quid dicam? quas & homines pœnarum imminentium metu perculſi æquo animo ſuſcipiunt, & iſti nullas fere imponunt, quæ non ad ſuum, aut ſuæ certè reipublicæ emolumentum utiles ſint?

ſint? Notum eſt, quid Principibus, quid privatis hominibus in hoc genere vulgo imperare ſoleant, *ædium ſacrarum ſubſtructiones*, effuſas in ſacerdotes, & monachos *largitiones*, religioſas ad fana, ac delubra ſua *peregrinationes*, hæreticorum (quo nomine vocant, quicumque eorum potentiæ adverſantur) *inſectationem*, & *cædes*, & cætera ejuſdem commatis ſexcenta; ut mirandum non ſit, quod iſti tam glorioſum, tamque quæſtuoſum negotium omni opera retinere, atque ornare ſatagant; nihilque turpe, aut abſurdum putent, quod huic ſuo regno, vel conſtituendo, vel confirmando aliquid modó conferat. Sed illorum ſtudium nunc quidem mittamus. Rem ipſam potius expendamus. Ea vero plane confecta jam videtur. Nam *ſatisfactiones* non alio fine invehunt, niſi ut *pœnæ*, quæ alioqui luendæ eſſent, iis adhibitis expungantur. Peltanus accurate cavet, ne quis aliter accipiat; ac in ipſo ſtatim operis limine præſcribit *humanæ ſatisfactionis objectum non eſſe noxam, aut pœnam æternam noxæ debitam, aut pravos habitus ex peccandi conſuetudine in animo relictos; aut aliud aliquid hujuſmodi, ſed pœnæ temporaneæ reatum*; & qui *ſatisfactiones*, ſed *medicas*, hoc eſt ad expugnandos, & ſanandos vitiorum morbos utiles admittunt, eos ille habet pro *ſectariis*. Ex quibus conſtat, niſi peccati dimiſſi *pœnæ* ſint aliquæ *temporales*, ne *ſatisfactiones* quidem ullas fore, quales adverſarii inſtituunt. Igitur cum ſuperiori diſputatione demonſtratum ſit nullas hujuſmodi peccati dimiſſi pœnas ſupereſſe, clarum eſt hoc ſubverſo *ſatisfactionum* fundamento, ipſas quoque *ſatisfactiones* penitus eſſe ſublatas. Sed tametſi hæc & videantur, & ſint ſane veriſſima, juvat tamen hanc ipſam cauſſæ partem ſeorſim ſpectare, ut ſigillatim diſcuſſis, quæcumque adverſarii ad tuendum errorem afferunt, eo clarior, atque confirmatior exiſtat veritas. *de ſatiſf. ſect. 2.*

Principio tenendum eſt *ſatisfactionem* ipſis in hoc argumento dici in genere *actionem, qua is, qui alterum læſit, tantum facit, quantum ſatis eſt ad injuriam compenſandam, ſive quantum is, qui læſus eſt, juſte exigit*. In ſpecie vero hanc *ſatisfactionem*, de qua nunc diſputamus, *operationem exteriorem laborioſam, ſive pœnalem voluntarie aſſumptam ad puniendum peccatum commiſſum à ſe, & ad placandam divinam offenſam*. Sed quod omnium à vero aberrantium fatum eſt, de his ſatisfactionibus quas univerſi ponunt, non eadem ſinguli ſentiunt. Nam pro culpa Deo *ſatisfieri*, Bellarminus quidem, & Peltanus & alii vulgo negant; ajunt vero & illi Scholaſtici, quorum definitionem attuli, & ex recentioribus Vega, Vaſques, & alii. Quin & Ruardus Tapperus eo uſque progreditur, ut teſte Bellarmino, docet poſſe hominem *ſatisfacere Deo pro culpa, & pœna æter-*

Bell. l. 4. de pœnit. c. 1. §. Ut igitur.

Altenſtaig.

l. 13. in Concil. Trid. c. 6.

 na æter-

na æterna per actus quoſdam, qui ordine naturæ ſequantur gratiæ gratum facientis infuſionem, & præcedant remiſſionem peccatorum; & in eam ſententiam ipſum etiam Thomam citet. Vaſques vero nobilis Ieſuita, *ſatisfactionis* duo genera diſtinguit; Vnam imperfectam appellat, quæ ſupponit *condonationem*, & *remiſſionem* aliquam Dei pro debito aliquo peccati; alteram *perfectam*, quæ nullam ſupponit. Poſteriorem alii *plenam* vocant, quando ſimul fit *ſatisfactio* de injuria, & damno; priorem *ſemiplenam*, quæ ſuppletionem, & complementum ſuſcipit à Chriſti paſſione. Tum ait Vaſques pro peccato *mortali* à quovis homine exhiberi poſſe per auxilium gratiæ Dei *ſatisfactionem* quidem *imperfectam*, ſed talem tamen, quæ *ſufficiat* ad delendam maculam offenſæ, & pœnam; pro *veniali* vero peccato etiam *perfectam*, & *condignam*, quæque *nullo indigeat favore Dei condonantis peccatum*, vel aliquid illius, aut acceptantis ſatisfactionem; ſed quæ talis ſit, ut natura ſua deleat maculam, & pœnam peccati venialis. Gregorius autem de Valentia, quamquam minus aperte, non obſcure tamen innuit *ſatisfactione*, præter *pœnam*, culpæ etiam nonnihil expungi. Dicit enim eam *ſatisfactionem*, quæ compenſatione fit, non tantum habere reſpectum ad *pœnam* exſolvendam, ſed ad nonnullam etiam *offenſam*, & iram Dei, quæ per hujuſmodi compenſationem averti debet. Atque ex his videre eſt, quam incerta ſit, quamque (ut ita dicam) fluctuet omnis hæc adverſariorum de ſatisfactionibus doctrina. Bellarminus, qui ſuorum æſtus, ac diffidia quantum poteſt, vel diſſimulat, vel elevat, tamen ipſe quoque, cum ad rem ventum eſt, ita caute ac timide, ſuſpenſiſque veſtigiis ingreditur, ut quid vel affirmaret, vel negaret, non videatur habuiſſe conſtitutum. Primum enim præfatur *ſatisfactionem* illam, quam tuendam ſuſcipit, *pœnam* temporalem *ex condigno* quidem expiare, non tamen ex rigore juſtitiæ. *Nam* (inquit) *ſatisfactio ex rigore juſtitiæ duo requirit; ut ſatisfiat ex propriis, & ad æqualitatem, nulla videlicet præveniente, aut intercedente gratia ejus cui debetur ſatisfactio. Nos autem neque aliquid habemus, quod Dei non ſit, neque poſſumus ullo genere honoris adæquare injuriam, quam Deo fecimus; cum injuriæ menſura æſtimetur ex dignitate Dei, quæ infinita eſt; menſura honoris, quem illi impendimus, æſtimetur ex dignitate noſtra, quæ eſt finita, ac perexigua.* Hæc Bellarminus; præclare ſane, & vere. Sed hæc cum ita dixiſſet, locum totum repente plane contra quam inſtituerat, ſic concludit; *Nihilominus tamen accedente gratia Dei, eaque multiplici, vere poſſumus aliquomodo ex propriis, & ad æqualitatem, ac per hoc juſte, & ex condigno ſatisfacere. Primum enim accedit gratia juſtificationis, per quam efficimur filii Dei, membra & habitacula*

in 3. Thom. diſp. 2. 3. 5.

l. 4. in Th. d. 7. q. 14.

l. 4. de pœnit. c. 7. §. Illud.

habitacula Spiritus ſancti; & hac ratione opera noſtra, ut à Spiritu Chriſti in nobis habitante procedunt, quamdam habent infinitatem, ac per hoc etiam quamdam æqualitatem cum injuria, qua Deum peccando affeceramus. Accedit rurſus alia gratia Dei, dum Deus, qui noſtra omnia ſibi jure vendicare poſſet, non omnia, quæ facere poſſumus, imperat; ſed certa quædam opera duntaxat; alia vero permulta non imperat, ſed ſuadet, atque ad ea facienda hortatur. Ex qua Dei benignitate illud conſequitur, ut habeamus opera propria, & indebita, quibus pro injuria ſatisfaciamus; quamquam ea eſt benignitas Dei, ut etiam quæ munera ipſius ſunt, noſtra eſſe merita patiatur, & quæ de manu ejus accepimus, ſibi donari lubenter admittat. Accedit præterea alia gratia. Nam Deus, cum nos ad amicitiam ſuam per reconciliationem iterum recipit, à pœna, cujus debitores eramus, æternitatem aufert, ac de æterna temporalem facit. Ita igitur intelligimus per noſtra opera Deo ſatisfieri, non ex rigore juſtitiæ. Sed gratia ipſius, eaque multiplici præcedente, & comitante; atque id nobis donante, ut habeamus unde ex propriis, & ad æqualitatem pro pœna temporali ſatisfacere valeamus. Hactenus Bellarminus; cujus omnis oratio, quam lubrica, quam impedita, & perplexa ſit, quam multis denique contradictionibus involuta, nemo non intelliget, qui eam paulo attentius conſideraverit. Primum quod negat *ſatisfactione* pœnam temporalem *ex rigore juſtitiæ expiari*, id non modo cum Vaſquis placitis pugnat, ſed ipſius etiam Bellarmini hypotheſes evertit. Ipſe enim diſputationem hanc exordiens *ſatisfactionem* in genere definiverat *actionem, qua is qui alterum læſit, tantum facit, quantum is, qui læſus eſt, juſte exigit.* Qui vero id facit, quod ad *pœnam* ex rigore juſtitiæ expiandam non eſt ſatis, is profecto non tantum facit, quantum qui læſus eſt Deus, juſte exigit. Iuſte enim exigit, vel *pœnam*, vel certe *æqualitatem* peccati pœnæ *ſatisfactionem.* Tum quid dici poteſt turpius, quam quod Bellarminus, cum eſſet præfatus *nos neque ex propriis, neque ad æquivalentem Deo ſatisfacere poſſe*, ſtatim tamen plane contra colligit *nos vere poſſe aliquomodo ex propriis, & ad æqualitatem, adeoque juſte, & ex condigno ſatisfacere?* Mitto ſermonis ineptias *nos vere aliquo modo ſatisfacere*; quod quam abſurde dictum ſit vel ipſæ aures deprehendunt. Quis enim vel qui *ſatisfacere vere* dicitur non eum *omni modo ſatisfacere* intelligat? vel qui *aliquo modo ſatisfacere* dicitur, non eum non *vere*, ſed *improprie* tantum ſatisfacere putet? Adverſarius vero, quem & ſuſcepta diſputatio defendere cogebat *nos vere ſatisfacere*, & res ipſa tamen fateri ſubigebat *nos vere non ſatisfacere*, utrumque conjungere, quamquam inepte maluit, quam vel hypotheſin deſerere, vel obluctanti conſcientiæ vim facere. Illud vero quale eſt,

quod cum modo non dixerit tantum, ſed etiam allatis rationibus probaverit, *nos ex rigore juſtitiæ Deo ſatisfacere non poſſe*, nunc contra ait *nos juſte & ex condigno ſatisfacere?* Quæſo enim quid eſt *juſte ſatisfacere*, niſi *quantum juſtitia exigit, tantum facere?* Id vero ſi præſtetur, quis non videt *ex rigore juſtitiæ* ſatisfactum eſſe? Nam plus ab aliquo exigere, quam quod *juſtitiæ ſatis* eſt, id ſane, non *juſtitiæ rigor* fuerit, quod ait adverſarius, ſed mera injuſtitia. Is enim, qui dicitur, *juſtitiæ rigor*, nihil aliud eſt, quam quod Græci ἀκριβοδίκαιον vocant; cum quod *jus* eſt, id totum accurate exigitur, neque ejus ulla pars condonatur. Iam Bellarmini, ut propoſitioni concluſio, ſic etiam rationes rationibus recta adverſantur. Quod *ex rigore juſtitiæ* minime *ſatisfaciamus*, tum ex eo probaverat, quod cum finita ſit & perexigua omnis operum noſtrorum dignitas illatam Deo à nobis injuriam quæ *infinita* eſt, adæquare non poſſit; tum etiam ex eo, quod *nihil proprium*, ex quo *ſatisfaciamus*, habeamus. Idem nunc contra nos *vere*, ac *juſte*, & *ex condigno ſatisfacere* inde conſtituit, quod & operum noſtrorum ſit quædam (ut loquitur) *infinitas*, eoque aliqua cum injuria, qua Deum affeceramus, *æqualitas*, & ſint nobis *propria quædam*, & *indebita opera*, quibus pro injuria *ſatisfaciamus*. Ita adverſarius quod una manu poſuit, id ipſum altera ſtatim evertit, quo nihil in diſputando fœdius, aut flagitioſius fieri poteſt. Sed neque cauſſa erat, cur ſententiam ſic repente mutaret. Nam quod ille affert *nos per gratiam Dei effici habitacula Spiritus ſancti*, operaque noſtra ab *illo Chriſti Spiritu in nobis habitante procedere*, id ſane nullam operibus ipſis noſtris *infinitatem* conciliat. Cujus enim opus *infinitum* eſt, eum ipſum *infinitum* eſſe neceſſe eſt; quod cauſſæ finitæ effectus non poſſit non eſſe finitus. Cum igitur Spiritus inhabitantis gratia nos ipſos minime efficiat *infinitos*, profecto neque quod *in nobis inhabitat*, eo *infinita* ſit operum noſtrorum dignitas. Ipſius Spiritus, qui *infinitus* eſt, propria opera *infinitam* vim, atque dignitatem habere fateor; Noſtra, qui *finiti* ſemper ſumus, eo numero, ac nomine cenſeri, non patior. Neque enim, quod opera noſtra *à Spiritu ſancto procedere* dicuntur, ita accipiendum eſt, quaſi Spiritus ſanctus ipſe *recipiſcat, jejunet, fleat, eleemoſynas largiatur, humi cubet*, & cætera ejus generis proprie agat; Sed hæc omnia, quod ab ea fidei & caritatis vi manant, quam Spiritus in corda noſtra effudit, ideo ab illo procedere dicuntur. Iam cum Spiritus quæ ſunt in nobis *dona*, *finita*, eſſe omnia nemo neget, neceſſario fatendum eſt, quæ ab iis, tamquam à ſuis propriis, ac (ut in ſcholis loquuntur) *formalibus* principiis, profluunt opera, ea *finita* quoque eſſe. Sed neque ea ratio melior eſt, qua adverſarius

rius alterum illud conficere ſe poſſe putavit, nos *propria aliqua habere, unde Deo ſatisfaciamus.* Quod enim ille ſumit permulta eſſe opera (bona nimirum, & Deo grata) quæ tamen Deus *non imperat*, ſed *ſuadet tantum*, id inquam, falliſſimum eſt. Nam nihil ille boni, quod quidem à nobis effici poſſit, non *imperat*, qui imperat, ut in ipſius cultum quicquid omnino nobis eſt, *virium*, animæ, ac vitæ denique profundamus. Hoc vero nobis imperaſſe Deum non eſt obſcurum; cujus, Chriſto auctore, ac interprete, hæc lex eſt, ut ipſum *ex toto corde noſtro, & in tota anima noſtra, & in tota mente noſtra omnes*, & *ſinguli diligamus.* Denique Matth. 22. 37. quod ſuperioribus poſtremo aſſuit adverſarius, *Deum, cum nos ei iterum reconciliamur, à pœna, cujus debitores eramus, æternitatem auferre, ac de æterna temporalem facere*, id inquam, prodit, quantopere cauſſæ ipſe ſuæ diffidat. Nam ſi vera ſunt, quæ nuper conſtituit, operum nimirum noſtrorum quamdam eſſe *infinitudinem*; ſi ipſe ſic ſentit, ſi ſic habet animo perſuaſum; quid eſt, cur dubitet eloqui nos pro *pœna*, non tantum, quod ait, *temporali*, ſed etiam *æterna*, neque modo pro *pœna*, ſed etiam pro *culpa*, *ſatisfacere* poſſe? Quid eſt, cur ad hoc, ut *ſatisfacere* poſſimus, neceſſe eſſe vult, ut Deus tum ipſam primo *culpam*, tum *æternam* etiam *pœnam* condonet? Quæ enim *ſatisfactio infinita* eſt, eam clarum eſt tum ad *culpam*, tum ad *æternam pœnam* expungendam ſufficere, quod eas exæquet, quæ nimirum re infinita majores eſſe non poſſunt. Vnde iſta eſt tanta adverſarii περιέργεια, ac vanitas? Si ea *pœna*, pro qua *ſatisfacimus, temporalis*, adeoque *finita* eſt; quid neceſſe fuit operibus, ex quibus noſtram *ſatisfactionem* conſtare vult, *infinitudinem* aſtruere? Si ea opera vere *infinita* ſunt, quid opus fuit Deum, ut *finita* ſit pœna, pro qua ſatisfacimus, providere? Adverſarii vel labor illic vanus fuit, vel certe cautio hic ſupervacanea. Sed mihi videre videor, quid hunc in hos ſcopulos illiſerit. Nimirum cum utrimque vis veritatis urgeret, ipſeque conſcientiæ ſenſus dictaret, neque *infinitum* eſſe operum noſtrorum *pretium*, & peccati æternam ſive *infinitam eſſe pœnam*; adverſarius, qui numquam id admittere conſtituerat, quod ex utroque clariſſime conſequitur, nimirum nullis noſtris operibus Deo *ſatisfieri* poſſe; ſibique alterum horum neceſſario negandum eſſe intelligeret, ſi ſuſceptam theſin tueri vellet, cum vix efficere ſe poſſe confideret, ut alterum horum omnibus plane excuteret, utrumque negare maluit, ut ſic duplex pateret effugium. Nam & operum noſtrorum *finitudinem* mordicus tenenti ita ſatisfacit, ut dicat neque *infinitam* eſſe eam *pœnam*, quæ nobis expianda eſt; & peccati ſive pœnæ *infinitatem* conſtantius urgenti ſic reſpondet, ut dicat, noſtrorum quoque operum

ſuam eſſe quamdam *infinitatem.* Atque hæc ipſa adverſariorum in hac agenda cauſſa tum diverſitas, tum inconſtantia ſatis arguit, quam dubium & incertum ſit id dogma, quod tuentur. Nos qui ſimpliciter negamus ullam à nobis pro peccati vel *culpa*, vel *pœna ſatisfactionem* Deo præſtari, nihil neceſſe eſt in iſtis immorari; neque ſane de illis anxie laborare, quæ operoſe ab adverſariis diſputationi præſtruuntur, paratas
Bell. l. 4 de pœnit. c. à Deo *pœnas* fideles interdum bonorum operum ſtudio, vel omnino avertere, vel certè mitigare; item opera iſta laborioſa, quibus *pœnæ* reatus expiatur, & ſponte ſuſcipi à peccatoribus poſſe, & rectè iis à ſacerdotibus injungi; ac denique *ſatisfactiones* ad tria maxime genera revocari *orationem*, *jejunium*, & *eleëmoſynam.* Iſta omnino præpoſtere hic diſputantur. Nam eſſe *ſatisfactiones aliquas* ante probandum erat, quam docendum *quales* illæ ſint, & à *quibus* vel ſuſcipi, vel injungi debeant. Ea vero interdum præſtare pios homines, quibus ira Dei aut avertitur, aut mitigatur, neque nos negamus, neque id quicquam *ſatisfactionum* cauſſam juvat, ut mox fuſius ſuo loco docebimus. Miſſis ergo iſtis hoc unum jam agamus, extet-ne ullum apud divinos utriuſque fœderis ſcriptores iſtarum ſatisfactionum, quas adverſarii tuentur, firmum, & idoneum documentum.

CAPUT II.

Solvitur primum adverſariorum argumentum ex Iſ. 1. 16, 17, 18. Pœnitentiæ vocabulum explicatur, & à Bellarmini gloſſa vindicatur.

PRimum Bellarminus objicit eum ex Iſaia locum, in quo Dominus promittit remiſſionem *plenam*, ac *perfectam* peccatorum, quaſi præmium quoddam, iis qui non tantum *laverint*, & *mundaverint ſe* per contritionem, ſed etiam in bonis operibus miſericordiæ ſe exercuerint. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me (dicit Dominus) Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix deal-*
Iſ. 1. 16, 17, 18. *babuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Fateor Dominum iis qui iſta, quæ præcipit, ex animo præſtiterint, *plenam*, ac *perfectam* peccatorum remiſſionem polliceri; eos, qui iſta præſtant, pro peccatis ante commiſſis *ſatisfacere* nego. Nam cum iſtæ *ſatisfactiones*, quas defendunt adverſarii, opera ſint *indebita*, eo nomine cenſeri

ſeri non poſſunt, quæ hic à Propheta commemorantur; quæ nemo non videt ab omni, non modo peccatore, & pœnitente, ſed etiam homine Deo ex lege deberi. Quis enim eſt, cui non hoc ex lege incumbat, ut *mundius* ſit, & *purus?* ut actiones vitæ, ipſaſque animi cogitationes omni ſcelere repurget? ut perverſitatem oderit? ut benefaciat? ut judicium quærat? ut oppreſſis ſubveniat? ut pupilli, & viduæ miſereatur, & ab eorum capite & fortunis omnem, qua licet, injuriam propulſet? Qui hæc facit, ea facit quæ debet, quæque ſine peccato, imo ſine flagitio & ſcelere, omittere non poteſt; cavet adeo ne novis ſe ſceleribus obſtringat; pro veteribus non ſatisfacit. Huc accedit, quod cum *ſatisfactio* omnis aliqnid ſit grave, & ærumnoſum, ac (ut iſti loquuntur) *pœnale*; fidelibus non modo non gravia ſunt, quæ hic Propheta præcipit, ſed etiam *ſuavia & jucunda.* Continentur enim legis mandatis, quæ ſibi, cæteriſque fidelibus in deliciis eſſe teſtatur Pſaltes, *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.* Pſ. 119. (Lat. 118.) 14. Siquis vero iſtis invitus, tamquam ſupplicio aliquo, defunctus fuerit, is neque quod ſui eſt officii fecerit; neque Domino placebit, neque ſane ullam ab eo præteritorum peccatorum veniam conſequetur. Quid ergo eſt? Nimirum non *ſatisfactionibus*, quæ hic prorſus nullæ apparent, ſed veræ *pœnitentiæ*, quæ ex bonis operibus, velut arbor ex fructibus, deſcribitur, ac definitur, peccatorum omnium, etiam graviſſimorum remiſſionem promittit optimus, ac clementiſſimus parens. Cum enim iſti, quos alloquitur, ex Iſraële peccatores eſſent, fidemque ipſi quoque & Domini cultum profiterentur, ſuaque *ſacrificia, incenſa*, & ſabbata ſuas *neomenias*, feſtivitates, ſolennitates, & cætera hujus generis jactarent, quibus ſcilicet cum accuratiſſime fungerentur, putabant ſibi nihil deeſſe, quo minus Deo grati, acceptique eſſent; hanc iis fidei, ac religionis falſam, & inanem larvam Propheta detrabit, oſtenditque qualem Deus à peccatoribus pœnitentiam exigat, eam nimirum quæ ſic vera eſt, atque efficax, ut omnem hominis ſtatum immutet, omnia vitæ ſtudia ad ſanctimoniam traducat, mundatiſque ipſis animi cogitationibus nihil in moribus ſceleris, nihil iniqui vel injuſti reſidere patiatur. Sed de hoc quidem loco pluribus non agam, quem in ſuperiori diſputatione ſatis jam expendimus.

Vnum eſt, antequam progredior, ad noſtram tum hujus loci, tum aliorum conſimilium ſolutionem explicandam, neceſſario excutiendum; quod adverſariis multum in ore eſt. Nam ſiquando reſpondemus *Deum nihil aliud* à peccatore *præter veram pœnitentiam exigere*, quo is peccatorum *plenam remiſſionem* accipiat; ſolent illi hoc quidem, quod nos

dicimus,

dicimus, confiteri; cæterum *veræ pœnitentiæ* nomine ipſam quoq; *ſatisfactionem* contineri, ut legitimam ejus partem, contendunt. Idque ut obtineant, pugnant *pœnitentiæ* vocabulum, & alias voces, quæ ei vel apud Græcos, vel apud Hebræos reſpondent, *non ſolam mentis mutationem, aut erroris agnitionem, ſed etiam deteſtationem peccati, & vindictam ſponte aſſumptam ſignificare.* Cum vero illa ſponte aſſumpta vindicta nihil aliud ſit, quam quod ipſi *ſatisfactionem* vulgo dicunt; inde concludunt *pœnitentiæ* nomine ipſam quoque *ſatisfactionem* contineri. Atq; hic multus eſt Bellarminus in Valla, & Eraſmo reprehendendis, noſtriſq; hominibus exagitandis, quod μετανοεῖν & μετάνοιαν, voces in hoc argumento apud divinos novi Teſtamenti ſcriptores paſſim obvias Latine *reſipiſcere*, & *reſipiſcentiam* melius reddi putaverint, quam *pœnitere*, & *pœnitentiam*, quibus uti ſolet vetus Scripturarum interpres Latinus. Et cum iſtos adverſarius, quod ad vocum proprietatem impenſius attenderint, quam viros graves decuiſſe exiſtimet, *grammaticos doctores* potius quam *Theologos* vocandos eſſe illudens ſcribat; ipſe tamen in idem peccatum incidit, dum hic de verbis Hebræis נחם & שוב, Græcis μεταμέλεσθαι, & μετανοεῖν philoſophatur; & ex *pœnitentiæ* etymo contra nos argumentatur. Nos fatemur non eſſe Chriſtianorum de vocabulis, *quorum arbitrium penes uſum* eſt, anxie litigare, dum res ipſa teneatur; neq; vero negamus ſæpe fallere illud, quod à Grammaticis magnifit, vocum etymon; quas haud raro hominum uſus ad eas ſignificationes vel torquet, vel flectit, quæ ab earum origine multum ſunt alienæ. Itaque ſiqui è noſtris, Latinæ elegantiæ ſtudioſiores, *reſipiſcere*, & *reſipiſcentiam* dicere maluerunt, quod Græcis eſt μετανοεῖν, & μετάνοια, non ideo *pœnitere* & *pœnitentiæ* vocabula reſpuimus; quæ tametſi apud veteres linguæ Latinæ auctores rarius fortaſſe, maxime in hoc ſenſu, quam apud Chriſtianos ſcriptores occurrunt, tamen longo uſu Eccleſiæ familiaria, & domeſtica, ac pæne propria facta ſunt. Illud unum affirmamus, de quo ne adverſarios quidem diſſenſuros ſpero, in communi Scripturæ uſu *pœnitentiam*, quæ piis commendatur, duo proprie complecti, *dolorem* ex peccati, cujus nos pœnitet, ſenſu ortum, & *vitæ emendandæ* verum, non fictum, ſerium, non leve, aut inane propoſitum. Ex quibus duobus tota vitæ, etiam externa, ut ſic dicam, facies immutatur. Nam animi quidem dolor, ſi verus eſt, foras fere prorumpit, & lacrymas, aliaque hujus generis dolentibus ſolennia, niſi quid obſtet, ſponte provocat: vitæ vero emendandæ ſerium, ac verum propoſitum, quorum pœnitet vitiorum ſtudia, actiones, occaſiones ſedulo vitat, ac fugit, atque oppoſitæ pietatis, & virtutis exercitia capeſſit. Itaque qui ita ſentimus, libenter illud admittimus, quod

Bell. l. 1. de pœnit. c. 7 §. Denique unde vox.

Ibid. §. Sed m.n.

quod vult Bellarminus, *pœnitentiam* apud divinos, & Eccleſiaſticos ſcriptores non ſolam *mentis mutationem*, aut erroris agnitionem, ſed etiam *deteſtationem peccati* ſignificare. *Vindictam ſponte aſſumptam*, quod ille quoq; adjicit, continere negamus, eo quo ille intelligit ſenſu; nimirum, ut *vindicta* ſit proprie dicta *ſatisfactio*, qua qui læſit, *tantum* facit, *quantum* qui læſus eſt, *juſte exigit*. Iam id *pœnitentiæ* vocabulo apud divinos ſcriptores minime contineri, primum ex iis locis conſtat, in quibus *pœnitentia* Deo ipſi tribuitur, quæ ſane plurima ſunt, & paſſim obvia; ut Geneſeos ſexto, *Pœnituit Deum, quod hominem feciſſet in terra*, Hieremiæ decimo octavo, *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Sic in priori Samuelis volumine, *Pœnitet me* (inquit Dominus) *quod conſtituerim Saul regem.* In his, & aliis ſimilibus nullam *pœnitentiæ* nomine *ſatisfactionem* intelligi, ſolamq; conſilii, ſive œconomiæ divinæ mutationem ſignificari, clarius eſt, quam ut probari debeat. Sed idem quoq; ex eo confirmatur, quod is dolor, quem ex læſo proximo ſuſcipimus, etiamſi nullam proprie dictam *ſatisfactionem* includat, *pœnitentia* tamen in ſacris litteris dicitur; ut cum Chriſtus apud Lucam ait, *ſi peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me; dimitte illi.* Hic quoque, & ſimilibus locis non aliud ſignificat *pœnitentia*, quam conceptum de offenſa *dolorem*, injuriæque, ut ſic dicam, *diſplicentiam*, ſic ut eam, qui fecit, factam nollet. Non enim, credo, dicent adverſarii, nos non aliter peccata fratribus dimittere à Chriſto juberi, quam ſi illi prius *tantum fecerint, quantum* ab iis *juſte exigi poteſt*. Nihil enim cum benignitate nobis à Chriſto præcepta magis pugnat, quam hujuſmodi lex. Denique idem etiam apparet ex iis locis, in quibus ab iis, qui primum ad baptiſmum accedunt, pœnitentia exigitur; ut cum Ioannes baptiſmi ſui candidatos jubet *fructus facere dignos pœnitentia*; & Petrus à Iudæis poſtulat, ut *pœnitentiam agant, & baptizentur in nomine Ieſu Chriſti*. Nam iſtis ne adverſarii quidem ullas *ſatisfactiones* imponunt. Cum ergo tam multis locis *pœnitere* & *pœnitentiæ* vocabula nullam apud divinos ſcriptores hujuſmodi *ſatisfactionem* ſignificent, fruſtra ſunt adverſarii, qui ex his ipſis vocibus *ſatisfactionum* ſuarum argumentum petunt. Ex his enim apparet, non eſſe eam iſtorum vocabulorum vim, ut per ſe *ſatisfactionem* aliquam includat. Quæ Bellarminus contra objicit, ea vero omnia nihili ſunt. Locum ex Iobo hunc primo affert, *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Tum ex Ioele illa deſcribit; *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Hæc deinde Chriſti recitat, quæ apud Matthæum

Gen. 6.6. *Hier. 18.1.* *1 Sam. (Lat. Reg.) 15.11.* *Luc. 17.3.4.* *Luc. 3.8.* *Act. 2.38.* *Iob. 42.6.* *Ioel. 2.12.*

Matth. 11.21. extant, *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* His locis negat *pœnitentiæ* vocabulum internam ſolum animi actionem comprehendere, ſed externam etiam, quæ *pœnalis* eſt, ſignificare vult, dum quis mœſtus, & dolens in *ſacco*, & *cinere* ſedet. Fateor his locis hujuſmodi *pœnitentiam* ſignificari, quæ fit in *ſacco & cinere:* (Sunt enim diſerte in iis locis addita;) ſolo *pœnitentiæ* vocabulo ſignificari nego. Alioqui fruſtra adjecta eſſent illa de *cinere*, & *cilicio.* Ac plane contra ex his ipſis locis multo probabilius argumentor *pœnitere* ſimpliciter poſitum nullum vel *cilicium*, vel *cinerem*, vel *jejunium* neceſſario ſignificare; quia ſi ea eſſet hujus dictionis vis, cauſſæ nihil erat, cur *cineris*, & *cilicii*, & *jejunii* ulla in iſtis locis adjiceretur mentio. Vt ſiquis Iacobum dicat *in cilicio luxiſſe Ioſephum*, nemo ſanæ mentis inde concluſerit *luctus* nomine *cilicium* neceſſario contineri, neque omnino aliter lugeri, niſi in *cilicio* (quod falſum eſt) ſed plane contra ex eo ipſo probabiliter colligitur non omnem luctum in *cilicio* fieri (quod verum eſt) quia fruſtra adjiceretur *luxiſſe aliquem in cilicio*, ſi omnis luctus *cilicium* neceſſario contineret. Addit Bellarminus illa ex Matthæo Chriſti verba; *Viri Ninivitæ pœni-*

Matth. 12.41. *tentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Quæ autem* (inquit) *fuerit Ninivitarum pœnitentia ſcribitur Ionæ tertio, nimirum cilicia, jejunia, preces ad Deum.* Certe hoc ex Ionæ tertio habemus, fateor; ubi Ninivitarum *pœnitentia* fuſe deſcribitur, & illa, quæ ait adverſarius, *cilicia & jejunia* diſerte commemorantur; ex Chriſti dicto non habemus. Quod, ſi de iſtorum *pœnitentia* nulla alia in ſcripturis verba extarent, quam illa Chriſti ex Matthæo allata, ex iis Ninivitas *pœnitentiam* egiſſe ſciremus; in *cilicio & jejunio* egiſſe neſciremus. Quæſo enim nullus-ne, niſi in *cilicio*, & *jejunio* agit *pœnitentiam?* Atqui eos, qui ad baptiſmum ex Ioannis, vel Chriſti diſciplina accedebant, certum eſt peccatorum *pœnitentiam* egiſſe; in *cilicio*, & *jejunio*, & *cinere* egiſſe, non eſt certum; imo non egiſſe, vero propius eſt. Ipſi adverſariorum *pœnitentes*, quam multi ſunt neque in *ſacco*, neque in *cinere* ſedentes? Sed (inquit) *ex his ſaltem conſtat pœnitentiam aliquam in ſacco, & cinere actam eſſe*, & quidem Deo gratam, ac probatam, Quis negat? Hoc unum negamus illa *jejunia*, & *cilicia ſatisfactiones* pro peccato fuiſſe, quod contendunt adverſarii. Doloris, luctuſque ex peccati ſenſu concepti teſtimonia, & argumenta fuiſſe concedimus; *ſatisfactiones*, eo quo intelligunt, ſenſu dictas negamus. Sed de harum rerum natura, quas olim pœnitentibus plurimum in uſu fuiſſe ſcimus, infra ſuo loco fuſius. Poſtremo adfert Bellarminus hunc ex Paulo locum; *Metuo, ne iterum cum venero, humiliet me Deus*

apud

apud vos, & lugeam multos ex iis, qui antea peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt; quæ poſtrema græce ſic habent, μὴ μετανοησάντων ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ, ᾗ ἔπραξαν. Negat adverſarius hæc recte dici, niſi μετανοεῖν *pœnitentiam agere* ſit *pœnas* ultro ob commiſſa peccata ſuſcipere. Culpam enim eſſe veram *pœnæ* cauſſam, ob quam ſcilicet punimur; non eſſe *reſipiſcentiæ*, abſurdeque dici *ob culpam reſipiſcere*. Hoc enim loco particulam ἐπὶ, quam Latinus reddidit *ſuper*, pro eo poni vult, quod eſt *ob*, vel *propter*. Sed hæc nullam contra nos vim habere, ex ſuperioribus liquet. Conceſſimus enim & μετανοεῖν, & *pœnitere*, ſive *pœnitentiam agere*, non ſolum emendandæ vitæ *propoſitum*, ſed etiam *dolorem* ex ante commiſſi peccati ſenſu ortum ſignificare. Iam ut *ob peccatum reſipiſcere* inſcite, & abſurde dici donem, non ideo tamen abſurde dicetur *ob peccatum dolere*. Eſt enim culpa, non *pœna* ſolum, quam nocens luit, ſed etiam *doloris*, quem *pœnitens* concipit, vera cauſſa. Cum itaque eum quoque dolorem *pœnitendi* verbum ex nobis ſignificet, profecto clarum eſt noſtro etiam ſenſu rectiſſime dixiſſe Apoſtolum μετανοεῖν ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ *pœnitentiam agere ſuper immunditia*, id eſt *ob immunditiam*, ut vult adverſarius. Vnde illud denique apparet ineptiſſimum eſſe, quod hinc concludit *pœnitentiam agere* idem eſſe, quod *pœnas* aliquas ob commiſſum peccatum dare. Non enim, credo, *punitur*, quiſquis ſe peccaſſe *dolet*. Alioqui *pœnas* quoque ii darent, adeoque *ſatisfacerent*, qui baptizantur, quos dubium non eſt de anteactæ vitæ flagitiis, ac ſceleribus dolere. Deus (quod ſupra attulimus) apud Hieremiam ita loquitur, *Agam ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei genti*. Dic ſodes, Bellarmine, ſignificatne Deus ſe ultro *pœnas* de ſe ipſo ſumpturum, quod ei genti mala comminatus eſſet? Non puto te ſic deſipere, ut hoc affirmes. Atqui omnino eadem eſt & apud Græcos interpretes, & apud Latinum phraſis cum ea, quam objecto à te loco uſurpavit Paulus: μετανοήσω περὶ τῶν κακῶν. *agam pœnitentiam ſuper malo*. plane ut Apoſtolus, μετανοησάντων ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ. *qui non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia*. Alibi quoque à Prophetis uſurpatur eadem locutio, ubi de Deo ſermo eſt, quem tamen *ſatisfacere* nemo, quod ſciam, ex adverſariis dixit. Ita Ionas in Ninivitarum hiſtoria, μετενόησεν ὁ θεὸς ἐπὶ τῇ κακίᾳ ᾗ ἐλάλησε τοῦ ποιῆσαι αὐτοῖς. ad verbum, *pœnitentiam egit Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis*. Et capite ſequenti Ionas Deum alloquens, *Tu es* (inquit) μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις, *pœnitentiam agens ſuper malitiis*. Sic Amos Dominum deprecans,

2 Cor. 12.21.

Hier. 18.8.

Ion. 3.10. & 4.2.

Am. 7.3.6.

μετανόησον (inquit) Κύριε ἐπὶ τούτῳ. (ita enim LXX in modo imperandi reddiderunt, quæ Latinus ex Hebræo in modo indicandi interpretatus eſt.) *Pœnitentiam age Domine, ſuper hoc.* Quiſquam-ne ita fungus eſt, ut putet hic Prophetam Domino *ſatisfactionem* imperare? Cum igitur ex his manifeſtum ſit, hanc phraſin μετανοεῖν ἐπί τινι, *pœnitentiam agere ſuper aliquo*, ſimpliciter ſignificare *conſilium mutare, & quæ antea feceras, aut facere volueras ea jam omittere*; illud quoq; clarum eſt, quod dixerit Apoſtolus μετανοεῖν ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ, ex eo minime ſequi aliquas peccati *pœnas* dare, & *ſatisfacere*, quiſquis vere *pœnitentiam* agit. Cætera mitto quæ ex humanis litteris addit adverſarius; tum quod ea futilia ſint, tum maxime quod de ſola divinorum ſcriptorum ſententia hic diſputamus. *Pœnitentiæ* vero, quam à *pœna* dictam vult, etymon, neq; magni momenti eſt, quod ſæpiſſime vocabula à ſua origine immane quantum diſcedant, neq; omnino certum eſt, & indubitatum, neque vero ſi admittatur, ideo res confecta putanda eſt. Nam ſi *pœnitere* à pœna dictum eſſe conceſſero, ideo ſic dictum eſſe reſpondebo, non quod ipſa pœnitentia proprie dicta peccati *pœna* ſit; ſed quod ea plærumq; ex iis pœnis oriatur, in quas peccantes incidunt, ex quibus ii demum intelligunt ſe peccaſſe, eoq; id quod ſecuti erant, conſilium repudiant, dolentque quod res ſuas non aliter inſtituerint. Idq; *Pœnitentia* ipſa apud Auſonium ſignificare videtur in eo diſticho, quod hic deſcripſit adverſarius;

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, ſic Metanœa vocor.

Ideo enim *pœnas* de ſontibus ſumere ſe profitetur, ut eos peccati *pœniteat*. Itaque ſi, quod vult Bellarminus, *pœnitentia* à *pœnis* dicta eſt, ideo ita dicta eſt, quod *pœnarum* finis & effectum quoddam ſit *pœnitentia*, non quidem per ſe (ſi de proprie dictis *pœnis* loquamur) ſed tamen per accidens, ut alibi ſupra monuimus. Denique quid, quale-ve ſit nominis *pœnitentiæ* etymon, nihil, ad hanc quidem cauſſam, intereſt. Non enim eo uſi ſunt ipſi (de quorum ſententia hic quærimus) divinarum litterarum auctores; qui cum Hebraice & Græce ſcripſerint, plane alia ex illis linguis petita vocabula in hoc argumento attribuerunt, nimirum נחם, שוב, μετανοέω, μεταμέλομαι, & ſimilia, quorum omnium etymon nihil habere cum *pœnis* commune, ne adverſarius quidem negaverit. *Pœnitentiæ* vocem ex Latinæ linguæ vel uſu, vel analogia ſumpſit noſter interpres, non ultra id ex ejus mente extendendam, quod Hebræis, Græciſque vocibus ſignificatur, quas ille ſic interpretatus eſt. Atque hæc de ipſo *pœnitentiæ* vocabulo dicta ſunto. Iam ad cætera adverſariorum pro *ſatisfactionibus* argumenta veniamus.

CAPUT

CAPVT III.

Solvitur ſecundum adverſariorum argumentum ; ex Prov. 17. 6. & Dan. 3. 24. (al. 27) quæ loca fuſe explicantur.

QVod ſequitur, ex Daniele & Proverbiis petitum eſt. Daniel *enim cum Nabuchodonozori expoſuiſſet viſionem per quam indicata fuerat pœna temporalis, quam ille ob ſua ſcelera merebatur*, continuo ſubjicit; *Quamobrem Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Forſitan ignoſcet delictis tuis.* Bell. de pœnit. l. 4. c. 3. §. Daniel. & c. 7. §. Alterum. Dan. 4 24. Sapiens vero in Proverbiis; *Miſericordia* (inquit) *& veritate redimitur iniquitas; & in timore Domini declinatur à malo. Hic* (inquit adverſarius) Prov. 16. 6. *habemus vocem* redemptionis, *quæ æquivalet voci ſatisfactionis. Certe enim ad juſtitiam non minus pertinet redemptio, quam ſatisfactio. & ſi abſurdum eſſet dicere noſtris operibus ſatisfieri pro peccatis, multò eſſet abſurdius dicere noſtris operibus redimi peccata; quemadmodum ipſi etiam hæretici* (eo enim elogio nos & iſte, & alii ejuſdem generis convitiatores cohoneſtare ſolent) *gravius ferunt, ſi dici velimus aliqua ex parte redemptores, quam ſatisfactores. Cum igitur Scriptura non uno in loco diſertis verbis tradat noſtris operibus redimi peccata, profecto non abhorret ab uſu Scripturæ, quod non dicimus noſtris operibus ſatisfieri pro peccatis.* Atque ſic quidem argumentatur Bellarminus. Nos, ut quam vim habeat hæc ejus ratiocinatio, melius & clarius intelligatur, utrumque Scripturæ locum ſeorſim expendemus; ac prius quidem poſteriorem, qui ex Proverbiis deſcriptus eſt, quod non in ſpecie de hujus, aut illius crimine, ſed univerſim ac in genere de iniquitate loquatur. *Miſericordia & veritate* (inquit) *redimitur iniquitas.* Primum ergo nego hunc locum eſſe ad rem. Non enim is *pœnas*, quod volunt adverſarii, ſed ipſam *iniquitatem* ait *redimi*. Nam *iniquitas*, vel *peccatum* ipſum eſt, vel certe habitus animi vitioſus, à quo peccatum manat. Tum *miſericordia*, & *veritas*, quibus peccatum ait *redimi*, nihil minus ſunt, quam opera illa *pœnalia*, in quibus ſitas eſſe volunt *ſatisfactiones* ſuas. *Miſericordia*, quæ in Hebræo חסד, *bonitas* eſt, & benignitas. *veritas* dictorum, factorumque conſtantia, & fides. Neutra *pœna* eſt, vel (ut iſti loquuntur) *pœnalis*. Contra, nulla his virtus lætior, aut jucundior eſt. Miſericordem ipſum, cujus in egenos benignitas aliquid *pœnæ* eo habere videri poſſet, quod bona ſua erogat, *hilarem eſſe* debere etiam edixit Paulus, cujus illud no- 2 Cor. 9. 7. tum eſt, *hilarem datorem diligit Deus.* Itaque quicquid hic ſit illud *redimitur*, in quo Bellarminus tantopere exſultat, nihil tamen hic locus ad

ſatisfactiones adverſariorum, quæ vel *pœnæ* ipſæ ſunt, vel certe *pœnales.* *At* (inquit) *redemptio non minus ad juſtitiam pertinet, quam ſatisfactio.* Ego vero nego, ſi *ſatisfactionem*, ut neceſſe eſt, eo ſenſu dicit quo ſupra definivit, ut ſit actio, qua *tantum ſit, quantum ex juſtitia* à nobis *exigitur.* Fateor *redimere* proprie eſſe *pretio aliquid comparare*; quod *ex juſtitia ſit*, ut cum captivus intercedente λύτρῳ liberatur; cum nos Chriſtus morte, quam loco noſtro perpeſſus eſt, iis *pœnis* exſolvit, quas eramus promeriti. Proprie ſemper ſumi id vocabulum, nego. Sexcenti loci ſunt in quibus *liberare* ſimpliciter ſignificat, etiam nullo dato pretio; ut cum toties in Scripturis Dominus *populum de Ægypto redemiſſe* dici-tur; vel de *domo ſervitutis*; quem conſtat nullo vel Ægyptiis, vel ulli alii ſoluto λύτρῳ ex miſera illa ſervitute in libertatem eductum eſſe. Qualia etiam illa ſunt, quæ in Pſalmis paſſim occurrunt; *Redime me à calumniis hominum. Dominus redimit de interitu vitam tuam. Dicant quos redemit de manu inimici*; & cætera pæne innumerabilia, in quibus liquet *redimere* poſitum eſſe pro ſimpliciter *liberare.* Quin Iſaias diſertè alicubi *pretii ſolutionem* ab ea *redemptione*, quam ſignificat, excluſit, quo loco Iſraelitas conſolans, *Sine argento* (inquit) *redimemini.* Nimirum ut qui proprie *redimitur*, ex captivitate; ſic qui liberatur, ex iis, in quibus erat malis, exit. Inde propter eam ſimilitudinem factum, ut qui liberatur, idem *redimi* dicatur, poſito, (quod Scripturis ſolenne eſt) antecedenti pro conſequente. Antecedit enim *redemptio* ſive pretii ſolutio; ſequitur ejus, pro quo λύτρον numeratum eſt, liberatio. Ideo *redemptio* etiam ea *liberatio* dicta eſt, in qua nulla proprie dicta *pretii ſolutio* præceſſit. Sic igitur hoc loco intelligit Parœmiographus; dum ait *miſericordia, & veritate redimi iniquitatem.* Significat nimirum eum, qui *veritati*, & *miſericordiæ* ſtudet *peccato liberari*, ſic ut nullas ejus *pœnas* luat. Cæterum *liberari* non ex Dei gratia & benignitate, ſed ex juſtitia, quod eam *liberationem* ſoluto pro ea precio mercatus, & promeritus ſit, neque dicit Sapiens, neque ſane verum eſt. Ipſi adverſarii fatentur peccati culpam, ac pœnam æternam *gratis* condonari; ſolam *temporalem* pœnam *ex juſtitiæ rationibus* expungi pugnant. Objectus autem locus non ait *pœnæ*, quæ iniquitati debetur, partem *redimi*; in genere affirmat ipſam *iniquitatem redimi*, ut clarum ſit & *culpam*, & *pœnam* omnem ea *redemptione* contineri, quam hic intelligit. Ergo adverſarius vel ipſam etiam peccati *culpam*, æternamque *pœnam* ſatisfactionibus expiari defendat, vel hunc certe locum valere ſinat. Sed ille quidem, ut libuerit. Mihi ſatis eſt, quod quoſcumque Scriptura *redimi* dicit, non eos ſtatim intelligit *pretio ſoluto ex juſtitia* liberatos eſſe. Sæpe etiam *redemptos*

Deut. 7. 8. & 9. 26. & 13. 5. 2 *Sam.* 7. 23. *Pſal.* 119 (*Lat.* 118.) 134. & 103. (*Lat.* 102) 2.

Iſa. 52. 3.

emptos ait, qui ex mera redimentis *gratia* nullo ſoluto pretio liberati ſunt; ut Iſraelitas, & cæteros, quorum exempla paulo ante attulimus. Nihil ergo neceſſe eſt, ut quam *iniquitatem miſericordia & veritate redimi* ait ſapiens, pro ea aliqua ab eo, qui iniquus fuit, *ſatisfactio* præſtita ſit. Satis eſt, quod ſiquis *veritati, & miſericordiæ* ſtuduerit, non aliter à peccatorum admiſſorum & culpa, & pœna liberatur, quam ſi ipſe ſoluto pro iis pretio, animam ſuam *redemiſſet*. Nimirum ea eſt Dei in miſeros peccatores *benignitas*, ut ſiquis ſit, quem ſceleris ex animo pœnituerit, quique abjectis vitiorum libidinibus ſe ſe ad juſtitiæ, ac probitatis ſtudium ſerio converterit, omnem ei offenſam, ac noxam remittat, neque aliter cum eo agat, quam ſi omnis criminis expers fuiſſet. Sed neque ſilentio prætereundum eſt, quod ipſum illud, de quo adverſarius tantopere gloriatur, *redimendi* vocabulum hoc loco in Hebræo fonte minime habetur; ſed longe aliud, nimirum כפר, quod proprie *tegere*, metaphorice *expiare*, & *propitiare* ſignificat; idque Latinus interpres, qui hic *redimere* reddidit, alibi ſemper aliter expreſſit. Græci vero interdum reddunt ἁγιάζειν, vel καθαρίζειν, vel ἀθῳοῦν; ſæpiſſime ἱλάσκεσθαι, & ἐξιλάσκεσθαι, *ſanctificare, purificare, mundare, propitiare*; ἀπολυτροῦν redimere vel nunquam, vel certe rariſſime. Iam ſi ſic ſumatur id verbum (ſumi vero multo eſt conſultius) planus eſt ſenſus, *miſericordia & veritate expiatur*, vel *propitiatur iniquitas*. Non equidem hæc referam (quod nonnemini placuiſſe video) ad *Dei miſericordiam, & veritatem*; cui peccatorum noſtrorum *propitiatio*, atque *remiſſio* in Scripturis pæne ſemper tribuitur; quod tamen ſi facerem, vix eſt quo refelli poſſit tam vera, tamque commoda interpretatio. Eſto. Hæc de hominis *pœnitentis miſericordia* & *veritate* intelligantur. Significat Sapiens earum virtutum ſtudio fieri, ut fideli *peccata condonentur*. Sunt enim eæ fructus veræ illius *pœnitentiæ*, cui Deus peccatorum remiſſionem promiſit. Itaque quod ait Sapiens *expiari iniquitatem* idem eſt ac ſi dixiſſet *remitti*: Hoc enim verbum ſæpe ſic uſurpatur, ut id ſimpliciter ſignificet. Certe ipſi interpretes & Græci, & Latinus, ita interdum expreſ- *Iſa. 22. 14.*
ſerunt; ut apud Iſaiam, quod in Hebræo eſt אם יכפר העון הזה לכם *ſi ex-* *&*
piabitur hæc iniquitas vobis Græci quidem ſic reddunt, ὅτι οὐκ ἀφεθήσεται *27. 9.*
ὑμῖν αὕτη ἡ ἁμαρτία; Latinus vero ſimiliter, *Si dimittetur iniquitas hæc vobis*. Item quod apud eumdem occurrit יכפר עון יעקב *expiabitur iniquitas Iacob*, Græci quidem verterunt ἀφαιρεθήσεται *tolletur*; Latinus vero itidem, ut prius *dimittetur iniquitas Iacob*. Itaque dubitandum non eſt, quin idem ſit verbi יכפר ſenſus in hoc proverbiorum loco, *Miſericordia & veritate iniquitas* יכפר *expiabitur*, id eſt, ἀφαιρεθήσεται *tolletur*,

tolletur, vel ἀφεθήσεται *dimittetur*. Iam vero peccatum non *ex juſtitia*, ſed *ex miſericordia* dimitti clarum eſt. Neque eſt, quod *regerant* non ſimpliciter dixiſſe Sapientem, *iniquitas expiabitur*, ſed *miſericordia & veritate expiabitur*; quaſi illis ablativis *piaculum* aliquod proprie ſic dictum ſignificetur, quales ſunt *ſatisfactiones*. Nihil enim neceſſe eſt hujuſmodi ablativis, quoties cum hoc verbo conjunguntur, verum, ac proprie dictum *piaculum* intelligi. Eam tantum conditionem ſignificant, quam in peccatore exiſtere neceſſe eſt ad hoc, ut ejus *peccatum tollatur*, & remittatur; ut ſi dixero *fide vel contritione peccatum remitti*, *amoveri*, *expiari*, *purificari*, nemo inde concluſerit, fidem, vel contritionem eſſe *pœnam*, vel *ſatisfactionem* proprie dictam, qua peccatum *expietur*. Ita ſiquis eorum, qui primum ad Chriſtum convertuntur, peccata *baptiſmo*, vel *pœnitentia remitti* dixerit, etiam ipſi adverſarii fatebuntur iis ablativis conditionem tantum eam ſignificari, qua iſtis peccata remittuntur; non autem *ſatisfactionem*, qua expientur. Nimirum ut cui peccatum *remittatur*, neceſſe eſt eum credere, baptizari, reſipiſcere; ideo fide, baptiſmo, reſipiſcentia peccatum *tolli*, vel (quod idem eſt) *expiari* recte dicitur; quamquam iſtarum nihil vel *piaculum*, vel *ſatisfactio* proprie ſit. Atque ex his apparet, quam nullum ſit in iſto loco *ſatisfactionibus* humanis præſidium. Sed & aliud eſt præterea quod dicam. Attentius enim rem conſideranti longe alius videtur hujus ſententiæ ſenſus, quam qui hactenus à nobis expreſſus eſt. Nam cum hujus ſcriptoris perpetuus fere hic mos ſit, ut quod in priore verſiculi parte ſignificavit, id ipſum in poſteriori aliis verbis expreſſum det (quod nemo negaverit, qui in ejus libris verſatus fuerit) non videtur dubitandum, quin his verbis *miſericordia & veritate redimetur* (vel potius *expiabitur*) *iniquitas*, idem omnino ſignificetur cum eo quod in altera verſus parte continuo additur, *& in timore Dei declinatur à malo*. Iam vero hæc altera verſiculi pars *malum* intelligit non *pœnæ*, ſed *culpæ*; à quo ii *declinant*, qui Deum *timent*. Significat nimirum à vitiis, & peccatis, quibus cæteri mortales indulgent, *cavere* atque *abſtinere* eos, qui Dominum ex animo reverentur; hunceque *Dei timorem* efficere, ut nihil mali inſit in eorum moribus, ac vita; eſſe adeo inſtar potentiſſimi alicujus pharmaci, quod hominum animos malis libidinibus purgatos omnibus vitiorum morbis liberat. Ergo idem quoque eſt prioris particulæ ſenſus, *miſericordia & veritate* יכפר *expiabitur iniquitas*, hoc eſt, virtutum iſtarum quodam (ut ſic dicam) verriculo *tollitur*, & *abſtergitur iniquitas*, vitioſus ſcilicet injuſtitiæ habitus, & quæ ab eo profluunt, peccati ſordes. Nam ſciunt Hebrææ linguæ periti כפר eſſe *amovere*,

auferre, *removere*. Græci interpretes, quod jam monui, ἀφαιρεῖν *auferre*
interdum reddiderunt, & Latinus apud Iſaiam *delere*. *Delebitur* (inquit)
fœdus veſtrum cum morte, *& pactum veſtrum cum inferno non ſtabit*. In He-
bræo id ipſum וכפר habetur, quod hic eſt à Salomone uſurpatum. Græ-
ci pro *delebitur* ἀφελεῖν poſuerunt, quod eſt *auferre*. *Delere* appoſitum *Iſa.* 28.18.
videtur. Eſt enim כפר proprie *tegere*, *obducere*; &, quod ex eo ſequi-
tur, *efficere*, ne quid appareat, vel exiſtat. Græci ἀφανίζειν eadem ratio-
ne, eòdemque ſenſu uſurpant. Itaque non video, cur non & eodem ſen-
ſu id vocabulum hic apud Salomonem accipiamus, ut ſignificet *miſe-
ricordia & veritate deleri* ἀφανίζεσθαι· *induci*, *aboleri iniquitatem*. Sic
enim altera hujus verſiculi pars alteri egregie reſpondebit, ſingulaque
unius verba cum alterius verbis adamuſſim congruent. Nam quod
priore loco *miſericordiæ & veritatis* nomine ſignificavit, idem poſterio-
re *timorem Dei* nominat. Dubium enim non eſt *hæc duo* (ut in hunc
ipſum locum ſcribit Ianſenius) *in Scripturis conjuncta obſervationem om-
nium Dei mandatorum includere*; idem adeo eſſe cum *timore Dei*, qui
omnem ejus cultum complectitur. Tum quod in priore particula *ini-
quitatem*, id ipſum in poſteriore *malum* dicit; denique *ab hoc declinare*,
idem plane eſt ac illam *removeri*, ſive *deleri*. Totius ergo verſiculi unus
idemque ſenſus eſt, *Dei timore*, ſive earum virtutum, quas Deus præce-
pit, ſtudio, atque obſervatione fieri, ut ex hominum animis ac vita *ob-
literetur & deleatur iniquitas*; iique procul *à malo*, ab eo quod iniquum
eſt, vel impium, faceſſant. Hæc autem quam ſint ab adverſariorum *ſa-
tisfactionibus* aliena, nihil monere neceſſe eſt.

Iam ad alterum locum veniamus, in quo Daniel Nabuchodonozori
ſuadet, *ut peccata redimat eleemoſynis*, *& iniquitates miſericordiis paupe-* *Dan.* 4.24.
rum. Sed in hoc loco miras anguſtias patiuntur adverſarii. Primum (*al.* 27.)
enim is Rex, quem Propheta alloquitur, homo fuit impius, & idolola-
tra, & à veri Dei cultu alienus. At qui ſunt hujuſmodi, eos adverſarii
confitentur non aliter peccatorum remiſſionem conſequi, quam per
unam Dei *miſericordem gratiam*, ſine ulla *ſatisfactione*, vel merito. Dum
vero homines pro peccatorum *pœnis* ſatisfacere contenduut, eos tan-
tum intelligunt, quibus *gratuito* Dei favore culpa una cum *æterna pœna*
jam condonata fuit; quales nulli alii eſſe poſſunt, quam veri fideles. Ita-
que cum nullum in cenſu fidelium locum Nabuchodonozor habuerit,
neceſſe eſt iſtos fateri hoc Danielis conſilium plane eſſe à præſenti
cauſſa alienum. Deinde Regem hortatur Daniel, non ut temporales
peccatorum *pœnas eleemoſynis amoliatur* (quod unum adverſarii, ſi recte
diſputare volunt, hinc concludere debent) ſed in genere, ut *peccata ſua*

eleemoſynis redimat, *& iniquitates ſuas miſericordiis pauperum.* *Redimere* vero *peccata*, *& iniquitates* omnino eſt omnem peccati, ſive iniquitatis tum *noxam*, tum *pœnam* à capite ſontis avertere; planeque eſt inauditum, ſut ejus *peccata* & *iniquitates redimi* dicantur, cujus ipſa *offenſa*, vel *culpa* non tollitur. Nam culpam interdum remitti non remiſſa *pœna*, quamquam ſit abſurdiſſimum, tamen quando ita volunt adverſarii, nunc quidem concedamus. *Pœnam* certe *redimi*, non redempta *noxa*, concedere non poſſumus, neque ipſi ullum vel è divinis, vel ex humanis litteris proferre poſſunt tam ineptæ locutionis exemplum; in quo ſcilicet quis dicatur peccatum proprie *redemiſſe*, cujus culpam nulla ſatisfactione procuravit. Sane ſi verum eſſet iſtorum commentum de *pœna* poſt dimiſſam culpam *retenta*, non inepte dici poſſet *peccatum redemiſſe*, qui ſolam *culpam* expiaſſet; *pœnam* nullam ſolviſſet. Vt vero *peccatum redemiſſe* dicatur, qui non culpam, ſed *pœnam*, imo pœnæ minimam tantum partem expiavit, ne poſito quidem iſtorum delirio ſtare poteſt. Quia nimirum *peccatum*, & *iniquitas* (quibus hic vocabulis utitur Propheta) non *pœnam*, aut *pœnæ* partem, ſed ipſum *crimen*, ipſam *noxam*, atque *offenſam* ſignificant; adeo ut, qui peccatum *redemit* (ſi id vocabulum proprie cum iſtis intelligamus) non aliter pœna liberaſſe cenſendus ſit, quam quatenus peccatum ipſum *expiabit*; cujus illa erat *pœna*. Itaque ſi, quod volunt adverſarii, *peccata eleemoſynis*, tamquam vera *ſatisfactione*, proprie *redimi* ſignificat Propheta; conſequens eſt, ut non *pœnam* modo, ſed & ipſam quoque *noxam eleemoſynis expiari* intelligant; quod ipſi falſum eſſe confitentur. Vidit Bellarminus utrumque hoc abſurdum; & mederi conatus eſt; ſed fruſtra. Et poſterius quidem ſic diluit, ut dicat *peccatum* hic ſumi pro *pœna*, ſive *pœnæ reatu*. Sic enim ſæpe accipi in ſacris litteris; ut Geneſeos 43. *Niſi reduxero puerum*, *ero peccati reus in te omni tempore*; Deuteronomii quinto. *Reddens iniquitatem patrum in filios.* 3 Regum 1. *Erimus ego*, *& filius meus Salomon peccatores.* Denique hoc modo accipi poſſe illud, quod ex Proverbiis adductum nuperrime excuſſimus, *Miſericordia & veritate redimetur iniquitas.* Sed primo nulla in his locis phraſis occurrit, ei ſimilis de qua quæritur, qua ſcilicet id *redimi peccatum* dicatur, cujus non *noxa*, ſed ſola *pœna* expietur. Tum neque in iis locis *peccatum* ſimpliciter pro *pœna* ſumitur ſine ullo ad *noxam* reſpectu. Iudas in Geneſi hanc ſibi legem ipſe fert, ut niſi, quod ſpondet, effecerit, proditi fratris apud patrem reus ſit, adeoque *pœnæ* obnoxius; uno verbo, ut pro patricida cenſeatur, atque habeatur; quod non *pœnam* ſimpliciter, ſed etiam *culpam* ſignificat. Fateor, ſi id quod ſpondebat, minime contigiſſet, non ideo ipſum revera fratris prodi-

l. 4. de pœnit. c. 8. §. Reſpondeo.

Gen. 43. 9.

proditorem futurum fuiſſe. Sed tamen concedit, ut ſi minus id contigerit pro tali habeatur, atque damnetur. Eadem eſt tertii loci ratio, in quo Bethſabea ait, *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Significat nimirum ſe, & filium pro *peccatoribus*, & *obnoxiis* habitum iri, eoque loco fore, quo regis, vel reipublicæ *perduelles* eſſe ſolent. Itaque ne hic quidem *peccator* nullius criminis reum ſignificat; ſed eum, qui *nocens* putatur, eoque nomine damnatur, quamquam falſo & immerito. Secundus vero, qui ultimus ſupereſt, locus multo etiam longius ab hac cauſſa abeſt. Nam quæ in Hebræo leguntur ſic proprie habent, *viſitans iniquitatem Patrum in filios.* Atqui cum *viſitare* punire ſit, neceſſe eſt *iniquitatis* nomine ipſum *peccatum* ſignificari, non ſolam *peccati* pœnam. *Puniri* enim *peccatum* dicitur; *puniri pœnam*, inauditum. Itaque & horum verborum, quibus Latinus Hebræa expreſſit, *reddens iniquitatem patrum in filios*, neceſſario idem quoque ſenſus eſt, nimirum ut intelligatur Deus parentum ſcelera in liberis vindicare. Vt ergo iſtis liberorum *pœnis* ipſum parentum *crimen* vere *punitur*; ſic & hac peccatorum *redemptione*, quæ apud Danielem eſt, ipſum Nabuchodonozoris *peccatum* vere *redimi* cenſendum eſt; ſi rectum & appoſitum eſt allatum ab adverſario exemplum. Sed putabit fortaſſe aliquis alia afferri potuiſſe ad rem, quam agit, aptiora; qualia illa ſunt, in quibus Dominus Chriſtus dicitur *peccatum pro nobis factus*, & *peccata noſtra pertuliſſe ſuper lignum*; & conſimilia. Verum neque his exemplis quicquam efficitur. Nam cum *Chriſtus peccatum factus* dicitur, *peccati* nomine, non *pœna* ſimpliciter, ſed *hoſtia pro peccato* ſignificatur; quod eſt apud ſacros ſcriptores ſolenne. Cum vero *peccata noſtra pertuliſſe* dicitur, fateor *pœnas* ipſum pertuliſſe intelligi, ſed quæ *peccatorum* noſtrorum propriè *pœnæ* erant, ita ut eas *ferendo noxas*, & *culpas* noſtras vere expiaverit; noſque non ſolum à *pœnis*, ſed & à *criminibus*, & à Patris ira quæ ea neceſſario ſequitur, liberaverit. Ex quibus liquet neque apud Danielem, neque apud Salomonem *peccata redimi* aliter intelligi poſſe, niſi ut ab eorum non modo *pœna*, ſed etiam *noxa*, & *culpa* peccator liberetur. Quod cum fortaſſe animadverteret ipſe adverſarius, quorumdam interpretationem in medium attulit, qui apud Danielem per *peccatum culpam*, ſive *inimicitiam* cum Deo intelligunt; eamque per *eleemoſynas redimi* poſſe concedunt, ſed ita tamen, ut pœnitens *ex congruo* tantum, non autem *ex condigno* Deum placet, atque ab eo gratiam reconciliationis impetret. Nihil nunc quidem opus iſtius interpretationis fundamentum refellere diligentius; hoc nimirum, quod *pœnitentis* eleemoſynæ eam vim habeant, ut Deum ſaltem ex congruo *placare*, & *re-*

1 Lat. 3. reg. 1.21.

Deut. 5. 9.

2 Cor. 5. 21.
1 Pet. 2. 24.

conciliare poſſint. Ea enim quæſtio ad aliam diſputationem pertinet. Vnum eſt, quod in præſentia dicam. Si ea interpretatio admittitur, omnem Bellarmini triumphum peſſum ire neceſſe eſt, concidereque illa trophæa, quæ ex his locis nuper exultabundus erigebat. Is enim (ſi bene memini) gloriabatur *redemptionem* non minus ad *juſtitiam* pertinere, quam *ſatisfactionem*, & abſurdius dici *peccata noſtra redimi*, quam *pro iis ſatisfieri*; quorum cum illud dicat Scriptura, non eſſe mirandum, quod hoc ipſe & cæteri ſuæ communionis homines affirment. Atqui ſi hæc iſtorum, quos laudat, interpretatio obtinet, ea peccatorum redemptio, quam Scriptura intelligit, multo minus *ad juſtitiam* pertinet, quam ea *ſatisfactio*, quam ipſi defendunt, imo ne *ad juſtitiam* quidem omnino pertinet, ſi vere & proprie loquendum eſt. Quod enim fit ex *congruo*, ex *æquo* & *bono* fit, non ex *juſto*; adeoque benignitatis eſt, non *juſtitiæ*; cum adverſarii quam defendunt *ſatisfactionem* juſte, & ex condigno pœnam peccati expiare dicant. Neque eo ſenſu, quem admittunt iſti à Bellarmino laudati interpretes, abſurdius eſt peccata *redimi*, quam pro iis *ſatisfieri*, quo ſenſu ſcilicet ipſe hoc defendit; imo multo minus abſurdum eſt. Volunt enim iſti à pœnitente *redimi* peccata ex *congruo* tantum, cum ipſe pro iis *ſatisfieri* velit ex *condigno*; illi ſic ut *benignitati* Dei accepta ferenda ſit remiſſio, ſive liberatio; hic vero ſic, ut Dei *juſtitiæ* pœnitentiſque ſatisfactioni imputetur. Vnde conſequitur ſtulte iſtum, ac ſophiſtice ſuam *ſatisfactionem* ex ea *redemptione*, quam Scriptura commemorat, concluſiſſe, cum tantum ſit inter utramque diſcrimen. Neque melius eſt, quod ex iſtis contexit argumentum; *Si opera* (inquit) *hominis nondum juſtificati, tamen cum auxilio Dei ſpeciali facta tantum valent ad reconciliationem, ut ex congruo dicantur redimere culpam; multo magis opera hominis juſti ex Spiritu inhabitante facta tantum valent ad expiandam pœnam temporalem, ut ex condigno dicantur redimere pœnam.* Si ex *congruo* concluſiſſet, itidem ut propoſuerat, laudarem ratiocinationem. Nunc quæ iſta ineptia eſt, ut ex eo quod opera hujus pœnitentis *redimere* dicuntur *ex congruo*, inferas opera alterius *redimere ex condigno?* Si valet argumentum, profecto concludere itidem licebit pro culpa fidelem ſatisfacere poſſe *ex condigno*; quod cum abſurdum eſſe ipſe Bellarminus concedat, ſupereſt ut ipſum quoque argumentum vitioſum eſſe confiteatur; de quo nihil neceſſe eſt plura dicere, cum illud quo uno nititur, nimirum hominis etiam non juſtificati opera *ex congruo* culpam peccati *redimere*, neque concedamus, neque hic tamen refellere operæ pretium putemus; quod ea, ut dixi, diſputatio alio pertineat. Atque hæc de poſteriori objectione adverſarius. Priorem ut

ſolvat

ſolvat inde petitam, quod Nabuchodonozor eſſet impius, quorumdam expoſitionem adducit, qui *peccata eleemoſynis redimi* ſic interpretantur, ut id de ſola peccatorum *pœna* accipiatur; cæterum Danielis ſententiam hiulcam eſſe volunt, ac ſubintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam, & quærendam reconciliationem Daniel Regem ſit cohortatus, ac tum demum addiderit de expianda pœna, *Peccata tua eleemoſynis redime*. Sed præterquam quod hæc iſtorum interpretatio *peccata & iniquitates* pro ſolis *pœnis* accipit, quod abſurdum eſſe paulo ante contra Bellarminum demonſtravimus, hoc etiam habet incommodi, quod eam Prophetæ ſententiam, ex qua argumentatur, hiulcam eſſe ſupponit, & neſcio quæ ei alia affingit, quæ nulla apud ipſum comparent. Hoc vero non eſt ſuum dogma ex Scripturis probare, ſed Scripturis pro libidine ſua ſomnia infulcire. Denique ſi *hiulca eſt* hæc Danielis ſcriptura, inepte ad id, quod defendunt, demonſtrandum adhibetur. Plena enim & aperta eſſe decet ea, ex quibus demonſtratio inſtituitur. Sed in his diutius immorari nihil eſt opus, quæ ne ipſe quidem, qui affert, Bellarminus probare videtur. Poſtquam enim ea commemoravit, hæc ipſe ſtatim ſubjicit; *Cæterum* (inquit) *plenus commentarius erit, ſi verba Danielis intelligamus de perfecta remiſſione peccati, quoad culpam, & pœnam, ita ut cohortatio ſit ad magnas, & frequentes eleemoſynas, quibus primum diſponatur Rex ad reconciliationem; deinde etiam pœnam ex condigno redimat.* Hæc ille, quibus manifeſte ſuggillat aliorum quas recitavit gloſſas, velut *mutilas*, & (ut ipſi loquebantur) *hiulcas*. Plenus vero ille commentarius, quem ipſe iis rejectis affert, nugis ſane, & contradictionibus plenus eſt; rerum, & veræ rationis inanis. Nam primo ſi verum eſt, quod hic ait, verba Danielis de *perfecta remiſſione* peccati, quod ad *culpam*, & *pœnam* pertinet, eſſe intelligenda; cur nuper pugnabat *peccata* hic accipi pro *pœna*, ſive *pœnæ reatu*? Cur id allatis Scripturæ teſtimoniis probabat? Profecto neceſſe eſt iſtum, vel nunc falſo Prophetæ verba de *culpæ* remiſſione interpretari, vel tunc meras nugas egiſſe, ſeque, & lectores fruſtra in iis fatigaſſe, quæ nihil ad rem pertinebant. Sed neque ſtare poteſt plenus ille ejus commentarius. Vult enim Prophetam utrumque ſignificare, ut & rex ab impietate ad Deum *convertatur*, atque ita peccatorum culpis *liberetur*; & deinde converſus *pœnas ex condigno redimat*. Id vero intelligi non poteſt. Quæſo enim, quæ ſunt illæ *pœnæ*, quas *ex condigno* Regem *redimere* vult? Peccatorum-ne in impietate commiſſorum? At eas volunt adverſarii una cum *culpa* omnes iis ſimul & ſemel *dimitti*, qui primum ab infidelitate ad Deum convertuntur. Si ergo Prophetæ rex paruit, *plenam* illam *re-*

miſſionem in ipſa converſione conſecuto, nullæ amplius præteritorum delictorum ſuperfuerunt *pœnæ eleemoſynis redimendæ*. Dicet ne adverſarius *pœnas* ſe intelligere peccatorum, quæ rex converſus poſtea commiſſurus eſſet? Atqui clarum eſt Prophetam de iis peccatis loqui, ob quæ ultricem ille Dei iram, impendentemque pœnam accerſiverat, de qua per ſomnium admonitus erat. Ergo omnino ſupervacanea eſt, & à Prophetæ mente aliena poſterior pars Bellarminiani commentarii. Huc & illud accedit, quod duas illas *redemptionis* ſpecies adeo diverſas, & inter ſe pugnantes, ſignificare non poteſt unum, idemque vocabulum. Nam ſi (quod vult Bellarminus) *redimere peccata eleemoſynis* eſt primum *diſponi ad reconciliationem*, redemptio erit ex *congruo*; non ergo ex *condigno*. Sin eſt pœnas temporales expiare (ut vult idem) *redemptio* erit ex *condigno*; non adeo ex *congruo*. Fieri enim non poteſt, ut quod eſt ex *congruo* id ipſum ſit ex *condigno*; vel contra. Plane mirabilis hic fuit adverſarii incogitantia, qui cum iſtorum neutrum Prophetæ verbis ſignificari animadverteret, utrumque ſignificari voluit, hoc eſt ut alterum præcipitium vitaret ſe in utrumque conjecit. Daniel Regem jubet *peccata eleemoſynis redimere*. Dic ſodes Bellarmine, quid hoc ſit? Eſt-ne pro temporalibus peccati *pœnis* ſatisfacere? Non videtur. Nemo enim impius, qualis tum rex fuit, ſic *ſatisfacit*. Eſtne pro impietatis, & infidelitatis & crimine & pœnis ſatisfacere? Ne id quidem videtur. Nulla enim eſt hominum pro hujuſmodi peccatis ſatisfactio, quæ non à peccatore redimuntur, ſed ſola Dei gratia condonantur. Quid ergo eſt, inquam? Vtrumque eſt, inquit. Qui vero fieri poteſt, ô bone, ut utrumque ſit, quod neutrum iſtorum eſſe poteſt? Ego ſane non capio. Ex his ſatis niſi fallor, apparet, quam ſint inexplicabiles adverſariorum in hoc loco anguſtiæ, quem ex ſuo dogmate ne interpretari quidem commode poſſunt; nedum ut ex eo dogma ſuum demonſtrare valeant. Tu vero (inquies) quomodo Prophetæ verba accipis? Mea vero ratio facilis eſt, & expedita. Daniel cum Regi eam calamitatem, quæ ſomnio demonſtrata erat, ideo paratam, & decretam eſſe intelligeret, quod abjecta omni Dei, hominumque reverentia, per immanem ſuperbiam, avaritiam, atque crudelitatem in omnes, hoſtes, civeſque promiſcue graſſatus eſſet, ſuadet, ut plane contrariam ineat rationem, ſummaque non tantum juſtitia, ſed etiam humanitate ſuperioris tyrannidis labes *eluat*; etiam in pauperes benignus ſit, qui hactenus in ipſos divites fuerat contumelioſus; populum Dei inprimis, tum in Babylonica captivitate afflictiſſimum, curet, ſoletur, ac relevet, qui etiam florentiſſimas gentes pro nihilo habuerat; ultimam denique plebis

bis fæcem amore, ac ſtudio proſequatur, qui ipſos proceres, regeſque ſuperbiſſime contempſerat. Sic enim impendentem peſtem forſitan averſum iri; quod ſignificant ultima Prophetæ verba, quæ in fonte ita habent, *ſi forte erit prorogatio tranquillitatis tuæ*. Neque enim ignorabat vir divinus tantam eſſe Dei optimi maximi in miſeros mortales benignitatem, ut conſtitutam de iis puniendis ſententiam interdum refigat, quos commutatis animis ad meliorem frugem redire cernit; quod & Achabi, & Ninivitarum, & aliorum multorum exempla docent. Hoc allata Prophetæ verba ſignificant, *Eleemoſynis peccata redime*, id eſt *paratam, decretamque tuis ſceleribus perniciem moribus in melius mutatis amolire*; & quam exquiſita crudelitate, ſuperbia, rapinis, & tyrannide promeritus es pœnam, eam humanitate, atque clementia non vulgari, effuſaque in omnes bonitate à cervicibus tuis depelle. Verbum vero *redimendi* quo interpretes uſi ſunt, non eſt vexandum; quaſi ſignificet *eleemoſynas*, & quam Propheta ſuadet *benignitatem* verum, ac proprie dictum eſſe ejus, ad quam Regem aſpirare vult, liberationis, λύτρον. Nam quod fuſius in præcedenti ex Proverbiis petita objectione demonſtravimus, *redimere* apud ſacros ſcriptores ſæpiſſime ſumitur pro *liberare* ſimpliciter, etiam nullo ſoluto pro ea liberatione, quam conſequimur, pretio; quod de ipſo illo verbo patet, quod hic à Daniele uſurpatum eſt. Is enim pro eo, quod Latinus vertit *redime*, habet פרק, Id autem verbum proprie eſt *abrumpere*, *abſtrahere*, *avellere*; indeque ducto tropo *liberare*; quod qui liberatur, ab eo, quo implicatus tenebatur, quodammodo avellitur, & exſolvitur; qua etiam de cauſſa factum eſt, ut apud nos *eripere* pro *liberare* ſumatur, quod proprie erat è loco *rapere*, átque auferre. Itaque פרק per ſe *liberationem* in genere ſignificat; liberationis modum, an ſcilicet ea fiat numerato pretio, an vi, & auctoritate, an aliter, non magis, quam Latinum *liberare*, vel *eripere*, adſignificat. Neque ullus occurrit in Scripturis locus, in quo פרק de proprie dicta *redemptione*, quæ fit ſoluto λύτρῳ, accipiatur. Tria omnino ſunt veteris Teſtamenti loca, præter hunc Danielis, in quibus ea vox cum eſſet à Spiritu ſancto uſurpata à Græcis verbo λυτρόω, à Latino verbo *redimo* expreſſa eſt. Priora duo ſunt in pſalmis; *Non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.* μὴ ὄντος λυτρουμένου. *Redemit nos,* ἐλυτρώσατο ἡμᾶς *ab inimicis noſtris.* Tertius locus eſt in Hieremiæ Threnis, *Non fuit, qui redimeret de manu eorum.* λυτρούμενος οὐκ ἔστιν ἐκ χειρὸς αὐτῶν. Iam omnibus his locis clarum eſt, tam Hebræum פרק, quam Græcum λυτροῦν, & Latinum *redimere* liberationem ſimpliciter ſignificare; Neque enim quiſquam credo, ſomniaverit Deum Davidis, & Iſraeli-

Pſ. 7. 2. & 136. (Lat. 135.) 24.

Thr. 5. 8.

Iſraelitarum hoſtibus *præmium*, aut λύτρον vel numeraſſe, vel numerare debuiſſe ad hoc, ut eos *de manu* ipſorum *eriperet*. Ergo neque hoc Danielis loco λύτρον ſignificare neceſſe eſt adhibitum vel ab ipſo, vel ab interpretibus idem omnino verbum. Vt gratuita eſt liberatio, quam & Pſaltes, & Hieremias ea voce ſignificant, & ab una Dei benignitate profecta; gratuita itidem eſt illa peccatorum *redemptio*, ad quam Daniel regem hortatur, ab una Dei miſericordia ſperanda. *Eleemoſynæ* ejus reſipiſcentiæ, cui eam Deus indulget, pars ſunt, & argumentum; non autem (quod volunt adverſarii) aliqua pro peccatis quæ *redimuntur*, ἀντάξιος *ſatisfactio*. Itaque rex *redimere peccata eleemoſynis* eadem ratione dicitur, qua quis peccata baptiſmo, vel contritione *redimere*, *delere*, *liberare* dici poteſt; unde nemo colligat baptiſmum, vel contritionem *ſatisfactionem* eſſe pro peccatis ex *condigno*. Scio hunc nodum aliter à viris doctiſſimis ſolvi, qui repudiata Græci, Latinique interpretis verſione totum hunc locum ita transferunt. *Quapropter ô Rex, conſilium meum placeat tibi. Peccata tua juſtitia abrumpe, & iniquitates tuas gratia erga afflictos.* Neque ſane negaverim Chaldaica Danielis ſic ſumi poſſe; ſenſumque hunc eſſe commodum, & Spiritus ſancti tum ſcopo, tum verbis ſatis convenire. Nam & פרק, ut diximus, proprie eſt *abrumpere*, & צדקה *juſtitia*. Sed non putavi tamen ea mihi interpretatione utendum eſſe; tum quod nihil neceſſe ſit eo devenire, ut ex ea expoſitione apparet, quam nuper attuli; tum quod interpretum Græci, Latinique, maxime ubi ii conſentiunt, auctoritatem non putem temere rejiciendam, aut citra gravem aliquam, & idoneam rationem, quæ hic nulla eſſe videtur. Nam quod viri doctiſſimi vocem Hebræam צדקה negant pro *eleemoſynis* ſumi, vereor ne id parum firmum ſit. Profecto ut Græcis ἐλεημοσύνη, tametſi *miſericordiæ* affectum proprie ſignificet, ſæpe tamen, ac vulgo ſumitur, pro iis quæ ex hoc affectu egentibus largimur, quæ inde & Latinis *eleemoſynæ* dicuntur, & noſtratibus *aumônes*; ſic etiam Hebræum צדקה, quod proprie internum animi probi, & benigni affectum ſignificare clarum eſt, nihil vetat pro iis *eleemoſynis*, quæ ex eo affectu manant, accipi. Apud Syros, & Arabes certe, quorum linguæ ſunt quidam Hebraiſmi velut idiotiſmi, vox צדקה eo ſenſu vulgo accipitur. Quin & ipſum δικαιοσύνης nomen, quo Hebræum צדקה reddi ſolet, apud Matthæum in quibuſdam exemplaribus Græcis ſcriptum fuiſſe obſervavit Rob. Stephanus, quo loco noſtri
Matth. 6. 1. nunc codices ἐλεημοσύνην vulgo habent; προσέχετε τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων; quæ ſic etiam Latinus vertit, *Attendite, juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Itaque cum Græcus, & Latinus

Latinus interpretes ſcirent Hebræum צדקה eo ſenſu uſurpari, & viderent eodem ſpectare eam, quam iſtic Propheta continenter addidit *miſericordiam pauperum*, ſive *gratiam in afflictos*, profecto non videntur reprehendendi, quod quæ צדקה in fonte eſt, eam *eleemoſynam* reddiderunt. Neque erat, ut ego quidem ſentio, quod viris doctis uſque adeo dura videretur illa Latini interpretis locutio, *redime peccata*, pro *redime te à peccatis*. Nam mollior non videtur illa, quæ tamen eſt ab Apoſtolo, aliiſque probatis auctoribus uſurpata locutio, *ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας repropitiare peccata*; vel illa, quæ omnibus in ore eſt *καθαρίζειν τὰς ἁμαρτίας*, purgare peccata; cum proprie non *peccatum*, ſed *peccator purgetur*. Verum utcumque ſit, ſatis mihi eſt, quod ne retentâ quidem Græci, Latinique interpretis verſione quicquam ex hoc Danielis loco pro adverſariorum *ſatisfactionibus* elici poſſit. Iam ergo ad reliqua veniamus. Hebr. 2.17.

CAPUT IV.

Solvuntur arg. III. ex Luc. 11.41. dantibus eleemoſynas munda omnia. IV. ex Matth. 3.8. fructus dignus pœnitentiæ. V. ex 2. Cor. 7.11.

Bellarminus poſt ſuum illum plenum, ut vocat, propheticæ hujus ſententiæ commentarium, ſubjicit ad eum etiam modum intelligendum videri illud Chriſti apud Lucam dictum, *Quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc. 11.41. Alii etiam diſerte ajunt hinc haberi eleemoſynam *ſatisfacere* pro peccato. Sed argumentum eſt nihili. Non enim ſtatim id *ſatisfactio* eſt quocumque nos *mundamur*. Fide, baptiſmo, verbo Dei *purificamur*, & *mundamur*. Non ideo Act. 15.9. fides, *baptiſmus*, *verbum* Dei *ſatisfactiones* ſunt. Tum *mundari* vel ad rea- Eph. 5.26. tum pœnæ, vel ad vitioſos peccati habitus referri poteſt; ut is *mundari* dicatur, vel cui peccatum remittitur, vel cujus animus inolitis vitiis liberatur, novis juſtitiæ, & ſanctitatis ornamentis induitur. *Eleemoſyna mundari* nos ſi poſteriore hoc modo intelligatur, nihil ad *ſatisfactiones* quæ *pœnam* eluunt; peccati habitum non delent. Intelligi autem hoc modo nihil vetat, imo conſentaneum eſt, cùm certum ſit *eleemoſynam* à caritate proficiſci, qua una cor noſtrum maxime, & efficaciſſime vitiis *purgatur*. Sed neque ſi priori modo accipiatur, ideo eleemoſyna *ſatisfactio* erit. Nam *eleemoſynas dantibus* ideo peccata remittit Deus, non quod earum *tantum* ſit pretium, ut pro *pœna* proprie *ſatisfaciant* (quod neque hic, neque alibi Chriſtus dicit) ſed quod à *reſipiſcentia* profi-

 ciſcantur,

ciſcantur, cui ex gratuita benignitate peccatorum veniam Dominus ubique promittit. Sed quid ego in his immoror, quaſi hic ſit loci allati ſenſus? Chriſti plane alia eſt & mens, & oratio. Ait enim ſi *eleemoſynas dederimus*, non eo nos ipſos *mundatum* iri, ſed *omnia nobis munda eſſe*. Non ergo proprie ac directe de noſtra, ſed de rerum, quæ circa nos ſunt, *munditie* loquitur. Quod etiam poſcit illud ipſum argumentum, in quo verſatur. Narrat Evangeliſta miratum eſſe Phariſæum, apud quem Chriſtus prandebat, quod ille accubuiſſet illotus; Chriſtumque hominis, & cæterorum ejuſdem ordinis præpoſteram diligentiam ex ea occaſione reprehendiſſe, qui cum *catinos*, & *calices deforis* ſtudioſiſſime *mundarent*, *interiora rapinarum*, & iniquitatum ſordibus plena minime mundarent; *Stulti* (inquit) *nonne qui fecit, quod deforis eſt, etiam id, quod de intus eſt, fecit?* Hactenus iſtorum errorem coarguit, in eo ſitum, quod immunditiem aliquam contrahi ex iis cibis cenſebant, qui vel *patinis*, & *catinis* non *mundatis* in menſam inferebantur, vel *illotis manibus* attrectabantur; itidemque de vino, & potu exiſtimabant; animi vero *ſordes*, hoc eſt avaritiam, cæteraque vitia nullam hominibus, qui cum his veſcebantur, *immunditiem* afferre putabant. Chriſtus rem longe aliter ſe habere demonſtrat. Iſtorum enim externorum, puta *calicum*, & *catinorum* tam exiguum, vel ut verius dicam tam nullum momentum eſſe docet præ interioribus, quæ ad animum pertinent, ut neque iis, qui impuro animo ſunt, quicquam *mundum* eſſe poſſit, quantumvis vel pura lance, & patera inferatur, vel *lotis* ad faſtidium *manibus* capiatur; neque iis, qui *mundo*, & ab *avaritiæ* ſordibus *purgato* ſunt *animo*, quicquam *immundum* eſſe cenſendum ſit, etiamſi neque lotis manibus, neque *de pura lance* ſumptum. Hæc omnino illorum verborum mens eſt, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Pectus, inquit, rapacitate, & avaritia purgate, & cæteris, quibus oppletum eſt, ſordibus. Effuſa in pauperes benignitas teſtetur purum eſſe vobis ab his iniquitatis retrimentis animum. Id ſi præſtiteritis, non erit, quod de menſa, vel de *catinis*, & *calicibus*, vel etiam de *manibus abluendis* ſitis anxie ſolliciti. Sic enim comparato animo veſcenti omnia *munda* ſunt, id eſt pura, & hujuſmodi, quæ vel attrectantem, vel veſcentem minime polluant. Eadem omnino mente Paulus alibi *mundis omnia munda eſſe* affirmat; *coinquinatis autem & infidelibus, nihil mundum.* Hic quidem ita planus eſt, ac perſpicuus Domini in iſto Lucæ loco ſenſus, ut mirari ſatis non queam, quod hæc adverſarii, alii ad *ſatisfactiones* trahere, alii velut ironice dicta accipere, præter omnem rationem auſi ſint. Maldonatum excipio, qui veram loci hujus mentem vidiſſe videtur. Sic enim

vid. Bat. regul. brev. 271. T. 2. p. 721. 6.

Tit. 1. 15.

enim expoſitis aliorum interpretationibus ſcribit; *Sed mihi alius, nec minus fortaſſe aptus, & multo facilior ſenſus occurrit.* Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, *id eſt, eleemoſyna vobis erit inſtar veſtrarum omnium lotionum. Mundiores vos eleemoſyna faciet, quam omnes iſtæ lotiones veſtræ, quas tam frequenter adhibetis.*

Sed & Maldonato paria ſcribit Ianſenius: *Senſus eſt,* (inquit) *ut interiora veſtra per rapinam, & injuſtitiam coinquinata mundentur, date ex his, quæ in veſtra ſunt poteſtate, eleemoſynam, ut qui aliena injuſte accepiſtis, jam econtra largiamini veſtra aliis; ſicque fiet, ut mundato animo omnia, etiam exteriora munda ſint vobis coram Deo. Sicut enim coinquinatis corde nihil eſt mundum apud Deum; ita mundis corde nihil eſt immundum apud Deum.* Arias eodem quoque modo locum hunc accipit. *concord. evang. c.84.*

Non eſt firmius argumentum, quod ex his Baptiſtæ ad Iudæos verbis nectunt; *Facite fructum dignum pœnitentiæ;* vel, ut habet Lucas, *fructus dignos pœnitentiæ.* Quid enim hoc ad *ſatisfactiones?* Clara eſt Baptiſtæ mens. Is videbat ad ſe accedentes ex Phariſæis, & Sadducæis non paucos, hypocritas corruptiſſimos, qui de veræ pietatis ſtudio parum ſolliciti omnia in externa religionis larva, & iis, quibus illa conſtat, cæremoniis, ac ritibus ſita eſſe putabant. Cum eos Ioannes ex perverſiſſimo illo mentis errore ſic baptiſmum ſuum ſuſcipere velle intelligeret; ut aquas quidem cute tenus exciperent, animum & mores nihil immutarent, peſtilentem ſocordiam acerrima objurgatione excutit; *Progenies* (inquit) *viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Si, quod (inquit) profitemini verum eſt, ſi vos ſcelerum, & flagitiorum ex animo *pœnitet*, quibus divinitus conſtitutam obſtinatis peccatoribus ultionem in vos provocaſtis; date operam, ut veſtrum hoc conſilium ii conſequantur fructus, quos veram *pœnitentiam* conſequi & decet, & neceſſe eſt. Nam *fructus pœnitentiæ dignos* bonos, & ſancta opera intelligit, qualia par eſt eum edere, quem peccati vere pœnitet. Idem omnino Paulus ſignificabat, dum ait ſe Iudæis, & Gentibus annunciaſſe, ut *pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes.* *Matth. 3.8. Luc. 3.8.*

Sunt inter ipſos adverſarios non pauci, qui Baptiſtæ verba eo ſenſu interpretantur. Veſcelius: *Verbum illud,* inquit, Facite fructus dignos pœnitentiæ, *multos primò ſuo tonitruo terret, & conſternit, quaſi non recipiendos, niſi multa carnis maceratione corpus ſuum caſtigaverint; ſed quantum primo ſuo tonitruo terret audientem, tanta conſolatione lenit, & ungit conſiderantem. Quis enim fructus eſt pœnitentiæ, niſi ut qui peccator fuit, dimiſſis & omiſſis peccatis vadat in pace, cum cæteris filiis gratiæ pacatus* *de ſacr. Pœnit.*

 fratribus,

fratribus, gratificatus Deo? Idem alibi; *Dignus pœnitentiæ fructus nullum requirit corporalem laborem, ſed ſolam, quæ omnibus neceſſaria, pietatem ad omnia valentem.* Neque aliter Arias Montanus; Fructus pœnitentiæ *mores correctos, & opera omnia intelligimus, quæ ab animo vere pœnitenti, ac recte inſtituto proficiſcuntur.* Ianſenii eadem eſt de hoc loco ſententia; ut & Ioannis Feri. Quin & ipſe Maldonatus ita interpretatur; *Fructus* (inquit) *pœnitentiæ dignos appellat omnia externa ſigna, ex quibus vera animi pœnitentia cognoſci poteſt; quales ſunt lacrymæ, præteritorum peccatorum deteſtatio, bona opera præcedentibus contraria.*

Sereri ſaeli-mon. — *in Matth. 3.8.* — *concord. euang. c.43. in Matth. 3.8.*

Act. 26.20. Sed iſta Bellarmino non ſunt ſatis, *Nam* (inquit) *facere fructum dignum pœnitentiæ eſt operari eo modo, quo decet eum, qui pœnitentiam profitetur.* Mallem dixiſſet eum, quem *verè facti pœnitet*, quorſum enim illud *profitetur*, quod ambiguum eſt, ac de quo nihil Ioannes? Fructus erit *dignus pœnitentia*; non *pœnitentiæ profeſſione*, quæ interdum nuda eſt, & rerum inanis. Sed videtur adverſarius dolo malo ſic locutus, ut per *hanc pœnitentiæ profeſſionem* lectori ſuos (ut vocant) *pœnitentes* revocaret in mentem; quorum ſæpe inſtitutum à vitæ novæ conſiliis, & mandatorum Dei obſervatione alienum eſt, & in frivolis duntaxat ritibus ſitum, quos ipſi *ſatisfactionum* nomine cenſeri volunt. Pergit autem Bellarminus; *Qui autem* (inquit) *pœnitentiam profitetur* (vel potius quem *vere pœnitet*) *quod aliquem læſerit, non ſolum ceſſat à lædendo, nec ſolum cavet in futurum, nequid in eum committat, ſed etiam damnum reſarcit, compenſat injuriam, male facta corrigit, & emendat.* Fateor, ea tamen addita lege, *ſilicet, ſi decet, ſi neceſſe eſt.* Nam Davidem, qui Vriam occiderat, non ideo (credo) negaveris *fructus dignos pœnitentia feciſſe*, quod damnum non reſarſit, id eſt quod vitam Vriæ à ſe occiſo, quam eripuerat, non reſtituit; neque eum illatæ fratri injuriæ *pœnitere* negaveris, qui eam, quamquam ex animo factam dolet, non habet tamen, quo compenſet. Quid ſi is, quem læſi, ultro omnem mihi injuriam condonet, & *ſatisfactionem*, qualem vos ſomniatis, non modo non expoſcat, ſed etiam vetet à me præſtari? tune ſi eam omiſero, cætera autem, quæ commemoras, accurate obſervavero, amicum non modo nulla injuria affecero, ſed amore, cultu, & reverentia proſequutus fuero; tune inquam, ne ſic quidem patieris, ut dicar *fructum pœnitentia dignum feciſſe?* Non opinor, ſi ſapias, id mihi negabis. Si vis igitur ex his concludere ad hoc, ut *fructum dignum pœnitentia faciamus*, requiri, non modo ut à lædendo Deo ceſſemus, ſed etiam, ut *damnum reſarciamus*, & *injuriam compenſemus* oſtende primum eas eſſe noſtras vires, eamque dignitatem, ut illatam Deo à nobis *injuriam*, quæ *infinita* eſt, *compenſare*, *damnum-*

*damnum*que item reſarcire valeamus. Oſtende ſecundo Deum iſta à pœnitentibus exigere, neque aliter *pœnas* iis peccatorum dimittere velle, niſi his perfuncti fuerint Ait quidem Ioannes *faciendos fructus pœnitentiæ dignos*; illas, quas ſemper in ore habes, *ſatisfactiones*, & *compenſationes* in horum *fructuum* cenſu eſſe, nuſquam dicit. Id tu, ſi nobis quidem perſuadere cupis, aliunde probare debes. Nam ſi quod inter homines ita interdum fit, ut is quem læſi amici pœnitet, *injuriam illatam compenſet*, ita colligi poſſe putas, eadem ratione, quos peccati in Deum verè *pœnitet*, eos *illatam* quoque *injuriam compenſare* debere; profecto conſequens eſt, ut non pro *pœna* tantum temporali; ſed pro omni omnino *pœna*, quam peccato commeritus eſt, neque pro *pœna* tantum, ſed etiam pro *culpa* Deo à pœnitente *ſatisfieri* dicas. Nemo enim neſcit inter homines ſic interdum fieri, ut ad ſarciendam unius peccato violatam duorum amicitiam, qui læſit, & quicquid fecit *injuriæ compenſet* per contrariam actionem *tantum* habentem præciſe honoris, *quantum* peccatum habuerat contumeliæ, & *pœnam*, quam erat eo delicto promeritus, totam expendat. Atqui tu ipſe concluſionem iſtam reſpuis, doceſque *pœnitentem* Deo, neque pro *culpa*, neque pro *pœna* æterna *ſatisfacere*. Ergo fateri debes vitioſam, & inefficacem eſſe tuam illam colligendi rationem; non adeo ex iis, quæ inter homines fiunt, magis ſequi *pœnitenti* pro *pœna* temporali Deo *ſatisfaciendum* eſſe, quam pro *culpa*, aut *pœna æterna*. Ex quibus patet, quam inſcite, quamque fruſtra Bellarminus poſtremo concludat bona pœnitentis opera *dignos pœnitentia fructus* dici non poſſe, niſi vere ſufficiant ad *injuriam compenſandam*, ſaltem ad *æqualitatem proportionis*. Imo vero quæcunque verum *pœnitentem* facere decet, ea ſi fiunt eo ipſo *digni pœnitentia fructus* & ſunt, & dici debent.

Affert deinde adverſarius, quod apud Paulum legitur; *Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem? ſed defenſionem? ſed indignationem? ſed timorem? ſed deſiderium? ſed æmulationem? ſed vindictam! In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Beatus Paulus* (inquit Bellarminus) *inter alios bonos fructus ſanctæ triſtitiæ, quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur ponit vindictam*, &c. *Vindicta autem ad præteritum reſpicit, & ad juſtitiam pertinet; neque aliud eſt, niſi id, quod nos dicimus ſatisfactionem. Ideo enim ſumit unuſquiſque de peccatis ſuis pro amore Dei vindictam, vel à ſacerdote injunctam libenter admittit, ut injuriam Deo factam ea ratione compenſet.* Hactenus adverſarius. Ego vero fateor *vindictam* ab Apoſtolo inter *fructus* cenſeri ſalutaris illius *triſtitiæ*, qua Corinthios perculerat

2 Cor. 7. 11. l. 4 de pœn. c. 8. §. Quartum.

 paulo

ſaulo acrior ipſius epiſtola. *Vindictam* illam, quam intelligit, nihil aliud eſſe, quam adverſariorum *ſatisfactionem* nego; idque non ſupponendum, ſed demonſtrandum erat. Ex ipſo textu clarum eſt, & à Cajetano, Iſidoro Clario, Guillaudo, Gagnæio, Godello, omnibuſque pæne interpretibus confeſſum, hanc *vindictam* τ̀ ἐκδίκησιν excommunica-
1 Cor. 5. 3 4. 5 6. tionis ſententiam fuiſſe à Corinthiis ex Apoſtoli in priore ad eos epiſtola præſcripto in inceſtuoſum latam, ad ſanciendam divinæ domus diſciplinam, eaſque leges quibus regitur à profanorum ludibriis vindicandas, & caſtigandam moderata ferula peccatoris illius impudentiam. At (inquit adverſarius) *non multum refert, an Apoſtolus loquatur de vindicta, quam is, qui pœnitentiam agit, de ſe ipſo ſumit, an de ea, quæ injungitur ab alio. Satis enim nobis eſt probari ab Apoſtolo pœnas, quæ vindictæ nomine inveniuntur in pœnitentia.* Ego vero, Bellarmine, iſtam tibi fœlicitatem equidem non invideo. Si iſtis contentus eſſe potes, bene eſt. Nam & mihi quoque ſatis eſt, quod quæcumque ſit illa ab Apoſtolo memorata *vindicta*, tua certe *ſatisfactio* non eſt. At (inquis) *vindicta ad præteritum reſpicit.* Quaſi vero *diſciplinæ*, quæ peccati alicujus occaſione piis imponuntur, non & ipſæ quoque præteritum reſpiciant. Sed *ſi præteritum reſpicit hæc vindicta*, (nimirum jam admiſſum à peccatore ſcelus) eadem quoque *futurum* reſpexit, ipſo teſte Paulo, qui hunc peccatorem ideo *Sathanæ tradi* jubebat *ad interitum carnis*, *ut ſpiritus ſal-*
1 Cor. 5.4.5. *vus eſſet in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ea vero *ſatisfactio*, quam vos defenditis, non eo vel imponitur, vel ſuſcipitur, ut *pœnitens* ſimpliciter *ſalvetur* (eſt enim per abſolutionem jam in tuto collocata ejus ſalus) ſed ne *per ignem ſalvetur*, hoc eſt ne puniatur antequam ad ſalutem perveniat, quæ ei hactenus quidem certa, & parata eſt: Sed (inquit Bellarminus) *vindicta ad juſtitiam pertinet.* Certe proprie dicta, quæ à judicibus & legum præſcripto exercetur. Hęc vero *vindicta*, de qua Paulus agit, non civilis animadverſio, ſed Eccleſiæ cenſura fuit, quæ non tam ad *juſtitiam*, quam ad *benignitatem* pertinet. Exercetur enim ad peccatoris non *pœnam*, ſed *ſalutem.* Quamquam ſi latius ſumatur *juſtitiæ* vocabulum pro omni diſtributione, quæ fit certo ordine, non equidem negaverim in his ipſis Eccleſiæ cenſuris, ſi non *juſtitiam*, aliquam certe *juſtitiæ imaginem* elucere. Sed quid opus eſt plura verba in re clara perdere? Nam ſi illa Paulo memorata *vindicta* excommunicatio fuit (ut omnes fere conſentiunt) profecto *ſatisfactio* non fuit. Eſt enim (ut audivimus) *ſatisfactio* operatio laborioſa voluntarie à peccatore ſuſcepta ad expiandam peccati temporalem pœnam; quod nemo, niſi furat, de excommunicatione dixerit. Tum *ſatisfactio* fit pro peccato, cujus

jus jam remiſſa eſt culpa. Excommunicati vero hominis culpa nulla remittitur, donec excommunicationis vinculis ſolvatur. Deniq; illa Corinthiorum *vindicta* ad peccatoris pœnitentiam tendebat. Ideo enim *inceſtuoſum* excommunicarunt ut in eo peccati ſenſum excitarent, hominemque ad contritionem, & reſipiſcentiam perducerent. Adverſariorum vero *ſatisfactio*, contritionem, non præcedit, ſed ſequitur, & *pœnitentiam* non efficit, ſed ex ea naſcitur; eſtque ejus vel opus, vel certe pars aliqua. Deſinant ergo iſti *vindictam* hanc Paulinam ad ſuam *ſatisfactionem* trahere, cum tantum tamque multiplex ſit alterius ab altera diſcrimen. Quod vero hic Bellarminus ſperavit aliquod ſui dogmatis præſidium vel in ipſo Calvino reperiſſe, fruſtra eſt. Concedit ille quidem, *quo ſeveriores in nos fuerimus, quoque acriori cenſura de peccatis noſtris quæſtionem ipſi habuerimus, eo nos magis propitium, ac miſericordem Deum experturos.* Concedit *fieri non poſſe, quin anima, divini judicii horrore perculſa, partes ultionis in exigenda de ſe pœna occupet.* Illam vero quam in nos exercemus judicii ſeveritatem, illam cenſuram, qua in nos ipſi animadvertimus, *pœnam* denique illam, quam de nobis ipſis exigimus, *ſupplicium* eſſe proprie dictum, vel *ſatisfactionem*, qua tantum à nobis fiat, quantum jure Deus pro peccato exigit, quaque ei juſte, & ex condigno ſatisfiat, id vero Calvinus nuſquam dixit. Nimirum acerrimum illum dolorem, quo ob violatam optimi parentis *diſciplinam* ſauciamur; cruentos illos aculeos, quibus tantæ ſibi ingratitudinis conſcius animus in ſe ipſum (ut ſic dicam) ſævit, merito, & ſane quam eleganter, *vindictam*, & *ultionem*, & *pœnam* vocavit; quod cum moleſtiſſimus, & acerbiſſimus ſit piis mentibus ejus ſenſus, aliquam habet cum proprie dicta ultione ſimilitudinem. Hanc vero ſibi mentem fuiſſe, ipſe ſtatim iis verbis, quæ locum à Bellarmino deſcriptum ſequuntur, ſatis docuerat; *Sentiunt ſane* (inquit) *pii quales ſint pœnæ pudor, confuſio, gemitus, diſplicentia ſui, & reliqui affectus, qui ex ſeria delictorum recognitione naſcuntur.* In iis autem commentariis, quos in hunc ipſum locum edidit, diſerte amolitus eſt quod inde adverſarii depromunt pro ſuis *ſatisfactionibus* telum; *Peccata* (inquit) *vindicando Dei judicium quodammodo antevertimus; quemadmodum alibi docet, ſi nos judicaremus, non judicaremur utique à Domino. Neque tamen hinc colligendum eſt homines vindictam à ſe exigendo compenſare pœnas Deo debitas, ut ab ejus manu ſe redimant. Sed ita res habet. Cum Dei conſilium ſit nos caſtigando ſecuritatem nobis excutere, ut de ira ejus commonefacti caveamus nobis in poſterum, cum ſpontaneam ultionem peccator ipſe præoccupat, facit, ut tali Dei admonitione jam non ſit opus.* Hæc Calvinus; quæ quo diſertiora ſunt, ac luculentiora

ub. ſupr. §. Et quamvis. inſt. l. 3. c. 3. §. 15.

tiora,eo inexcuſabilior eſt adverſarii ſycophantia, quem ſtudium cauſæ ſic excæcavit, ut tali viro ſententiam affingere non dubitaverit, à qua ſe abhorrere tam clare teſtatus erat.

CAPVT V.

Solvitur arg. VI. ex veterum ſacrificiorum ratione, & uſu, Levit. capitibus 4. 5. & 6.

POſthæc Bellarminus ſuas *ſatisfactiones* colligit ex Levitici capite quarto,& quinto,& ſexto,ubi *ſacrificia* diverſi pretii pro æſtimatione,ac menſura delicti imperantur. Vult enim ea fuiſſe *compenſationem*, ac *ſatisfactionem* pro reatu pœnæ temporalis expiando; idque alibi ex eo probat, quod cum *culpam & pœnam æternam* non expiarent, vel dicendum ſit fruſtra fuiſſe à Deo inſtituta, quod pugnat cum ejus ſapientia & veritate (promittit enim ea offerentibus remiſſionem peccatorum) vel certe fatendum iis *pœnam temporalem* fuiſſe expiatam. Ego vero fateor ſacrificia illa *ſatisfactiones* fuiſſe pro peccatis; ſed *ſatisfactiones* ejuſdem generis,cujus erant ipſa ſacrificia. *Typica* erant *ſacrificia*; typicæ adeo erant eæ, quæ illis continebantur,*ſatisfactiones*. Eo nimirum valebant, ut immunditiam legalem purgarent (quod ipſe ait adverſarius) &,quod docet Apoſtolus,*inquinatos ſanctificarent ad emundationem carnis*; ipſam vero offerentium *conſcientiam* non emundabant *ab operibus mortuis*. Hujus vero typicæ *immunditiæ & crimen*, & *pœnam* expiabant; quæ excommunicatio quædam, ſive abſtentio erat (qui enim ex lege *immundi* erant, ii tabernaculo, & externo religionis Iudaicæ commercio arcebantur,donec purgati eſſent.)Vnde patet,quam ſint ab illis *ſacrificiis* alienæ adverſariorum *ſatisfactiones*. Primum enim his non *carnem*, ſed *conſcientiam mundari* volunt, & à reatu *pœnæ* vere abſolvi; illis vero non *conſcientiam*,ſed *carnem mundatam* fuiſſe ait Apoſtolus. Tum illa non tantum *pœna*, id eſt externa illa abſtentione, ſive excommunicatione liberabant, ſed etiam ipſam *immunditiem* expiabant, propter quam *immundi* tabernaculo arcebantur: hæ vero ſolam *pœnam*,non autem & *peccatum* ipſum,propter quod pœna in peccantem decernitur,expungunt. Tertio illa *ſacrificia*,non veram & realem peccati *pœnam*, ſed typicam tantum exſolvebant (ut ex Iſaia videre eſt, qui docet Iſraelitis, quamquam iſta *ſacrificia* affatim, & ad faſtidium offerentibus Dei flagella nihiloſecius incubuiſſe: nimirum iſti nullum alium ex ſuis oblationibus fructum percipiebant, niſi hunc, quod *carne mundati* tabernaculo, & cœtibus Iſraelitarum libere intereſſe poterant.)

ub.ſupr.ſ.Quintum. *ibid.cap.15. ſ. Reſp.validus.* *ibid.* *Heb.9.13.14.* *Iſa.1.11.*

rant.) *Satisfactionum*, ſi adverſarii credimus, plane alia eſt ratio. Iis enim non *typicam* aliquam, ſed veram & realem *pœnam*, quæ ob peccatum ex divino judicio luenda alioqui fuiſſet, diſſolvi, ac expiari volunt. Denique illæ veterum *ſatisfactiones* proprie *ſacrificia* erant; has adverſariorum, nondum, quod meminerim, vidi, qui *ſacrificia* proprie eſſe dixerit. Itaque omnis illa veterum ſacrificiorum *ſatisfactio* plane typica fuit, qua vera & æterna Chriſti pro nobis in cruce immolati *ſatisfactio* adumbrabatur. Vt enim illa antiqua *inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis* (ut cum Apoſtolo loquar) ſic nova hæc Domini Chriſti in cruce oblatio *emundat conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Vt illæ veteres victimæ, tam pro *immunditia* legali, quam pro conſtituta ei pœna ſatisfaciebant; ita etiam hæc Chriſti hoſtia peccatorum noſtrorum & *culpam*, & *pœnam* plane delet, quod is (ut obſervat Apoſtolus) *per Spiritum ſanctum ſemet ipſum obtulit immaculatum Deo.* Vnde liquet hoc veterum ſacrificiorum typo iſtorum *ſatisfactiones*, non modo non conſtitui, ſed etiam everti. Si enim eſſent ejuſdem cum illis *ſacrificiis* generis, iis & *culpa*, & *pœna* expiaretur; quod cum ipſi negent adverſarii, neceſſe eſt eos concedere nihil eas cum veterum *ſacrificiis* commune habere. Si vero quæras, cum Moſaica illa ſacrificia *carnem* tantum, ut ait Apoſtolus, *mundaverint*, ſolamque typicam maculam eluerint; quomodo veteris Teſtamenti fideles vero peccatorum *crimine*, veraque & reali *pœna* purgati fuerint; facilis eſt reſponſio. Chriſti enim olim in cruce immolandi vi, atque efficacia itidem, ut nos, purgati fuerunt per *fidem*, atque *pœnitentiam*. Ex his nullo negotio ſolvuntur adverſarii argumenta. Negat, Moſaicis *ſacrificiis* vel *culpam*, vel *pœnam* æternam fuiſſe expiatam. Ego non modo concedo, ſed hoc inſuper addo, ne ullam quidem peccati veram, & realem *pœnam* iis expunctam fuiſſe; adeoque neque illam, quam iſti *temporalem* vocant, ſiqua revera hujuſmodi eſt. Inſtat adverſarius, ſiquidem ita res habet, falſo promiſiſſe olim Deum peccatorum remiſſionem illa ſacrificia offerentibus. Ego vero nego ſequi. Quam enim ſimpliciter iſtis *ſacrificiis* remiſſionem promittebat, ea *carnalis* & typica fuit; quæ vera eſt, & realis *peccati remiſſio*, id eſt hujuſmodi, qua peccati verum *crimen*, veraque *pœna* tollitur eam Deus non iſtis *ſacrificiis*, ſed piorum *fidei*, atque *pœnitentiæ* promiſit. Neque vero eo fit, ut fruſtra inſtituta fuerit omnis illa veterum ſacrificiorum ratio. Quamquam enim propriam, ac vere dictam *peccati remiſſionem* minime continerent, tamen & Chriſti *ſacrificium* egregie adumbrabant, & pios in Eccleſiæ infantia utiliter exercebant; qui veri, ac proprii uſus fuerunt veteris illius à

Deo per Moyſem latæ legis: ut eſt ab Apoſtolo tum in epiſtolis ad Hebræos, & Galatas fuſe, tum alibi etiam obiter demonſtratum. Quod poſtremo ait adverſarius, quod *pro menſura delicti, majoris minoriſve pretii ſacrificia offerrentur* Levitici ſexto, argumentum eſſe manifeſtum illas oblationes imperatas fuiſſe in *compenſationem aliquam injuriæ Deo factæ*, id (inquam) nego, ſi *injuriam Deo factam*, non typice, ſed realiter ac proprie intelligit. Nam pecudis ſanguine aut cinere *compenſari* ullam ejus *pœnæ* partem, quam nos ob violatum Dei optimi maximi numen commeriti ſumus, nemo (ut arbitror) ſapiens dixerit. Si tamen placet eum reatum, qui ex pollutione, & *immunditia* aliqua *legali* contrahebatur, *injuriam in Deum* appellare; fatebor ſane hanc *injuriam* iſtis ſacrificiis *compenſatam* fuiſſe; hactenus, ut qui ea obtuliſſet, *carne mundaretur*, & *pœna* cæremoniali abſolveretur; non ut *conſcientia purgaretur*, & à vera peccati *pœna* liberaretur; eoq; pertinet illa ſacrificiorum diverſitas. Cum enim variæ eſſent ſpecies, variique gradus immunditiæ illius legalis, quæ tum ex peccato contrahebatur, non decuit illas *oblationes*, quibus illa expiabatur, omnes unius ejuſdemque generis, ac pretii conſtitui quod ipſum ab earum imperfectione ortum eſt. Quod enim nulla earum tanti eſſet *pretii*, ut omnes vel omnium, vel ſaltem unius alicujus *immunditias* exhaurire, & expiare poſſet, eo factum eſt, ut non una, ſed multæ, eæque diverſæ, neque ſemel, ſed ſæpius fierent. Chriſtum vero, cujus *infinita* eſt, ac *inæſtimabilis* dignitas, ſemel unum offerri ſatis fuit, quod hæc ejus, quantumvis *unica oblatio* omnes omnino peccatorum noſtrorum & *culpas*, & *pœnas* pleniſſime exhauſerit.

CAPUT VI.

Solvitur arg. VII. ex comparatione ſatisfactionis, & meriti, hujuſque ſuppoſitione.

VLtimum adverſarii pro *ſatisfactionibus* è Scriptura argumentum, hujuſmodi eſt: *Si opera juſtorum* (inquit) *eam vim habent, ut vitam æternam vere & proprie mereantur, nullo modo negari poteſt, quin etiam efficacia eſſe poſſint ad ſatisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis; ſiquidem longe majus eſt gloria æterna, quam pœnæ temporalis remiſſio.* Verum autem illud prius; ut ex multis paſſim Scripturæ teſtimoniis patet. Ergo & hoc poſterius. Hæc ille. Mitto ipſum argumentationis nexum, qui non, ut debuit, firmus, & neceſſarius, ſed debilis, ac fluxus eſt. Non enim ſi verum eſſet *opera mereri vitam æternam*, eo ſtatim fieret, ut & *ſatisfacere* poſſint pro peccati *pœna temporali*. Alioqui itidem

Red. ad. ſatr. 8. Huc afferri.

ſeque-

ſequeretur, & pro *æterna pœna ſatisfacere* poſſes, quod procul dubio majus aliquid ſit *æterna gloria*, quam à *pœna*, etiam *æterna*, immunitas. Et hoc tamen negant ipſi, qui illud tuentur, adverſarii. Sed hæc inquam mitto. Illud unum reſpondeo Bellarminum parum honeſte, ac verecunde hoc loco diſputare, qui ut nobis perſuadeat opera fidelium pro peccati pœnis juſte, atque *ex condigno ſatisfacere*, id in medium attulit, quod ſcit à nobis non modo non concedi, ſed æque ac illud ipſum, quod inde probare inſtituit, negari ac refutari. Nam quod ſumit fidelium opera *vitam æternam* vere, ac proprie *mereri*, non minus reſpuimus, quam quod inde concludit eadem pro pœnis *ſatisfacere*. Quod ſi ea, quæ pro illo dogmate afferunt argumenta, quæque ſeorſim ſuo loco excutienda ſunt, iterum in hac quoque diſputatione expendere oporteat, magna & fœda in has controverſias invehetur confuſio; quarum ſingulæ nullas jam proprias, certas, ac definitas ſedes habebunt, ſed paſſim, & ubique omnia promiſcue tractanda recurrent. Hæc autem tanta diſputationis perturbatio cum nobis non placeat, viſum eſt adverſarii affirmationi negationem noſtram opponere; & quod ille ſimpliciter ait fidelium opera *vitam æternam mereri* id ſimpliciter quoque negare, rejecta in ſuum locum teſtimoniorum, & argumentorum explicatione, quæ in utramque partem afferuntur. Duo autem, quæ hic obiter ab adverſario objiciuntur Scripturæ loca operæ pretium eſt breviter, antequam alio progrediamur, diſſolvere. Prior locus eſt ex Matthæo; *Voca operarios, & redde illis mercedem. Et vox mercedis* (inquit) *& nomen operariorum, & pactum cum operariis ex diurno denario, non permittunt nos aliter hunc locum exponere, quam de meritis proprie dictis, quibus ex juſtitia merces debetur; denarium autem diurnum, qui eo loco pro mercede ponitur, communi conſenſu Patres docent eſſe vitam æternam.* Poſterior locus Pauli eſt, *Repoſita eſt mihi* (inquit) *corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex; non ſolum autem mihi, ſed iis qui diligunt adventum ejus. Certe* (inquit adverſarius) *corona juſtitiæ, quæ redditur à juſto judice, veram & propriam laborum, meritorumque mercedem ſignificat.* Hæc quidem Bellarminus. Ego vero, quod docet uterque locus, fateor vitam æternam fidelium *mercedem*, *coronam*que & eſſe & dici: operibus vero proprie *ex juſtitia* diſtributiva deberi, neque vel Chriſtus, vel Paulus hic dicunt; neque ego ſane aſſentior. Chriſtus idem alibi diſertiſſime, *Cum* (inquit) *feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus.* Idem quoque Paulus, *Stipendia* (inquit) *peccati, mors. Gratia autem* (ſive *donum* δῶρον) *Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Tum in hac ipſa epiſtola, ex

Matth. 20.

2 Tim. 4.

Luc. 17. 10.

Rom. 6. 23.

2 Tim. 1.18. ex qua ſuum in nos telum depromit adverſarius, *Det Oneſiphoro Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die.* Hæc & alia ejuſdem generis plurima non permittunt nos aliter objecta loca exponere, quam de *mercede*, & *corona gratuita*; quæ non à rigido judice, *ex juſtitia proprie dicta* redditur, ſed à clementiſſimo parente ex *benignitate*, & *miſericordia* donatur; quæ denique ſic *merces* eſt, ut etiam *donum* ſit. Nam ſi hanc, qui operantur, *ex juſtitia merentur*, non *ex miſericordia* eam, quod ſtatuit Paulus, accepturi ſunt. Tum eos neceſſe eſt *feciſſe quod non debebant facere*; Qui enim *debuit, quod fecit*, is debitum fateor, *diſſolvit*; non eo tamen quicquam *meritus* eſt; Neque ei operario, qui quas præſtat operas, eas debet, *mercedes*, ſiquæ dantur, ex *merito* procedunt, ſed ex mera dantis *benignitate*. Neque ſane *donum* illa *merces* erit, ſi, cui datur, eidem debetur. Inauditum enim eſt, ut, qui quod *debet* creditori nomen expungit, is ei pecuniam *dono* dediſſe dicatur. Denique ſi vitam æternam ſuprema illa die fidelibus *ex juſtitia diſtributiva redditurus eſt Dominus*, profecto nullam tum in eos *miſericordiam* exercebit. Quod enim fit ex *juſtitia*, id palam eſt non fieri *ex miſericordia*. Sed quæ poſt expleta hujus ſæculi tempora fidelibus nihil, ſi proprie loquendum eſt, *merentibus* ex *miſericordia* dabitur vita, eam tamen nihil vetat & *mercedem*, & *coronam* dici, quod opere & certamine perfunctis dabitur; & *Dei juſtitiam* in ea ſuis reddenda commendari; ſive bonitatem, ſive conſtantiam & fidem Dei hoc nomine intelligas. Vtraque enim & in Scriptura *juſtitiæ* nomine ſignificatur, & in illo miſericordi Domini judicio clariſſime elucebit. Nam & ſumma erit bonitas tantum iis *donare*, quibus nihil debuit; & ſingularis fides, atque conſtantia, quæ ſuis olim laborantibus promiſerat, tam cumulate præſtare: Eo ſenſu Paulus & Dominum *juſtum* id eſt *bonum* ac conſtantiſſimæ fidei *judicem*, & quam accipiemus vitam *coronam juſtitiæ*, id eſt ex divinæ promiſſionis fide donatam, vocat. Sed hæc quidem, quæ non ſunt hujus loci obiter attigiſſe ſufficiat, ne adverſarii in aliena excurrentis importunitas impune abiret.

CAPVT

CAPUT VII.

Examinantur quæ Bellarminus ad hanc diſputationem præfatus eſt de precum, & pœnitentiæ uſu ad avertenda Dei flagella. Excutitur Pauli locus. 1 Cor. 11. 31.

ATque hæc quidem ille pro *ſatisfactionibus* proprie ex Scripturis objecit. Cæterum alia quædam in præcedentibus attulit, quæ quamquam in alium finem commemoravit, tamen quod incauto lectori ad *ſatisfactiones* ipſa quoque pertinere facile videri poſſint, omittenda non puto. Ille enim viam ſibi ad hanc cauſſam muniens poſtquam explicavit ſuos, quos *Catholicos* vocat, ita exiſtimare, alterius vitæ *pœnas*, quæ in *purgatorio* luendæ eſſent, piis ac laborioſis in hac vita præſtitis fidelium operibus præcaveri, & averti poſſe; hujus vero ipſius vitæ temporales *pœnas* duorum eſſe generum, quaſdam quidem fixo & immutabili Dei decreto ſic conſtitutas, ut iis peccatorem nulla *pœnitentiæ*, aut *miſericordiæ*, quantumvis pia & laborioſa, opera liberare queant, qualis *mors* eſt, & alia quædam ſingularia, quæ huic aut illi fideli neceſſario perpetienda ſunt; alias vero ſic eſſe comparatas, ut bonis operibus tolli poſſint; poſtquam hæc ita diſſeruit, hoc poſtremum, quod ſcilicet hujus vitæ *pœnæ* bonis operibus vitari, ac declinari poſſunt, ex Scripturis demonſtrare aggreditur, præfatus rem eſſe uſque adeo evidentem, ut mirum ſit ab illo negari potuiſſe. Ac primo affert celebre Ninivitarum exemplum, qui cum gravibus peccatis meruiſſent, ut poſt *quadraginta dies Ninive ſubverteretur*, tamen *jejuniis, ſaccis, precibus* ita Deum placarunt, ut eorum civitas conſervata fuerit. Tum ex altero Paralipomenôn volumine hanc Domini promiſſionem ſubjicit, *Si clauſero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locuſtæ, ut devoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum, converſus autem populus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis, & ego exaudiam de cœlo & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.* His alia addit ex Hieremia in eamdem ſententiam deſcripta; *Repente loquar* (inquit Dominus) *adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Mox datum à Daniele Nabuchodonozori conſilium laudat; *Peccata tua eleemoſynis redime.* Poſtremo denique hæc ex Paulo recitat, *Quod ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Ad hæc ego univerſa reſpon-

Bell. l. 4 de pæn. c. 3. &c.

Ion. 3. 10. & 4. 11.

2 Par. 7. 13. 14.

Hier. 18. 7. 8.

Dan. 4. 24.

1 Cor. 11. 31.

reſpondeo primum nihil eſſe, quod de *pœnis* in *purgatorio* ſcilicet luendis ſimus ſolliciti, quas nullas eſſe in rerum natura ſupra demonſtravimus. Quod vero pertinet ád ea *mala*, quæ in hac vita fideles Dei voluntate perpetiuntur, primum moneo perperam ea *pœnas* vocari, ſi, quæ eſt adverſarii mens, proprie dictæ *pœnæ* intelligantur, quod ſupra fuſe exſequuti ſumus. Sin late & improprie ſumatur vocabulum, non repugnamus, quin *pœnæ* dicantur. Ejus igitur generis mala quædam eſſe non negamus, quæ piis aut omnibus, aut quibuſdam ita certo incumbunt, ut iis eximi non poſſint; non quod ipſorum peccata hac ratione puniri velit Deus; ſed quod fideles iſtis *exerceri, probari, emendari*, vel ad vitam æternam *præparari* utile ſit, aut etiam neceſſarium. Quale illud eſt, quod de ſe ipſo narrat Paulus; cum graviſſimam quandam,
2 Cor. 12. 8. 9. & acerbiſſimam crucem, qua aſſidue premebatur, *ter à Domino deprecatus eſſet*, non impetraſſe, quod petebat; non quod eorum peccatorum, quæ admiſerat, has ipſum pœnas dare vellet Dominus; ſed quod, ut ipſe docet, tam triſti diſciplina exerceri eum expediret, ne *revelationum magnitudine efferretur*. Ad hæc etiam fatemur eas ferulas, quæ piis divinitus vel denunciantur, vel jam inflictæ incumbunt, ſæpe eorum *precibus*, & *pœnitentiâ* vel omninò tolli & amoveri, vel certe mitigari; quo pertinent illa à Bellarmino ex divinis literis ſupra deſcripta teſtimonia; & ſiquis ſit qui hoc neget, ego æque cum eo mirabor. Ipſe fatetur Germanos fratres, quos Lutheranos vocat, in hac eſſe ſententia. De Calvino vero, quem diſſentire videri vult, mera eſt calumnia. Non enim is negat fideles *pœnitentia* & *precibus* à Deo impetrare, ut malis, quæ vel metuunt, vel patiuntur, eripiantur. Hoc ſexcentis locis vel concedit, vel ultro etiam affirmat, ex quibus unum nuper ex ejus commentario in epiſtolas ad Corinthios, deſcripſimus. Id tantum negat Calvinus, quod & cæteri omnes cum eo Proteſtantes Chriſtiani negant, illam *pœnitentiam*, quæ hoc à Domino impetrat, vere & proprie dictam eſſe *ſatisfactionem*; vere ac proprie dictum λύτρον, ἱλαστήριον, *piaculum, propitiatorium*, quod præter Domini Chriſti fuſum in cruce ſanguinem nullum omnino in rerum natura vel fuiſſe, vel futurum credimus. Hæc Calvini mens in iis ipſis verbis clariſſime elucet, quæ hic adverſarius ad calumniam rapuit; *Qui fit* (inquit) *ut nullis prorſus operibus admiſſa delicta procurare jubeat* (Deus) *ſed ſola in* EXPIATIONEM *ſacrificia requirat, niſi quod ita teſtari vult, unicum eſſe* SATISFACTIONIS *genus, quo judicium ſuum placatur? Nam quæ tunc immolabant ſacrificia Iſraelitæ, non hominum opera cenſebantur, ſed à ſua veritate, hoc eſt unico*
Calv. inſt. l. 3. c. 4. ſ. 30. ſ. 36. *Chriſti ſacrificio æſtimabantur*. Et paulo-poſt; *Non voluit* (inquit) *ſignificare*

ficare Daniel juſtitiam, & miſericordiam eſſe Dei propitiationem, & pœnarum redemptionem. Abſit enim ut alia umquam fuerit ἀπολύτρωσις, quam ſanguis Chriſti. Sed hæc de Calvino ſatis. Ergo & ille, & nos cum eo omnes libenter fatemur fidelium *preces, pœnitentiam, jejunia, lacrymas*, cæteraque opera, quæ vel ex inſigni eorum de admiſſis peccatis *dolore*, vel ex ardentiſſimo renovandæ, ac in melius immutandæ vitæ *deſiderio* manant, Deo gratiſſima eſſe, ab eoque non raro impetrare, ut ab ipſorum cervicibus depellantur mala quæ vel jam incumbunt, vel certe impendent. Hoc Ninivitarum mirabiliter ad Deum converſorum *ſacci*, & *cilicia* à Domino extorſerunt. Hoc ſe donaturum *vere pœnitentibus*, tum in Paralipomenis & apud Hieremiam, tum ſæpe alibi ipſe pollicetur. Hoc Daniel Nabuchodonozori ſignificabat, ut ſupra oſtendimus. Hoc ipſum denique docet Paulus, dum ait nos, *ſi noſmet ipſos dijudicemus, minime judicatum* iri. Atque hujus rei ex iis, quæ ſuperius diſputavimus, non eſt obſcura ratio: Illa enim Domini verbera, quæ nobis vel comminationibus intentantur, vel re ipſa infliguntur, eo plæraque ſpectare demonſtravimus, ut nos, non quidem ob admiſſa ſcelera proprie *puniamur*, ſed tamen ad peccati *pœnitentiam*, veramque vitæ emendationem perducamur. Itaque cum nos optimus, ac clementiſſimus Dominus ferulis excitatos, ac expavefactos de admiſſis ſerio dolere cernit, ac non perfunctoriam de abjiciendis peccatis, deque capeſſenda ſanctimonia cogitationem totis animis ſuſcipere; tum vero pro ſumma ſua & bonitate, & ſapientia ferulas ponit, verberibus parcit; flagellis urgere deſinit; quod id quo ſpectabat, aſſecutus, nobiſque quo cupiebat, perductis, ictuum, quos in eum finem incuſſerat, aut incuſſurus erat, nullus amplius uſus iſte futurus ſit. Non aliter quam parentes, ubi liberos reſipiſcentiam fletu, ac deprecatione ſatis teſtari vident, quas ad eorum caſtigationem virgas in manus ſumpſerant, eas abjicere ſolent; Vel ut medici ferrum, ignem, & acriora, quæ parabant, pharmaca omittunt, ubi vim morbi ipſam ſponte miteſcere, ac ſeſe remittere perſpiciunt; adeoque ultimis illis artis ſuæ præſidiis minime indigere. Illa itaque Dei in nos animadvertentis flagella *oratione, jejunio, ſanctificatione*, cæteraque *pœnitentia* tolli concedimus; non ſic tamen, ut *ſatisfactione* pœna expungitur; verum ut emendatione, diſciplina; ſanitate vel meliori valetudine medicina excluditur. Neque enim credo, quiſquam negaverit, aut Patrem ideo filii reſipiſcentis caſtigationem omittere, aut medicum ægroti convaleſcentis ſectionem, non quod uterque ultrici juſtitiæ ſatisfecit, ſed quod illi quidem emendato diſciplina, huic vero melius habenti acriori medicina nihil amplius

plius ſit opus. Eadem eſt Dei ſuos caſtigantis ratio; quos vere & ex animo pœnitentes malis, & moleſtiis liberat, non quod pro pœnis (quas ille à talibus nullas exigit) *ſatisfecerint*, ſed quod ad veram *pœnitentiam*, quo ſpectabant ejus verbera, pervenerint. Neq; enim quocumque aliquid à Deo paratur, & obtinetur, id *ſatisfactionem* ſtatim eſſe neceſſe eſt. Ipſe adverſarius alibi concedit opera noſtra ad culpæ, mortiſque æternæ remiſſionem cooperari; & negat tamen idem per modum *ſatisfactionis* proprie dictæ cooperari. Vult ſcilicet cooperari *per modum impetrationis, & diſpoſitionis.* Quod ille de *culpæ*, & *æternæ mortis* remiſſione ait, id ipſum nos de earum *pœnarum*, quas *temporales* vocat, hoc eſt de *caſtigationum*, & *diſciplinarum* liberatione dicimus; eam ſcilicet efficere, ac conſequi fidelium *eleemoſynas, jejunia*, ac, ut uno verbo dicam, pœnitentiam, *non per modum ſatisfactionis proprie dictæ*, ſed *per modum impetrationis, & diſpoſitionis.* Quod vero & Bellarminus, & alii iſtarum partium Theologi urgent verbum διακρίνειν in illo nuper allato Pauli dicto, *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*; quaſi eo verbo ſignificetur nos de nobis ipſis proprie dictas *pœnas* exigere debere, id inquam, nihil eſt. Is *ſe ipſum dijudicat*, qui de peccatis ſuis apud ſe quæſtionem habet; qui ea ad ſeverum divinæ legis examen revocata *diſcutit, diſcernit, damnat*, &, quod inde neceſſario ſequitur, deflet, ac deteſtatur, & quantum in ſe quidem eſt, abjicit, eam vim, à qua manaverant, cohibendo, ac coercendo, &, ut Scriptura loquitur, *mortificando.* At (inquit) *judicare ſe ipſum* proprie eſt punire. Imo vero *judicare* proprie aliud eſt, quam *punire*; Nam & *judicatur* reus, qui idem innocens eſt, neque tamen punitur. Peccatoris quidem *judicium*, qui ex juris rigore judicatur, *pœnam* includere, fateor (nam qui peccator ſic *judicatur*, ad *pœnam damnatur*) Inde factum, ut *judicare* in talibus pro *punire* ſumatur, non ſane proprie, ſed figurate, poſito antecedente pro conſequenti, ut ſupra monuimus. Sed non ſi *judicare* interdum per metonymiam pro *punire* ponitur, ſic ſemper ſumi neceſſe eſt. Tum fruſtra de verbo *judicare* philoſophantur adverſarii; quo non eſt hic uſus Paulus. Διακρίνειν dixit *dijudicare*, non κρίνειν, *judicare*. Διακρίνειν vero idem eſſe, quod *punire* nemo ſanus dixerit; & aliud eſſe, ut cætera mittam, vel id unum ſatis docet, quod Chryſoſtomus, & Oecumenius, homines Græci, Græcæque linguæ peritiſſimi diſerte in hunc ipſum locum obſervant, Paulum dixiſſe, non *ſi nos ipſi puniremus*, ſed duntaxat *ſi dijudicaremus*; fruſtra, ſi hoc cum illo idem eſt: καὶ οὐκ εἶπεν, εἰ ἐκολάζομεν ἑαυτοὺς, εἰ ἐτιμωρούμεθα, ἀλλὰ μόνον. εἰ ἐπιγνῶναι τὰ ἁμαρτήματα ἐβουλήθημεν· εἰ καταγνῶναι τῶν πεπλημμελημένων, quæ verba Guillaudus

Bell. l. 4. de pœn. c. 14. §. Ad hanc priorem.

l. 4. de pœn. c. 4. §. Ex quo intelligimus.

1 Cor. 11. 31.

Guillaudus Latine tranſlata hic adhibuit; *Non ait ſi nos puniremus* (inquit) *ſi ſupplicium de nobis ſumeremus; ſed ſi dijudicaremus, ſi noſtra peccata cognoſceremus, ſi condemnaremus nos ipſos.* Id verbi ſic explicat Gagnæius Pariſienſis Theologus; *Dijudicaremus* (inquit) *id eſt examinaremus, & noſtra ipſi peccata condemnaremus. Utrumque enim ſignificat διακρίνειν.* Eadem eſt cęterorum & vetuſtiorum & recentiorum ſententia. Haimo; ſi noſmet ipſos dijudicaremus, *id eſt*, inquit, *diſcuteremus, & examinaremus vitam noſtram, utrum digni eſſemus, nec ne; & noſmetipſi errores noſtros corrigeremus.* Neq; abludit Lyranus. Faber eadem ſequitur. Sic etiam Cajetanus: *Declarat* (inquit) *quantæ vis, quantæ utilitatis eſt probare ſe ipſum, ex evitatione punitionis. Tantæ enim efficaciæ dicitur, ut non puniremur divino judicio, ſi nos ipſos diſcuteremus.* Catharinus; *Hic locus pertinet ad judicium, quod diſcuſſionis vocant.* Eſtius; *Nec verbum διακρίνειν, nec Latinum dijudicare, ſignificat punire; ſed uſitatiſſima ſignificatio eſt, quam attulimus tertio loco, juxta quam paulo ante dictum eſt*, non dijudicans corpus Domini. Emanuel Sa; ſi noſmet ipſos dijudicaremus; *id eſt, diſcuteremus, & emendaremus*; & Arias Montanus; *ſi nos diſcerneremus, & dijudicaremus, ut par erat.* Neque aliter interpretantur Cornelius à Lapide, & Iuſtinianus; ad quos denique accedat & nupera Godelli Gallica παράφρασις; *Si acta* (inquit) *ipſi noſtra diligenter recognoſceremus, & crimina agnito eorum horrore deteſtaremur, conſtanſque ac firmum emendationis, & correctionis conſilium ſuſciperemus, nulla divini judicii effecta experiremur.* Hæc illi. Ad hoc ergo ne *à Domino judicemur*, id eſt, ut mox ſe ipſum interpretatur Paulus, ne *à Deo corripiamur*, iiſque ferulis, ac diſciplinis verberemur, quibus ille nos in idem cum mundo exitium ruentes ad officium revocare ſolet; docet Apoſtolus id nobis incumbere, non ut pro peccatis vere ac proprie *ſatisfaciamus*, aut nos ipſos vel iis *pœnis*, quas meriti ſumus, vel certe aliis ſuccedaneis, & vicariis puniamus (de quo ne γρῦ quidem extat apud Paulum) ſed *ut nos ipſos dijudicemus*; hoc eſt animadverſa, damnataque apud conſcientiam noſtram peccatorum, quæ admiſimus, fœditate, veniam ſupplices vero dolore, veris ſuſpiriis ac lacrymis extorqueamus; & quod inde conſequi neceſſe eſt, abjectis mundi, carniſque ſtudiis toti ad pietatem, atque ſanctimoniam ex animo convertamur; Id ſi præſtiterimus, ita demum deſitura dura illa Domini verbera, quæ nobis moleſta ſunt. Hic (ut patet) ſimplex & verus eſt Paulini dicti ſenſus; qui quam nihil habeat cum adverſariorum ſatisfactionibus commune, quivis per ſe ſatis intelligere poteſt. in loc.

CAPVT VIII.

Expenduntur, quæ Bellarminus de pœnitentiæ operibus dixit vel ultro ſumendis, vel à miniſtro injungendis. Ciliciorum, cinerum, &c. à piis ſub V.T. uſurpatorum ratio, & finis. Flagellationem neque à Paulo neque à piis ullis olim in pœnitentia uſurpatam fuiſſe. Baptiſtæ, & Annæ aſceſes.

IAm quod iidem ſecundo loco magno molimine aſtruunt quibus *pœnitentiæ* operibus Dei nos *caſtigantis* flagella averti, & à cervicibus noſtris depelli nuper conceſſimus, ea & ſponte à nobis ſuſcipi, & ab Eccleſiæ miniſtris injungi peccatoribus & poſſe, & debere; id, Bell. l. 4. de pœn. c. 4. & 5. init. inquam, nos (ſi modo recte, & eo ſenſu, quem ſignificamus, dictum intelligatur) libenter admittimus. Iis enim operibus, ſi res ex vero æſtimetur, ea omnia continentur, quæ vel ad dolorem ex peccati ſenſu conceptum, vel ad ſanctitatis, & novæ vitæ ſtudium referuntur; in quibus duobus cum ſitum ſit omne piorum vere pœnitentium officium; negari non poteſt, & nos ſponte iis per noſmetipſos incumbere, & miniſtros Euangelii ea urgere, mandare, præcipere, non modo nefas, aut ſupervacaneum non eſſe, ſed plane contra ſaluberrimum, imo & omnino neceſſarium eſſe, ſi quando æternam ſalutem adipiſci velimus. Quod vero fratres Germanos adverſarius criminatur, quaſi Ibid. § Conciliam. iſta Chriſtianæ *pœnitentiæ opera*, vel à nobis ipſis ſuſcipi, vel à Domini miniſtris commendari, & injungi debere negaverint, id putidius eſt, quam ut multis refelli debeat. Palam enim eſt eos, non veræ *pœnitentiæ* vel *ſtudium* in fidelibus, vel *mandatum* in miniſtris damnare (avertat Deus tam impium errorem ab omnium Chriſtianorum mentibus) ſed vel id reſpuere, quod docent adverſarii, nimirum *ſatisfactiones* eſſe pro peccatis, quæ vere ſunt hujus generis opera; vel certe nonnulla explodere, quæ iidem in hunc *pœnitentiæ* cenſum, partim ſuperſtitioſa & frivola, partim crudelia, & inhumana, præter divinæ Scripturæ inſtitutum, retulerunt; quales ſunt quorumdam *ciborum abſtinentiæ*, *peregrinationes* ad loca ſacra, *precationum* ad globulos recitatio, *corporis laceratio*, Exam. Conc. Trid. p. 2. pag. 107. & cætera hujus generis. Clara ſunt Chemnitii ipſa illa verba, quæ hic recitavit Bellarminus; ubi de eo Pauli dicto tractans, quod nuper expendimus; *Non utitur* (inquit) *verbo* κρίνειν, *ſicut Pontificii interpretantur de electitiis pœnis, quæ tamquam ſatisfactiones, aut compenſationes pro peccatis vel voluntarie ſuſcipiuntur, vel à Confeſſario injunguntur.* Atque hæc Chemnitius. Ac ut res tota clarius eluceſcat, duo ſunt hic animadvertenda;

vertenda; Vnum quidem, Fidelem ea tantum *pœnitentiæ opera* excolere,ac ſuſcipere debere, quæ ſunt à Deo in ſacris litteris mandata, ipſique adeo grata; qualia ſunt quæ vel ad ipſius Dei cultum, vel ad proximorum ædificationem, vel certè ad noſtram ſanctificationem,atque honeſtatem ſpectantia paſſim ab Apoſtolis, & Prophetis præcipiuntur. Nam quæ præter iſta, homines ex ſuo ſibi cerebro comminiſcuntur, & aliqua utilitatis ſpecie commendata ultro ſine Dei auctoritate obtrudunt, ea vero nos (fateor) rejicimus, tamquam ἐθελοθρησκείαν, id eſt, *cultum voluntarium*, non ullo Dei mandato, ſed mera rationis humanæ libidine inſtitutum, quem à Paulo in epiſtola ad Coloſſenſes damnari certum eſt. Alterum hoc loco obſervandum eſt; Presbyteros quæ vere ſunt *pœnitentiæ* opera fidelibus, non edictis prætoriis, quod iſti volunt, tamquam *judices*, aut *Principes* injungere, ſed velut Chriſti *œconomos*, ac Eccleſiæ *miniſtros* ſalubri admonitione, atque exhortatione tum publice univerſis, tum privatim ſingulis præcipere, ac mandare. Hæc duo ſi bene teneantur, facile eſt videre, quid inter noſtram, & adverſariorum hac de re ſententiam interſit. De duobus autem iſtis capitibus non eſt inſtituti mei in præſentia diſputare. Nam illud quidem prius de iis operibus laborioſis, quæ apud adverſarios ſunt in uſu,pertinet ad locum *de cultu Dei*, vel certe, *de bonis operibus*: Hoc vero poſterius de *ſacerdotum* in edicenda, ac injungenda *pœnitentia* jure,ac imperio, ad locum de eorum, qui Eccleſiam adminiſtrant, *legitima poteſtate*. Plane alia eſt cauſſa de *ſatisfactionibus*,quam hoc loco agimus. Nam etiamſi adverſario, quod poſtulat, conceſſero,& ea omnia quæ ipſi *pœnitentibus* injungunt, laudata eſſe, Deoque probata opera, & ſacerdotum in his indicendis *judicialem* eſſe, & *regiam auctoritatem*, non eo tamen efficietur, ut eadem *ſatisfactoria* ſint. Manebit ſemper hæc integra,ac illibata quæſtio, iſta ne cujuſcumque modi, aut generis ſint,eam vim habeant, ut pro temporalibus peccatorum *pœnis* proprie *ſatisfaciant*; &, eone animo tum à *presbyteris injungi*, tum *ſuſcipi à fidelibus* debeant,ut per ea juſte, & ex *condigno* tales pœnas expient. Quæ cum ita ſint merito, ut mihi quidem videtur, reprehendo adverſarii dolum dicam, an inſcitiam, qui omnia de more perturbans cum hoc loco de *ſatisfactione* diſputare inſtituiſſet, alienam ab hoc titulo de *operibus*, ac *presbyterio* quæſtionem invehit in hanc controverſiam. Sed quæcumque hominem ratio eo impulerit, ego quidem certe hanc ejus ἀμεθοδίαν non imitabor, rejectiſque in ſuos locos duobus his capitibus,eam quam de *ſatiſfactionibus* habeo in manibus quæſtionem unam hic perſequar. Idem dictum volo de ea operum (ut ipſe quidem putat)

Col. 2.23.

ſatiſfa-

l. 4. de pœnis. c. 6. *ſatisfactoriorum* partitione, quam ſequenti deinceps capite inſtituit. Omnia enim hujus generis opera magna ſubtilitate ad tria capita revocat, *orationem*, *jejunium*, & *eleemoſynam*; primo quidem cenſeri jubens, quæcumque Deo proprie exhibentur, ut *laudes*, *gratiarum actiones*, *contritionis*, & *confeſſionis* actus; ſecundo quæcumque *corpus affligunt*, & *concupiſcentiæ carnis* repugnant, ut *cilicia*, *cineres*, *flagellationes*; tertio denique quæ repugnant *avaritiæ*, aut certe in proximi utilitatem cedunt; ut opera omnia *miſericordiæ*. Equidem iſta Romanæ ſcholæ homines tam rotunde, tamque ſolerter partiri non miror; qui ſciam nihil eſſe tam durum, quod non ſtatim beatis iſtorum pollicibus cedat, ac tam facile, quo ducunt, ſequatur, quam ſi ceram, aut mel dividerent. Neque dubito, quin ſi iſtis heroibus duos, aut quatuor, aut ſeptem, aut novem operum pœnitentialium ordines facere libuiſſet, aut ea denique alio quovis numero definire, æque id ipſis ſucceſſurum fuerit, quam bellus iſte ternarius, quo nunc contenti ſunt, ſucceſſit. Sed hæc illi ſane pro animi ſui ſententia decidant. Non repugno; neque iis *cilicia*, & *cineres*, & *flagellationes* invideo. Iis per me fruantur, ſi libet; modo ne iſtis, aut aliis, quæcumque obtrudunt hujuſmodi, pro temporalibus peccatorum pœnis *ſatisfieri* pertendant. Hoc enim unum nunc quidem curo; hoc ſi confecero, ſatis inſtituto meo fecero. Ac tametſi ex ſuperiore noſtra ad Bellarmini objectiones reſponſione ſatis appareat nihil iſtos ex Scripturis habere, quo probetur aliquo fidelium opere pro peccatorum pœnis proprie ſatisfieri, age tamen tres iſtos operum ordines ſigillatim videamus. Ac iis quidem, quæ ſunt primi ordinis, nimirum *precibus*, *hymnis*, *Dei laudibus*, *gratiarum actionibus*, *verbi divini*, & *myſteriorum*, quæ eo continentur, *meditatione*, atque *explicatione*, animi *contritione* & *dolore* ob admiſſum peccatum, ejuſque apud Dominum *confeſſione*, pro *pœnis* ſatisfieri nullam omnino habet vel leviſſimam veri ſpeciem. Nam cum ea, per quæ quis *ſatisfacit*, hujuſmodi eſſe velint, ut alias (id eſt extra hoc *ſatisfaciendi* conſilium) minime ab eo, qui illa præſtat, debeantur; equidem non video, quomodo hæc, quæ memoravimus, inter opera *ſatisfactoria* cenſeri poſſint, quæ ab omni omnino homine Deo deberi, nemo non intelligit. Eſtne quiſquam qui Deum *precari*, *laudare*, *celebrare*? qui Deo *gratias agere*, peccata, quæ admiſit, *confiteri*, dolorem ob ea admiſſa, quantum poteſt maximum *concipere* non debeat? De tertio genere, res non minus clara eſt. Quid enim? Annon proximum *eleemoſynis*, & omnibus caritatis *officiis* juvare pro virili noſtra debemus? Non fuit hoc à Domino omnibus omnino Chriſtianis præceptum? non ea lege mandatum, ut

ſicut

ſicui ea caritas defuerit, illi non *purgatorii*, ſed *gehennæ ignis* ſit expectandus? Mitto quod utriuſque ordinis, id eſt primi, & tertii opera, plæraque non gravia, non, ut iſti loquuntur, *pœnalia*, ſed gratiſſima ſunt, & ſuaviſſima. Quid enim piis animis jucundius eſt, quam Deum *precari?* quam optimi Patris *laudes concinere?* quam in ejus litteris, & myſteriis meditandis conſeneſcere? quam proximi egeſtatem, & miſeriam ſuis officiolis ſublevare? Cui hæc gravia, & moleſta ſunt, qui ea triſtis, & mœrens facit, ac ſi remos in navi, aut molam in piſtrino agitaret, eum ego virum, tantum abeſt ut Chriſtianum fatear; ut vix hominis nomine dignum putem. Superſunt opera ſecundi ordinis, *jejunia*, *chamæeuniæ*, *cilicia*, *cineres*, & cætera ejuſdem generis; quæ quod ſint triſtia, & carni acerba, propius videntur ad *ſatisfactionis* ingenium accedere. *Iſta* (inquit) *negare non potes à pœnitentibus uſurpata.* Ego vero non nego. Nam & pios *jejunaſſe* paſſim in utriuſque fœderis libris lego; & Ninivitas *ſaccos induiſſe* memini; & Davidem cum ſenioribus *ciliciis* veſtitos *pronos in terram cecidiſſe*, & Achabum *ſcidiſſe veſtimenta ſua*, *& operuiſſe cilicio carnem ſuam*, & *dormiviſſe in ſacco*; & Hieremiam juſſiſſe Iudæos *accingi ciliciis*, & præter alia hujuſmodi plurima Dominum ipſum in Euangelio de Tyriis, & Sidoniis dixiſſe, *Olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.* Hæc itaque à *pœnitentibus* uſurpata concedo; uſurpata ad hoc, ut Deo pro peccatis *ſatisfacerent*, nego. Quorſum ergo? Nam converſio quidem, ac vitæ novitas tantam ſeveritatem non requirit; *maxime* (inquit) *ex veſtra ſententia.* Ego vero reſpondeo iſta ad *pœnitentiam* pertinuiſſe; cujus cum duæ ſint potiſſimum partes; admiſſorum peccatorum *deteſtatio*, & *morum emendatio*; fateor *cilicia*, *cineres*, *jejunia*, & alia hujus generis triſtia non fuiſſe ejus ſanctimoniæ partem, quæ ad vitæ emendationem requiritur (neque enim ut quis ſancte & innocenter vivat, eum *ſaccum* gerere, & in *cineribus* volutari, vel neceſſe eſt, vel à Deo uſquam in lege præceptum) ſed non eo fit, ut iſta ad *pœnitentiam* non pertinuerint. Nam tametſi ad hanc poſteriorem ejus partem proprie, ac recta non referrentur, ad priorem tamen, quæ peccati *deteſtatio* eſt, manifeſte pertinebant. Nimirum iis peccator ſignificabat, quantopere ſibi de admiſſis peccatis, & læſo Dei optimi maximi numine doleret. Tum enim hunc apud plæraſque gentes, maxime apud Hebræos, fuiſſe morem, ut qui in magno luctu, & inſigni aliquo dolore verſabantur, ii *cinere*, & *pulvere* ſe conſpergerent, & humi *in ſordibus* volutarentur, & *cilicio* ſive *ſacco* corpus tegerent, tum ex ſacris, tum ex profanis ſcriptoribus notiſſimum eſt. Ita Iacob in Geneſi, cum Ioſephum, cariſſimum filium à fera laniatum accepiſſet, & vero

Ion. 3. 6. 8.
1 Par. 21. 16.
1 Reg. (Lat. 3.) 21. 27.
Hier. 4. 8.
Luc. 10. 13.
Bell. l. 4. de pœnit. c. 6. §. Inſigne.

vero crederet, acerbiſſimo caſu perculſus, maximoque, ut par erat, dolore ſauciatus *ſciſſis veſtibus cilicium induit, filium ſuum lugens multo tempore.* Sic Reſpham, Saulis concubinam, cum duos, quos ex illo ſuſceperat, liberos à Gabaonitis in monte crucifixos videret, in *cilicio* ſupra petram ſubſtrato conſediſſe in libris Samuelis legimus; & Thamarem conſimiliter inceſto coitu à fratre per ſummum nefas pollutam aſperſiſſe *cinerem capiti ſuo*, ſciſſa talari tunica. Neque aliter Iobi amici, cognita ac perſpecta ingenti viri calamitate, *ſciſſis veſtibus pulverem ſuper caput in cœlum ſparſerunt, ſederuntque cum eo in terra.* Eodem ſpectat, quod ipſe Iobus narratur audita liberorum clade *ſcidiſſe veſtimenta, totondiſſe caput*, ac *in terram corruiſſe.* Denique nullus fere paulo inſignior luctus, nullus ſingularis dolor in divinis libris occurrit, quem non *cilicia, cineres, jejunia* comitentur. Quid? Tune iſtos omnes hæc ideo uſurpaſſe dixeris, ut pro peccatis ſuis Deo *ſatisfacerent?* Res ipſa loquitur nihil minus eos in animo habuiſſe; neque alio profecto ſpectaſſe, quam ut dolori morem gererent. Quæ mentem occupabat vel mæſtitia, vel indignatio, ſic foras quodammodo prorumpebat, neque patiebatur, ut exteriora læta eſſent, cùm intus tantum ineſſet luctus. Animi (ut ſic dicam) ſqualor in omnem exterioris hominis habitum ſeſe effundebat. Neque aliud iſtis à lugentibus quæſitum. Plena ſunt talibus exemplis ipſorum etiam Paganorum litteræ. Nota ſunt illa ſummi Poëtæ de Achille Patroclum lugente:

Gen. 37. 34. | 2. Sam. (lat. 2. Reg.) 21. 10. & 13, 19. | Iob. 2. 12, 13. & 1. 20.

Iliad. Σ. ver. 23.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο καὶ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο. Φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.

Quibus ſimilia ſunt in Hectoris morte, illa de Hecuba prius,

----- . ----- ----- ἡ δέ νυ μήτηρ
Τίλλε κόμην, ἀπὸ δὲ λιπαρὴν ἔρριψε καλύπτρην. (Iliad. Χ.)

Et hæc mox de Priamo:

Πάντας δ' ἐλλιτάνευε κυλινδόμενος κατὰ κόπρον. (Ibid.)

Sic apud Senecam in Troade Iliadum lugentium chorus;

Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem. (Act. 1.)
Coma demiſſa eſt libera nodo.
Sparſitque cinis fervidus ora.

Quibus ſuccinit Hecuba,

Complete manus, (nimirum cinere) *Hoc ex Troja*
Sumpſiſſe licet.

Plura

Plura in re obvia afferre nihil neceſſe eſt. Cum hæc ergo eſſet illorum temporum conſuetudo, non eſt mirandum, quod qui tum vivebant fideles, ſiquando eos peccati ſenſus vehementius conturbaverat, ſolennia iſta ſui ſæculi hominibus doloris ſigna uſurparent, *veſtes ſcinderent, capillos lacerarent, cinere ſe conſpergerent, cilicio amicirent*, & cætera ejus generis factitarent, ad quæ longo uſu, continuaque à pueris aſſuetudine ex patrio more ficti, ut ſic dicam, formatique erant. Neque enim de violata Dei lege, læſoque tam bono, tamque ſancto numine nos minus dolere, minuſve lugere decet, quam de amiſſis cariſſimis pignoribus, vel accepta inſigni aliqua clade. Eo ergo referenda ſunt, quæ David
in Pſalmis narrat, *Poſui veſtimentum meum cilicium. Ego cum moleſti eſ-* Pſ. 69. (lat. 68.)
ſent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam. Cinerem, tam- 12. & 34. (lat.
quam panem manducabam; & potum meum in fletu miſcebam. Eo quoque 33.) 13. & 102. (lat. 101.) 10.
pertinent illa Iobi verba; *Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favil-* Iob. 42. 6.
la, & cinere. Neque alia mens Prophetarum erat, ſiquando populum ad *cinerem*, & *cilicium* vocabant. Scilicet rerum tum in luctu ſolennium nominibus *dolorem* ob peccata ſuſcipiendum ſignificant. Hæc omnino fuit iſtorum *ſaccorum*, & *cinerum* ratio, quos adverſarii ad faſtidium clamant. Neque putandum eſt homines ſapientiſſimos, vel de peccati labe, vel de Dei ingenio tam abjecte, tamque aniliter ſenſiſſe, ut exiſtimarent inſperſo capiti pulviſculo, aut corpori inſtrato lacero, & ſqualido panno, aut una & altera humi cubatione expiari ſcelerum in ſummum numen admiſſorum vel *labem*, vel *pœnam*. Ipſi quid ſibi mentis fuerit, ſatis aperiunt, dum ſtultos, qui in his affixi hærebant, diſerte monent *non veſtimenta, ſed corda eſſe ſcindenda.* Ergo non alio conſilio iſta, Ioel. 2. 13.
vel uſurpabant ipſi, vel alios ad ea uſurpanda hortabantur, quam ut *dolorem* ob admiſſa peccata conceptum & ſignificarent, & ſignificandum docerent. Itaque iſta, non ad ſolas, quod volunt adverſarii, peccatorum *pœnas* referenda ſunt, ſed vel maxime ad ipſam Dei offenſam, quam *culpam* vocant, quamque non minus, ſed multo magis, quam *pœnam*, exhorreſcere, *deflere*, ac *deteſtari* pœnitentem decet. Et ſane ſi rem attente conſideremus, nihil in iis Scripturæ locis, quibus iſta in *pœnitentiæ* deſcriptione memorantur, deprehendemus, quo ea ad *pœnam* magis, quam ad *culpam* pertinuiſſe ſignificetur. Iſta culpæ à *pœna* in hoc negotio diſtinctio tota eſt ab adverſariorum ingenio: nulla à Scripturæ ſenſu, aut verbis. Atque hinc videre eſt, quam ſit iſtorum præpoſtera, ac ſtulta κακοζηλία, qui *ſaccos*, & *cineres* etiam nunc retinent, quantumvis apud homines abolita veteri illa ſignificandi ratione, quam olim habuerunt. Non enim nunc, apud noſtras certe gentes, in

uſu

uſu eſt;ut lugentes *cilicium* gerant, aut in *cineribus* volutentur. Iam pridem antiquata eſt omnis illa conſuetudo. Itaque nos quidem *dolorem* ipſum ob admiſſa peccata, quem iſta apud veteres ſignificabant, omnino eſſe ſuſcipiendum fatemur,tanto acriorem, quanto in Euangelii luce clarius quam in lege patefacta eſt peccati malignitas; ipſa, quorum illa ad luctum ſignificandum ratio in uſu eſſe apud noſtros homines deſiit, neceſſario retinenda non putamus; quique retinent, quod pace Bellarmini dictum ſit, potius *ridiculos*, quam qui omittunt, *Epicureos*, cenſendos eſſe exiſtimamus. Vt nihil jam dicam de veteris, novique Iſraelis diſcrimine. Non enim ſi iſta, quæ externa, & corporea fuiſſe nemo negaverit, divini populi infantiam decuerunt, eadem adulto, & ad virilem ætatem provecto conveniunt; quem jam cœleſtia conſectari, neque *exercitatione corporali*, quam *ad modicum utilem eſſe* monuit Apoſtolus, ſed hauſto de cœlis ſpiritu peccata expugnare, & eum cultum, qui eſt *in ſpiritu, & veritate*, meditari, ac præſtare conſentaneum eſt. Quod ſi adverſarii his veterum exemplis nos ſic obſtrictos eſſe putent, ut eorum, quæ ab illis in hoc genere factitata legimus, quicquam à nobis omitti ſit nefas; cur quod illos pæne ſemper in hujuſmodi tempore feciſſe conſtat,nimirum ut *veſtes conſcinderent*, ipſi, qui tanti ſunt antiquarii, non faciunt? Cur nulli apud eos confeſſarii matronas *pœnitentes* ſerica ſua diſcerpere,aut viros comam, quod à Jobo uſurpatum fuit,tondere jubent? Profecto non video;cur illis *cilicium*,& *cinis* potius, quam *veſtis conſciſſio*, & *crinium laceratio* placuerit. Sed de re ipſa,ut dixi,non hic equidem pugno. An nunc quoque *pœnitentiæ* pars ſit *ſcindere veſtes*, & *pulvere caput ſordidare*, & *cilicio carnem tegere*, & *comam tondere*, alio quam hoc loco diſputandum eſt. Nunc mihi ſatis eſt,quod iſta,ſi facienda ſunt,eo animo facienda eſſe demonſtravi, quo à piis olim facta ſunt; nimirum non ut iſtis (libere enim quod ſentio, eloquendum eſt) pœnarum ludibriis ultrici Dei juſtitiæ ex condigno *ſatisfacere* nos putemus (quod ab omnium fidelium mentibus procul abeſſe debet) ſed ut conceptum animo de peccatis dolorem, qua licet, teſtemur; quod juſtum, & ſanctum,& vera *pœnitentia dignum* eſſe,non nego. Iam eodem quoque ſpectaſſe corporis ipſius *flagellationem* & *lacerationem* dicerem, ſi eam perinde ut *cilicia*, & *jejunia*, in populo Dei uſitatam fuiſſe concederem. Sed res plane aliter habet. Nam in piorum *pœnitentiis*, quæ veteris Teſtamenti litteris mandatæ ſunt, non modo nullum occurrit iſtius immanitatis exemplum; ſed ea inſuper in iis libris inveniuntur, quæ oſtendunt eam Deo exoſam, & abominabilem eſſe. Sane quam id ſit ab ejus cultu, & populo alienum, Scriptura

Lib. 4. de pœn. c. 4. §. Ac primum.

1. Tim. 4. 8.

eo ipſo ſatis ſignificat, quod hunc fuiſſe ait ritum *ſacrificiorum* Baal, ut ſe *cultris*, & *lanceolis inciderent*. In lucta vero, à quo pœnitentes *cilicia*, & *cineres*, cæterumque doloris apparatum ſumpſiſſe oſtendimus, Dominus diſertiſſime vetat, nequid ſimile fiat, *Super mortuo* (inquit) *non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis*; quod iterum alibi his verbis repetitur: *Non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo, quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Cum ergo perinde ſit *ferro*-ne corpus, an *virgis, cultris*-ne, an *aciculis* cruentes, ac laceres, utrumque Deo juxta exoſum eſſe dubitandum non eſt. Neque eſt, quod in luctu quidem iſta Deum vetuiſſe dicant, in *pœnitentia* probaſſe, cum omnino ſit eadem utriuſque ratio, & ab illo hujus triſtia fluxiſſe manifeſtum ſit. Quod vero Paganicæ hujus inhumanitatis ſe in ipſo Paulo exemplum habere adverſarii gloriantur, næ illi ſanctiſſimo Apoſtolo maximam faciunt injuriam: qui rem adeo feram, ac diram ei viro tribuunt, in cujus moribus ſumma ſemper fuit manſuetudo, atque humanitas; quique tam longe à barbara hac crudelitate abfuit, ut ne unum quidem hominem reperiri putaverit, qui ſic in carnem ſuam ſæviret; *Nemo enim* (inquit) *umquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit, & fovet eam.* Quin etiam ad hoc exemplar virorum in uxores amorem effingit, & ab unoquoque ut caro ſua habetur, ſic & uxorem haberi vult. Itaque cum uxoris vel ferro, vel verberibus conſcindendæ nemini marito poteſtas ſit, nulli noſtrum in *carnem ſuam* quicquam hujuſmodi licere ex Pauli quidem diſciplina exiſtimandum eſt. Sed adverſarios animo præcepta de ſuis *flagellationibus* ſententia faſcinavit, idque in Paulo quod non eſt, videre tamen ſubegit. Cum enim ille alibi dicat, *ſe ſuum corpus caſtigare, & in ſervitutem redigere*, hac verborum ſpecie decepti putarunt ſe *flagellationes* ſuas in Apoſtolo inveniſſe. Atqui longe aliud eſt, quod ille ſignificat; idque iſti, niſi obſtaret cauſſæ ſtudium, facile intelligere poſſent. Toto illo capite, unde petitus eſt hic locus, Paulus diſputat de *libertate Chriſtiana*, oſtenditque ea, non temere, ſed maxima cum prudentia, & caritate ad proximorum ædificationem utendum eſſe. Eo, ut ſæpe alias, exemplum ipſe ſuum adhibet; fuſeque exſequitur, quam caute & ſollicite hac in parte ſe gerat, vitam ac mores ſic ad eorum, quibuſcum verſabatur, ingenium attemperando, nemini ut eſſet offendiculo; quo loco præclara illa occurrunt: *Nam cum liber eſſem omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer; iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant lucrifacerem; iis, qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cum ſine*

1. Reg. (cat. 3.) 18. 28.

Levitic. 19. 28. Deut. 14. 1.

Bell. ub. ſupr. ſ. De flagellatione.

Eph. 5. 29.

Dei lege non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege
1. Cor. 9. 19, *erant. Factus ſum infirmus infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus*
20, 21, 22. *omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Hæc autem Pauli ratio quam
laborioſa,& ærumnoſa eſſet,nemo non videt;qui vim ſibi ipſi quodam-
modo afferebat, ut cæteris placeret; ſeque ad eorum ingenium infle-
ctebat,& potius ex illorum, quam ex ſuo ſenſu vivebat. Ne ergo ſtul-
te & fruſtra tanto ſe labore fatigare putaretur, ſubjicit quis ſibi eſſet
verſ. 23. ejus ſcopus,quæ cauſſa. *Omnia autem* (inquit) *facio propter Euangelium,*
ut particeps ejus efficiar; hoc eſt,ut qui in eo legitime laborantibus pro-
mittuntur ampliſſimi ſane, ac ſuaviſſimi fructus, eos ego tandem ali-
quando conſequar,nimirum *cæleſtem*, ac *ſempiternam vitam* ſumma cum
gloria conjunctam. Tum ſimilitudine ab agonibus petita, qui tum in
Græcia celeberrimi, & vulgo notiſſimi erant, totum hoc conſilium
ſuum illuſtrat; *Neſcitis* (inquit) *quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes qui-*
dem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.
verſ. 24. 25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem, ut*
corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Hanc vero ſimi-
litudinem ſibi ipſi poſtremo applicans totum hunc ſermonem ſic con-
verſ. 26, 27. cludit; *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem*
verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Tranſlatis è re
agoniſtica vocibus ſuum illud, quod ſupra nude deſcripſerat, laborioſiſ-
ſimum inſtitutum eleganter expreſſit. De *curſu* quidem, & *pugna*, ne-
mo eſt, qui non fateatur. Hæc enim, quæ athletarum proprie erant
Paulum ſibi non proprie, ſed metaphorice tribuere omnes conſen-
tiunt. Atqui eamdem omnino eſſe & ſequentium rationem, qui non
videt, nihil videt. Nam ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα, quod Latinus *caſtigare*
reddidit, eſt *corpus ictibus contundere*, ac (ut alibi expreſſit Latinus) *ſug-*
Luc. 18. 5. *gillare*, & *vibicibus lividum efficere*, quod proprie eſt *pugilum*, quorum
corpora *pugnis* & *cæſtibus* in certamine non ſine dolore ad livorem con-
tundebantur. Δουλαγωγεῖν vero σῶμα, quod Latinus dixit *corpus in ſer-*
vitutem redigere eſt non molliter, & ex ſua libidine, ſed dure & ex Pæ-
dagogi præſcripto ſervilem in modum corpus habere; non quibuſvis
cibis, ſed certis tantum ac definitis veſci,ac gymnaſticis legibus, veluti
quibuſdam catenis impeditum, ac conſtrictum nihil niſi ad alterius ar-
bitrium facere; quod ipſum quoque athletarum proprium fuiſſe nemo
ignorat, qui veterum Græcorum, & Latinorum litteras vel leviter de-
guſtarit. Totam enim iſtorum diætam, ſive vivendi rationem diffici-
lem fuiſſe, certiſque exercitationibus alligatam, ac totam de magiſtri
nutu pependiſſe clarum eſt; idque eſt ab Horatio notiſſimis verſiculis
ſignificatum, *Qui*

Qui cupit optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer; ſudavit, & alſit,
Abſtinuit Venere, & Baccho.

Hac ergo pulcherrima ſane imagine, & omnino tum ad rem, quam agebat, tum ad ſimilitudinem, qua eam illuſtraverat, apposita ſui nobis miniſterii, vitæque Euangelicæ labores depinxit Paulus. Athletarum qui *currebant*, ii *incitatiſſimo motu ad metam* ferebantur. Sic & noſter omnes in id vires effundebat, ut quam citiſſime ad *bravium* perveniret; nuſquam quieſcebat, aut remittebat; totuſque erat in illo Euangelicæ prædicationis ſtadio. Athletarum alii, *pugiles* nimirum, non in *aërem*, ſed *certis*, & *deſtinatis ictibus* adverſarium feriebant. Ita etiam Paulus nihil fruſtra; omnia certo conſilio in hoc ſpirituali certamine agebat; nihil ad pompam; omnia ad victoriam. Pugiles *corpus caſtigabant*, & *in ſervitutem redigebant*. Eadem quoque Pauli noſtri diſciplina fuit, qui ex alieno potius, quam ex ſuo arbitrio vivebat; qui, non quod licebat, quoque animus ferebat, ſed quod proximo expediebat, id conſectabatur; ſervus omnium factus, ut paulo ante dicebat; qui non ſine moleſtia ad aliorum utilitatem ſe ipſum iis fraudabat, quæ alioqui libera erant. Hæc fuit Pauli *caſtigatio*, hæc δουλαγωγία; hic labor; hæ *vibices*. Hæc quæ athletarum propria, in ſe tranſtulit; quod eorum in difficili, ac laborioſo vitæ ſuæ inſtituto, quædam ineſſet imago. Dicit ergo *ſe corpus caſtigare*, non quod illa vitæ ſuæ aſpera, quæ hic ſignificat, ipſius proprie corpus ſpectarent, ac non etiam animum, totumque hominem, ſed quod athletica caſtigatio, cujus imagine utitur, *corpus* proprie *afficeret*, ac domaret. Ex quibus liquet non minus inepte facere eos, qui hinc Paulum *corpus ſuum flagellaſſe*, aut *ictibus contudiſſe* colligunt, quam ſi eum proprie in aliquo ſtadio pedibus decurriſſe, aut *pugnis*, vel *cæſtibus* decertaſſe ex eo affirmarent quod hic ait *ſe ſe ſic currere, non quaſi in incertum; ſicque pugnare, non quaſi aërem verberantem*. Sed & illius interpretationis abſurditatem oſtendit, quod ſtatim ſubjicit Apoſtolus; *ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus fiam*. Eo enim ſignificat hunc ſuæ illius δουλαγωγίας ſubjectionis, & caſtigationis, quam intelligit, finem fuiſſe, ne vita æterna, quæ cœleſte *bravium* eſt, excluſus in æternum periret; qui profecto non eſt *flagellationum*, quas adverſarii commendant, uſus. Nam *diſciplinis* hujuſmodi corpus ideo conterendum putant, non ut infernus, quo unus Chriſti ſanguis nos liberat, ſed ut *purgatorium* vitetur. Sed de hoc Pauli loco, qui obiter attingendus fuit, jam fortaſſe plus ſatis. Cum ergo nulla fuerit in veterum pœnitentiis illa, quæ nunc in uſu eſt, flagellatio, fruſtra quærunt, quis fuerit ejus

finis, & quæ ratio; &, ſi fuiſſe aliquam oſtenderent, ego (ut dixi) reſponderem adhibitam, non ut *ſatusfactionem*, ſed ut *acerrimi doloris teſtificationem*; itidem ut *cilicia*, *cineres*, *chamæeunias*. Cæterum neque me illud fugit, hæc à quibuſdam olim in Chriſtianiſmo uſurpata, quo *carnis vim* duris exercitationibus fractam ac domitam facilius Chriſti Spiritui ſubjugarent, adeoque iis medicinam fuiſſe, vel diætam ad curandos, vel cavendos animi morbos, non *ſatisfactionem* ad expiandas peccatorum pœnas. Sed cum hæc ratio in iis maxime locum habeat, qui longo ac diuturno tempore *diſciplinis* iſtis dant operam, veterum vero ſub lege fidelium vel nulla, vel certe pauciſſima extent hujus generis exempla (*cilicium* enim, & *cineres*, & alia hujuſmodi ad paucos dies uſurpabant) ſatius duxi illam tantum doloris & pœnitentiæ ſignificationem hic commemorare; ad quam ſolam ſpectaſſe videntur illa piorum ſub veteri Teſtamento aſpera; de uſu, quem iſta habere poſſunt ad peccati mortificationem novæque vitæ ſtudium alias ſuo loco opportunius dicturus. Ioannis Baptiſtæ (qui vitam videtur egiſſe in *cilicio*, cujus veſtis *pili camelorum*, *cibus locuſta*, *lectus humus*, *domus* deſertum) omnino peculiaris ratio fuit, neque ad exemplum trahenda. Dura enim, atque horrida vita muneris ejus quoddam velut inſigne fuit, *pœnitentiæ*, quam prædicaturus venerat, accommodatum. Solebat enim in ipſo Prophetarum habitu aliquid extare, quod iis reſponderet, ad quæ promulganda mittebantur; ut vel inſpectantibus, ipſa eorum perſona quod ſuum eſſet munus, ſtatim indicaret. Cum itaque Ioannis, & ſpiritus *terrificus* eſſet, & *minax*, qualis Heliæ olim fuerat, & totum miniſterium ad *pœnitentiam* ſpectaret, profecto eum decuit hæc, quæ iſtis egregie reſpondent, vitæ, habituſque aſpera præ ſe ferre; non quo *ſatisfaceret* pro peccatorum pœnis, (qua de re nihil plane dicitur in Ioannis hiſtoria) ſed ut vel *ore* ipſo, *victu*, *veſtitu*, omnique vitæ inſtituto ad illam pœnitentiam, cujus proprie miniſter fuit, homines raperet; triſti illa & horrida ſpecie ſingulos admonens, veniſſe tempus, quo anteactæ vitæ peccata dolenda, lugendaque ſint, novatiſque vero ſanctitatis ſtudio animis excipiendus Meſſias, brevi venturus. Annam, quam etiam hic commemorandam Bellarminus putavit, non receſſiſſe à templo, *jejuniis*, ac *obſecrationibus ſerviiſſe die*, *ac nocte*, lego; eo pro peccatorum pœnis *ſatisfeciſſe*, non lego. Clarum eſt hanc divinæ mulieri *ſanctificationis* fuiſſe *diſciplinam*; non *peccatorum expiationem*. Sed iſta, (quod ſæpe monere cogor) plane alio pertinent, nimirum ad eam controverſiam, quæ nobis eſt cum adverſariis, de *vita monaſtica*, & iis operibus, quæ ipſi vocant *ſupererogatoria*. Itaque his miſſis tandem aliquando conclu-

Matth. 3. 4.

Lib. 4. de pœn. c. 6. §. Hue etiam.
Luc. 2. 37.

concludamus, nihil eſſe in tribus illis operum ordinibus, quos adverſarii recenſent, quod eorum de *ſatisfactionibus* cauſſam juvet.

CAPUT IX.

Solvuntur Bellarmini quinque pro ſatisfactionibus rationes. Iª. A peccatorum ante & poſt baptiſmum admiſſorum diſcrimine. IIª. A juſtitiæ & miſericordiæ divinæ nexu. IIIª. A baptiſmi & pœnitentiæ differentia. IVª. A pœnitentis utilitate quadruplici. Vª. A cæterorum utilitate.

SEd nequid eorum omittamus, quæ ſunt à Bellarmino allata, breviter antequam ad alia tranſeo, ſolvenda ſunt quædam ejus pro *ſatisfactionibus* argumenta, non quidem è Scriptura, ſed tamen à recta (ut quidem ille vult) ratione petita. Primum ergo inde ſumptum eſt, quod magnum ſit inter eos diſcrimen, qui *ante* baptiſmum, & eos, qui *poſt* baptiſmum, peccant. *Illi enim* (inquit) *majori miſericordia digni ſunt, quam hi; cum illi in tenebris ignorantiæ, iſti lumine fidei, & cognitionis Dei verſarentur; illi diabolo, & pompis atque operibus ejus nuntium nondum remiſiſſent; iſti remiſiſſent; illi ſine adjutorio gratiæ gratum facientis, & abſque Spiritu ſancto inhabitante viverent; iſti filii Dei effecti pignus Spiritus in cordibus ſuis haberent; illi denique numquam antea ad indulgentiam perveniſſent; iſti poſt indulgentiam, & tot beneficia ingrati tantum benefactorem iterum ad iracundiam provocaſſent. Itaque omnino par erat, ut Deus miniſtris ſuis mandaret, ut peccantes poſt baptiſmum non ſine multa injuncta ad indulgentiam divinam per januam reconciliationis admitterent.* Hactenus Bellarminus. Ego vero fateor, longe gravius, atque inexcu- *Lib. 4. de pœn. c. 5. §. Nec vero.* ſabilius peccare eos, qui *poſt* ſuſceptum baptiſmum in media Chriſti luce, atque familia delinquunt, quam qui in naturæ tenebris; eoque horum, quam illorum peccata graviores *pœnas* mereri. Quo fit, ut ſi utrorumque *puniendorum* arbitrium adverſariorum ſacerdotibus à Deo commiſſum eſſet, eos injuſte, ac perperam mandato munere defuncturos concedam, ſi eaſdem *pœnas* horum, & illorum criminibus conſtituant. Deum vero, qui juſtiſſimus eſt, dubitandum non eſt diverſis, & imparibus ſuppliciis in eos animadvertere, quos ex utroque genere *punit* (punit autem quoſcumque in utroque genere peccatorum non pœnitet.) Hactenus recte procedit Bellarmini ratio. Nunc vero (ut illud mittam, quod ſacerdotibus ſuis vel utroſque, vel certe poſteriores *puniendi* jus attribuit) non de *puniendis*, ſed de *remittendis peccatis* agitur. Non enim jam quæritur, quibus *pœnis* afficiendi ſint, qui vel *ante*, vel

poſt baptiſmum peccarunt; ſed qua ratione utriſque *remittenda peccata*, quorum eos vere, & ex animo pœnitet. Quod eſt inter utroſque diſcrimen efficiat ſane, ut his, qui *poſt* baptiſmum peccarunt, majori, & acriori *pœnitentia* opus ſit, quam qui *ante*, ad hoc, ut remiſſionem conſequantur; efficiat, ut illos Deus ægrius admittat, quam hos; non efficit profecto, ut quibus peccata remittit, eos ipſos *punire* debeat. Itaque ejus in hac reconciliatione miniſtros hujuſmodi peccatores vel à divina indulgentia omnino arcere decet, vel certe ſine *multa*, aut *ſatisfactione* admittere. Atqui arceri eos nolunt; Peccata iis dimitti & poſſe, & debere cenſent. Ridicule ergo pugnant *multandos*. Nam qui *punitur*, vel *multatur* eidem peccatum, ob quod *punitur*, *remitti*, & per ſe abſurdum eſt, & ſupra à nobis confutatum. Deus utriſque tum ἀβαπτίςοις, tum baptizatis ſimili lege peccatorum remiſſionem pollicetur; nimirum ſi vera *pœnitentia* ducti ad ejus gratiam in Chriſto confugerint. Neque nos Chriſtus quos ſuo exemplo peccata fratribus *condonare* jubet, ab iis juſtam & condignam *ſatisfactionem* exigere vult, qui nos iterum, aut tertio læſerunt. Quærenti vero Petro *quoties* fratri in ſe peccanti dimittere deberet, *an uſque ſepties*, Chriſtus in genere reſpondet, Matth. 18.21. 22. *Non dico tibi uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Et alibi conſimiliter, *Si ſepties in die peccaverit in te frater tuus, & ſepties in die converſus* Luc. 17.4. *fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Nullam nos ſatisfactionem ab eo exigere patitur. Neque uſpiam miniſtris ſuis mandavit, ut quibus peccata ipſius nomine dimitterent, ab iis *pœnas* aliquas, vel *ſatisfactiones* repoſcerent. Quid autem ejus vel ſapientiam, vel clementiam, aut juſtitiam deceat, nos ab ipſo diſcere multo juſtius eſt, quam ei præſcribere. Breviter cum etiam fidelibus peccata, in quæ prolapſi ſunt, ſic à Deo pœnitentibus remitti ſupra demonſtratum ſit, ut nullas ab iis proprie dictas *pœnas* exigat; nulla ratio eſt, cur miniſtri pro iis *ſatisfactiones* proprie dictas peccatoribus imponant.

Ejuſdem farinæ eſt ſecunda Bellarmini ratio à *miſericordia*, & *juſtitia* Dei petita, *quæ* (inquit) *in divinis litteris paſſim conjunctæ prædicantur. Siquidem maxime conſentaneum eſt rationi, ut ſic Deus ex miſericordia condonet, ut etiam juſtitiæ quoad ejus fieri poteſt, ſatisfieri velit.* Ego vero *juſtitiam*, & *miſericordiam* divinam in hoc ſalutis noſtræ negotio mirabili temperamento mixtas, conſertaſque eſſe fateor; non ſic tamen, ut quibus peccatum ex miſericordia remittit, ab iis ipſis *ſatisfactionem* ex juſtitia exigat (quod factu, dictuque abſurdiſſimum eſt, ac hujuſmodi quod ſi locum hic haberet, miſericordiam non ſane aliqua juſtitiæ mixtura temperaret, ut vult adverſarius, ſed plane dilueret, atque aboleret)

ſed

ſed ut peccata ipſis per meram, ac ſummam gratiam plene condonet; *ſatisfactionem* vero pro peccatis, non quidem ab ipſis, ſed tamen à Chriſto, (quem & ipſum nobis donavit unicum noſtrum Mediatorem) accipiat. Si vero (quod ſupponit adverſarius) non aliter ſtare poteſt ſacrum illud miſericordiæ, juſtitiæque divinæ conſortium, niſi aliqua à peccatore exigatur *ſatisfactio*; profecto fatendum erit, aut alteram ab altera in fidelium baptiſmo divelli, aut peccata credentibus ne in baptiſmo quidem, citra ipſorum *ſatisfactionem* remitti. Quod cum utrumque abſurdum, falſumque ſit, clarum eſt neque fidelium *ſatisfactionem* ad hoc eſſe neceſſariam, ut ii Dei miſericordia poſt baptiſmum frui poſſint, illæſa ejus juſtitia. Quod vero negat adverſarius argumentum ſolvi, ſiquis dixerit Chriſtum pro nobis Deo Patri *ſatisfeciſſe*, id nulla ratione dicit. Cum enim ipſe alibi confiteatur Chriſtum *pro omni peccati & culpa & pœna ſatisfeciſſe*, negare jam non debet Dei juſtitiam in eo elucere, quod nullum nobis ex miſericordia peccatum condonat, pro quo non ſit ipſi à Chriſto abunde *ſatisfactum*. Nam quod ſubjicit Bellarminus *etiamſi congruens fuerit, ut nobis ad recuperandam Dei amicitiam pœnamque ſempiternam evadendam Chriſti ſatisfactio applicaretur*, cum tamen ad expiandam *pœnam temporalem* per Chriſti gratiam idonei facti ſimus, par eſſe, ut nos ipſi qui Deum offendimus, eidem noſtro labore *ſatisfaciamus*; id, inquam, nullam omnino vim in nos habet; qui neque peccatum ullum eſſe admittimus, cujus non alia ſit, quam *temporalis pœna*; neque *pœnam æternam* in *temporalem* mutari concedimus, ſed totam vel *dimitti* pœnitenti, vel ab impœnitente *exigi* cenſemus; neque nos adeo idoneos fieri fatemur ad expiandam ullam peccati *pœnam*; neque denique exiſtimamus juſtitiæ vel benignitatis divinæ rationes pati, ut pro quibus peccatis Chriſtus *ſatisfecit*, pro iiſdem iterum à nobis *ſatisfactio* exigatur. Itaque ſi *ſatisfactionis* ſuæ neceſſitatem nobis quidem adverſarius perſuadere velit, alia quam iſta eum adferre decet, quæ non ignorat à nobis negari omnia. *L. 2. de Indulg. c. 14. §. Quartum.*

Atque hic libet Veſſelii, qui in adverſariorum communione & vixit, & denatus eſt, ad Bellarminianam hanc objectionem verba, & reſponſionem coronidis vice addere; *Dicunt hic* (inquit) *temporalis pœnæ, quæ miſericordi indulto commutata reſtat*, reatum ſcilicet exſolvendum remanere. *Magnæ ſane miſericordiæ eſt primo quod omnia peccata dimiſſa ſunt; ſecundo magnæ miſericordiæ, quod non æternis cruciatibus debitor eſt. Sed quia omnes viæ Domini miſericordia, & judicium, ideo voluit, ut ſaltem temporaliter obligaretur ad pœnam. Qui hæc dicunt, non vident, quantam fidelibus miſeriam imponant; quanta pietatis ſcandala, offendicula, impedimenta* *De Sacram. pœnit.*

menta

menta ſtruant in viis pietatis. Semper enim cogent pœnitentes priorem ſuam turpitudinem verſare mente; ſemper ſui carnifices; ſemper corporalem, non dico exercitationem ad parum utilem, ſed ſemper corporalem afflictionem, caſtigationem, flagellationem, contritionem & mortificationem ſuæ carnis circumferre; non parcentes corpori ſuo, quaſi contritum corpus Deo ſacrificium ſit,&c. *Vel ergo qui totam culpam totaliter dimiſit, & in pace dimiſit, miſerum remiſerit, vel conſolatum. Quod ſi conſolatum, quia Domini perfecta ſunt opera, plenarie conſolatum dimiſit, ut ſolutis omnibus catenis debitorum, & inutilium corporalium exercitationum libere jam ſe exerceat cum reliquis filiis Dei, reſtitutus in regnum ad pietatem ad omnia valentem, quæ nihil aliud eſt, quam cultus Dei.* Atque hæc quidem ille, quibus non obſcure totam iſtorum *ſatisfactoriam* illam (ut vocant) diſciplinam, velut carnificinam, cum Dei miſericordia, & cum piorum ſpirituali pace ac libertate pugnantem, configit. Nos vero ad Bellarminum redeamus.

Vbi ſupr. §. Tertia. Tertiam is rationem ducit à differentia Sacramenti baptiſmi, & pœnitentiæ. *Nam* (inquit) *baptiſmus cum ſit lavacrum regenerationis, non requirit, ut is qui regeneratur, in ea re multum laboret. At pœnitentia, quia medicamentum eſt animæ vulneratæ, ac ægrotantis, id plane exigit, ut qui curatur medicinales uſtiones, inciſiones, pharmaca amara, aliaque multa id genus ſuſtineat.* Sed hæc, & plæraque falſa ſunt, neque quod ille vult concludunt. Negat *requiri, ut qui* baptiſmo *regeneratur, multum in ea re laboret.* Sed alia fuit Ioannis ſententia, qui eos ipſos, quos erat baptizaturus, ſedulo monebat, ut *fructus pœnitentia dignos facerent*, alia itidem Petri, qui baptizandos *pœnitentiam agere* jubet. Itaque ſi, qui *pœnitentiam agit*, is *multum laborare* debet, ut vult adverſarius; certe & ei qui baptizatur *multum* (quod non vult) *laborandum* eſt, cum ipſe quoque *pœnitentiam agere* ex Apoſtolo debeat. *Act. 2. 38.* Quod ex eo etiam concluditur, quod ſubjicit *pœnitentiam* eſſe *medicamentum*; cum & baptiſmum *medicamentum* eſſe, & quidem admirabile, nemo negaverit. Igitur ſi pœnitentia ideo *ſatisfactoria* eſt, quia *medicina* eſt, profecto & baptiſmum *ſatisfactorium* quoque eadem ratione cenſendum eſſe, clarum eſt. Tum id ipſum quod ait pœnitentiam eſſe *medicamentum*, ejus dogma potius evertere videtur, quam conſtituere. Neque enim medicus, quem curat, eum *punit*; neque, quod ſciam, hactenus auditum eſt, ut qui pharmacum hauſit, is vel *pœnas* dediſſe, vel certe pro peccato, *quantum juſtitia ultrix exigebat*, tantum feciſſe dicatur. Itaque nos pœnitentiam uſtiones, inciſiones, & pharmaca amara interdum exigere concedimus; ſed ad medendum animæ (quod ipſe vult adverſarius) non autem ad *ſatisfaciendum* divinæ juſtitiæ; ad depellendum peccati morbum; non ad expiandam

dam criminis *pœnam*; niſi forte Bell. velit medicamenta totidem eſſe *piacula*, ac ἱλαςήρια proprie dicta; quod quam ſtultum ſit, vel pueri vident.

Quartam rationem adverſarius ab ipſius *pœnitentiæ* utilitate ducit. Quatuor autem memorat *ſatisfactionis* utilitates: I. Quod utiliſſimum ſit peccatori, ut non penitus maneat impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur: II. Vt ſic admoneatur quanta ſit peccati gravitas; unde ingens in peccatum odium naſcitur, ut jam non timore *pœnæ*, ſed amore juſtitiæ & odio peccati in bonis actionibus perſeveret: III. Quod *ſatisfactio* conducat ad habitus vitiorum eradicandos, & virtutum inſerendos. IV. Denique, quod Chriſti crucem geſtare nos facit, & Chriſto ipſi compati, ut cum eodem poſtea juxta Apoſtolum, *regnemus*. Hæc ille. Ego primum reſpondeo periculoſiſſimum eſſe hoc argumenti genus, ut quod utile videtur, id ſtatim in religione conſtituendum eſſe concludamus. Ea olim ratione Novatiani in errorem inducti putarunt ita efficaciſſime homines à peccato deterreri, & in officio contineri poſſe, ſi eſſet iis perſuaſum, fidelibus ſemel in flagitium, aut ſcelus aliquod prolapſis nullam amplius veniæ aut communionis ſpem apud Eccleſiam ſupereſſe. Neque negari poteſt hoc eorum dogma multo potentius, quam adverſariorum *ſatisfactiones*, demonſtraſſe quanta ſit peccati peſtis, ac gravitas; quantoque ſtudio omnes ejus habitus ex animis noſtris ſtirpitus evellendi ſint, virtuteſque excolendæ. Neque illi hoc olim, quam nunc adverſarii ſegnius prædicabant; neque minus Catholicis exprobrabant diſciplinæ mollitiem, & ignaviam, quæ apud eos obtinebat. Et tamen falſum erat, & exitiabile illorum dogma. Ita quæ Paulus damnat in epiſt. ad Coloſſ. ea ipſe ſcribit *rationem ſapientiæ habuiſſe in ſuperſtitione, & humilitate*, & quod *corpori non parcerent*. Col. 2. extr.
Neque tamen effecit ea utilitatis ſpecies, ut iſta retinenda putaverit. Ex his, ut cætera mittam, ſatis conſtat non, ſiquid utile eſt, eo ipſo ſtatim eſſe amplectendum, niſi idem quoque verum ſit, & à Deo inſtitutum, & undequaque innoxium. Itaque non, ſi adverſario conceſſero hanc ejus de *ſatisfactione* ſententiam ad illa omnia, quæ commemoravit eſſe utilem, ideo conſequens erit, ut ea admittatur in Eccleſiam, niſi præterea demonſtraverit & veram, & à Chriſto traditam eſſe, neque omnino pietati nocere. Atqui ex ſuperioribus conſtat neque veram eſſe, neque à Domino uſquam in ſacris litteris commendatam. Pietati vero plurimum nocere palam eſt, quod & Chriſti *ſatisfactioni* multum detrahit, & homines ab eo quadamtenus abducit, & Sanctis divinitatem quamdam tribuit, dum eos peccata noſtra vel certe eorum *pœnas* expiaſſe fingit, & nos vana opinione inflatos in ſuperbiam agit; ut *ſuperſtitiones*, & alia mala mittam, quæ hinc in Eccleſiam eruperunt. Tum ſi quod

ad hæc utilis eſt *ſatisfactio*, pœnitentibus injungenda eſt; cur non etiam iis, qui baptizantur, imponitur? An iſtos nihil neceſſe eſt à peccato deterreri, in officio contineri, vitia eradicare, virtutes excolere, *Chriſto* denique *compati?* Hic adverſariis aqua, quod dicitur, hæret. Nam ſi uſque adeo utilis eſt *ſatisfactio* non fuit à baptiſmo excludenda. Sin iis, qui baptizantur, fraudi non eſt, quod nulla iis imponitur; cur non & *pœnitentes* ea carere ſine jactura, & periculo poſſunt? Sed neque concedo ſatisfactiones, quæ apud adverſarios in uſu ſunt, eam ad ſanctificationem vim habere, quæ hic ipſis tribuitur. Sane res ipſa ſatis per ſe loquitur, quam ad illos uſus ſit inefficax omnis hæc iſtorum diſciplina. Nam qui eam maxime, & ſtudioſiſſimè excolunt, eorumdem haud raro vita turpiſſima eſt, ac flagitioſiſſima. Neque mirabitur, qui rem penitius introſpexerit. Ipſa quidem illa, quæ in hoc genere duriſſima ſunt, ut *chamæeuniæ*, *jejunia*, *vigiliæ*, *flagellationes*, ea inquam, adeo parum ad veram pietatem valere fatetur Petavius, æque ac Bellarminus, Ieſuita, ut etiam *ſpirituali profectui plurimum interdum nocere* ſcribat; tum quod corporis valetudinem affligant, ac pervertant; tum maxime, quod moroſam quamdam pertinaciam, occultamque ſuperbiam in quorumdam animis procreent, ac foveant, qua excæcati & de ſe ipſis magnificè, atque arroganter ſentiant, & alios qui moderatius vivunt, præ ſe contemnant. Sed hæc ſane mittamus. Nam quas adverſarii vulgo pœnitentibus imponunt *ſatisfactiones*, eæ vero multo ſunt mitiores. Pro ſcelere capitali, furto, homicidio, & ſimilibus ſæpe apud eos non alia indicitur *ſatisfactio*, quam ut qui iſtorum reum ſe confeſſus eſt, quinquies aut ſepties orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, aut Pſalmos ſi fortè pœnitentiales recitet, aliquot dies jejunet, Eccleſiarum limina ſtatis diebus frequentet; ſecurus jam nunc de ipſo crimine, quod antequam *ſatisfiat*, dimittitur, ac mox etiam, ſi hæc præſtiterit, de iis ſceleris pœnis, quæ ſupererant luendæ. His *ſatisfactionum* ludibriis quis non videt homines, non modo, quod ait adverſarius, non admoneri *quanta ſit peccati gravitas*, ſed contra eo induci, ut credant peccatum rem eſſe jocularem, quæ talibus rebus tam facile expietur? Non aliter quam veteres olim Ethnici, quorum ſuperſtitionem Poëta caſtigavit,

Part. 3. l. 5. c. 3. de la Penit. publ. pag. 20.

Ah! nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Tolli fluminea poſſe putatis aqua.

Vnde fit, ut animo præcepta peſtilenti hac opinione, tamque facilis veniæ ſpe, quæ ex ea neceſſario oritur, libidinibus ſecure indulgeant, confiſi ſe, ſiquid gravius admiſerint, nullo id negotio amolituros iſtis

ſcilicet *ſatisfactionum* piaculis; Non aliter quam ſolent impuri, & intemperantes helluones vino ſe, & cibis ſecurius ingurgitare, emetici fiducia, cujus vi ſperant ſe facile diſcuſſuros quicquid ebrietatis, & crapulæ contraxerint. Ex quo & illud ſequitur, tali *diſciplina* vitiorum habitus non, quod tertio loco ait adverſarius, eradicari, ſed contra foveri, adoleſcere, confirmari, virtuteſque oppoſitas debilitari, ac paulatim exſtingui. *Chriſto* vero, quod ille ultimo affirmat, *compati*, *crucemque* ejus *geſtare*, qui hujuſmodi *ſatisfactionibus* exercentur, abſurdum & ridiculum eſt. Scilicet *Chriſto compatitur*, qui ad globulorum numerum preces neſcio quas demurmurat. Atqui ne *patitur* quidem, qui hæc agit. Ludere potius eum dixerim. Quod vero dicit Apoſtolus *cum Chriſto regnaturos*, qui *cum Chriſto paſſi fuerint*, eos intelligit, non qui his næniis defuncti fuerint, ſed qui perſecutionem ob Euangelium infracto animo tulerint, mundique odia, & Dei diſciplinas, atque probationes ſuſtinuerint; quod ex ipſo Apoſtolo clarius eſt, quam ut demonſtrari debeat. Sed nihil neceſſe eſt me in iſtis immorari. Nam ex ipſis adverſariis nuper exortus eſt Sorbonicus Doctor Antonius Arnaldus, qui ſpiſſo volumine hanc omnem diſciplinam, quæ iſtis hodie in uſu eſt & deliciis, copioſe ſane, & facunde exagitavit & quidem approbantibus, & applaudentibus Epiſcopis, aliiſque non infimi ſubſellii Theologis bene multis; velut univerſali hujus ſeculi impœnitentiæ faventem; quatuorque illas, quas ei Bellarminus falſo tribuit utilitates, prolixe confutavit. Nam in ſecunda parte illius operis (quod de *frequenti communione* inſcripſit) capite viceſimo quarto ſalſe ridet ſatisfactionum hodiernarum ludibria; capite autem viceſimo quinto demonſtrat eas à peccato minime abſterrere; tum capite viceſimo ſexto molliores eſſe, quam ut inoletos vitiorum habitus eradicare valeant; ac capite denique viceſimo octavo minime efficere, ut *Chriſto conformes* fiamus. Faceſſant ergo vana hæc hominum commenta; Vna obtineat Domini Ieſu diſciplina, qua nulla umquam extitit vel ad homines à peccato abſterrendos; vel ad vitia cohibenda, paulatimque extirpanda, vel ad virtutis ſtudia accendenda, vel ad ipſius Chriſti imaginem in nobis effingendam, melior atque efficacior. Ea autem hoc uno capite continetur, qui in ipſum vere crediderit ea fide, quæ ſit efficax, ejuſque vi prioris vitæ ſerio pertæſus mundo & carni nuncium remiſerit, ſanctitatemque, non illam umbratilem in ſuperſtitioſis ritibus, atque exercitiis ſitam, ſed vivam, ac ſolidam, ardenti in Deum pietate, ſinceraque in homines caritate conſtantem toto animo amplexus fuerit, illi peccata omnia per & propter Chriſti Domini meritum plane, ple-

Rom. 8. 17. 2. Tim. 2. 11, 12.

 neque

neque condonatum iri; qui aliter faxit, in damnatione æterna manſurum, neque illinc ullis vel ſuis, vel alienis *ſatisfactionibus*, ullo vel hujus, vel alterius vitæ igne ereptum iri, non ſi omnibus iis piaculis, quæ apud homines vel ſunt, vel fuerunt olim, rite purgatus fuerit.

Vltima Bellarmini pro *ſatisfactionibus* ratio ab utilitate petita eſt, quæ ex iis in alios redundat. *Nam ſæpè* (inquit) *ob peccatum unius non punitum, ut oportebat, in totum populum Dei furor accenditur; cujus rei teſtis eſt Ioſue, qui capite ſeptimo ſcribit populum Iſrael tamdiu coram hoſtibus terga vertiſſe, donec peccatum Achan detectum, & punitum non fuit.* Ego vero minime concedo humana *ſatisfactione* fieri, ut Dei in peccatores ira aut avertatur, aut mitigetur. Nego enim in rerum natura extare, aut extitiſſe umquam hujuſcemodi *ſatisfactionem*; Neque ſupplicium, quod de Achan ſumptum eſt, hujus generis *ſatisfactio* fuit; ſed vera *pœna* politica à ſummo magiſtratu ob violatam politicam legem inflicta; Neque nobis, ne illa deſit utilitas, quam hic urget adverſarius, ullis *ſatisfactionibus* eſt opus. Cum enim vera *pœnitentia*, & quæ ex ea profluunt ſanctimoniæ opera eam vim (quod ſæpe ſupra diximus) habeant, ut nos Dei flagellis liberent, non quidem ex ſuo merito, ſed ex Dei optimi maximi bonitate, multis promiſſionibus, atque experimentis ſancita; & ipſos peccatores, & cæteros fideles, ad hoc, ut paratas delictis pœnas à ſuis, fratrumque cervicibus depellant, in id modo incumbere decet, ut ad Dominum *toto corde* converſi, ad ejus præcepta vitam ſtudioſiſſime componant; Ad *ſatisfactiones* humanas, quæ neque ſunt ullæ, neque eſſe poſſunt, confugere nihil neceſſe eſt. Quod poſtremo addit Bellarminus *ex pœna unius multos ſæpe corrigi*, & Eccleſiam, quorum peccatis contriſtata fuerat, eorum *ſatisfactione* lætam fieri; Reſpondeo utrumque abunde effici vera peccatoris contritione, atque emendatione. Nam ex hujuſmodi converſionis exemplo, & fructum ad ſingulos, & ad univerſos ingentem lætitiam redundare notum eſt, ut fideles propterea vel *puniri*, vel *ſatisfacere* pro peccatis nihil ſit neceſſe. Denique, ut paucis abſolvam, illa, quæ vulgo *ſatisfactionum* nomine apud iſtos cenſentur, à Deo nobis in Scripturis commendata, & præcepta *pœnitentiæ* opera, & iis, qui ea præſtant, & cæteris fidelibus utiliſſima eſſe confitemur; *ſatisfactiones* eſſe, vel eos uſus, qui ex iis in nos dimanant, exigere, ut ſint *ſatisfactiones*, illud vero pernegamus. Atque ex his ſatis, niſi fallor, jam liquet non ratione magis, quam Scripturis probari fideles pro ſuis peccatis *ſatisfacere* poſſe.

CAPUT X.]

De ſatisfactionibus alienis. Solvitur primum pro iis arg^{um}. ex Col. 1. 24. paſſiones Chriſti reliquæ pro Eccleſia à Paulo impleta.

SVpereſt alterum adverſariorum de aliorum pro aliis *ſatisfactione* dogma. Docent enim illi fideles, non tantum pro ſuis quemque peccatis, ſed etiam alios pro aliorum delictis *ſatisfacere* ſic poſſe, ut eos pœna temporali, cujus erant rei, non aliter liberent, quam ſi ipſi pro ea *ſatisfeciſſent*. Illas autem *ſatisfactiones*, quæ à Sanctis præſtitæ quidem ſunt, ſed non tamen pro ſe ipſis, ita demum aliis ad expiandam peccatorum ab ipſis admiſſorum, pœnam valere volunt, ſi iis applicentur; applicari autem non aliter poſſe, quam Prælatorum Eccleſiæ, maxime Pontificis Romani ſententia; quibus ſolis ea poteſtas ſcilicet à Domino data eſt. Penes iſtos enim eſſe & ipſum ſatisfactionum *ſuperfluarum*, id eſt quibus nihil iis opus fuit, à quibus præſtitæ ſunt, *theſaurum*, & jus atque arbitrium eas fidelibus diſpenſandi. Ac tametſi meriti eadem, quæ *ſatisfactionis* ratio eſſe videatur, hic tamen eo iſta differre volunt, quod *mereri* quidem quiſquam, niſi ſibi ipſi non queat; *ſatisfacere* vero non modo pro ſe ipſo, ſed etiam pro aliis poſſit; quod unius *ſatisfactionem* alii applicari nihil vetet; *meritum* eo ſit ingenio, ut alii applicari nequeat. Cæterum everſis *ſatisfactionibus* propriis, iſtas alienas una quoque corruere neceſſe eſt. Nam ſi laborioſa illa opera, in quibus omnem *ſatisfaciendi* vim poſitam eſſe putant, ne ad eos quidem à quibus fiunt, pœna ſi quam debent, liberandos valeant; profecto multo minus ad alios, à quibus facta non ſunt, à ſimili pœna eximendos valebunt. Itaque cum in diſputatione, quæ proxime præceſſit, oſtenſum ſit nulla Scripturas agnoſcere fidelium hujuſmodi opera, quæ pœnam ipſorum peccatis debitam expiare queant, eadem opera confectum quoque videtur, ne aliis quidem hunc ea uſum præſtare poſſe. Ne quid tamen deſideretur, age etiam illa ſeorſim inſpiciamus, quæ pro alienis *ſatisfactionibus* è Scripturis afferunt, quæ ſane & pauca ſunt, & levia, atque hujuſmodi quæ nullo negotio diſſolvi poſſunt.

Bellar. l. 1. de Indul. c. 2. §. Secunda.

Primum igitur illa Pauli ad Coloſſenſes decantatiſſima verba magnis clamoribus recitant; *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Ac principio quidem conqueruntur ſibi à nonnullis per immanem Sycophantiam tribui, quod dicant, *Chriſti paſſionibus, quibus ille*

Col. 1. 24.

Bellar. l. 2. de Indulg. c. 14. §. Quartum.

peccata noſtra expiavit, aliquid defuiſſe, quo minus plena, ac perfecta eſſe poſſit ejus pro nobis ſatisfactio. Clamant, *mendacium eſſe tam impudens, & craſſum, ut nihil impudentius, vel craſſius fingi queat; neque ex tanto ſcriptorum ſuorum numero unum allegari poſſe, qui id dicat.* Teſtantur ſe omnes ſumma conſenſione docere *ſatisfactionem Chriſti fuiſſe infiniti pretii, & non ſolum plene & perfecte pro peccatis noſtris Deum placaſſe, ſed etiam placare potuiſſe pro peccatis infinitæ multitudinis hominum, ſi tot futuri fuiſſent.* Ac nequid ambigui in his, quæ univerſe dicta ſunt, ſubeſſe ſuſpiceris, iidem alibi explicatius ajunt *paſſiones Chriſti omnem culpam originalem, &* Ibid. c. 5. §. At enim ita. *actualem, letalem & venialem, & omnem pœnam ſempiternam, & temporariam expiare valere, idque totum per ſe etiamſi nullæ admiſcerentur paſſiones Sanctorum.* Denique *paſſiones Sanctorum accedere ad cumulum quidem* Ibid. c. 14. Qua re quum. *theſauri* fatentur; *ad defectum ſupplendum paſſionis Chriſti* negant, *quod ea nimirum ſit infiniti pretii.* Ego vero iſtis gratulor, quod vi veritatis, & Chriſti reverentia victi non eo procedunt impietatis, quo dogma ipſum ducebat. Nam ii, quod hic teſtantur, re vera credunt pleniſſimam, cumulatiſſimamque per ſe eſſe Domini Chriſti *ſatisfactionem*, eamque ſolam tantam habere vim, ut *omnem & culpam, & pœnam expiare* valeat; cur alias neſcio quas & noſtras & alienas ei adjungunt? cur miſeros peccatores eo ablegant? Iſta enim non cohærent, ut vel quem tu *pleniſſimum*, atque *ſufficientiſſimum* putas *ſatisfactionis theſaurum*, eo tamen contentus non ſis; vel quo contentus non es, eumdem tu *ſufficientiſſimum* eſſe credas. Si *Chriſti paſſiones per ſe omnem culpam, pœnamque expiare* poſſe exiſtimas, cur eæ tibi unæ ſatis non ſunt? Cur ad alias præter has confugis? Si ad alias quoque confugiendum putas, cur *Chriſti paſſionibus* plenam *αὐτάρκειαν*, ac ſufficientiam tribuis? Profecto neceſſe eſt te, qui iſta facis, vel aliquid putare Chriſti *ſatisfactioni* deeſſe, vel certe ſtultum eſſe, cui id, quod abunde *ſufficit*, ſatis non eſt; ut ſiquis cui præſens eſt perennis, uberrimus, ac copioſus fons, eum omittat; arentes, & cœnoſos rivulos conſectetur. Itaque non fruſtra factum eſt, quod aliqui ſuſpicati ſint adverſarios, qui ſuas, Sanctorumque *ſatisfactiones*, tum diſputationibus, tum uſu ipſo multo etiam magis commendant, paulo exilius atque abjectius de Chriſti paſſione ſentire. Ac tametſi id ipſi magna hic confidentia negent, reperitur tamen apud eos nonnemo, qui in hunc ipſum Pauli locum hæc totidem verba ſcripſit; *Hic palam inſinuat* (inquit) *id quod ſua patitur in carne Eccleſiæ prodeſſe, atque quod paſſio Chriſti in his minus habuit ſua ſuppleri; non quod Pauli paſſiones Chriſti ſint efficaciores; ſed quia Chriſtus per ſuam paſſionem tulit culpam; Paulus cum aliis juſtis operando, & patiendo pro corpore Chriſti,*

quod

quod ſupererat impleverunt. His verbis, quis non videt iſtum, quod nunc Polygran. in aſſert. quor. Eccleſ. dogmat.
alii negant, id affirmare, nimirum *Chriſti paſſioni* aliquid *defuiſſe?* Quid enim aliud ſignificat, quod ait *Chriſti paſſionem aliquid minus habuiſſe*, &, *quod ea minus habuit, id Pauli paſſione ſuppletum eſſe?* item, *Chriſtum tuliſſe culpam; Paulum, & alios juſtos, quod ſupererat, impleviſſe?* Profecto hæc vel ſignificant Chriſtum quidem pro culpa *ſatisfeciſſe*, Paulum vero & alios pro *pœna*; vel inepta ſunt, & ſenſus inania. Sed & ipſe Bellarminus (quod alibi ſupra commemoravimus) de Chriſti paſſionibus ſic Lib. 4. de Pæn. c. 15. ſ. Porro.
loquitur, ut dicat *Chriſtum ſolviſſe ipſum pretium, & ſatisfeciſſe immediate pro culpa, & reatu mortis æternæ eorum, quibus ſanguis ejus per ſacramenta applicatur; mediate autem pro pœna etiam temporali, quatenus gratiam præbet, per quam ipſi nos Domino ſatisfacimus.* Quibus verbis id ipſum videtur negare, quod hic concedit, *Chriſtum* nimirum *paſſione ſua expiaſſe etiam temporalem peccatorum noſtrorum pœnam*, adeoque affirmare quod hic negat, nimirum *aliquid Chriſti ſatisfactioni deeſſe* per noſtras, vel alienas paſſiones *ſupplendum.* Neque his ſaniora videntur, quæ apud Catharinum occurrunt: In Col. 1.
Poſt reconciliationem (inquit) *cum membra ſponte ſua relabuntur in peccata, variaſque infirmitates, & reatus, ut iterum inſtaurentur, non habent ſicut à principio habuerunt ſatisfactionem primariam à paſſionibus Domini integram.* Mox; *Poſt reconciliationem nato novo peccato, non vult Dominus ex integro ſatisfieri pro his ex ſuis paſſionibus.* Sed hæc ego hic quidem minime urgeo libenſque accipio, atque exoſculor quod adverſarius clara voce confitetur Domini *Chriſti paſſionibus*, quod ad vim *ſatisfaciendi* pertinet, *nihil plane defuiſſe.* Vnde illud quoque certiſſime, atque evidentiſſime conficitur, illa quæ Paulus *ſe adimplere* ait τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ *reliquias*, ſive (ut vertit Latinus) *ea quæ deſunt paſſionum*, ſive *afflictionum Chriſti*, minime ea ſignificare quæ *Chriſti paſſionibus defuerunt* ad hoc, ut eæ pro peccati ſive culpa, ſive pœna *ſatisfacerent* (nihil enim hujuſmodi Chriſti cruci defuiſſe conſentiunt,) ſed aliquid longe aliud. Quid vero id ſit, non eſt explicatu difficile. Cum enim Scriptura duplices memoret Chriſti *afflictiones*, ſive *paſſiones*; alias quidem, quas ipſe in corpore ſuo fixus cruci ad expiandum peccatum, & redimendam Eccleſiam pertulit; alias vero quas non quidem in ſe ipſo, ſed tamen in fidelibus, qui ipſius membra ſunt, quotidie perpetitur, non ſane ad *redimendam*, ſed tamen ad *propagandam*, & *perficiendam* Eccleſiam; cumque illas quidem plane, penituſque in cruce impleverit, quod ipſe quoque teſtatus eſt, cum Ioan. 19. 30.
paulo antequam animam exhalaret, clara voce exclamavit, *Conſummatum eſt.* Has vero non ante finem ſæculi *conſummatum* iri certum ſit,

Chriſtumque ad ea uſque tempora ſemper aliquid in membris perpeſſurum; minimè dubitandum eſt, quin Apoſtolus has, non autem illas intellexerit, cum dixit ſe *implere reliquias*, ſive *ea quæ ſuperſunt afflictionum Chriſti*. Nam & has Chriſti θλίψεις *afflictiones*, ſive *paſſiones* dici conſtat; tum quod ejus nomine, & pro ejus Euangelio à fidelibus ſuſcipiantur; tum quod ii, qui illas perpetiuntur, Chriſti, cujus membra ſunt, cenſeantur; adeo ut, quæ ipſi in hac cauſſa ferant, ille quoque ferre & perpeti dicatur; ut ex eo apparet, quod Saulo Chriſtianos in terris perſequenti ipſe de cœlo Chriſtus clamavit, *Saule, Saule, quid me perſequeris?*

Act. 9. 4. Quo factum eſt, ut quas Paulus Χριστοῦ θλίψεις hic vocat, eas ipſas alibi Χριστοῦ παθήματα dixerit. Latinus utroque loco *paſſiones* reddidit; *Sicut*

2. *Cor.* 1. 7. *abundant* (inquit) *paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Qua ratione quoque quam Moyſes olim abjectam cum Iſraële ſortem Ægyptiacæ aulæ ſplendori, atque opulentiæ prætulit

Hebr. 11. 26. Χριστοῦ ὀνειδισμὸν appellare non dubitavit, *majores* (inquit) *divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Neque aliud eum intelligere putaverim per eam, quam alibi ſe *in corpore ſuo circumferre* ait

2. *Cor.* 4. 10. νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ *mortificationem Ieſu.* Iam harum Chriſti *paſſionum* multum adhuc *ſuperfuiſſe*, & Paulo, & cæteris piis *crucem* Domini ſui *bajulantibus*, & etiamnum hodie nobis ſupereſſe, ac ſuperfuturum ſemper aliquid in poſterum nemo dubitat, donec Eccleſia iis omnibus, quæ Deus ipſi ad ſæculorum finem ferenda conſtituit, defuncta, planeque ad Chriſti Domini exemplum *per paſſiones conſummata* fuerit. Au-

In Pſal. 61. *T.* 8. *p.* 251. *c. d.* guſtinus hæc jampridem docuit, *Paſſiones Chriſti non in ſolo Chriſto; imo paſſiones Chriſti nonniſi in Chriſto. Si enim Chriſtum intelligas caput & corpus, paſſiones Chriſti nonniſi in Chriſto. Si autem Chriſtum intelligas ſolum caput, paſſiones Chriſti non in ſolo Chriſto.* Atque huc citat hæc ipſa Pauli verba, *Vt ſuppleam quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea.* Mox quemvis fidelem alloquens; *quicquid pateris ab eis, qui non ſunt in membris Chriſti, deerat paſſionibus Chriſti.* Et paulo poſt; *Paſſionum omnium*

Hebr. 2. 10. *non erit finis, niſi cum ſæculum finitum fuerit.* Hæ igitur ſunt *Chriſti afflictiones*, ſive *paſſiones*, quarum τὰ ὑστερήματα *reliquias*, ſive *quod ſupererat* Paulus ſe pro virili ſua ἀνταναπληροῦν *viciſſim implere* ait. Nimirum ut Chriſtus pro Pauli ſalute ſummos in cruce dolores, ipſamque *legis maledictionem* pertulerat; ſic nunc Paulus pro Chriſti gloria, atque euangelio grave certamen ſuſtinebat; in quo utriuſque fuerunt ſuæ quædam velut vices, idque Apoſtolus non obſcure innuit verbo illo ἀνταναπληροῦν; quod non eſt ſimpliciter *implere*, ſed *viciſſim implere.* Atque ita apparet nihil aliorum pro nobis *ſatisfactiones* eo juvari, quod ait Apoſto-

lus

lus *ſe ea quæ deſunt afflictionum Chriſti in carne ſua adimplere.* Sed (inquit) non ſimpliciter ait *ſe gaudere in paſſionibus*; aut *quæ deſunt afflictionum Chriſti adimplere*; verum diſerte addit eas paſſiones, in quibus gaudet, *pro Coloſſenſibus fuiſſe*, & illa ſe *quæ deſunt paſſionum Chriſti, adimplere pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; quæ clariſſime ſignificant ex iſtis Pauli *perpeſſionibus*, quæcumque tandem illæ fuerint, magnam ad Eccleſiam utilitatem redundaſſe, eaſque tum ad Coloſſenſium, tum ad cæterorum fidelium ſalutem perficiendam conduxiſſe; adeoque pios *pœnis*, ſiquas ii pro peccatis dimiſſis debebant, *liberaſſe*, hoc eſt pro ipſis *ſatisfeciſſe*. Ego vero abſit, ut negem magno fuiſſe Eccleſiæ uſui tanti Chriſti athletæ certamina. Hoc unum nego, quod adverſarii ajunt, ejus paſſiones, quæ hic commemorantur, peccatorum noſtrorum ἱλαστήρια fuiſſe, vel *ſatisfactiones* pro *pœnis*, ſiquas ultrici Dei juſtitiæ adhuc debemus. Neque vero id ſignificat, quod ait eas ſe *pro Coloſſenſibus*, & *pro* Chriſti *corpore, quod eſt Eccleſia, adimplere.* Fateor particulæ ὑπὲρ qua hic eſt uſus Apoſtolus, eam eſſe aliquando vim, ut ſignificet *loco noſtro fieri*, quod ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis factum eſſe* dicitur; non ſecus ac ſi ſcriptum eſſet *ἀντὶ ἡμῶν*; ut cum Chriſtus paſſim dicitur *mortuus* ὑπὲρ ἀσεβῶν, ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, ὑπὲρ τοῦ ἔθνους, ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ, ὑπὲρ πάντων, id eſt (ut vertit Latinus) *pro impiis, pro populo, pro gente, pro fratre, pro omnibus.* Eam vero voculam ita ſemper accipi nego. Nam ut cæteras ejus ſignificationes omittam, quæ ſunt ab hoc loco alienæ, notum eſt eam ſæpiſſime ſic ſumi, ut vel occaſionem, qua aliquid fit, vel cauſſam finalem, ob quam fit, ſimpliciter ſignificet. Ac prioris quidem ſenſus obvia ſunt paſſim exempla; ut cum Dominus ait, *Oſtendam illi, quanta oporteat eum* ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν *pro nomine meo pati*; id eſt *ob*, vel, *propter* nomen meum. Et cum Paulus ait *ſe gloriari in anguſtiis* ὑπὲρ Χριστοῦ, *pro Chriſto*; & cum idem alibi Philippenſibus *donatum* fuiſſe ait, *non tantum, ut in eum crederent*, ſed etiam ut ὑπὲρ αὐτοῦ *pro illo paterentur*; quibus duobus locis vel cæcus videt *pro Chriſto* eſſe ob *Chriſtum*, vel *Chriſti cauſſa*; non autem *Chriſti loco*, vel ut *pro Chriſti pœnis ſatisfiat*; quod non modo ſtultum eſt, & ridiculum, ſed etiam blaſphemum, & impium. Quid ergo prohibet, quo minus eamdem particulam hoc quoque loco eodem ſenſu accipiamus, ut ſignificet Paulus ſe *ob Eccleſiam*, cujus erat miniſter, ejuſque cauſa, atque occaſione pati? Nimirum non alia fuit eorum vinculorum, in quibus tum erat Paulus, cauſſa, quam Eccleſia, cui dum ex impoſito à Chriſto munere ſervire, ac miniſtrare ſtudet, in carcerem conjectus, & Romam ex Iudæa traductus fuerat non ſine magnis, & horrendis periculis. Merito ergo *pro Eccleſia*, quicquid iſtud

Rom. 5. 6. Ioan. 11. 50. 52. Rom. 14. 15. 2. Cor. 5. 14.

Act. 9. 16.

2. Cor. 12. 10.

Phil. 1. 29.

erat perpeſſionum *adimplere* ſe ait, quas uno Eccleſiæ ſtudio, atque amore incurrerat. Iam neque alterius ſignificationis pauciora ſunt, vel obſcuriora exempla; ut cum alibi ait Paulus, εἴτε δὲ θλιβόμεθα, *ſive autem premimur*, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, *pro veſtra conſolatione*, nimirum *premimur*, hoc eſt *ad conſolationem veſtram*; in gratiam conſolationis veſtræ. Item cum ait de Priſca, & Aquila; ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου *pro anima mea cervices ſuas ſuppoſuerunt*; non certe, ut pro ejus vel peccatis, vel pœnis *ſatisfacerent* (quid enim abſurdius dici poteſt?) ſed ut ſanctiſſimum virum Euangelii operi ſtrenue incumbentem vel ſui capitis periculo juvarent ac foverent. Atque hic etiam ſenſus præſenti loco convenit. Non enim dubitandum eſt, quin Apoſtolus ſumma illa diſcrimina adierit, *vincula*, *carcerem*, cæteraque acerba alacriter eo animo pertulerit, ut Eccleſiam, Domini ſui corpus, in Euangelii fide patientiæ ſuæ exemplis firmaret, adjectiſque ad ejus communionem, quos hæc ipſius *vincula* ad Dominum convertebant, in dies magis, magiſque augeret, atque perficeret. Atque hunc ex Apoſtolicis *paſſionibus* fructum ad Eccleſiam redundaſſe, & res loquitur, & ipſe Paulus alibi teſtatur, cum de illis ipſis vinculis, quæ hoc loco ſignificat, verba faciens, *Scire autem* (inquit) *vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt magis ad profectum venerunt Euangelii, ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, in omni prætorio, & in cæteris omnibus, & plures è fratribus confidentes vinculis meis abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui.* Sic in altera ad Corinthios epiſtola; *Sive* (inquit) *premimur, id fit pro veſtra conſolatione, & ſalute, quæ efficitur in tolerantia earumdem perpeſſionum, quibus & nos afficimur; ſive conſolationem accipimus, id fit pro veſtra conſolatione, & ſalute; & ſpes noſtra firma eſt de vobis; quod ſcimus vos, ſicut ſocii eſtis perpeſſionum, ita etiam ſocios fore conſolationis.* Quo loco clariſſime docet ſuas *perpeſſiones* eo fidelibus prodeſſe, non ut ipſi à ſimilibus pœnis eximantur, (qui eſt *ſatisfactionis* & finis & uſus) ſed plane contra ut ad ſimile ſuſtinendum certamen, ſuæ ſcilicet patientiæ, & conſtantiæ exemplo, parentur atque animentur. Itaque non aliud ex hoc Pauli ad Coloſſenſes loco colligitur, niſi in uſum Eccleſiæ, & ad ejus profectum, atque ædificationem ceſſiſſe, quæ ille Chriſti nomine perpetiebatur; eumque ſenſum à multis ſuorum obſervatum, & approbatum fuiſſe ait Bellarminus. Sane ſic omnino locum accepit Claudius Guillaudus; *Gaudet* (inquit) *Paulus, quia ſua afflictione, & paſſione ſive vinculis ſuis confirmat Coloſſenſibus, & omnibus fidelibus Euangelium.* Tum, *Hæc patior, ut ſim vobis in exemplum.* Iuſtinianus Ieſuita *Adimplere ſe dicit ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, non quidem ad meritum, aut vim ſatisfaciendi (quid enim*

2. Cor. 1. 6. — *Rom. 16. 4.* — *Phil. 1. 12, 13, 14.* — *2. Cor. 1. 6, 7.* — *Lib. 2. de Ind. c. 5. §. Porro.*

deſit

deſit infinito?) ſed vim, & efficaciam traducendi mortales ad fidem; idque ut corpus ejus myſticum, quod eſt Eccleſia, perficiatur. Docendo quippe, monendo, hortando, denique Euangelium promulgando magni labores tolerandi ſunt, pericula ſubeunda, multaque incommoda perferenda. Tum: *Quod igitur ait Paulus* adimplere ſe ea, quæ deſunt, paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, *ſignificat ſe pati pro Eccleſia amplificanda, ſeu propaganda ad ejus fidem confirmandam, ac ſtabiliendam, ut cæteros ad ſui imitationem provocet.*

Sed & in eadem omnia eunt plurimi, ac nobiliſſimi adverſariorum interpretes; quorum aliquot loca libet hic exempli gratia deſcribere. Thomas in hunc ipſum Apoſtoli locum; *Hæc verba* (inquit) *ſecundum ſuperficiem malum poſſunt habere intellectum, ſcilicet quod Chriſti paſſio non eſſet ſufficiens ad redemptionem, ſed additæ ſint ad complendum paſſiones Sanctorum. Sed hoc eſt hæreticum. Et paulo poſt; Sic etiam omnes Sancti patiuntur propter Eccleſiam, quæ ex eorum exemplo roboratur.* Quæ ſit autem illa ratio, qua propter Eccleſiam patiebatur Paulus alibi dicit explicatius; *Sed numquid paſſio Chriſti ſufficit? Dicendum eſt, quod ſic effective. Sed paſſio Apoſtoli dupliciter expediebat; primo, quia dabat exemplum perſiſtendi in fide. ſecundo, quia confirmabatur fides, & ex hoc inducebantur ad ſalutem.* Hæc poſtrema Eſpeuſæus, qui laudat, probat. Lyranus: in carne mea, *quia paſſiones Sanctorum* (inquit) *ſunt ad bonum totius Eccleſiæ, cujus ſunt membra.* Cardinalis Contarenus in verba Pauli; *Non ea ratione hæc dicuntur à Paulo, quaſi paſſiones Chriſti non ſufficiant (quantum eſt ex ſe) ad delenda peccata, & quod illis quippiam deſit, quod oporteat in nobis impleri: abſit hoc: ſed quoniam debemus nos imitari Chriſtum, & pati pro ædificatione Eccleſiæ ſicut Chriſtus paſſus eſt.* Titelmannus; *pro corpore ejus*, inquit, *integrando, & Eccleſia ſancta in unum congreganda.* Arias Montanus fuſius; *ἀνταναπληρῶ* pro ipſo rurſus adimpleo; *Namque ipſe in ſe, ut caput, multa pro ſua Eccleſia* fecit, & tulit, ſudavit, & alſit, *dum Euangelium Iudæis prædicaret, qui Eccleſiæ altera pars erant. Itaque ut miniſter multa tulit; ut vero ſalutis auctor plurima paſſus eſt uſque ad mortem crucis. Verum euangelii tum inter Iſraëlitas, tum inter gentes proſeminandi & conteſtandi cauſſa labores etiam reſervavit ferendos iis, quos in Apoſtolatus munus delegerat, horumque laborum bona pars Paulo obtigerat;* Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo. *Ejus vero partis portioni jam exantlatæ reliquam ſubjungi jam Paulus affirmans gratulatur.* Adam Sasbout: *Patior propter vos gentes, dum vobis prodeſſe ſtudeo propagando veram doctrinam.* Et adimpleo; *Chriſtus non omnia perfecit in corpore ſuo. Non enim ſufficit paſſio ipſius ad converſionem gentium, ſi non prædicetur*

Act. 6. in col.

Lect. 2. in 2. Timoth. 2.

In 2. Tim. 2.

In Col. 1.

In Col. 1.

In Col. 1.

In Col. 1.

dicetur Euangelium. Quod ergo hic deeſt paſſionum Chriſti, adimpleo, *monendo ſcilicet, docendo, prædicando, quod dum ſedulo ſtudeo facere multa patior dura & gravia; imo vincula & carceres. Illud*, pro corpore ejus, *hunc habet ſenſum, ut corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, perficiatur. Hic videtur germanus eſſe ſenſus hujus loci.* Accedat Eſtius, graviſſimus apud iſtos auctor; *Ex hoc* (inquit) *Apoſtoli loco non videtur admodum ſolide ſtatui poſſe.* (hæc ſcilicet doctrina, Sanctorum paſſiones fidelibus prodeſſe ad remiſſionem peccatorum, quæ vocatur indulgentia) *Non enim ſermo iſte, quo dicit Apoſtolus* ſe pati pro Eccleſia, *neceſſario ſic accipiendus eſt, quod pro redimendis peccatorum pœnis, quas fideles debent, patiatur, quod forte nonnihil haberet arrogantiæ; ſed percommode ſic accipitur, quomodo proxime dixerat*, Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis; *ut nimirum utraque parte ſignificet afflictiones, & perſecutiones pro ſalute fidelium, ipſiuſque Eccleſiæ promovenda toleratas.* Atque hæc quidem iſti.

In Col. 1.

Quod vero ait Bellarminus etiamſi hic ſenſus à ſuis probetur, poſſe tamen Apoſtoli verba eum ſenſum commode recipere, qui ad *theſaurum indulgentiarum* ſtabiliendum confert, (id eſt eum quo Paulus de *ſatisfactionibus* pro Eccleſiæ pœnis loquutus ſupponitur) neque eum ſenſum à Calvino refelli potuiſſe, id inquam ineptum ac ridiculum eſt. Cum enim adverſarius hunc Pauli locum ad *ſatisfactionem* probandam attulerit, ejus eſt demonſtrare non poſſe eum aliter, niſi abſurde, intelligi. Si non fecerit, inſtitutum minime probaverit. Nos, qui nunc ad ejus argumenta reſpondemus, hoc ſatis eo ipſo refellimus, quod oſtendimus locum allatum aliter, quam de *ſatisfactione* commode intelligi poſſe; & ſic quidem ut neque ipſe Bellarminus, neque alii adverſarii id negent, aut vero negare poſſint. Sic enim patet hunc locum nullam afferre neceſſitatem *ſatisfactionis* ejus ponendæ, quam adverſarii tuentur, eorum adeo dogma minime demonſtrare, cum Bellarmino fatente commodiſſime aliter intelligi queat. Nam quod alibi probare conatus eſt *ſatisfactionem* hoc Pauli loco comprehendi, illa omnis ejus probatio, tametſi à Gregorio de Valentia pro demonſtratione venditetur, inepta eſt, & inefficax. Sic autem Bellarminus agit; *Optavit* (inquit) *Apoſtolus fidelibus prodeſſe omnibus iis modis, quibus id fieri poterat. Nihil enim excipit, qui dicit*, Libentiſſime ipſe impendar pro vobis. *Potuit autem prodeſſe communicando paſſiones ſuas ad expiandum reatum temporalem, cum ſibi hujuſmodi ſatisfactiones abundarent, ut jam oſtendimus. Igitur optavit & voluit etiam hac ratione fidelibus prodeſſe. Quare patiendo adimplebat ea, quæ deerant paſſionum Chriſti, id eſt quæ Chriſtus in ſanctis ſuis adhuc paſſurus erat pro corpore ipſo Eccleſiæ, ſive inſtruendo prædicationibus,* ſive

L. 1. de Ind. c. 3. §. Prima propoſitio.

2. Cor. 12. 15.

ſive confirmando exemplis, ſive expiando ſatisfactionibus. Mirabilis ſane eſt hæc Bellarmini Dialectica; quæ id ipſum, de quo proprie dubitatur, pro demonſtrationis principio aſſumit; Quaſi aliquis ex hoc ipſo loco Paulum patiendo, non modo *ſatisfeciſſe*; quod volunt adverſarii, ſed etiam, quod nolunt, *meritum* fuiſſe *pro Eccleſia* ſic probaret; Non eſt dubitandum, quin Apoſtoli mens fuerit paſſionibus illis ſuis Eccleſiæ prodeſſe omni ratione, qua illæ prodeſſe poterant. Atqui Eccleſiæ prodeſſe poterant, non modo ut *ſatisfactio*, qua pœna temporalis admiſſorum ab Eccleſia peccatorum expiaretur, ſed etiam ut *meritum*, quod gloriam & Paulo & aliis *mereretur*. Ergo etiam hac ratione Apoſtolus paſſionibus illis ſuis Eccleſiæ prodeſſe voluit. Siquis tecum, Bellarmine, ſic agat, nonne hominis ineptiam irridebis, qui tamquam certum, & à te, tuiſque conceſſum, & probatum principium afferat id ipſum quod negas, quodque ille tibi probandum, & perſuadendum ſuſcepit, nimirum Sanctos *aliis mereri* poſſe? quo quidem neſcio quid dici, aut fingi poſſit in diſputando ſtultius. Atqui hic plane eadem eſt tua nobiſcum ô bone, ratio. Nos negamus Sanctorum opera eam habere vim, ut pro aliorum fidelium pœnis *ſatisfaciant*; imo ne pro eorum quidem, à quibus fiunt, pœnis *ſatisfacere* poſſe putamus. Tu, qui contra ſentis, quo nobis id, quod ſentis, perſuadeas, Pauli locum recitas, in quo ait ſe *pro Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, afflictiones pati.* Nos reſpondemus Apoſtolum *pro Eccleſia* ideo *paſſum* fuiſſe dici, quod ea, quæ paſſus eſt Eccleſiæ profuerunt ad fidei ædificationem, & confirmationem. Tu annuis; atque id nos quidem recte exiſtimare ais; ſed hoc præterea requiris, ut aſſentiamur illa, quæ Apoſtolus paſſus eſt, ideo quoque paſſum eſſe, ut ea membris Eccleſiæ ad *ſatisfactionem* prodeſſent. Id vero ut demonſtres, nos expectamus. Tu nobis pro demonſtratione occinis Pauli paſſiones Eccleſiæ prodeſſe potuiſſe, ſecundum vim *ſatisfaciendi* pro pœna. Atqui ſi hoc tibi concederemus, nullo Pauli teſtimonio, nullis argumentis opus erat. Haberes nos tecum conſentientes. Eſt enim tota hæc diſputatio de eo ipſo, quod tu jam ſumis. Quod ſi tibi licere exiſtimas ſic nobiſcum diſputare, quidni & mihi licebit eodem modo, ac ex eodem (ut ſic dicam) ligno aliam tuæ plane contrariam demonſtrationem ſic dedolare? Apoſtoli mens fuit ſuis illis perpeſſionibus Eccleſiæ prodeſſe ea tantum ratione, qua illæ prodeſſe poterant, non autem ea, qua non poterant. Atqui eæ Eccleſiæ prodeſſe non poterant, niſi ut *exemplum bonum* ad ædificationem, & confirmationem fidei continebant, non autem *ſecundum ullam vim ſatisfaciendi pro pœna*; Ergo illa ſolum, non autem etiam hac ratione Apo-

ne Apoſtolus paſſionibus illis ſuis Eccleſiæ prodeſſe voluit. Ridiculus es, inquis. Fateor; ſed tuo exemplo. Quod concludere debuiſti, inquis, id pro argumento ſumis. Tu vero, inquam, idem antea feceras. Itaque vel demonſtrationem illam tuam omitte, vel hanc meam admitte. Ego quidem utramque exſibilandam cenſeo; & cenſebit mecum quiſquis vel Logices naturalis non omnino expers fuerit. Sed de hoc quidem Pauli loco plura addere nihil eſt opus; quem nobiles adverſariorum interpretes Guillandus, Iuſtinianus, Eſtius, alii, vi veritatis victi, eodem quo nos, ſenſu ipſi exponunt. Tantum moneo eadem quoque ratione, eodemque ſenſu intelligendas quas alibi Apoſtolus
Eph. 3. 13. memorat ſuas pro Epheſiis tribulationes; itidemque quod in altera ad Timotheum epiſtola ab eo ſcriptum legimus, *Omnia ſuſtineo propter electos* διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, *ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto*
2. Tim. 2. 10. *Ieſu cum gloria cœleſti*; item quod in altera ad Corinthios epiſtola ait,
2. Cor. 12. 15. *Ego enim libentiſſime impendam, & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris*; in quibus fuſius explicandis nihil nos immorari neceſſe eſt, quod eorum eadem ſit, quæ eſt hujus ad Coloſſenſes loci ratio, idemque ſenſus.

CAPUT XI.

Solvuntur arg. *II. ex Eph. 5. 1. III. ex Gal. 6. 2. fideles onera mutuo alios aliorum ferre.*

VEnio ad alterum inſignem Pauli locum, *Eſtote* (inquit) *imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, & ambulate in dilectione; ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam*
Eph. 5. 1. De ſatiſf. ſect. 9. pag. 112. *Deo in odorem ſuavitatis. Vult dicere*, inquit Peltanus, *Quemadmodum myſtici corporis caput Chriſtus Ieſus ardens caritate motus pro membris ſuis ſemet-ipſum tradidit; ita (ſi uſus id poſtulat) unumquodque ejus membrum pro altero ſe ſe contradat oportet.* Ego quidem rem ipſam totam concedo; quam Ioannes diſerte conſtituit, *In hoc cognovimus* (inquit) *caritatem*
1. Ioan. 3. 16. *Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sed non ſi *pro fratribus* mori nos decet, id eſt vel *eorum cauſſa*, vel *ad eorum uſum*, eo fit, ut pro ipſorum vel *peccatis*, vel *pœnis* moriendo *ſatisfaciamus*. Sed hoc ipſum, moriendum eſſe *pro fratribus*, quamquam verum ſit, non videtur tamen Paulus præciſe in animo habuiſſe hoc quidem loco. Dilectionem nobis commendat; Chriſtique exemplum proponit; *qui nos* (inquit) *dilexit*. Dilexiſſe autem ex eo probat, quod *ſemetipſum pro nobis tradiderit*. Si tamen urget Peltanus

nus hoc ipſum quod Chriſtus mortem pro nobis oppetere non dubitavit, velut ejus exempli partem, quod nobis imitandum eſt, ab Apoſtolo proponi, non equidem contra pugnabo vehementius. (conſtat enim nobis ne mortem quidem ipſam recuſandam eſſe, ſi eam ut oppetamus, fratrum uſus, atque ædificatio depoſcit.) Tantum quod feci, negabo inde effici nos pro fratrum peccatis morte noſtra *ſatisfacere*. Neque ſi Chriſtus ſua morte peccata noſtra expiavit, ex eo conſequens eſt, ut nos quoque fratrum delicta morte noſtra expungamus. Nam ſi valet hæc conſecutio, concedendum erit, non pro *temporali* tantum (quod volunt adverſarii) ſed & pro *æterna* fratrum *pœna*, neque pro *pœna* tantum, ſed etiam pro *culpa*, piorum mortes Deo *ſatisfacere*; quod ipſi abſurdum, & impium eſſe confitentur. Conſtat enim Chriſtum *pro omni & pœna, & culpa* noſtra moriendo *ſatisfeciſſe*; ex quo liquet, ſi omnino eadem eſt noſtrarum *pro fratribus* perpeſſionum ratio, quæ mortis pro nobis à Chriſto perlatæ fuit, perpeſſiones noſtras eo quoque valere, ut fratrum & crimina deleant, & quas merebantur æternas pœnas expient. Iam cum hoc ipſi adverſarii exhorreſcant, neceſſario fateri debent non eſſe impenſius urgendam eam, ex qua id conſequitur, noſtræ in fratres dilectionis cum Domini in nos caritate comparationem. Mens Apoſtoli clara eſt; Vt Chriſti in nos amor verus, atque admirabilis fuit, ut ſatis conſtat ex ſtupendo illo documento, quo eum affirmavit, dum mortem pro ſalute noſtra acerbiſſimam ultro, atque volens adiit; ita & ſinceram atque efficacem noſtram eſſe debere aliorum in alios dilectionem. Non ultra tendenda eſt hæc à Paulo allata ſimilitudo. Neque ſane quod ſciam, quiſquam ex adverſariis præter Peltanum, fuit, qui hoc loco ad aliorum pro aliis *ſatisfactiones* abuteretur. Cæteri ſimpliciter de mutua fidelium dilectione itidem, ut nos, interpretantur.

Atque ex his patet, quid ad eorum argumentum ſit reſpondendum, qui ex eo quod Chriſti exemplo & agere, & pati debent fideles, concludunt eos alios pro aliis *ſatisfacere* poſſe. Illud enim tametſi fatear, hoc tamen nego; quia nimirum non id piis incumbit, ut ſimpliciter, & abſolute quæ Chriſtus fecit omnia, itidem & ipſi faciant; (Alioqui & mortuos ſuſcitare, & cætera divina patrare, & mundum *redimere* deberent;) ſed ut admirabilem ejus ſanctitatem, atque patientiam ſua quiſque pro virili imitentur, & quod eorum capit modulus atque infirmitas, id ſtudioſe præſtent. Iam vero pro peccatis cujuſquam *ſatisfacere* hujuſmodi eſt, ut ſit unius Chriſti; non autem cujuſquam hominis ψιλοῦ. Chriſtus in hoc, *non quid imitaremur, ſed quid gratularemur* contulit,

Auguſt. in Ioan. tract. 84. tulit, ut dixit olim nonnemo. Nihil ergo qui ſic argumentantur, efficiunt, niſi prius demonſtratum dederint pro fratrum peccatis *ſatisfacere* hujuſmodi opus eſſe, quod à nudis hominibus peragi poſſit.

Galat. 6. 2. Illa quoque Peltani eſt non abſimilis inverecundia, quod horſum trahit Pauli ad Galatas commonefactionem, *Alter alterius onera portate.* Cæterum qua ratione ex his colligat unius perpeſſione pro altero *ſatisfieri*, non dicit. Apoſtoli quidem plana eſt, & perſpicua ſententia, mutua caritate aliis aliorum nævos ferendos eſſe; neque in eos fratres, qui vel in errore, vel in delicto aliquo verſantur, ſæviendum, ſed benigne, & multa cum lenitate iſta eorum velut onera ſublevanda, quo ea noſtra patientia paulatim fracti, ac victi tandem aliquando abjiciant; ipſiſque nobiſcum eadem ratione agendum eſſe, ſiquando contigerit nos in aliquod peccatum per imprudentiam incidere. Hanc Pauli mentem eſſe clariſſime oſtendunt, quæ locum, vel antecedunt, vel conſequuntur. Antecedunt autem iſta; *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi* (nimirum hominem) *inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Quid poterat dici clarius? Tum iſta, quæ objectat adverſarius, continenter ſubjicit, *Alter alterius onera portate*; quæ vel omnino eſſe, quod dici ſolet, *ἀπροσδιόνυσον*, neque cum præcedentibus cohærere fatendum eſt; vel certe concedendum ad mutuam illam, quam Apoſtolus in præcedentibus commendat, piorum inter ſe ſe *ἐπιείκειαν*, & *συγκατάβασιν* pertinere; quæ quam nihil habeat cum unius pro altero *ſatisfactione* commune, omnes intelligunt. Idem etiam ſuadet quod ſequitur, *& ſic* (inquit) *adimplebitis legem Chriſti.* Chriſtus enim quam nos hic intelleximus, mutuam dilectionem ubique præcipit; Illam, quam vult adverſarius, unius pro alterius pœna *ſatisfactionem*, ne vel leviter quidem uſquam innuit. Quin & ipſi adverſarii, cum opera, quibus *ſatisfactionem* contineri ajunt, indebita eſſe doceant; qui pro fratre *ſatisfacit*, eum non *legem Chriſti implere*, ſed aliquid longe majus, ac, ut ipſi loquuntur, *ſupererogatorium* præſtare exiſtimant. Sed quid opus eſt in re clara tempus terere, cum doctiſſimos quoſque, & celeberrimos adverſariorum interpretes conſentientes habeamus? Carthuſianus; Alter alterius onera portate; *id eſt* (inquit) *defectus veſtros, & infirmitates, atque peccata mutuo patienter ſufferte, orando pro alterutro, mutuo ſuccurrendo verbis, ac rebus. Vnde & alibi ait, ſupportantes invicem in caritate.* Iuſtinianus; *In eodem* (inquit) *perſiſtit argumento; omninoque veriſimile eſt Paulum Galatis præcipere, ut eos, qui a pſeudo-apoſtolis ſeducti eſſent, quaſi gravi aliquo onere preſſos ſublevent, iiſque ſua patientia, ac tolerantia ſubſidio ſint; quaſi dicat, Cum illos in*

errorem

errorem lapſos videtis, putate vos in eundem errorem incidiſſe. Itaque vos illis benigne opitulemini, ut illi vobis viciſſim opem ferant. Cardinalis Seripandus; *Alterum*, inquit, *præceptum ad conciliandam, & maxime confirmandam fraternam caritatem aptiſſimum, ut alii aliorum onera ſuſcipere, atque allevare ſtudeant; quod tametſi commune ſit, ac latiſſime pateat, illud tamen maxime reſpicit, quod proxime præcepit, nempe ut qui per Spiritus ſancti beneficium, & munus conſiſtit invictus, eum, qui per carnis imbecillitatem cecidit, erigere & perinde ac luxatum ejuſdem corporis membrum in locum ſuum reponere ſtudeat, ut ſi & ipſe lapſus aliquando fuerit, alterius ſtudio corrigatur, reparetur que.* Conſimilis eſt Guillaudi, & Godelli interpretatio, & auctoris anonymi, cujus in epiſtolas ad Romanos, & Galatas extat commentarius Paulo tertio Pontifici Romano inſcriptus. Neque aliter locum accipiunt Lyranus, Cajetanus, Emanuel Sa, Adam Saſbout, Titelmannus, Arias, Faber Stapulenſis; alii, quorum loca deſcribere longum eſt.

CAPUT XII.

Solvuntur argᵃ. IV. ex communione Sanctorum ductum. V. ex 2. Cor. 8. 14. VIᵘᵐ. ex Pſal. 119. 63. particeps ſum timentium te.

Sed huc etiam afferunt adverſarii illum ſymboli Apoſtolici articulum, qui eſt de *communione Sanctorum. Docemur enim* (inquit Bellarminus) *in hoc articulo fideles omnes eſſe invicem membra, & quaſi vivum quoddam corpus, ut etiam B. Paulus affirmat Rom. 12. & 1. Cor. 12. & ſicut membra viva ſe invicem juvant, ita fideles inter ſe bona ſua communicare; præſertim cum ea, quæ uni ſuperflua ſunt, alteri neceſſaria, vel utilia eſſe poſſunt.* Ego vero hæc concedo non invitus; ſed ex eo ſequi fidelem unum pro alterius pœnis *ſatisfacere*, nego. Primum enim non efficit ea *communio*, quam inter ſe habent unius ejuſdemque corporis membra, ut unum pro altero *ſatisfaciat*. Verbi gratia, ſiquid doloris, aut moleſtiæ oculus patiatur, fateor manus, & cæteras corporis partes pro ſua quamque vi oculo opem ferre, ac ut is dolore liberetur, allaborare; non tamen id pro oculo, ejuſque loco patiendo, ſed agendo potius aſſequi. Nam manus certe dolor, ſiquem ea oculo dolente ſuſcipiat, oculum ipſum dolore, qui ipſi incumbit, minime liberat. Id efficit potius ipſi à manu illitum collyrium. Eadem eſt Sanctorum, qui Eccleſiæ membra ſunt, ratio. Siquis eorum peccato, vel pœnæ reatu, tamquam morbo laborat, concedo alios pro ea communione, quæ inter

Lib. 1. de Ind. c. 3. 5. Prima prop.

ipſos intercedit, illius malo affici, opem ferre, omnemque operam dare, ut frater quam primum liberetur: Pro eo ſic pati nego, ut iſtorum paſſio ipſi imputetur, ipſumque ea *pœna*, qua tenebatur, eximat. Itaque non efficit *ſanctorum communio*, ut fideles alter pro altero *ſatisfacere* poſſint; efficit tantum ut aliorum alii bona, malave, commoda, & incommoda mutuo ſentiant, iiſque inter ſe aut afficiantur, aut fruantur; & quæ ſingulis ſunt vel adverſa, vel proſpera in univerſos quodammodo transfundantur. Tum quod ait adverſarius *fideles inter ſe bona ſua communicare*, ambigue dictum eſt. Nam ſi id de quavis *communicatione* intelligatur, non ea modo, qua res ipſa alteri datur, ſed ea etiam, qua aliquis rei uſus, fructuſve conceditur, verum eſt *fideles inter ſe bona ſua communicare.* Omnium enim quæ quivis eorum bona habet, omnium quæ vel ſapienter & cum laude geſſit, vel fortiter pro Chriſto paſſus eſt, uſus fructuſque aliquis ad cæteros redit; tum quod ea ad corporis, cujus omnes pariter membra ſunt, decus, atque ornamentum pertinent; tum etiam quod ſingulis exemplum eorum in mores, vitamque ſuam traducere licet. Sin de ea *communicatione* intelligant, qua quod unius eſt, alterius proprium fit, atque cenſetur, equidem hoc ſenſu non omnia *fideles inter ſe bona communicare* conceſſero. Id enim ſi concedamus, fatendum erit, quod eſt unius benemeritum, id cæterorum etiam fore. Ea ratione mea erunt omnia Pauli, & Petri egregia; mea erit illorum fides, fortitudo, conſtantia; neque aliter mihi imputabuntur præclara eorum facta, quam ſi ego ea re vera geſſiſſem; atque adeo, quæ ex adverſariorum hypotheſi, ipſorum meritis debetur gloria, atque æternitas, mihi debebitur; quo delirius, aut perverſius ne fingi quidem quicquam poteſt. Cum igitur quæ ſanctorum eſt *inter ſe communio*, vel iſtis fatentibus, minime efficiat, ut quod hic operibus ſuis præmium meritus eſt, ille alter, qui nihil fecit, conſequi poſſit; neque illud profecto efficere cenſenda eſt, ut quis iis *pœnis*, quas debet, liberetur ob ea, quæ alius aliquis ex eadem ſocietate perpeſſus eſt. Nobis ſanctorum non aliter *paſſiones*, quam quæ dicuntur *merita*, communicantur; quatenus nimirum utrorumque nobis exemplum utendum fruendum ipſi reliquerunt, quod reſpicere, & in rem noſtram imitando traducere licet; & ad eam gloriam, qua jam illi potiuntur, per ejuſdem virtutis, atque patientiæ exercitia graſſari. Denique reſpondeo hoc etiam turpiter laborare adverſarii argumentum, quod *αἰτεῖ τὸ ἐν ἀρχῇ*. *Fideles*, inquit, *inter ſe bona ſua communicant*; hoc eſt bona, quæ habent. Atqui *ſatisfactionem*, quam iſti nobis à Sanctis communicari volunt, eam habere Sanctos negamus. Hoc itaque adverſario probandum

fuit,

fuit, non ſupponendum. Nos enim hoc noſtræ *ſatisfactionis* bonum neminem omnino hominem habere, ne ſanctiſſimos quidem, putamus. Vnus Dominus Chriſtus, *Sanctus ſanctorum*, id bonum acerbiſſima cruce partum, ac quæſitum habet, ab ipſo uno cum iis communicandum, quoſcumque vera fide ſibi inſitos geſtat.

Huc etiam pertinent duo loca, quæ afferre ſolent adverſarii; unum ex Paulo; alterum ex Pſalmis. Prior locus ſic habet; *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplemento.* Loquitur autem eo loco Apoſtolus de beneficentia, quam à Corinthiis fidelibus in Iudæorum uſum flagitabat. Adverſarii autem hæc ejus verba ſic accipiunt, ac ſi ſignificet ſi Corinthii ſanctis Iudæis pecunias, quibus egebant, dederint, fore, ut quæ ſibi deerant *precum*, & *ſatisfactionum* ſubſidia, ipſi ea viciſſim à Iudæis accipiant; id eſt bona ſpiritualia pro carnalibus; ut alibi idem ait, *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus ſubminiſtrare illis.* Atque hinc colligunt eam eſſe in Eccleſia *communicationem*, ut alii aliis ſua *bona communicare* ſoleant, nec ſolum bona corporalia, ſed etiam ſpiritualia invicem præbere poſſint. *Ex quo* (inquiunt) *ſequitur, ut etiam unus pro alio ſatisfacere, & aliorum paſſiones etiam aliis applicari valeant.* Sed totum hoc argumentum eſt nihili. Primum enim Pauli verba perperam iſti interpretantur; & quæ is dixit de temporali pecuniarum, & hujus generis bonorum largitione, qua fideles alii aliorum inopiam ſublevant, hi nulla ratione ad ſpiritualium pro temporalibus communicationem trahunt. Nimirum hoc ſignificat Apoſtolus, Vt præſenti tempore ἐν τῷ νῦν καιρῷ Corinthiorum *abundantia*, ſanctorum, quibus tum largiebantur, inopia ſublevabatur; ita alias horum viciſſim copia illorum, ſi opus fuerit, inopiam ſublevatum iri. Non enim iidem ſemper fideles aut *egent*, aut *abundant*. Sua ſunt ſingulis & copiæ, & inopiæ tempora; ut qui nunc largiuntur, olim accipiant, & contra. Iuſtinianus clariſſime ſenſum expreſſit; *Vt quemadmodum* (inquit) nunc vos, qui abundatis, *aliis inopibus ex veſtro largimini; ſic ſi res poſtulet, de ſuo viciſſim vobis egentibus largiantur.* Iam ſi in iſto genere quædam eſt largitionis, & eleemoſynarum mutua inter fideles communicatio (quod nos fatemur) quis non videt non ideo tamen ſequi, ut aliqui pii pro aliis *ſatisfaciant?* Quod vero ex epiſtola ad Romanos laudant, longe aliud eſt. Nam iſtic Apoſtolus *carnalia* à *ſpiritualibus* diſerte diſtinxit, illa ſignificans Gentes Iudæis haud gravate miniſtrare debere à quibus hæc accepiſſent. Nimirum Gentiles ab hominibus Iudæis in Chriſti euangelio inſtituti, fidem ab iis, & ſalutem, & bona cœleſtia acceperant.

2. Cor. 8. 14.

Bell. l. 2. de Ind. c. 15. tot.

Rom. 15. 27.

rant.

rant. Itaque conſentaneum fuit, ut quibus tantum, tamque inæſtimabilem theſaurum debebant, iis ipſis reculas temporales, quibus ad hanc tolerandam vitam opus eſt, gratis & libentibus animis viciſſim largirentur; quod & ipſe Bellarminus hic agnoſcit. Neque quod Apoſtolus generatim *ait horum abundantia illorum inopiam ſuppleri*, eo fit ut hi *ſpiritualia*, illi *temporalia* largiri cenſeantur. Eo enim temporum, non autem rerum, alternam quandam permutationem ſignificari docet vocabulum *in præſenti tempore*; quod non eſt fruſtra poſitum. Eadem utroſque largiri intelligit; nimirum *temporalia* ſubſidia; ſed hos hoc tempore, illos alio; ut quæ hi nunc ab illis ad præſentis inopiæ ſubſidium accipiunt, eodem olim ex futura abundantia largituri ſint. Denique fac de *ſpiritualibus* loqui Apoſtolum, ac intelligere hos pro *temporalibus*, quibus abundant, ab aliis *ſpiritualia*, quibus egent, accipere; non ideo tamen ſequitur *ſatisfactionem* pro peccatis, qua egent, accipere. Quid enim? An præter *ſatisfactiones*, nullæ ſunt aliæ *ſpirituales* copiæ, quibus egentes pii aliorum temporalem in ſe beneficentiam remunerari queant? non precum, & orationum auxilia? non virtutum exempla? non doctrinæ & eruditionis lux ſive viva voce, ſive ſcripto fœnerata? Profecto ut ut latiſſime extendatur hæc piorum inter ſe benignitas, neceſſario ad ea bona reſtringitur, quæ qui donant, habent; neque enim quæ non habent, donare poſſunt. *Satisfactionem* vero pro peccatis ullum habere fidelem, quam nobis ſcilicet largiri poſſit, non probarunt adverſarii, & nos conſtanter negamus. Certe Carthuſianus & Cajetanus, qui *ſpiritualia* pro *temporalibus* repenſa à ſanctis Hieroſolymitanis cum Bellarmino volunt, nulla alia hujus generis bona memorant præter *orationum*, & precum ſubſidia, *quatenus ipſi* (inquit Carthuſianus) *dum de veſtris eleemoſynis ſuſtentantur, orent pro vobis, & impetrent, quod ipſi meritis veſtris impetrare non poteſtis. Provocati* (inquit Cajetanus) *veſtris eleemoſynis ſuccurrent ſuffragiis orationum apud Deum vobis, in iis, quæ ſunt ad ſalutem animæ.* Idem quoque ſentiunt Faber, Contarenus, Sa, Guillaudus, & Arias. Gagnæjus vero hanc iſtorum ſententiam, qui hujuſmodi interpretantur bonorum *ſpiritualium* compenſationem diſerte rejicit, & longe aliter totum hunc locum accipit.

Venio ad alterum locum, quem ex Pſalmis deſcribunt, *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Sed quid hoc ad aliorum pro aliis *ſatisfactiones?* In Hebræo eſt חבר quod *ſocium* proprie ſignificat, non *participem*. Itaque his verbis teſtatur David ſe ſanctam cum cæteris piis ſocietatem, & habuiſſe, & coluiſſe diligenter. Iam non quiſquis fidelium *ſocius* eſt, cum neceſſe eſt *ſatisfactiones* pro ſuis peccatis ab iis mutuo accipere.

Pſal. 119. (*lat.* 118.) 63.

accipere. Alioqui nulla eſſet, vel eorum, qui *ſatisfactionibus* minime indigent cum iis, qui abundant, ſocietas; vel ullorum fidelium cum iis, quibus nullæ ſuperſunt *ſatisfactiones.* Alia ſunt pæne innumerabilia mutuæ fidelium caritatis officia, in quibus ſita eſt hæc illorum inter ſe ſocietas, vel, ut cum Latino loquar, *participatio.* Mutuo inter ſe juvant *precibus*, *auxiliis*, *amore*; tantaque eſt omnium inter ſe conjunctio, ut quod vetere proverbio de amicis dicitur, *omnia ſint* eorum *communia*, quod hic etiam ex Auguſtino obſervat Bellarminus. *Satisfactiones* vero inter hæc omnia cenſendas, neque ex hoc Pſalmi loco, neque ex ulla alia Scriptura habetur. Itaque & hoc argumentum eodem vitio laborat, quo cætera iſtorum in hac cauſſa pæne omnia. Nimirum quod probandum erat, id ſupponit, non probat. Quod cum viderent nobiliſſimi adverſariorum interpretes, Davidis locum ſimpliciter, ac bona fide ſicut nos, interpretati ſunt; de *ſatisfactionibus* verbum nullum fecerunt. Muyſſus: Particeps; *proprie ſocius ſum. Senſus. Improbos odi; ſed tui timentes, & tuarum legum religioſos obſervatores ita colo, atque amo, ut ego cum iis ſocietatem, & amicitiam ineam.* Ianſenius; *Socius ſum omnium reverentium te, & ex reverentia nominis tui cuſtodientium mandata tua. Cum his enim in timore tuo & obſervatione legis participo; cum his beneplacitum eſt mihi amicitiam inire; convivere & connumerari opto.* Similia ſcribunt Cajetanus & Baptiſta Folengius, qui hæc *ad aſſiduam conſuetudinem* refert *cum his, quibus venerandus quidam, ſanctuſque injectus eſt erga Deum timor, hoc eſt cum conſummatæ vitæ hominibus in hoc mundo. Quantum Deus bone, lucis, quanta ex iſtiuſmodi exoritur familiaritate in Dei obſequio jucunditas! Cum his itaque, quæ Dei timore affectos noverat, ſua ſe communicaſſe conſilia, vitæque rationes, fatetur.* In loc.

CAPUT XIII.

Solvuntur arg^a. VII^um, ex 2. Cor. 2. 10. cui aliquid donaſtis, & ego. VIII. Ex pœnis, quæ ob unius crimen, aliis infliguntur. IX. Ex eo quod ad fidelium preces Deus multa hominibus donat.

Firmiora non ſunt cætera, quæ ab adverſariis in hac cauſſa adhibentur. Illud vero plane futile, quod pauci huc trahunt, Paulum Corinthio illi, qui ob inceſtus cum noverca crimen Eccleſiæ communione ejectus erat, juſtam *ſatisfactionis* (ut illi quidem loquuntur) pœnam ob aliorum *preces, lacrymas*, atque *interceſſionem* mitigaviſſe; quod Apoſtolum his verbis teſtari volunt, *Cui aliquid donaſtis, & ego;* 2. Cor. 2. 10.

 indeque

indeque concludunt nos iis pœnis, quas debemus, aliorum fidelium paſſione liberari. Nihil eſt in tota hac ratiocinatione ſani. Primum enim nihil omnino apud Apoſtolum extat de ea peccatoris iſtius *ſatisfactione*, quam à Paulo mitigatam eſſe contendunt. Illum ex Pauli præcepto excommunicatum fuiſſe concedimus; pro pœna peccati *ſatisfacere* juſſum, ſomniarunt adverſarii; non legerunt, aut probarunt. Ergo quod ei à Corinthiis, & à Paulo ſecundum Corinthios *donatum* eſt, id non *ſatisfactionis*, ſed diuturnioris excommunicationis relaxatio fuit. Tum ſiqui Corinthios pro illo peccatore rogaſſe ajunt, ij Paulum rogaſſe ajunt; non Deum precatos eſſe. Iam iis precibus, quibus pro peccatore aliquo cæteri fideles apud præſidentes Eccleſiæ intercedunt, *ſatisfieri* pro peccatis eſt inauditum. Denique totum hoc Pauli factum ad diſciplinam Eccleſiæ, non ad *ſatisfactionem* pro peccato apud Deum pertinere clarum eſt. Peccator ideo erat excommunicatus, quo ad pœnitentiam, veramque vitæ emendationem perduceretur. Medicinam Paulus, poſtquam profuiſſe comperit, amovit; ut emplaſtrum obducto vulnere, ut vinculum confirmatis artubus, medicus. 2. Cor. 2.6.7.8. *Sufficit illi*, inquit Apoſtolus de hoc peccatore loquens, *objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt; propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum caritatem.* Vnde videre eſt Paulum, etiam ex ipſo rei uſu, non ex ſolis Corinthiorum precibus peccatori illi indulſiſſe, ut in Eccleſiæ *communionem* reſtitueretur; quia nimirum id poſcebat ipſius ædificatio.

De ſatisf. ſect.9. p. 111. Sed neque adverſariorum cauſſam juvat illa Peltani odioſa ſane, & puerilis declamatio, qua ſæpe propter unius peccatum alios, & quidem multos pœnas dediſſe narrat; & magna laterum vi exſequitur ea mala, quæ ex Achani primo, tum ex Davidis crimine, & poſtea ex Phariſæorum ſcelere in totam Iudæorum gentem redundarunt, aliaque conſimilia. *At* (inquit) *Deus non minus ad condonandum propenſus eſt, quam ad puniendum.* Imo (inquam ego) multo etiam magis. *Cur ergo*, inquit, *qui inſonti mortem, aliaque mala propter alterius ſcelera irrogat, ſonti propter alterius ſatisfactionem pœnam temporaneam non condonabit?* Quia, inquam, ſanctis, quod mortem & ipſius, & aliorum mereatur, peccatum eſt; juſti, quæ *pœnas* vel ipſius, vel aliorum expiet, *ſatisfactio* nulla eſt. Quo fit, ut vere Dei multo major appareat in condonando lenitas, quam in puniendo ſeveritas; quippe qui neminem, niſi nocentem, *punit*; condonat vero etiam immerenti, etiam non *ſatisfacienti*. Peltani ratio plane contra efficit, ut non modo non clementior, quam ſeverior, ſed ut ne

clemens quidem ſit Deus; qui, ſi iſtum audimus, numquam pœnam *temporalem* ulli pœnitenti condonat, niſi vel is ipſe, vel aliquis certe pro eo ſanctus *ſatisfecerit*. Nam reo eas pœnas, pro quibus *ſatisfactionem* acceperis, remittere non clementiæ, ſed juſtitiæ eſt. Fateor Dominum ſi cui vel ſua, vel aliena *ſatisfactione* expiato, pœnam nihilo ſecius infligeret, minus juſte cum eo acturum, quam cum iis agit, à quibus, quamquam non ſui, alieni tamen peccati pœnas exigit (eſt enim in his aliquid pœna dignum; peccatum nimirum, quod iis, quamquam alienum, imputatur; in illo vero, ſiquidem vere expiatus eſt, nihil plane pœna dignum eſt.) cum neutro vero clementer, & miſericorditer agitur, ut nonniſi ſtulte aliquam Deo miſericordiæ laudem inde quærat Peltanus, quod eum nobis aliena *ſatisfactione* expiatis pœnas remittere fingit. Si ſic nobiſcum ageret Deus, eo non *miſericordiam*, ſed *juſtitiam* exerceret. Itaque ſi ſolidam Deo miſericordiæ ſuæ rationem conſtare vult, debet nobiſcum fateri eum fidelibus una illius Chriſti, qui nobis ab ipſo totus donatus eſt, gratia, atque merito expiatis, peccatorum & culpas, & pœnas gratuito ſine ulla ipſorum vel alterius cujuſquam nudi hominis *ſatisfactione* remittere.

Iam aliud ſequitur ejuſdem Peltani argumentum; *Certe* (inquit) *Deus ob inſignem Abrahami pietatem pepercit Loth, & Abimelech, paratumque ſe declarat ob decem tantum juſtos, ſi tot forte inter illos reperti fuiſſent, omnibus Sodomitis, & Gomorrhæis, eorumque vicinis parcere. Sic ob inſignem Davidis religionem, & ſanctimoniam pepercit Salomoni, multiſque præterea aliis regibus longa ſerie ex illo propagatis; Propter Apoſtoli Pauli caritatem ducentis naufragis animabus; propter Moyſis interceſſionem toti Iſraeli. Sic ut paucis abſolvam, propter eximiam offerentium fidem, utriuſque hominis ſanitatem præſtitit paralytico, & alia ſubinde aliis propter aliorum merita, & caritatem præſtare ſolet. Cum hæc ergo in beneficiorum præſtatione citra ullam tergiverſationem admittantur, (ſunt enim ex Scripturis manifeſta) cur in temporalium pœnarum condonatione admitti non debeant?* Hæc Peltanus. Nos fatemur Deum multa in gratiam piorum etiam aliis hominibus concedere; itaque hanc totam adverſarii orationem poſſumus admittere, ſi modo ea ſano ſenſu ſumatur. Neque enim eorum beneficiorum nomine, quæ ad ſuorum preces Deus aliis largitur, ea tantum bona intelligimus, quæ iis donat fruenda, ſed etiam pœnarum, quas condonat, liberationem. Et cum in his ipſis exemplis plæraque ſint hujus generis, ut Loth ex Sodomorum incendio ereptus in Abrahami gratiam, Salomo, cæterique Iſraëlis reges pœnis, quas merebantur, ob Davidem liberati, naufragi Paulo donati; Peltanus, qui ea attulit, ineptus eſt qui ipſa

Ibid. p. 111. 112.
Gen. 19. 20. & 18.
1. Reg. (lat. 3.) 11.
Act. 28.
Exod. 32.
Matth. 9.

ipſa jam à pœnarum temporalium remiſſione, quaſi diverſa, ſeparat. Sed hæc tametſi, ut dixi, admittere poſſimus, tamen explicare præſtat, ne qua in adverſarii verbis, æquivocationis fraus lateat. Igitur dum iſta Deum ſuis conceſſiſſe dicimus, non ſic intelligimus, quaſi hæc ipſi à Domino beneficia pietatis aut caritatis ſuæ merito extorſerint; quod videtur ſignificare Peltanus, cum ait hæc illis donata *ob inſignem horum pietatem, ſanctimoniam, religionem, caritatem, interceſſionem, fidem.* Abrahami inſignem fuiſſe *pietatem*, Davidis eximiam *ſanctimoniam*, & religionem, Pauli *caritatem*, Moyſis *interceſſionem*, amicorum paralytici *fidem*, fatemur; *meritum* iſtorum, aut cujuſquam alterius juſti, ullum fuiſſe negamus. Quoties Deus vel ipſis piis, vel aliis in gratiam piorum benefacit, facit ex ſua bonitate, & quo eos ſummo quidem, ſed tamen gratuito, proſequitur, amore; ex eorum *merito*, quod nullum eſt, non facit. Neque quicquid vel à Deo, vel à principibus, & patronis prece, vel voto obtinemus, ſtatim id meriti eſſe cenſendi ſumus. Superbi & ingrati animi eſt quæ quis à ſervatore conſequitur beneficia ea, non ejus, à quo habet, bonitati, ſed ſuo *merito* imputare. Iam & quod Peltanus nos jubet idem quoque *in temporalium pœnarum condonatione* admittere, admittimus ſane; ſed eadem adhibita cautione. Nimirum Deus in ſuorum gratiam etiam alios interdum iis malis liberat, quæ vel urgebant, vel impendebant; liberat autem, non quod ſui pro iis, qui liberantur, ſatisfecerint, ſed ex mero bonitatis, atque amoris in eos ſui beneplacito. Neque ſane vel pro Lotho Abrahamum, vel pro Salomone Davidem, vel Paulum pro naufragis, vel pro paralytico, qui eum Chriſto obtulerunt Deo *ſatisfeciſſe* uſquam legimus. Ex una ejus benevolentia, atque clementia profluunt quæcumque beneficia vel ipſi accipimus, vel aliis impetramus. Neque nos magis pro malis *ſatisfacere*, quam bona mereri putandum eſt. Et hæc accipimus, & illis liberamur *gratis*, una Dei optimi maximi miſericordia. Idque ipſa Peltani, quamquam inviti, & contra nitentis oratio ſignificat. Ait enim *illas pœnas temporales à Deo condonari.* Atqui eæ pœnæ non *condonantur*, pro quibus *ſatisfit*; non magis, quam id à creditore debitum *donatum* eſſe dixeris, pro quo ipſi *ſatisfactum* eſt, *tantum*que ei factum, *quantum* jure exigere licuit.

Sed non eſt omittenda lacinia, quam Peltanus huic ſuo argumento aſſuit. *Cur obſecro*, inquit, *exiguæ pœnæ partem ob alterius interceſſionem, aut voluntariam quoque ejuſdem perpeſſionem non remittas juſto, cum ad alterius preces primam gratiam non infrequenter impertiatur impio? Multo namque majus eſt vel ex congruo alteri primam gratiam promereri, quam pro*

altero

altero ſatisfacere. Eſto ſane, ut libet, Peltane; neque enim jam utrum iſtorum facilius, difficilius-ve factu ſit, anxie expendere, vel vacat, vel operæ pretium eſt; cum neutrum ab ullo mortali aut factum umquam, aut vero fieri poſſe concedam. Tu hunc quidem *funiculum ex arena* totum nectis, qui ex eo, quod numquam fit, alterum quiddam fieri concludis; quaſi tragelaphum in rerum natura exiſtere ex eo demonſtrares, quod chimæra aliquid majus ſit, quam tragelaphus. Nam neque chimæra aliqua in rerum natura magis extat, quam tragelaphus; neque ſi exſtaret, ex eo quod majus quiddam, quam tragelaphus eſſe fingitur, eo fieret, ut tragelaphum quoque extare neceſſe eſſet. Idem de *ſatisfactionibus*, deque *meritis ex congruo* tuis dictum puta; quæ non magis in religione ulla ſunt, quam in natura chimæræ aut tragelaphi. Bona verba, inquis. Nam juſti fidem alteri primam gratiam ex *congruo* promereri inde probavi, quod Deus ad ejus preces primam gratiam non infrequenter impertitur impio. Ego vero hoc ex illo ſequi nego. Neque ſiquid Deus ſuorum precibus annuit, id ipſos ex *congruo* meritos eſſe concedo. Quam multa ſunt, quæ ille petentibus donat quidem, ſed ex mera gratia? Sed neque id juſtum, ſi ex *congruo* mereri conceſſero, ideo ſequetur unum pro altero *ſatisfacere* poſſe. Quid enim iſtis inter ſe commune eſt, ut uno poſito, alterum quoque poni neceſſe ſit? Siquid vis conficere, ſic omnino agendum eſt; Deus ad juſti alicujus preces gratiam interdum ſuam impio impertitur; Ergo & ad ejuſdem preces impendentem alteri pio pœnam condonare eum nihil vetat, cum hoc ſit illo minus. Si ita agis, bene eſt; neque ego, quid contra dicam, habeo. Sin aliter, perperam ratiocinaris. Plus enim concludis, quam in argumento ſumpſeras. Nam cum poſueris ad unius preces Deum impio primam gratiam impertiri, concludis, non jam *ad unius preces*, ſed *ob unius perpeſſionem*, aut *ſatisfactionem* alteri pœnæ partem remitti.

CAPVT XIV.

Satisfactiones hominum univerſæ ex Scripturis confutantur. Argum. I. Quod nemo merus homo pro peccato poſſit ſatisfacere. II. Ex eo ductum, quod nemo præter Chriſtum unum, piorum redemptor ſit.

NEque ex Scripturis plura adverſarii, quæ quidem ſpeciem aliquam habeant vel pro cujuſque propriis, vel etiam pro alienis *ſatisfactionibus* attulerunt. Ac tametſi ex his, quæ diximus, ſatis ſuperque conſtet, quam ſint illæ à verbo divino alienæ; tamen pro inſti-

ſtuto noſtro argumenta jam, ſi qua ex ſacris litteris contra eas depromi poſſint, proferemus; ac eodem, quo jam in ſuperiori diſputatione uſi ſumus ordine, utraſque primo *ſatisfactiones*, id eſt & *proprias*, & *alienas* conjunctim refutabimus, tum quæ vel in has, vel in illas proprie dici poſſunt, ſeorſim ſuo quæque loco exſequemur. Atque in hac quidem parte eo breviores erimus, quod ea argumenta quibus *ſatisfactiones* humanæ refelluntur, pæne omnia jam in ſuperiori de *pœnis* diſputatione abunde explicata, & ab adverſariorum ſtrophis, & cavillationibus vindicata ſunt.

Primum ergo hoc eſto noſtrum adverſus utraſque *ſatisfactiones* argumentum, quod qui pro peccato *ſatisfacit*, ipſum & ab omni peccati labe purum eſſe deceat, & immenſa quadam, atque infinita vi, ac dignitate pollere. Id enim & Scripturarum auctoritas, & rei ipſius ratio aperte docet. Nam Scripturæ quidem Domini Chriſti, quem unum pro nobis *ſatisfeciſſe* commemorant, tum abſolutiſſimam ſanctitatem, tum etiam divinitatem, ac infinitam dignitatem proponere, atque urgere ſolent, quoties de remiſſione peccatorum nobis, per ejus *ſatisfactionem* parta, agunt. Ac ſanctitatem quidem Iſaias memorat, cum
Iſai. 53. 11. Chriſtum, à quo juſtificamur, *juſtum* ſignanter vocat: *Iuſtificabit ſervus meus juſtus multos*; quo oſtendit juſtum eſſe ipſum decere, id eſt omni omnino peccato carere, quiſquis alium à peccati reatu liberat. Neque aliter Ioannes; qui dum ſolatur fideles peccati alicujus reos, ut paratam ipſis in Chriſto ſatisfactionem, idoneam eſſe demonſtret, atque hujuſmodi, qua ipſorum peccatum abunde expiari queat, in primis notat
1. Ioan. 2. 1, 2. Chriſtum, qui eam præſtitit, juſtum eſſe. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum* IUSTUM, *Et ipſe eſt propitiatio*
1. Cor. 5. 21. *pro peccatis noſtris.* Quod ipſum etiam Paulus ſignificat, quo loco *eum, qui non novit peccatum, factum eſſe* dicit *pro nobis peccatum.* Petrus vero
1. Petr. 1. 19. diſerte quoque id docet, cum ait *nos eſſe redemptos pretioſo Chriſti ſanguine, quaſi agni immaculati, & incontaminati.* Nam cum particula ὡς *quaſi* cauſſalis, ſive rationalis, non autem comparativa ſit hoc loco, ſignificat cur *Chriſti ſanguine redempti* ſimus hanc eſſe rationem, quod is, qui illum fudit, Chriſtus non ſit aliquis de vulgò homuncio, non aliqua crimine polluta creatura; ſed *Agnus Dei* ſanctiſſimus, atque puriſſimus, omnis plane labis, & *maculæ expers*, omni gratia, atque ſanctitate florens. Ex quo ſequitur niſi hujuſmodi fuiſſet, neque fuſum ab eo ſanguinem eam vim habiturum fuiſſe, quæ ad noſtrorum peccatorum expiationem neceſſario requiritur. Eodem vero ſpectant etiam illa lo-
Ioan. 1. ca, in quibus Chriſtus vel *Agnus* Dei, vel ſimpliciter *Agnus* appellatur;

& illa

& illa item in quibus *juſtus*, & *ſanctus ſanctorum* dicitur, & *innocens, & impollutus, & à peccatoribus ſegregatus.* Iam neque ſegnius, aut parcius ipſam Chriſti dignitatem, atque divinitatem in hoc argumento nobis ob oculos ponunt ſacri Scriptores; ut cum Paulus in Actis, *Deum* ait *Eccleſiam proprio ſanguine redemiſſe.* Significat nimirum, niſi is, qui ſanguinem pro nobis fudit, idem Deus fuiſſet, nullam futuram *fuiſſe noſtri redemptionem.* Quo etiam illud pertinet, quod is, qui à Iudæis crucifixus fuit, *Dominus gloriæ* fuiſſe perhibetur; eodemque referendum eſt, quod is ſanguis, quo redempti ſumus, vel *Domini*, vel *Chriſti*, vel *Filii Dei ſanguis* ἐμφαλικῶς dicitur. His enim elogiis ſumma ejus, qui pro nobis *ſatisfecit*, dignitas oſtenditur. Vtramque vero *ſanctitatem* nempe, & divinitatem Paulus illuſtri illo loco complectitur, in quo de vi *ſatisfactionis* à Chriſto pro nobis præſtitæ diſſerens, *Quanto magis* (inquit) *ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemet-ipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* His verbis clariſſime ſignificat omnem illam *ſatisfactionis* à Chriſto præſtitæ vim à ſumma Chriſti, qui *oblatus eſt*, puritate, atque dignitate manare, quod is ſcilicet & ſanctiſſimus idem, & Deus æternus ſit. Hæc conſtans eſt, & perpetua Scripturarum doctrina; quæ cum *ſatisfactionis* rationem in eo conſtituat, quod ejus, qui *ſatisfacit*, & ſumma ſit, ſuiſque omnibus numeris abſoluta ſanctitas, & immenſa atque æterna divinitas, hoc quoque, quod ex illo conſequitur, clariſſime ponit neminem, qui duo illa non habeat, id eſt qui non ſit & ſanctiſſimus idem, & Deus, pro nobis *ſatisfacere* valere. Sed & ipſa rei ratio idem evidenter confirmat. Nam cum peccati in Deum, cujus infinitum eſt numen, admiſſi infinitum quoque *crimen* eſſe conſtet, & infiniti *damni*, quod ad ſe attinet, cauſſam, clarum eſt pro eo non alio opere *ſatisfieri* poſſe, quam quod ſit immenſi, atque infiniti pretii. Infiniti vero pretii opus non ab alio proficiſci poteſt, quam ab eo, qui & *ſanctiſſimus* ſit, & *Deus*. Cum igitur & nos, & ſancti omnes ab ea tum ſanctitate, tum dignitate, non modo longe, ſed immenſis, & infinitis intervallis abſimus, concludendum eſt neque noſtrum, neque Sanctorum quemquam vel pro noſtris, vel pro alienis peccatis *ſatisfacere* poſſe. Scio adverſarios *ſatisfactionem* variis modis diſtinguere; alia *culpam* expiari; alia *pœnam* redimi; hanc iterum aliam *pœna* æterna liberare; aliam temporariam diſſolvere; de ea, qua culpa, ac æterna pœna *redimitur*, quæcumque nos diximus fateri; de ea, qua pœna tantum temporaria expiatur, negare. Sed cum non aliam nobis Scripturæ *ſatisfactionem* proponant præter eam, de qua hæc, quæ nuper commemoravimus, affirmant, illi ſane fruſtra ſunt. Neque hæc,

Hebr. 7. 26. Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8. 1. Cor. 11. 27. Hebr. 9. 14. 1. 1. Ioan. 1. 7. Hebr. 9. 14.

& alia hujus generis innumerabilia, ſi ipſis ſomniare libet, ideo nos quoque admittere, aut magnifacere par eſt. Siqua revera eſt *ſatisfactionis* ſpecies, cui non conveniant illa, quæ de *ſatisfactione* in Scriptura dicuntur, id ex Scripturis ipſis oſtendant; non ex cerebro ſuo comminiſcantur. Ea vero quæ afferre ſolent, nos ſupra confutavimus, & demonſtravimus pœnam à culpa numquam in hoc negotio ſejungi; neque peccati *pœnam* aliter aut remitti, aut expiari, niſi aut remiſſa, aut expiata *culpa*. Itaque cum ipſi non negent culpam non alia *ſatisfactione* expiari, quam quæ ſit infiniti valoris, conſequens eſt ut neque alia pœnam redimi poſſe confiteantur. Quod vero Bellarminus, ut hoc, credo, telum vitaret, auſus eſt operibus noſtris quamdam *infinitatem* alicubi affingere, id ſupra in ipſo præſentis diſputationis limine ſatis confutatum eſt.

Itaque venio ad alterum contra *ſatisfactiones* humanas argumentum, inde petitum, quod & ex Scripturis, & ex communi Eccleſiæ conſenſu, ſolus Chriſtus noſter eſt *redemptor*. At ſi vel noſtris, vel aliorum fidelium ſive operibus, ſive perpeſſionibus expiarentur delicta noſtra, liceret vel nos, vel alios illos fideles noſtros *redemptores* appellare; quod cum ſit Chriſtianis vel auditu horrendum, ſequitur neque nobis, neque ullis aliis mortalibus id convenire, ut pro peccatis noſtris *ſatisfaciamus*.

Lib. 1. de Ind. c. 4. §. Sexta objectio.

Reſpondet Bellarminus *ſi proprie & abſolute nomen Redemptoris accipiatur, ſolum Chriſtum eſſe redemptorem. Is enim* (inquit) *proprie & abſolute dicitur redemptor, qui redimit à captivitate, non qui ſolvit pro alio debitum aliquod parvi momenti. Nos autem tunc ſolum captivi dicimur, cum venumdati ſub peccato, ut Scripturæ loquuntur, & cum laqueis Diaboli vincti tenemur ad ipſius voluntatem; id quod tunc ſolum fit, cum per letale peccatum à gratia Dei excidimus. Ab hac autem ſervitute, & captivitate ſolo Chriſti ſanguine redimi poſſumus; proinde ipſe ſolus vere, proprieque Redemptor dici debet. At ſi largo modo redemptor appelletur quicumque liberat alium ab aliquo debito, non erit abſurdum, ſi ſancti viri redemptores noſtri aliquo modo, id eſt ſecundum aliquid, non ſimpliciter; & largo modo, non in rigore verborum eſſe dicantur.* Hæc adverſarius. Sed quid ille tergiverſatur, quaſi obſcurum ſit, quid *redemptoris* vocabulo hic ſignificetur? *Redemptor* is eſt, qui aliquem vel ſervitute vel captivitate ſoluto pretio, datoque pro eo *ἀντιλύτρῳ*, id eſt præſtita pro eo *ſatisfactione* liberat. Itaque ſi vel nos ipſi pro nobis *ſatisfacere* poſſumus, vel alii vice noſtra fideles, dubitandum non eſt, quin & illis & nobis ipſis *redemptoris* nomen hactenus conveniat. Neque eſt, quod Bellarminus pœnam elevet, qua nos per hujuſmodi *ſatisfactiones* liberari vult. Quamdiu ea *pœna* tenemur,

liberi

liberi profecto non ſumus; neque alio, quam hoc reatu obſtringuntur, qui in *purgatorio* concluſi detinentur. Atqui hos & *captivos eſſe*, ſive *vinctos*, & alii adverſarii ajunt, & ipſe ſupra contendebat; & *in carcere incluſos* eſſe pariter conſentiunt. Itaque cum eorum fidelium, quibus culpa dimiſſa eſt, non autem pœna, eadem ſit de jure conditio, quæ eorum eſt, qui *purgatorium* inhabitant, clarum eſt eos hactenus *vinctos*, & *captivos* eſſe; & à quibus illo reatu ſolvuntur, ab iis carcere, & captivitate liberari, non ſecus, quam ſi de ipſo *purgatorio* ab iis educerentur. Nam è *purgatorio* nos redimit, qui ſic pro nobis *ſatisfacit*, ut ejus *ἀντίλυτρον*, quod ſolvit, beneficio efficiat, ne in *purgatorium* detrudamur; plane ut Chriſtus nos à gehenna *redimere* dicitur, quod ne illuc mittamur, vi *ſatisfactionis* ſuæ efficit. Ex quibus apparet, quam falſum & ridiculum ſit, quod hic ait adverſarius, nos *tunc ſolum captivos dici, cum venumdati ſub peccato, & laqueis diaboli vincti tenemur ad ejus voluntatem.* Ergone *ſub peccato venumdati, & Diaboli laqueis conſtricti tenentur* ii, quos tu *purgatorii* cives eſſe vis? Atqui tu eos narras perfectam habere caritatem, & de ſalute certos eſſe. Ergo nullis iſti vel peccati, vel *diaboli laqueis* conſtringuntur. Et eoſdem tamen *captivos* appellas; imo verius, & magis proprie *captivos* dici pertendis, quam ſpiritus Patrum, qui olim in limbo detinebantur. Itaque ſi tibi conſtare vis, cum hos Chriſtum *captivitate redemiſſe* affirmetis, quo tempore eos de limbo eduxit; fateri debes illos etiam verius ac magis proprie *captivitate redimi*, cum *ſatisfactionis* ſive ſuæ, ſive alienæ vi, purgatorio liberantur. Cum igitur te judice, ac definitore, is dicatur proprie & abſolute *redemptor*, qui liberat à captivitate; ex tua profecto ſententia, nulla invidia eſt noſtros *redemptores*, etiam *proprie*, & *abſolute* dici, tum nos ipſos, tum alios etiam fideles, ſiqui nos iſta *purgatoriana* captivitate liberant. At (inquis) *fateor, ſolo Chriſti ſanguine nos à Diaboli ſervitute, & captivitate redimi poſſe.* Sed neque hac de re litem ego tibi moveo. Tantum dico, ſi (quod tu ponis) nos vel noſtris, vel fratrum *ſatisfactionibus* à peccato *redimi* poſſumus, ſi id inquam, obtineat, *Redemptoris* vocabulum, quod unius Chriſti proprium eſt, cum eo nobis commune futurum; quem tu nodum cum velles ſolvere, aſtrinxiſti. Nam definiviſti *proprie & abſolute redemptorem* dici, qui *redimit à captivitate*: conſtat autem à *captivitate* eum *redimi*, qui *purgatorio* liberatur; Ergo & qui eum *ſatisfactione* ſua inde liberat, ſive ipſum, ſive alium ejus eſſe *redemptorem*. Neque ut non ſit iſte *redemptor*, efficit, quod Chriſtus alia nos captivitate, ſcilicet *peccati*, & *diaboli ſervitute*, liberavit: efficit tantum, ut plures ſint noſtri *Redemptores*; Chriſtus quidem primus, qui nos à

captivitate Diaboli redimit; ſecundo vero etiam ij, qui nos à *purgatorio*, id eſt à *pœnæ* (ut ſic dicam) *captivitate redemerunt*. Nam ſiquis unius hoſtis captivitate liberatus amici beneficio, in alterius hoſtis manus incidat, & ex ſecunda hac captivitate alterius alicujus beneficio eripiatur, ab utroque, quamquam diverſis temporibus, & cauſſis *redemptus* dicetur; uterque ejus *redemptor* vere ac proprie dicetur; neque unius beneficium, quamquam fortaſſe majus, alterius gloriæ fraudi erit. Ita neque Chriſti *redemptio* prohibebit, quo minus, ſi ſtat adverſariorum hypotheſis, vere *redemptores* noſtri ſint qui nos ſua *ſatisfactione* ſecunda illa purgatorii captivitate liberarunt. Quod vero ſubjicit Bellarminus
Dan. 4. Danielem ſuaſiſſe Nabuchodonozori, *ut peccata eleemoſynis redimeret*;
1. Cor. 9. & B. Paulum ſcripſiſſe *ſe omnibus omnia factum eſſe, ut omnes ſalvos faceret*; indeque concludit non inepte ſanctos viros dici poſſe delicta noſtra paſſionibus ſuis *redemiſſe*, noſque *ſalvos feciſſe*, id inquam cauſſam ipſius nihil juvat. Primo enim etiamſi iſta in Scripturis ita dicantur, nuſquam tamen in iis legimus, vel eum qui *peccata eleemoſynis* redimit *redemptorem ſuum* appellari, vel *noſtros ſervatores*, eos, qui nos ſuo vel miniſterio, vel exemplo in viam Domini traduxerunt. Nemo præter Chriſtum neque *in rigore verborum*, neque, ut loquitur adverſarius, *largo modo* Redemptor noſter appellatur. Cujus rei non eſt obſcura ratio. Nam in captivi liberatione duorum generum cauſſæ agunt; Ac prior quidem totius negotii dux, princeps, & auctor; verbi gratia *Rex* aliquis, qui pecuniam, vel hoſtem, quem penes ſe habet captivum, aut aliquod aliud ἀντίλυτρον dat; quo veluti pretio captivus *redimatur*. Tum Principis miniſtri datum ab eo ἀντίλυτρον perferunt, & captivo (ut ſic dicam) applicant, ſuiſque operis efficiunt, ut is parato Principis beneficio fruatur. Ac tametſi hæ ſecundariæ, & miniſtræ liberationis cauſſæ aliquo modo dici poſſint captivum vel *redemiſſe*, vel ſervaſſe, quatenus officiis ſuis effecerunt, ut is Principis beneficio uteretur, ac frueretur; non alius tamen *Redemptor* ac *Servator* vel eſt, vel dicitur, quam is cujus precio, liberalitate, atque auctoritate *redemptus* eſt captivus. Eodem plane modo ſe habet noſtræ per Chriſtum *redemptionis* negotium. Ille unus *Redemptor*, ac *Servator noſter* & eſt, & dicitur, qui unus pretium, quo *redempti* ſumus, exſolvit. Cæteri, qui eo laborarunt, ut tanti ejus beneficii participes fieremus, quique id ad nos detulerunt, nobiſque
Rom. 11. 14. applicarunt, interdum nos *ſervaſſe* in Scripturis dicuntur; *Servatores*, aut
1. Tim. 4. 16. *Redemptores noſtri* nuſquam dicuntur; neque ſane dici poſſunt; quia ſci-
1. Cor. 7. 16. licet ex Scripturis libertatis noſtræ pretium ipſi minime ſolverunt; ſed
& 9. 22. à Chriſto uno ſolutum ut nobis applicaretur, operam dederunt. Bre-
Iac. 5 20.
Iud. 23.

viter Chriſtus unus *Redemptor* eſt, qui emptam crucis ſuæ *pretio* libertatem ac ſalutem noſtram unus nobis quæſivit, ac peperit. Cæteri, qui libertatem & ſalutem ab eo uno partam, ac quæſitam, vel ipſi fide, & caritate, & bonis operibus adeunt, vel ut eam alii adeant, ſuo miniſterio, labore, aut exemplo, prædicando, ſanctèque vivendo, procurant, non *redemptores*, aut *ſervatores*, ſed Servatoris vel *redempti*, vel *miniſtri* ſunt. Iam adverſarii non hoc ſolum nobis tribuunt, ut à Chriſto emptam, ac quæſitam ſalutem, vel ipſi adeamus, vel, ut eam alii adeant, procuremus; ſed præterea ut ejus aliquod proprie dictum *pretium* ſolvamus. Nam ex *condigno* pro peccato *ſatisfacere* (quod illi nobis tribuunt) nihil aliud eſt, quam juſtum, ac debitum ad hoc, ut quis peccati pœnis liberetur, *pretium* & *ἀντίλυτρον* ſolvere. Itaque eos confiteri neceſſe eſt nos ex ipſorum dogmate vere & proprie, tum noſtros, tum aliorum, pro quibus ſcilicet *ſatisfacimus*, ſervatores, ac *redemptores* eſſe; non quidem fateor, ex aſſe (Chriſtus enim ex iſtorum confeſſione noſter quoque *ſervator* eſt) ſed tamen ex uncia ſi forte, aut ex ſextante. Quod quam ſit non modo abſurdum, ſed etiam impium, & horrendum, tum ex communi Chriſtianorum ſenſu, qui nullum unquam *Servatorem*, aut *Redemptorem* alium, quam Chriſtum agnoverunt; tum ex ſacrarum litterarum doctrina patet. Nam ut cætera earum teſtimonia nunc mittam, certe Petrus in Actis diſertiſſime negat ſalutem in ullo alio eſſe, quam in Chriſto; *Non eſt* (inquit) *in alio aliquo ſalus. Nec enim nomen aliud eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos* Act. 4. 11. 12.
fieri. Atqui ſi quiſquam vel ſua, vel alterius *ſatisfactione* pœnis peccato debitis liberatur; ſalus vel in ipſo, vel in eo erit, cujus *ſatisfactione* liberatur. Nam liberatio à pœna ſalus eſt; & qui à pœna *redimitur*, is *ſervatur*, *σώζεται*, *ſalvus fit*: neque negare quiſquam poteſt, quin ſalutis pars ſit ea pœna eripi, quam eramus promeriti. Cum ergo *ſalutem* in alio eſſe, quam in Chriſto, aut ullum *aliud*, quam ipſius *nomen ſub cœlo* extare neget Petrus, *in quo*, id eſt cujus vi ac merito ſervemur, illud neceſſario quoque negandum eſt, quod ajunt adverſarii, nos vel pro noſtris, vel pro alienis peccatis proprie & ex *condigno* ſatisfacere; quia nimirum id admitti non poteſt, quin ſalutem in nobis quoque non in uno adeo Chriſto, eſſe confitendum ſit.

CAPVT XV.

Arg^m^*. III. A veterum ſub lege ſacrificiorum typica ratione. Arg. IV. inde ductum, quod quæcumque vel gerimus vel patimur, ea ipſa debemus.*

SEd quod ſub novo Teſtamento clare, ac diſerte dixit Petrus in uno Chriſto eſſe ſalutem, adeoque *ſatisfactionem*, qua peccato, & peccati pœnis liberamur, id ſub veteri jam olim non obſcure fuerat adumbratum. Nam typica illa, & umbratilis *ſatisfactio*, qua tum vera, & realis figurabatur, non aliis conſtabat, quam *ſacrificiis*. Neque aliud in Levitico *expiationis*, ſive *ſatisfactionis* genus reperire eſt. Itaque cum vetera *ſacrificia* expiatoria oblati à Chriſto in cruce *ſacrificii* figuræ ac typi eſſent omnia, poſtulat ſane ea, quæ *rem* inter, & *imaginem*, *umbram* inter, & *corpus* debet eſſe proportio, ut ſicut olim peccati & labes, & pœna ſolis illis *ſacrificiis umbratilibus* typice expiabatur; ita nunc quoque eam uno Chriſti *ſacrificio* vere & realiter expiata ſit. Ac ut tum nulla erant præſcripta fidelibus opera, quibus ſinguli pro ſuis, aut alii pro aliorum peccatis *typice ſatisfacerent* (ſolis enim ſacerdotum oblationibus pro iis rite *ſatisfiebat*) ita quoque exiſtimandum eſt nulla nunc eſſe, vel noſtra, vel aliorum opera, quibus pro peccatis noſtris vere *ſatisfiat*; ſed omnem omnino veram, ac realem *ſatisfactionem* una Chriſti ſummi, ac unici ſacerdotis oblatione præſtitam eſſe. Quod vero ait Bellarminus *culpam, & pœnam æternam vetera illa ſacrificia minime expiaſſe*, fatemur; neque eſt, quod de eo probando laboret. Quod inde concludit pro ſola temporali pœna *ſatisfeciſſe*, fruſtra eſt; neque videtur illorum *ſacrificiorum* rationem ſatis perſpectam habuiſſe; quæ (ut alibi ſupra ex Apoſtolo attigimus) in eo ſita erat, non ut veram & *realem* peccati vel *culpam*; vel *pœnam* expiarent (tantum enim opus hircorum, & aliorum animalium ſanguini, vel cineri tribuere ſtultum eſt) ſed ut typicam, & cæremonialem peccati & maculam, & pœnam delerent. Nam qui in illo Levitico fœdere peccabat, is præter *realem*, & *ſpiritualem* labem, eique ex æterna lege debitam pœnam, maculam quamdam *carnalem*, & *cæremonialem* contrahebat, qua pollutus cenſebatur, pœnamque adeo lege cæremoniali latam incurrebat, ut nimirum ſanctuarii, & rerum ſanctarum uſu excluderetur. Hoc vero quicquid erat *maculæ* & *pœnæ* ſacrificio legali tollebatur; quique eo rite defunctus erat, & mundus cenſebatur, & ad *ſanctuarii* uſum admittebatur. Hunc autem veterum ſacrificiorum effectum Apoſtolus vere & elegan-

Lib. 3. de pæn. cap. 5. ſ. Reſpondeo.

elegauter expreſſit in epiſtola ad Hebræos, quo loco ait *ſanguinem taurorum*, *& hircorum*, *& cinerem vitulæ aſperſum inquinatos ſanctificaſſe ad emundationem carnis.* Hanc autem *carnalem mundationem* ejus expiationis, quæ vere & ſpiritualiter peccato purgat, typum fuiſſe, & omnes confitentur; & ex Apoſtolo eodem illo loco clarum eſt; quo illi *carnis emundationi* per vetera *ſacrificia* factæ *conſcientiæ emundationem* à Chriſto ſanguinis ſui effuſione peractam opponit, dum iis verbis, quæ nuper deſcripſimus, iſta continuo ſubjicit, *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum obtulit ſemet-ipſum immaculatum Deo, emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis?* Vt ergo tota illa & maculæ & pœnæ legalis, ſive cæremonialis *emundatio*, & *abſterſio* ſola fiebat ſacrificiorum vi; non autem ulla *ſatisfactione*, quæ ab ipſis peccatoribus præſtaretur; ita quoque fatendum eſt realem & ſpiritualem, tum culpæ, tum pœnæ expiationem, qua ipſa *conſcientia mundatur*, per ſolam Chriſti veram, ac ſpiritualem in cruce oblatam victimam fieri, non autem ulla, vel noſtra, vel aliorum pro nobis fidelium *ſatisfactione.* Atque ex his patet, quam vel falſa ſint, vel inania, quæ Bellarminus huic noſtro argumento oppoſuit. Primum enim quod ait ſacrificia illa veterum *ſatisfactiones* fuiſſe; ſi typicas, & umbratiles intelligit, verum eſt; ſed argumentum noſtrum, quod ex eo ipſo ductum eſt, conſtituit, non evertit. Quod ſecundo negat *omnia peccata* fuiſſe ſacrificiis illis (*typice* nimirum) expiata, id vero falſum eſt. Fateor nullum fuiſſe pro *blaſphemia*, *idololatria*, *homicidio*, *adulterio*, & aliis gravioribus ſceleribus, vel flagitiis proprie, ac (ut ſic dicam) nominatim inſtitutum *ſacrificium*; quod nimirum hujuſmodi criminum reis mors conſtituta eſſet politica pœna. Sed ſiquis hoc ſupplicium evaſerat, quod ejus crimen vel à magiſtratu remiſſum fuiſſet, vel non detectum, aut convictum, ejus inquam, & cæterorum delicta, nullo proprie ac privatim ſacrificio procurata, univerſali illo *ſacrificio* expiabantur, quod ſummus Pontifex quotannis offerebat, tum pro ſe, proque domo ſua, tum etiam *pro omnibus iniquitatibus filiorum Iſrael*, *& univerſis delictis, ac peccatis eorum*, ut eſt à Moyſe fuſe in Levitico explicatum. Quam vero ſubjicit adverſarius Prophetarum exhortationem ad *pœnitentiam*, & *eleemoſynas*, & alia ſancta opera, ea non ad *ſatisfactionem* pro peccatis, ſed ad vitæ emendationem pertinebat. Hæc enim Prophetæ ideo præcipiebant, non quod iis pro peccati vel *culpa*, vel *pœna* Deo proprie *ſatisfieri* putarent; ſed quod hos veræ *pœnitentiæ*, atque *ſanctificationis* certos, & neceſſarios fructus eſſe intelligebant; quod à nobis ſupra non ſemel eſt obſervatum. Neque ſane verum eſt, quod tertio loco addit adverſarius *non*

Hebr. 9. 14.

Levit. 16. 20, 21.

omnes expiandi ritus Moyſem in Levitici volumine exſequutum eſſe, ſi modo, ut debet, de *expiatione* typica intelligit. Vbi enim quæſo, iſta Moſes alibi exſequitur, quam in illo libro? Quod ſubjicit quarto loco humanis operibus procurata fuiſſe ſub lege admiſſa delicta, quod ipſa nimirum ſacrificii oblatio opus eſſet à Deo mandatum ad peccata admiſſa procuranda, id inquam, inepte & præter rem dicit. Sacrificia enim illa, quibus delicta *typice* expiabantur, non erant ipſorum *peccantium*, vel aliorum pro iis ejuſdem ordinis fidelium opera; ſed *ſacerdotum*, à quibus ſolis ea peragi fas erat, *oblationes*; quæ non eo expiabant, ut quinto loco ſomniat adverſarius, quod cum aliquo rei familiaris detrimento conjunctæ erant (id enim nuſquam innuit Scriptura) ſed quod oblati animalis *mortem*, atque deſtructionem continebant. Offerentium vero fides, ac pietas nulla proprie ipſius *ſacrificii* pars erant; ſed conditiones duntaxat, quibus ipſis veri ſacrificii per iſta adumbrati vis applicaretur. Vnde illud, quod initio diximus, perſpicuum eſt, ut *nullo* peccantium *opere*, ſed una veterum *ſacrificiorum vi* typice olim mundabantur peccata; ſic eadem vere & ſpiritualiter expiari uno Chriſti ſacrificio, quod illis adumbrabatur; non autem ullis noſtris, vel cujuſquam alterius mortalis *ſatisfactionibus*. Atque ex his liquet, quam fruſtra Calvinum Bellarminus irriſerit, quod is noſtrum hoc contra *ſatisfactiones* argumentum *validum arietem* dixiſſet.

Sed neque noſtra, neque aliorum fidelium opera eam vim habere, ut pro peccatis noſtris *ſatisfacere* queant, inde quoque probatur, quod quæcumque in pietatis negotio vel gerimus, vel perferimus, ea & gerere, & perferre tenemur. Tanta enim eſt Dei magnitudo, tanta ſunt ejus in nos beneficia, ut ſi quicquid habemus ſpiritus, ac vitæ, ad ejus gloriam & cultum profundamus, nihil eo facere cenſendi ſimus, quod vel aliqua ex parte ſummam ejus in nos beneficentiam exæquet. Idque tum ipſa rei ratio, tum etiam divina Domini Chriſti vox apertiſſime docet, *Cum feceritis* (inquit) *omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Ser-*
Luc. 17. 10. *vi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus.* Nullum eſt ex omnibus fidelium operibus martyrio præſtantius, aut præclarius. At ipſum etiam martyrium optimo Domino nemo noſtrum non debet. Quæſo enim eſt-ne aliquis ex ſanctiſſimis illis Chriſti athletis, cui parata Euangelium confitentibus ſupplicia defugere integra officii ratione licuerit? Nonne eos omnia divina, humanaque jura ad hoc certamen ſubeundum ſic obſtringebant, ut id recuſare non potuerint, quin & in Deum ipſum, & in ejus Eccleſiam, & in cæteros homines, ac in ſe denique ipſos graviſſime peccarent? Qui ergo conſtanter, ac intrepide

id

id certaminis & adierit,& ſuſtinuerit, eum ego officio ſuo hactenus *ſatisfeciſſe* confiteor; id præſtitiſſe,quod non deberet,nego. Itaque cum proprie dicta pro peccato *ſatisfactio* hujuſmodi aliquid ſit, quod qui præſtat alio nomine minime debebat, profecto apparet neque martyrium, neque cætera, etiam præclariſſima fidelium opera, *ſatisfactiones* pro peccatis cenſeri poſſe. Bellarminus præfatur nolle ſe hic de operibus *ſupererogationis* diſputare; quod ea res alterius ſit loci. Neque nos ſane ad eam quæſtionem digrediemur. Satis eſt, quod illud Chriſti allatum ex Luca dictum vel unum evertit, quod ſe alibi demonſtraſſe falſo, ac fruſtra gloriatur adverſarius, *aliquid Sanctos viros feciſſe, vel pertuliſſe propter Deum, quod facere vel tolerare non tenebantur*. Sed ille, etiam non libata illa de *ſupererogationis* operibus quæſtione, habere ſe putat, quo argumentum noſtrum ſolvat. Ait enim ipſam etiam illam obedientiam, ad quam tenemur, *meritoriam* tamen eſſe, & *ſatisfactoriam*, quod ſane mirum, ac monſtri ſimile videtur. Ac de *merito* quidem, nihil eſt quod hic dicamus (non enim nunc id agitur) *Satisfactionem* vero proprie (ut adverſarius intelligit) dictam, quis etiam iis,quæ debemus, præſtari putaverit? Laborioſum illud opus, quo eam conſtare volunt, eſt inſtar pecuniæ, quæ ad nomen aliquod expungendum creditori numeratur. *Pœna* vero, qua nos per eam liberamur, eſt inſtar ejus nominis, quo creditori obſtricti eramus. Iam fidem tuam appello, Bellarmine; Tune cum Titio illud æs, quod debes, numeras, eo etiam pro alio aliquo vel tuo, vel alterius nomine, Titio *ſatisfacis?* Eſt-ne ullus Prætor, qui ſi jure cum Titio experiaris, contendaſque una & eadem pecunia duo te apud eum diverſiſſima nomina expunxiſſe, non te furere pronunciet, & ad gentiles,atque agnatos dimittat? Atqui tua omnino eadem eſt cum Deo hic ratio. Peccati admiſſi pœnam debes. Pro ea te *ſatisfeciſſe* contendis. Quo modo? Quia (inquis) Deum precatus ſum; proximo benefeci; Chriſtum confeſſus ſum. Iſta vero (inquam) nonne tu Deo debes? Nonne etiamſi nullius fores peccati reus, ea tamen præſtare teneris? neque ea omittere potes, quin te alio de integro crimine obſtringas? Ita eſt, inquis. Totam illam obedientiam Deo me debuiſſe fateor. Tu ergo, inquam, confitere, vel nondum te pro illo alio peccato ex jure ſatisfeciſſe; vel certe,quod non eſt ſani hominis, uno te eodemque nummo duo diverſa nomina expungere velle. Tu ipſe hanc de *ſatisfactione* quæſtionem exordiens edixiſti *ſatisfacere* eum, qui *tantum facit, quantum is, qui læſus eſt, juſte exigit*. Iam ſi opera pietatis, & caritatis Deo debemus (quod tu hic nobis concedis) profecto qui iis defunctus eſt peccator,

De Ind. l. 1. c. 4. §. Quinta objectio.

 non-

nondum *tantum effecit, quantum Deus ab eo juſte exigere poteſt.* Nondum enim pœnam ſolvit, quam peccati nomine debet. Illa autem alia pietatis, ac caritatis opera quæ præſtitit, minime prohibent, quin Deus peccati olim ab eo admiſſi pœnam ex jure repoſcat. Iura fateor, non ſinunt, ut qui caſte, ac pudice vivit, pœnas adulteris, aut ſcortatoribus conſtitutas luat; Non vetant, ab eodem furti (ſi ejus eſt reus) pœnas exigi; eademque eſt cæterorum ratio. Tu nonnullis caritatis operibus, puta *eleemoſynis*; nonnullis etiam pietatis officiis, puta *oratione*, functus es. Bene eſt. Latas iis, qui iſta violant, pœnas non lues, neque eas à te Deum repoſcere jus, faſque patiuntur. Sed qui ab hac parte tutus es, adulterium antehac idem admiſeras. Hujus vero criminis, quod confiteris, pœnam à te exigi juſtitia non modo non vetat, ſed etiam poſtulat, ac flagitat; qualiacumque tua de cætero fuerint vel pietatis, vel caritatis officia; quibus ſatis mercedis eo ipſo redditum eſt, quod iis pœnis non afficeris, quæ iſta violantibus, aut negligentibus debentur. Itaque cum qui iſtis fungitur, non *tantum* faciat, *quantum* Deus, quem peccato læſit, juſte exigit, is proprie Deo *ſatisfeciſſe* dici nequit. Sed quid ego argumentis utor, ut probem proprie dictam *ſatisfactionem* iis conſtare, quæ ei, cui *ſatisfit*, non debentur? Id ipſe adverſarius & ſuo & ſuorum nomine diſerte confitetur. Quo enim loco cuidam Melanchthonis argumento reſpondet, hæc totidem habet verba; *Neque* (inquit) *Scholaſtici docent opera ſatisfactoria debere eſſe omnino indebita; ſed alias, ut ipſi loquuntur indebita, id eſt indebita, niſi peccaſſent.* Atqui hoc nobis ſufficit; neque ſane quicquam amplius poſcimus. Nam fideles conſtat ad legis obedientiam teneri, etiamſi hoc vel illud peccatum poſt ſuſceptam Dei gratiam minime admiſiſſent. Itaque ſi ſtat Scholaſticorum, hoc eſt adverſariorum dogma, opera ut ſint *ſatisfactoria*, debere eſſe *alias indebita*, quis non videt *ſatisfactoriam* non eſſe legis *obedientiam*? legis autem *obedientia* omnia pietatis & ſanctitatis opera complectitur; Ergo nulla ſunt vel pietatis, vel ſanctitatis opera, quæ proprie *ſatisfactoria* eſſe poſſint.

Bell. l. 4. de pœnit. cap. 13. §. Reſpondeo. Peltan. ibid. de ſatisf. ſect. 10. pag. 157.

CAPUT

CAPVT XVI.

Satisfactiones fidelium etiam iis XV. argumentis refelluntur, quæ contra pœnas allata ſunt ſupra, maxime decimoquarto à Chriſti ſatisfactione petito.

VErum præter proxima iſta argumenta, quæ hujus cauſſæ propria ſunt, etiam (ut nuper monuimus) hunc adverſariorum de *ſatisfactione* errorem refellunt illa, quæ contra pœnas in ſuperiori diſputatione attulimus. Quæ ſunt ergo hujus generis hic breviter indicabimus; adverſariorum ad ea reſponſiones, & vitilitigationes non attingemus; quod eas ſatis ſuperque ſuo loco ſupra confutaverimus.

Ac primo nullam Deum à fidelibus pro peccatorum pœnis *ſatisfactionem* exigere, argumentum illud clariſſime probat, quod primo ſtatim loco poſuimus, ex iis Scripturæ locis ductum, quibus peccata fidelibus à Deo *condonari*, *remitti*, *dimitti*, ignoſci dicuntur. Cum enim *qui ſatisfacit tantum faciat, quantum is qui læſus eſt, juſte ſive ex jure exigit*, profecto peccatori peccatum non *dimittit*, qui ab eo pro peccato *ſatisfactionem exigit*. Pugnant iſta inter ſe ſe, neque ulla ratione cohærere poſſunt. Nam qui *ſatisfactionem* à peccatore exigit is ex jure, ſive ex *juſtitia* agit; qui vero peccatum *dimittit*, vel condonat, ex *gratia* & *miſericordia*. Atqui omnibus credentibus, & pœnitentibus Deum peccata *remittere*, & *condonare* affirmant ſcripturæ. Ergo neque ullas ab iis ſive proprias, ſive aliorum mortalium *ſatisfactiones* exigere fatendum eſt.

Eamdem quoque vim habet, quod ſecundo loco attulimus; nimirum Deum peccata *condonantem* creditori debitum *remittenti* in Scripturis comparari: quod omnino abſurde fieret, ſi à fidelibus aliqua exigeretur *ſatisfactio*. Neque enim credo, quiſquam eum debitum *dimittere* dixerit, qui debitorem cogit *tantum facere, quantum ab eo ex jure exigere* poteſt.

Quod etiam clarius demonſtrat illa ratio, quam tertio loco ſubjecimus; inde petitam, quod ſacri Scriptores Deum ſic nobis peccata *dimittere* teſtantur, qualiter nos fratribus in nos peccantibus offenſas ex Domini mandato dimittimus. Nobis enim, ex Chriſti quidem diſciplina non *ſatisfactionem* magis, quam *pœnam* ab eo fratre licet exigere, qui nos læſit.

Quartum vero argumentum ex eo ductum, quod Deus peccata credentibus *gratis remittit*, hanc etiam cauſſam apertiſſime profligat. Ne-

que enim *gratis remiſſum* id peccatum dici poteſt, cujus pœna non prius liberamur, quam *condignam* pro ea *ſatisfactionem* exſolverimus.

Neque obſcurius id ipſum probant, quæ quinto loco deſcripſimus Prophetarum teſtimonia, quibus docemur Deum peccata noſtra *delere, projicere poſt tergum, deponere, & in profundum mittére, longe à nobis facere*, & quidem *quantum diſtat ortus ab occaſu*, *tegere* denique ac *minime imputare.*

Quo etiam illa ejusdem generis pertinent ſexto loco à nobis commemorata, quibus Deus dicitur *peccatorum* noſtrorum *non recordari.* Tam enim cum utriſque pugnat *ſatisfactionem* quam *pœnam* a nobis exigi. Nemo enim non videt peccata ea *inſpici, diſcuti, examinari, expendi, obſervari*, atque *animadverti* pro quibus à peccatore exigitur *ſatisfactio*; neque adeo dici poſſe Dominum (quod ajunt Scripturæ) *peccata delere, abjicere, tegere, non imputare, non recordari*, ſi (quod volunt adverſarii) aliquam pro iis *ſatisfactionem* à nobis repoſcit.

Iam fidelium *ſatisfactiones* non minus, quam pœnas; illa quoque oppugnant, quæ ſeptimo, atque octavo loco attulimus Ezechielis, atque Iſaiæ teſtimonia; quæ peccatori à ſcelerum, atque iniquitatum ſtudiis ad veram pietatem, juſtitiamque converſo pollicentur; illud quidem Deum omnem criminum, quibus prior ejus vita contaminata fuerat, memoriam abjecturum; hoc vero *peccata* ejus, *velut nivem, aut lanam dealbatum iri.* Nam ſi (quod ait Ezechiel) ea eſt Dei in pœnitentes indulgentia, ut eorum omnium, quæ admiſerunt, ſimulatque ad ipſum ſerio convertuntur, plane *obliviſcatur*; profecto nullas ab iis *ſatisfactiones* exigit, quas niſi *delictorum memor*, nemo peccatori imponit.

Conſimiliter ſi vera ſunt, quæ narrat Iſaias, peccatorem, quicumque ad veram ſanctimoniam ſerio convertitur, Domini miſericordia ſic ſtatim *ablui*, & *purgari*, ut *lana* & *nive candidior* evadat; quis non videt ab eo, qui talis eſt, *ſatisfactionem* citra injuſtitiam exigi non poſſe? Cum enim omnis *ſatisfactio* ad eluendam aliquam peccatis maculam pertineat; ejus vero, qui Dei miſericordia æque cum *nive albus* eſt, nulla ſit *macula*, aut *labes*; patet ei, qui hujusmodi eſt, nullam omnino *ſatisfactionem* pro peccato, peccative pœna incumbere.

Sed & ad hanc pariter cauſam pertinent Pauli Chriſtique voces, quas illic nono, ac decimo loco laudavimus. Cum enim ii *nullam* vere credentibus *condemnationem* metuendam eſſe affirment, ne *ſatisfactionem* quidem ipſis ullam pertimeſcendam eſſe demonſtrant; quippe quæ abſque *condemnatione* non magis, quam pœna, peccatori imponitur. Nemo enim eam *ſatisfactionem* debet, quam non *exigit* Deus; nullam

autem Deus à peccatore exigit, niſi quem ejus *damnavit*, quemque ea teneri *judicavit*, quod nihil aliud eſt, quam *condemnare*.

Neque piorum *ſatisfactioni* minus, quam *pœnæ* repugnat illud quod ex Paulo undecimo loco deſcripſimus, pios, qui *in Chriſto juſtificati ſunt, parem habere apud Deum*. Nam cum omnis *ſatisfactio*, (fatentibus, ac definientibus ipſis adverſariis) aliquid ſit *pœnale*; non video qui *pacem apud Deum habere* cenſendi ſint, quos ille iſtis *ſatisfactionum* ſuppliciis adhuc ex juſtitiæ ultricis judicio excruciat.

Quod duodecimo loco ex eodem Paulo ſequebatur, *maledicti* expertes eſſe quicumque vere pii ſunt, id inquam adverſariorum quoque *ſatisfactiones* jugulat. Nam cum ipſis definientibus *tantum faciat* is, qui ſatisfacit, *quantum jus ab ipſo fieri exigit*; ab omni autem peccatore lex, & jura exigant, ut fiat *maledictus*, profecto & eum *maledictum* fieri neceſſe eſt, quicumque pro peccato proprie *ſatisfacit*. Vnde eſt, quod & ipſe Dominus Chriſtus, cum pro peccatis noſtris *ſatisfaceret, maledictum pro nobis*, teſte Paulo, *factus fuerit*. Sunt autem ex eodem Paulo, à *maledicto liberati*, quicumque vere Chriſti ſunt. Ergo ii neque pro ſe ipſis, neque pro aliis *ſatisfaciunt*. Gal.3.13.

Cum Dei vero juſtitia, unde ductum erat decimumtertium argumentum, non minus *ſatisfactio*, quam *pœna* pugnat. Nam cum *pœnæ* vicaria ſit *ſatisfactio*, non minus hæc, quam illa injuſte ab eo exigitur, qui peccati (ad quod utraque refertur) non eſt reus. Nullius autem peccati reos eſſe eos, quibus omnis peccati culpa *remiſſa* eſt, vel fatendum eſt, vel defendendum peccati remiſſionem nihil eſſe præter verba, & voces; quod quam abſurdum ſit, & per ſe patet, & luculente docent Prophetæ, qui eos quibus à Deo remittuntur peccata, *mundari*, *lavari*, & *ſuper nivem dealbari* ſignificant. Itaque cum Deum ab iis ipſis *ſatisfactiones* exigere velint adverſarii, quibus omnem peccatorum culpam dimiſit, eum haud obſcure injuſtitia, à qua procul eſt, implicant.

Iam quæ decimoquarto loco illic à nobis allata eſt Chriſti Domini *ſatisfactio*, ea hoc iſtorum de *ſatisfactionibus* dogma, etiam quam illud alterum de *pœnis*, directius impetit. Cum enim Chriſti pro peccatis noſtris *ſatisfactionem* pleniſſimam, perfectiſſimamque, & ſuis omnibus numeris abſolutiſſimam eſſe, & ſupra, laudato loco, ex Scripturis probaverimus, & res ipſa loquatur, & adverſarii confiteantur; cauſſa dici non poteſt, cur à nobis aliqua alia exigatur *ſatisfactio*. Pro quo *vas*, vel *ſponſor* pleniſſime ſatisfecit, nihil ab eo debitore *ſatisfactionis* exigitur. Siquid vero jure exigitur, vadis *ſatisfactionem* imperfectam fuiſſe neceſſe eſt. Chriſti, *vadis* ac *ſponſoris* apud Deum noſtri, *ſatisfactionem*

pro

pro peccatis noſtris perfectiſſimam fuiſſe non negant adverſarii; imo excandeſcunt, gravemque ſibi injuriam fieri clamant, ſiquis eos aliter ſentire dicat, aut ſtatuere Chriſti *paſſionibus*, quibus ille pro peccatis noſtris *ſatisfecit*, *aliquid defuiſſe*; diſerteque affirmant *paſſiones Chriſti omnem culpam* originalem, & actualem, letalem & venialem, & *omnem pœnam* ſempiternam, & temporariam expiare valere, idque totam per ſe. Ergo neceſſe eſt vel nullam à nobis pro iſtis pœnis *ſatisfactionem* exigi, vel certe bis pro eadem pœna *ſatisfieri*, quod à Dei, non modo clementia, ſed & juſtitia alieniſſimum eſt. Dicentne Chriſti paſſiones temporariam peccatorum noſtrorum pœnam expiare valere, non quod ipſe eam loco noſtro luerit, ſed quod earum paſſionum vi, quas pro culpis noſtris, pœnaque ſempiterna ſuſtinuit, effecit, ut nos pro ea *ſatisfacere* poſſimus? Sane Bellarminum ſupra audiebamus neſcio quid hujusmodi Calvino reſpondentem. Sed hoc effugium & nos ei tum eripuimus, & ipſa illa oratio, qua nunc utitur, excludit. Ait enim *paſſionem Chriſti omnem culpam, omnemque pœnam & ſempiternam, & temporariam expiare valere*; quæ (niſi ſophiſta eſt) perſpicue ſignificant Chriſtum temporariam pœnam, non aliter quam æternam expiaſſe. Expiavit autem æternam *immediate* pro ea *ſatisfaciendo*. Ergo & temporariam itidem expiavit, quatenus pro ea immediate ipſe *ſatisfecit*. Tum Chriſtum temporariam peccatorum noſtrorum pœnam, ſiqua eſt, ipſum luiſſe, ut cætera mittam, quæ in ſuperiore de *pœnis* diſputatione explicata ſunt, vel hoc clariſſime oſtendit, quod in *theſaurum indulgentiarum*, ex quo *ſatisfactiones* pro pœnis peccatorum temporariis depromunt, Chriſti quoque paſſiones referunt; fruſtra, ſi pro ſola peccatorum culpa, pœnaque ſempiterna *ſatisfecit*, quibus nihil cum *indulgentiis* commune eſt. Dicentne Chriſti *ſatisfactionem* ex ſe quidem valentem, & ſufficientem eſſe; eo tamen minus nobis prodeſſe, quod non fuerit *applicata*? Equidem fateor, non alios Chriſti *ſatisfactionem* crimine, ac pœnis liberare, ſaluteque donare, quam quibus ea *applicatur*; eoque fieri, ut quantumvis *plenum* ſit, ac *ſufficiens* ejus meritum, multo tamen maxima mundi pars damnetur. Nimirum quædam ſunt, quæ ille à nobis, quo meriti ejus ſimus compotes, fieri ac præſtari ſapientiſſime idem, ac clementiſſime edixit, quæ cum ſuperbe, ac contumaciter aſpernetur mundus, merito ſuo perit, nulla Chriſti & ſacrificii quod à Chriſto oblatum eſt, culpa, aut inſufficientia. Sed, nos jam non de iis quærimus, qui hoc tantum Domini beneficium reſpuunt, ſed de iis ſolis, quibus Chriſti *ſatisfactio* per *fidem*, & *ſacramenta* applicata eſt, quique ejus vi & culpæ & pœnæ peccatorum æternæ remiſſionem obtinuerunt;

Bellar. de ind. l. 2. c. 14. §. Quartum & cap. 5. §. At non ita.

nuerunt; quod profecto non eſſent conſecuti, niſi Chriſti *ſatisfactio* ipſis eſſet applicata. Cum ergo hujus *applicationis* vi omnibus iis pœnis liberentur, pro quibus Dominus *ſatisfecit*, certe & temporariis ſiquæ ſunt, liberari eos neceſſe eſt, ſi Chriſtus etiam pro iis re vera *ſatisfecit*; adeoque ipſos ne pro hujuſmodi quidem pœnis ullam amplius *ſatisfactionem* debere. Nam quod addunt adverſarii inter cætera media, quæ Deus ad hoc inſtituit, ut per eorũ uſum Chriſti nobis *ſatisfactio* applicetur, ipſas quoque illas pro temporalibus peccati pœnis *ſatisfactiones* noſtras contineri; id inquam, usque adeo inſulſum & abſurdum eſt, ut vix quicquam fingi poſſit ſtultius, aut delirius. Mitto quod in ſcripturis nusquam Deus aliquid hujuſmodi inſtituiſſe legitur; neque cuiquam vel peccati, vel pœnæ remiſſionem, vel Chriſti ſui ſalutem ea lege promiſiſſe, ſi vel ipſe, vel aliquis pro eo mortalis, pœnas, quas erat promeritus, *ſatisfactione* ſua expiaſſet, quod ex iis, quæ vel hactenus diſputavimus, vel mox adjecturi ſumus, ſatis conſtat. Illud nunc urgeo, ad hoc ut Chriſti pro pœnis noſtris *ſatisfactio* nobis *applicari* queat, inepte ac præter omnem rationem fingi hoc à nobis Deum exigere, ut nos ipſi pro iis *ſatisfaciamus*. Quis enim fando umquam audivit debitori, ut is ſolutione pro ipſo à ſponſore præſtita fruatur, hoc incumbere, ut quam pro eo ſponſor numeravit pecuniam, ipſe quoque eamdem poſtea creditori ex ære ſuo numeret? aut certe aliquam ejus partem? *Sponſor* à debitore, cujus æs alienum diſſolvit, *fidem, amorem, gratitudinem* merito exigit; neque, ſi beneficium ſuum aliter ipſi prodeſſe nolit niſi hęc prſtiterit, quicquam eo fecerit, quod jure reprehendas. (beneficio enim indignus eſt, qui ingrato eſt in benefactorem animo) Sed quis tulerit, ut idem hanc iis, qui ipſius liberalitate uti volunt, legem dicat; *ſolvam equidem pro te: imo jam ſolvi; ſed ſcito te non aliter beneficio meo uſurum, ejusque vi carcere & pœnis liberatum iri, niſi idem iſtud æs, quod ego pro te expendi, tu quoque ex tua arcula creditori numeraveris.* Nonne hæc egregia, ac plane mirifica fuerit liberalitas? Atqui ô bone, tuo beneficio, ſi non alia, quam hac lege benefacis, & uti, & carere utrumque perinde eſt; imo carere multo potius; cum qui caret, uni debitori obſtrictus ſit; qui utitur & illi, & tibi. Quamquam difficile ſit capere, quid tu mihi præſtes, cum id ipſum quod te præſtare velle profiteris, à me quoque ipſa præſtari jubeas. Creditori quidem donas, cui id ipſum, quod ego exſolvam, tu quoque exſolvere vis; ſtulta, & ſupervacanea largitione. Mihi certe nihil donas, cui ex tua liberalitate nihil accedit commodi, nihil incommodi decedit. Itaque vel tuam iſtam liberalitatem omitte; vel certe ut ea in uſum meum cedat, patere. Vel tu fru-

ſtra benignus es,ſi mihi quod tu numeraſti, nihiloſecius expendendum eſt; vel ego immerito teneor,cujus æs,quod debebam liberalitate tua expunctum eſt. Sic omnino Deum nobiſcum agere volunt adverſarii, dum Chriſti *vadis* noſtri *ſatisfactionem* pro pœnis temporalibus non aliter nobis prodeſſe volunt, quam ſi nos quoque pro iiſdem *ſatisfecerimus*. Atqui ſi hæc Dei mens erat, ut nos omnino pro his pœnis *ſatisfaceremus*; quid opus fuit Chriſtum pro iiſdem *ſatisfacere?* Si Chriſtus Deo volente pro his re vera *ſatisfecit*; quo jure à nobis exigitur, ut pro iiſdem nunc quoque *ſatisfaciamus? Vt Chriſti* (inquit) *ſatisfactio tibi applicetur.* Atqui eam mihi *applicari*, ſi ipſe *ſatisfeci*, nihil opus eſt. Non enim alio fine eam mihi *applicari* cupio, niſi ut pœna peccati liberer; ex qua, ſi vera ſunt quæ narras, memet ego jam explicavi per *ſatisfactionem*, ſive *propriam*, ſive ab aliquo Sancto emendicatam. Cum enim Chriſti *ſatisfactionem* pro pœna temporali non ante mihi applicari velis,quam pro eadem ipſe *ſatisfecerim*, clarum eſt ejus copiam mihi tum demum per te fieri, cum non amplius indigeo. Quaſi medicus emplaſtrum ægro non prius adhiberi patiatur, quam ubi vulnus obducta cicatrice,curatum fuerit. Atque ex his ſatis liquet, quam craſſum & abſurdum ſit hoc adverſariorum commentum.Huc & illud accedit,quod ſi,ut iſti ſomniant,ad hoc ut nobis Chriſti pro pœnis temporalibus *ſatisfactio applicetur*, nos quoque ipſos pro iiſdem *ſatisfacere* neceſſe eſt; conſequens erit,ut à Chriſto præſtitam pro culpa,pœnaque æterna *ſatisfactionem* non aliter nobis *applicari* doceant,niſi ipſi quoque pro utraque *ſatisfecerimus* (quod hactenus fere eſt in eorum ſcholis inauditum) Nulla enim afferri poteſt tanti diſcriminis ratio, ut cujus *ſatisfactionis* pars non niſi iis,qui *ſatisfecerint* applicetur, ejuſdem altera pars, etiam iis qui minime ipſi *ſatisfaciunt*, utenda fruenda concedatur. Illud certe negare non poſſunt, ſi hæc ita ſe habeant, credentibus, qui vel ad baptiſmum,vel ad indulgentias Pontificias accedunt,pro temporalibus peccatorum pœnis *ſatisfaciendum* fore,quo ipſis tum Chriſti, tum Sanctorum *ſatisfactiones* applicentur; quippe qui propriam cujuſque *ſatisfactionem* unum ex iis mediis eſſe cenſent, quorum uſu alienæ nobis *ſatisfactiones* applicari vult Deus. Atqui fatentur ipſi fidelibus, tum in baptiſmo,tum in pœnitentiæ (ut vocant) ſacramento, Chriſti pro culpa, æternaque pœna *ſatisfactionem* ſic applicari, ut nulla ab iis propria exigatur *ſatisfactio*; Fatentur iidem & ipſas tum Chriſti,tum ſanctorum pro pœnis temporalibus *ſatisfactiones* illas quidem & in baptiſmo, & in jubilæo,has vero in jubilæo,aliiſque indulgentiarum temporibus,ita cum fidelibus communicari, ut ab iis nulla plane exigatur propria *ſatiſfa-*

tiſfactio. Quid ergo eſt, quod vetet, quo minus eadem Chriſti *ſatisfactio* alibi fidelibus, etiam nulla *ſatisfactione* functis, eadem ratione applicetur? Deus quidem certe non aliam à nobis conditionem exigit, ut Domini Chriſti *ſatisfactione* & *merito* fruamur, niſi ut in eum credamus, gratisque animis tanto accepto beneficio, pietati atque ſanctitati ſerio ſtudeamus, omnibusque mundi, ac carnis cupiditatibus nuncium mittamus. Atque ex his ſatis liquet, quam Chriſti Domini gloriæ inimicum ſit iſtud adverſariorum de *ſatisfactionibus* dogma; quod ſi ſtat, neceſſe ſit fateri Chriſti ipſius *ſatisfactionem* quadamtenus eſſe aut *imperfectam*, aut certe *ſupervacaneam*, quorum alterum ejus infinitæ potentiæ, ſummoque in nos amori, alterum immenſæ ſapientiæ contumelioſum eſt.

Denique (quod in ultimo ſuperioris diſputationis loco poſuiſſe nos memini) miſericordiæ divinæ laudem, quam ubique in immenſum Scriptura merito evehit, hæc non minus de *ſatisfactionibus*, quam illa de *pœnis* piorum ſententia obſcurat. Quæ enim quæſo erit iſta Dei tanta, tamque admirabilis bonitas, ſi non modo ab impiis in infidelitate, & impœnitentia obduratis ſempiternas ſcelerum pœnas exigit (quod quidem juſtiſſimum eſſe omnes confitemur) ſed &, quod adverſarii volunt, à piis *ſanguine* Chriſti ſui *ablutis*, atque expiatis, omni adeo peccati culpa liberis, *tantum* nihiloſecius etiam pro illorum peccatorum, quæ ipſe dimiſit, pœnis repoſcat, *quantum* juſte repoſci poteſt? Iſta vero (quod omnes intelligunt) non clementia, aut miſericordia eſt, ſed ſingularis quædam, planeque etiam apud ipſos homines inuſitata *inclementia*, qui (niſi feri ſint, & inhumani) non ſolent eorum criminum, quæ *condonaverunt*, vel *pœnas*, vel *ſatisfactiones* à reis repetere.

CAPUT XVII.

Arg. XIX. inde ductum, quod earum perpeſſionum, quibus fidelium ſatisfactiones conſtare volunt, plane alia ſit ratio. Arg. XX. ex eo, quod piorum perpeſſiones gaudio ſint circumfuſæ.

Sed & nonnulla ex iis, quæ in hujus vitæ pœnas proprie diximus, omnes univerſim *ſatisfactiones* refellunt. Quale illud eſt, quod tertio illic loco de pœnarum fine, & uſu diximus. Cum enim *ſatisfactionis* vere & proprie dictæ hic proprie ſit finis, ut admiſſi peccati pœnam expiet, atque ita nos ea liberet; contra apparet eorum omnium, quæ *ſatisfactoria* eſſe volunt adverſarii, longe alium planeque ab hoc diverſum eſſe ſcopum. Ajunt enim tribus modis Deo *ſatisfieri*. Primo

Cauſ. trid. Seſſ. 14. cap. 9. quidem temporalia flagella à Deo inflicta patienter tolerando; ſecundo pœnalia opera pro vindicando peccato ſponte ſuſcipiendo; tertio denique eadem ſacerdotis arbitrio impoſita exſequendo. Iam quæ ſunt primi generis, id eſt *perpeſſiones caſtigationum* divinitus nobis immiſſarum, non eo ſpectare, ut pro peccato *ſatisfaciamus*, ſatis patet ex præcedentibus. Cum enim demonſtratum ſit illa, quæ à Deo nobis immittuntur mala, non eſſe peccati proprie dictas *pœnas*, ex eo manifeſtum eſt ne ſatisfactionem quidem eſſe eorum *perpeſſionem*; cum omnis *ſatisfactio* aliquid *pœnæ* proprie dictæ contineat. Sed neque ea opera, quæ à nobis vel ſponte, vel ex ſacerdotis arbitrio ſuſcipiuntur, *ſatisfactiones* eſſe indidem liquet. Primo enim ea opera, qua bona ſunt, & ſancta, ipſi etjam adverſarii *ſatisfactoria* eſſe negant; volunt eſſe eatenus *meritoria*. Tantum ajunt eſſe *ſatisfactoria*, quatenus *pœnalia* ſunt, & *laborioſa*. Atqui hoc ſtare non poteſt, ut unum, idemque hominis opus & *mereatur*, & *ſatisfaciat*. Tota enim ejus dignitas in horum altero conſumitur. Itaque ſi *meretur* aliquam mercedem in gratia, aut gloria, nulla ei amplius ſupererit dignitas, qua pro pœna *ſatisfaciat*, quod ea nimirum omnis ad hoc, ut *mereretur* conſumpta ſit. Nam operi aliquid dignitatis ex difficultate, & labore accedere, & ſenſus communis, & philoſophia, & quod maximum eſt, theologia agnoſcit. Quo enim ex parte objecti major eſt ejus, qui ex virtute agit, labor, eo majorem eſſe ejus operis, quod edit, dignitatem omnes conſentiunt; ut qui pietatis cauſſa maxima ſuſcepit certamina, ejus haud dubie opera majoris æſtimantur, quam illius, qui minora; majoremque is apud Deum in gloria mercedem *mereri* ab adverſariis putatur. Sed & Ariſtoteles aſſentitur, qui ſummam eſſe docet eam fortitudinem, quę verſatur circa objectum φοβερώτατον, *maxime terribile*; quo evidenter pónit virtutis, & actionis, quæ ex ea fit, dignitatem ex objecti, in quo verſatur difficultate eſſe metiendam. Ipſe denique Paulus in eadem eſt ſententia; quo loco ait *paſſiones noſtras non eſſe condignas futura gloria*. Patientiæ enim noſtræ
Rom. 8. opera, dum *paſſiones* vocat, evidenter conſiderat, qua *laborioſa* ſunt, & difficilia. Id ipſum inter adverſarios agnoviſſe videntur illi Theologi, qui Sāctorum conſummatorum opera eo negarunt nobis applicari poſſe, quod ii plenam operum ſuorum *mercedem* acceperint. Atqui eodem argumento omnis omnino operum *ſatisfactio* tollitur. Nam cum omnia, quæ ſunt hujus generis opera, *meritoria* eſſe contendant adverſarii, ſuamque olim apud Deum mercedem *abunde* & *ſupra condignum* habitura, neceſſe eſt in illa merenda mercede omnem eorum dignitatem exhauriri, atque conſumi; ut iis nihil amplius dignitatis ad *ſatisfaciendum*

ſatiendum ſuperſit. Vnde conſequitur ne ea quidem *ex condigno* (ut volunt) *ſatisfacere*. Fingamus verbi gratia Ioannem, vel ſponte, vel ex ſacerdotis arbitrio ut *ſatisfaciat* pro peccato *orare*, atque *eleemoſynas dare*. Ajunt adverſarii hoc Ioannis opus eſſe *meritorium*; imo docet Bellarminus Ioannem ea oratione, & eleemoſyna par præmium ſibi in vita æterna acquirere, alterum aliquem, puta Petrum, qui idem opus fecerit cum æquali pietate, atque caritate, quamquam ſine ullo *ſatisfaciendi* propoſito. Ex quo liquet Ioannis opus omnem eam mercedem accipere, qua digna fuit ejus cum *oratione eleemoſyna*; nihil adeo ipſi dignitatis remanere, quo pro peccati pœna *ex condigno ſatisfaciat*. Quod vero contendit Bellarminus nihil repugnare, quin idem & Petri & Ioannis opus *ſatisfactorium* ſit, id quam falſum ſit, & fuſius infra ſuo loco demonſtrabitur, & ex iis, quæ nuper attigimus, ſatis patet. Cum enim ex adverſariorum hypotheſi tam ad *ſatisfaciendum*, quam ad *merendum*, operis requiratur dignitas; ex iis vero, quæ modo diximus, appareat, quicquid ineſt operi ſive ex agentis animo, ſive etiam ex objecti difficultate, & actionis labore dignitatis, id totum in *merendo* exhauriri, profecto patet id opus *ſatisfactorium* eſſe non poſſe, quod omnem eam, quam merebatur, mercedem, vel jam accepit, vel certo olim accepturum eſt. Præterea volunt adverſarii eadem illa opera, quæ à pœnitentibus ſuſcipiuntur, eſſe quædam humanæ infirmitatis medicamenta, quæ peccatorum reliquiis liberant, vitioſoſque habitus male vivendo comparatos tollunt. Atqui inauditum eſt, ut qui *medicinam* ad morbum curandum *adhibet*, is *ſatisfacere* dicatur. Cum ergo omnem iſtam, quam commendant, pœnitentiæ diſciplinam quamdam eſſe ſtatuant animi vitiis corrupti *medicinam*; abſurdum eſt putare ea pro peccati pœnis proprie *ſatisfieri*, haud minus, quam ſi præſcripta à medico diæta ægrotum dicas præteritorum delictorum pœnas proprie expiare.

Lib. 1. de Ind. c. 2 §. Prima propoſitio.

Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 8.

Poſtremo operum quoque *ſatisfactionem* id refellit, quod id ſuperiori diſputatione quinto loco fuit à nobis contra pœnas hujus vitæ allatum. Nam ut *pœna*, ſic etiam *ſatisfactio* magno mœrore circumfundit ejus animum, qui *ſatisfacit*; ut vel ex eo videre eſt, quod ipſe Chriſtus, quamquam ſanctiſſimus, atque innocentiſſimus, tamen cum pro nobis *ſatisfaceret* repente cœpit *pavere*, & *tædere*, tantoque mœrore percelli, ut diceret, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Quin & Lucas narrat *eum factum eſſe in agonia*, ſive in maximo angore conſtitutum; eumque fuiſſe animi cum dolore conflictantis æſtum, ut ſudorem ſanguineum ex ejus corpore expreſſerit. Quo etiam pertinet tremenda illa vox in

Marc. 14. 33. 34. Matt. 26. 38. Luc. 22. 43. 44. Marc. 15. 34.

cruce exclamantis, *Eloi, Eloi lamma Sabachtani, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Itaque ſi par eſſet eorum ratio, quæ fideles vel divinitus immiſſa, vel ſuo, aut ſacerdotis arbitrio injuncta perpetiuntur, hoc eſt ſi ut Chriſtus crucem, ita hæc ipſi ad *ſatisfaciendum* pro peccatis ferrent, eadem eos mœſtitia perfunderet, idemque horror percelleret; & quidem eo magis, quod Chriſto Domino ſint infinitis partibus imbecilliores. Quinimo tanta eſt illius pavoris, atque mœroris moles, ut eam, ſi urgeret, ne laturi quidem videantur. Plane ſub tanto onere fatiſcerent. Iam vero longe aliter res habet. Nam dum illa aut gerunt, aut patiuntur, quibus eos pro peccatis *ſatisfacere* volunt adverſarii, non modo non obruuntur ſummo aliquo, aut intolerabili mœrore, ſed ne triſtitia quidem ulla, niſi modica, afficiuntur, atque hujuſmodi, quæ minime prohibet, quo minus gaudeant, atque etiam interdum exſultent; idque patet & ex martyrum pro pietate certaminibus, quæ ingenti ut plurimum lætitia circumfuſa fuiſſe nemo neſcit, & ex quotidianis piorum tribulationibus, & ex hoc Pauli teſtimonio, qui de iis ipſis verba faciens, quæ ad ejus pro nobis *ſatisfactionem* rapere non dubitant adverſarii, *Nunc* (inquit) *gaudeo in paſſionibus pro vobis.* *Col. 1. 24.* Eadem eſt operum, quæ pœnitentes ſuſcipiunt, ratio. Non enim eum afferunt mœrorem, cum quo conſolatio, ac lætitia conſiſtere non poſſit. Quinimo quo iſta libentius, & alacrius fiunt, eo meliora eſſe cenſenda ſunt; niſi forte *eleemoſynas*, & ſacras *preces*, & alia hujuſmodi opera non aliter putent laudanda, niſi dum iis fungimur, mœreamus, doloreque ac triſtitia pœne abſorbeamur. Cum ergo ex his perſpicuum ſit, & omnem *ſatisfactionem* cum ſummo mœrore, ſummaque totius animi perturbatione conjunctam eſſe; neque quicquam hujuſmodi in ullis fidelium operibus ineſſe; profecto conſequitur proprie *ſatisfactoria* nulla eſſe eorum opera.

Atque hæc quidem univerſim contra quaſvis hominum ſatisfactiones ſeu proprias, ſeu alienas dicta ſunto.

CAPUT XVIII.

Contra ſatisfactiones cujuſque proprias, argum. unicum, inde ductum, quod Chriſtus iis, quibus peccata remiſit, nuſquam legitur ullam ſatisfactionem impoſuiſſe.

CONtra proprias, præter hæc, quæ in utrumque genus communia ſunt, unum tantum ſeorſim afferemus argumentum; inde ductum, quod Chriſtus nullam iis, quibus peccata dimiſit, *ſatisfactionem*

factionem impoſuiſſe, aut ab iis exegiſſe uſquam in Scripturis legitur. Narrat Marcus Chriſtum paralytico ante ſe jacenti ſimpliciter dixiſſe, *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Satisfactionis nullius meminit. Neque *Marc. 2. 5.* aliter idem mulierem peccatricem pedibus advolutam dimiſit, *Remiſſa ſunt* (inquit) *tibi peccata.* Latronem in cruce converſum eodem quo- *Luc. 7. 48.* que modo peccatis abſolvit ſuaviſſimis illis verbis, *Amen dico tibi; hodie mecum eris in paradiſo.* Adulteræ quoque in adulterio deprehenſæ *Luc. 23. 43.* ſi venia, quod veriſimillimum videtur, à Chriſto indulta eſt, non alia conditione indulta eſt, *Nec ego te* (inquit) *condemnabo; Vade, & jam am-* *Ioan. 8. 11.* *plius noli peccare.* De Petro non eſt dubitandum, quin eodem quoque modo trinæ abnegationis peccatum ei remiſſum ſit, cujus nulla legitur *ſatisfactio.* Ita etiam Deum cum publicano egiſſe ipſe Chriſtus teſtatur, *Deſcendit ille* (inquit) *juſtificatus domum ſuam præ Phariſæo.* Ne- *Luc. 18. 14.* que uſquam alibi reperimus Chriſtum *ſatisfactionem* ab ullo pœnitente exegiſſe. Cum ergo eadem etiamnunc & ſit, & in æternum futura ſit Chriſti in credentes, ac pœnitentes bonitas, atque miſericordia, non eſt credibile ullam eum à nobis, ſi modo vere credamus, & reſipiſcamus, præteritorum peccatorum *ſatisfactionem* exigere. Cur enim majorem in iſtos, quam in nos indulgentiam ejus fuiſſe dicamus, cauſſa nulla eſt. Quinimo pauca iſta divinæ ejus in pœnitentes miſericordiæ, gratiæque exempla omnino videntur in eum finem nobis in Scripturis eſſe propoſita, ut ex iis peccatores intelligant, quæ ſibi, qualiſque ſit peccatorum remiſſio ab optimo Domino exſpectanda. Ad hæc adverſarii non uno modo reſpondent. Sunt qui iſtos, quorum ex euangelio exempla attulimus, negent ſine *ſatisfactione* abſolutos fuiſſe. Ac Peltanus quidem inverecunde, ut ſolet, *ſatisfactionem* iſtis non ex ulla *De Sat. Sect.* Scriptura, ſed ex ſuo cerebro affingit. Narrat enim *Matthæum, Pe-* *10. ad 3. arg. p. 128, 129.* *trum, & Magdalenam ad ultimum uſque vitæ ſpiritum ultroneis pœnis impigre ſe maceraſſe, jugibuſque ſatisfactionis officiis incubuiſſe ſtrenue; idémque de cæteris ſuſpicari licere; quamvis id ſacris litteris, ut alia quoque multa, proditum non extet.* Sed ex quo nobis iſta Euangelio depromit? Petrum, & cæteros fideles, de quibus quæritur, non abnuo in mortificandæ carnis ſtudio ad mortem perſeveraſſe, neque nego nobis quoque ut idem præſtemus, incumbere. Vltroneis pœnis quemquam illorum ſe maceraſſe, aut *ſatisfactionis* officiis incubuiſſe Peltani ſomnium eſt. Illud quidem certe ex Scripturis conſtat nullas ab iis ultroneas pœnas Chriſtum exegiſſe; nulla ipſis cum peccata remiſit *ſatisfactionis* officia impoſuiſſe, ſed tantum juſſiſſe ne deinceps peccarent; quod adverſarii eorum etiam fidelium officium eſſe non negabunt, qui nullo ſe peccato antea

to antea obſtrinxerant. Iam ut donem Scripturam illud omittere potuiſſe, quomodo iſti *ſatisfactionibus* à Chriſto impoſitis defuncti ſint; qualia multa de eodem genere omiſit; hoc certe non tacuiſſet Chriſtum iſtis *ſatisfactionem* impoſuiſſe, ſiquam re vera impoſuiſſet, quo loco narrat quibus verbis Chriſtus peccata iis dimiſit. Coſterus, Peltano prudentius, ſuas ex Scripturis ſatisfactiones exſculpere conatur. Ait enim Magdalenam *verecundo* in cœnaculum, in quo Chriſtus accumbebat, *introitu, lacrymis, ſacrorum pedum oculis, ſparſis capillis, profuſo unguento ſatisfeciſſe*; Publicanum, inſigni *contritione*, *pectoris*que *tunſione*; Latronem, *ſupplicio*; Paralyticum, *periculo*, cum non ſine magno diſcrimine ex tecto dimitteretur; adulteram *dolore*, *rubore*, *metu*. Sed iſta omnis Coſteri diligentia à præſenti cauſſa plane aliena eſt. Iſta enim quæ huc congeſſit, omnia ante facta ſunt, quam iis, qui ea vel fecerunt, vel paſſi ſunt, peccata à Domino dimiſſa eſſent. Nunc vero quæritur de iis *ſatisfactionibus*, quas Deus *poſt remiſſam culpam*, æternamque pœnam à fidelibus exigere fingitur. Neque iſta, quæ à Coſtero commemorantur, in legitimarum *ſatisfactionum* cenſu haberi poſſunt, quas iſti neminem præſtare volunt, niſi qui ſit in gratia; in gratia vero neminem eſſe certum eſt, cui non ſit ſaltem remiſſa peccati culpa. Iſtorum igitur quibus nondum à Chriſto remiſſa erant peccata, nullæ hactenus *ſatisfactiones* fuerunt. Neque ſiquid poſt acceptam remiſſionem vel egerunt, vel paſſi ſunt, id pro *ſatisfactione* obtrudi debet; cum nullam illis *ſatisfactionem* Chriſtum impoſuiſſe legamus. Sunt igitur alii, qui peccata iſtis à Chriſto ſine *ſatisfactione* dimiſſa fuiſſe non negant; ſed ideo ſic *dimiſſa* volunt, quod vel ob inſignem contritionem nihil iis eſſet *ſatisfactione* opus, vel quod Chriſti, qui Dominus eſt, jus & arbitrium fuerit ita extra ordinem cum iis paucis agere. *Quis novit* (inquit Bellarminus de adultera loquens) *an non tantam in ea Dominus contritionem viderit, ut nulla præterea ſatisfactione opus eſſe judicaverit? Nam nec nos diffitemur tantam aliquando vim contritionis in aliquo reperiri poſſe, ut ſola ſufficiat ad omnem culpam, & pœnam expiandam; qualem fuiſſe in Maria Magdalena facile mihi ipſe perſuadeo.* Hæc Bellarminus. Atque hic inprimis operæ pretium eſt obſervare, quam ſit lubrica & incerta omnis iſtorum ratio. Quibus enim Bellarminus negat *ſatisfactione* opus fuiſſe, iiſdem eam Peltanus uſque adeo neceſſariam fuiſſe vult, ut ad ultimum uſque vitæ ſpiritum jugibus *ſatisfactionis* officiis impigre incubuerint. Sed Bellarmino reſpondeo ideo ſane iſtis *ſatisfactione* opus non fuiſſe, quod veram ac legitimam contritionem haberent; Neque enim Deus aliis, quam ſerio contritis peccata dimittit. Itaque ſi hæc contritionis vis

Lib. 4. de pœn. c. 11. §. Deinde eſto.

eſt

eſt, ut *ſatisfactionis* neceſſitatem expungat, ne ab ullis quidem *ſatisfactionem* exigi, quibus peccata dimittuntur, quæ nulli dimittuntur niſi vere contrito. Quod vero vult iſtorum multo majorem, quam cæterorum fidelium fuiſſe contritionem, hoc ariolari eſt, non diſputare. Vnde enim id novit, vel ſuſpicatur? Scriptura quidem omnibus vere contritis peccatorum remiſſionem promittit, eamque unam, ac ſimplicem, non pro variis contritionis gradibus diverſam. Quod ſi iſtius diverſitatis ratio in hoc negotio habenda eſt, cum ſacerdotes videre nequeant, quæ qualiſque ſit illa ſingulorum pœnitentium contritio, ex cujus modo (ſi vera narrat Bellarminus) omnis *ſatisfactionis* pendet & neceſſitas, & modus; quis non videt cæca, ac temeraria, & fortuita eſſe omnia iſtorum judicia, qui id, ex quo judicare debent, minime perſpectum, vel exploratum habent? Tum hoc ipſum quod nunc ponunt, nimirum tantam interdum eſſe vim contritionis, ut peccati remiſſionem citra ullam *ſatisfactionem* obtineat; id inquam, non ſatis videtur cum iis congruere, quæ ſupra conſtituebant. Ajebant enim & ad Dei juſtitiam, & ad ipſorum pœnitentium utilitatem pertinere, ne iis peccatum ſine *ſatisfactione* remittatur. Qui factum, ut duras illas, & adamantinas leges nunc repente aliqua contritionis intentio refigat? Denique ut unius, aut alterius ſingularis fuerit contritio, non eſt incredibile; nullum ex omni eorum numero, quibus peccata à Chriſto remiſſa leguntur, repertum, cujus non eſſet plane eximia præ omni fidelium vulgo, contritio, ut molliſſime dicam, valde mirabile eſt, neque ſine ratione, vel auctoritate admittendum; quam cum nullam afferat adverſarius, præter unum cauſſæ ſuæ ſtudium, id quidem totum non à nobis difficilius rejicitur, quam ab illo obtruditur. Nos igitur ex iſtis exemplis Chriſtum nullam à vere contritis, & pœnitentibus *ſatisfactionem* exigere colligimus; idque tamdiu tenebimus, donec adverſarii probaverint eum à quibuſdam, imo à plurimis, ac fere ab omnibus fidelibus, tametſi vere contritis, præter ſuum illum morem exigere, ut pro peccatis *ſatisfaciant*. Sed & alteram reſponſionem, non ab eximia pœnitentium contritione, ſed à ſingulari Chriſti dignitate petitam hic quoque Bellarminus adhibuit, *Alia* (inquit) *Chriſti ratio eſt, alia ſacerdotum. Ille, qui Dominus erat, ſuo jure poterat omnem culpam, & pœnam adulteræ condonare; Sacerdotes, qui miniſtri ſunt, juxta leges ſibi traditas coguntur pœnitentibus aliquam injungere.* Ego vero primum rogo ubi-nam extent in divinis litteris illæ ſacerdotum leges? à quo, & quando latæ ſint, quæ niſi Chriſti ſunt, fruſtra in ejus domo obtenduntur? Siquas ex cœleſtibus tabulis proferrent adverſarii, faterer nullum iis præjudicium facere de-

 bere

bere allata in oppoſitum paucula illa exempla. Nunc cum ille miniſtris non aliam officii legem præſcripſerit, niſi ut peccata credentibus, & pœnitentibus remitterent; incredulis, & impœnitentibus retinerent; fruſtra legum auctoritas his ejus factis opponitur, quæ plane cum univerſali illa Euangelii ſententia congruunt. Præterea tametſi presbyterorum miniſterio ſalus fidelibus diſpenſetur, idem tamen ille Chriſtus, qui olim peccata per ſe dimiſit, nunc quoque ea per miniſtros dimittit, hujuſque negotii totius auctor eſt, neque minus nunc per ſacramenta operatur, quam olim ſine iis. Nulla autem ratio eſt, cur aliter nunc nobiſcum agat, quam tum cum aliis fidelibus egit; nulla cur *ſatisfactionem* jam à nobis exigat, quam ab iis nullam exegiſſe legitur. Certe in baptiſmo etiam nunc peccata ſine *ſatisfactione* dimittit. Denique ſi neque divinæ juſtitiæ, neque ipſorum credentium uſui conſentaneum eſt, ut peccata ſine *ſatisfactione* pœnitentibus dimittantur (quod adverſarii ſupra affirmabant) rem iniquam, & iis ipſis quibus concedebatur, damnoſam à Chriſto fieri non decuit. Sin ita à Chriſto decuit, non eſt quod jam aliter fieri oportere contendant. Illam indulgentiam vel tum omitti par fuit, vel nunc obtinere nefas non eſt. Eſt & aliud adverſariorum effugium, qui iſtos, quibus *peccata* à Chriſto *dimiſſa ſunt*, tum primum *per fidem & caritatem* ipſi inſitos fuiſſe reſpondent, recens vocatos, recens miſſos in poſſeſſionem theſauri cœleſtis; pari adeo cum iis indulgentia habendos, qui per baptiſmum primatum regenerantur. Sed hanc iſtorum reſponſionem ipſe Salmero confutavit; *Hæc* (inquit) *parum ſolida videtur eſſe ſolutio. Nam illi omnes Iudæi erant, ac proinde circumciſionis ſacramento originis peccatum remiſſum; & conſequenter jam ſemel erant juſtificati, ut ſi ad pœnitentiæ ſacramentum accurriſſent, omnino pœnitentiæ eguiſſent fructibus.* Ipſe vero Salmero reſpondet Dominum abſolutionem ex privilegio illis paucis conceſſo, poteſtate excellentiæ conferre voluiſſe. Hoc iſtis ſolenne eſt exempla, quæ ipſorum legibus, atque uſui contraria ex Scripturis proferuntur, *privilegia* appellare. Admitterem, ſi exſtarent in Scripturis aut edicta, aut exempla factis, quæ afferuntur, oppoſita. Nunc cum nulla in iis lex reperiatur, quæ peccata pœnitentibus dimitti vetet, niſi ea conditione ut *ſatisfaciant*; cum ne unius quidem exemplum afferatur, cui vel Chriſtus, vel Chriſti Apoſtoli peccatorum remiſſionem accipienti, *ſatisfactionem* aliquam impoſuerint; quis non intelligit iſtos nobis illudere, qui ſolennem Chriſti abſolutionem, pluribus exemplis confirmatam, ſanctiſſimis Euangelii legibus adamuſſim congruentem, paucorum *privilegium* eſſe volunt? Nam quod cauſſatur Salmero, quo tempore

Chriſtus

Chriſtus iſtis peccata dimiſit, *nondum inſtitutum fuiſſe pœnitentiæ ſacramentum*, non adeo eſſe mirandum, quod is *ſatisfactionem* nullam impoſuerit, id inquam, ineptum eſt, & à præſenti quæſtione alienum. Non enim nunc quæritur ſit-ne pœnitentia *ſacramentum*, quod nos negamus, illi ajunt. Quæritur num fidelibus pœnitentibus ſic peccata Deus dimittat, ut nullam ab iis *ſatisfactionem* exigat. Illi contendunt ſemper exegiſſe, etiam veteris Teſtamenti temporibus, quibus nondum erat inſtitutum *pœnitentiæ ſacramentum*, poſt Chriſti demum reſurrectionem, ut volunt, indictum. Exempla ſatisfactionum à Moyſis & Davidis ſeculo repetunt. Pertendunt veteres Prophetas non alia lege *plenam* pœnitentibus peccatorum *remiſſionem* promiſiſſe, niſi hac, ut *ſatisfacerent*. Eamdem fuiſſe Ioannis Baptiſtæ diſciplinam volunt. Quod igitur nondum inſtitutum eſſet *pœnitentiæ*, vel *confeſſionis Sacramentum*, id inquam, impedire non debuit, quo minus Chriſtus, ſicuti Prophetæ olim, & Baptiſta nuper, ex adverſariorum quidem hypotheſi fecerant, *ſatisfactionem* iis imperaret, quibus peccata dimiſit. At nullam imperaſſe ex Euangelica hiſtoria certum eſt. Cum ergo divinæ nobiſcum in hoc negotio diſpenſationis nulla ſit alia certior aut firmior regula, quam Domini Chriſti praxis, concludendum eſt ne ab ullis quidem fidelibus Deum proprie dictam *ſatisfactionem* pro dimiſſis, vel dimittendis peccatis exigere. Atque hæc de *propriis* cujusque *ſatisfactionibus* ſatis.

CAPVT XIX.

Satisfactiones aliorum pro aliis ex Scripturis refelluntur. Arg. I. ex eo ductum, quod nemo fidelium pro nobis paſſus ſit. 1. *Cor.* 1. 15. *Arg. II. quod unusquisque onus ſuum portaturus ſit. Gal.* 6. 6. *Arg. III. quod unusquisque ſecundum ſuum laborem remunerabitur.* 1. *Cor.* 3. 8. *Arg. IV. ex parabola, Matth.* 25. 1. 2. 9.

IAm ad eas veniamus, quas aliorum pro aliis eſſe fingunt. Has Paulus clariſſime evertit, quo loco ſciſſa Corinthiorum in religione ſtudia reprehendens, cum alii ſe Apollo, alii Cephæ, alii Chriſti eſſe dicerent, eorum amentiam hoc argumento refellit, *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Iam certum eſt & illam Pauli interrogationem validiſſime negare, & quod de ſe Paulus verbi gratia dixit, id eum de cæteris omnibus ſanctis dictum intelligere, quorum in hoc negotio non alia eſſe poteſt, quam Pauli ratio; neque ſi aliter accipias, conſtabit A- 1. Cor. 1. 15.

poſtoli argumentum. Sed neque illud obſcurum eſt *crucifixione*, id eſt una paſſionis ſpecie cæteras omnes ſignificari, ejuſdem cum *cruce* generis, ac ingenii; *crucem* autem diſerte ideo nominaſſe Paulum, quod id ſupplicium Chriſtus pro nobis luerit, eoque effecerit, ut quæcumque ejus cauſſa & nomine perpetimur, ea *crucis* quoque nomine appellantur. Ex quibus conſtat hanc interrogatione figuratam Pauli orationem idem plane valere, ac ſi ſimpliciter dixiſſet; Neque ſe, neque Cepham, neque Apollo, neque quemquam cæterorum ſanctorum pro fidelibus quicquam vel perpeſſos, vel perpeſſuros eſſe; hanc unius Chriſti ſingularem, ac eximiam eſſe gloriam, quod *pro nobis crucifixus ſit*. Atqui Sancti ſi pro nobis *ſatisfecerunt*, iidem pro nobis *paſſi* ſunt, & quô ſenſu id verbum hic uſurpat Paulus, *pro nobis crucifixi*; quod cum neget Paulus, idque non ſimpliciter, ſed vehementiſſime, tamquam rem abſurdiſſimam, & animis, auribusque Chriſtianis indigniſſimam; profecto relinquitur, ut idem eos pro nobis *ſatisfeciſſe* neget, idque pro re abſurdiſſima, & apud Chriſtianos intolerabili habeat. Breviter ſic ex hoc loco agimus. Quisquis pro fidelibus *ſatisfacit*, is pro iis aliquid *crucis* perfert. Nulli ſancti quicquam *crucis* pro fidelibus perferunt; Ergo neque ii pro fidelibus *ſatisfaciunt*. Item; omnis fidelium pro aliis fidelibus *ſatisfactio* aliqua eſt pro iis *perpeſſio*. Nulla eſt autem fidelium pro aliis fidelibus *perpeſſio*; Ergo neque ulla eorundem pro aliis ſatisfactio. Ac ut mens Apoſtoli, argumentique noſtri vis penitus perſpiciatur, obſervandum eſt & Chriſtum, & Sanctos *pro nobis crucifixos* vel paſſos eſſe duobus modis poſſe intelligi; priori quidem, ut *loco noſtro* paſſi ſint, crucemque noſtri ſupplicii vicariam ad expianda noſtra peccata tulerint; Poſteriori vero ut *ad exemplum* noſtrum, noſtræque patientiæ, ac virtutis ædificationem paſſi ſint; quo ſenſu Petrus ait *Chriſtum pro nobis paſſum eſſe, relicto nobis exemplo, ut ejus veſtigia ſequamur.* Poſteriori hoc modo nemo neſcit Sanctos pro nobis paſſos eſſe; idque ipſe de ſe Paulus diſertiſſime profeſſus eſt, quo loco ait, *Nunc gaudeo in paſſionibus PRO vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, PRO corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; quæ verba ſunt à nobis fuſius in ſuperioribus explicata. Itaque dubitandum non eſt, quin Apoſtolus, non hoc, ſed priori ſenſu nunc neget ſe *pro* fidelibus *crucifixum*. Significat nimirum neque ſe, neque ullum Sanctorum *loco noſtro* perpeſſum eſſe; idque unius Chriſti eſſe, non cujusquam alterius. Iam vero quicumque pro alio *ſatisfacit*, ipſum neceſſe eſt ejus, pro quo *ſatisfacit*, loco pati. Vnde conſequitur cum nemo Sanctorum, teſte Apoſtolo, loco noſtro paſſus ſit, neque eorum quemquam pro nobis *ſatisfeciſſe*. Atque hic omit-

1 Petr. 2. 21.

Col. 1. 24.

omittenda non videtur illa Pauli, quæ proxime præceſſit vehemens quoque interrogatio, *Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Omnino namque dum Chriſtum diviſum negat, totam illam vim ſalutarem, qua peccata noſtra expiantur, noſque Deo reconciliamur, in uno Domino ſic plane penituſque reſidere ſignificat, ut nulla ejus pars in alio ullo, quantumvis Sancto quærenda ſit; neque enim illam in plures ſparſam, aut cum alio aliquo communicatam; ſed omnem in uno Chriſto collocatam. 1. Cor. 1. 13.

Idem quoque alibi docet Paulus, cum Galatas compellans, *Vnus quisque* (inquit) *onus ſuum portabit.* Atqui ſi ſtat iſtorum de alienis *ſatisfactionibus* dogma, *onus ſuum* non *unus quisque*, ſed alius pro alio *portabit.* Nam & pœnam peccato debitam, & pœnæ ex adverſariorum hypotheſi vicariam *ſatisfactionem* cujusque qui peccavit, onus eſſe clarum eſt. Ei enim incumbit, ut vel pœnam illam luat, vel certe pro pœna *ſatisfaciat.* Vnde manifeſtum eſt ſi Petrus verbi gratia pro Ioanne *ſatisfacit* Ioannis *onus* non ipſum Ioannem, ſed Petrum ferre. Atqui docet Apoſtolus *unumquemque ſuum portaturum*, Ergo ex Apoſtolo nemo ſanctus pro alio fideli, *ſatisfacit*; & ſi ulla *ſatisfactio* fidelibus poſt acceptam peccati remiſſionem præſtanda reſtat, illam ab eo ipſo qui peccavit, præſtari omnino neceſſe eſt; non eſt quod alienam exſpectet. Gal. 6. 6.

Eodem quoque pertinet, quod ait idem Apoſtolus in priore ad Corinthios epiſtola, *Vnusquisque* (inquit) *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Atqui ſiquid, ut volunt adverſarii, nobis ad hanc *mercedem accipiendam* confert aliorum quoque pro nobis *ſatisfactio*, non *ſecundum ſuum* quisque *laborem*, ſed etiam *ſecundum alienum*, eam accepturus eſt. Nam ex iſtorum hypotheſi quod Ioannes verbi gratia non eſt in *purgatorio* cruciatus, ſed recta in cœlum *mercedem* accepturus evolavit, cauſſa fuit Petri *ſatisfactio*; quæ niſi interceſſiſſet, ille ſubterraneis flammis ſcilicet aliquamdiu fuiſſet uſtulatus. Petri autem *ſatisfactionem* Petri laborem fuiſſe, non autem Ioannis, conſtat. Ergo ex iſtorum dogmate *ſecundum* non *ſuum*, ſed alienum *laborem mercedem accepit*; quod cum fieri neget Paulus, profecto & illud quoque, ex quo hoc ſequitur, negandum eſt, quemquam pro alio mortalem apud Deum *ſatisfacere.* 1. Cor. 3. 8.

Neque alio ſpectat Euangelica illa parabola, in qua Dominus Chriſtus, ut demonſtret quam ſibi quemque, ſuisque rebus providere, invigilare, atque attendere deceat, Chriſtianos ſub imagine *decem virginum ſponſum exſpectantium* nobis proponit; quarum quæ *fatuæ* erant, cum ſibi non ſufficere *oleum ſuum* viderent, eas quæ *prudentes* erant, rogarunt, ut *oleum* ſibi impertirentur. *Prudentes* vero præfracte nega- Matt. 25. 1. 2. 9.

 verunt;

verunt; *Ne forte* (inquiunt) *non ſufficiat nobis & vobis*. Nihil opus eſt hujus parabolę cætera ſcrutari. Nobis in præſentia ſatis eſt, quod iſtarum *virginum* nomine, & imagine fideles; *olei* vero, non *caritatem*, ut vult Bellarminus, ſed *bona opera* ſignificari, & res ipſa per ſe loquitur, & laudatiſſimi adverſariorum interpretes aſſentiuntur Ianſenius, Maldonatus, Barradius, alii. Hinc enim manifeſtum eſt, ut *prudentium virginum oleum* cum *fatuis* minime communicatum eſt; ita neque ſanctorum *bona opera* cum aliis fidelibus communicari; Ac ut ſua quemque fide, ſuaque caritate; ita & ſuis operibus inſtructum eſſe debere; neq; aliter ad beatiſſimas cœleſtis ſponſi nuptias admiſſum iri. Cum ergo illæ, quæ dicuntur ſanctorum *ſatisfactiones* opera ſint, & quidem præclariſſima, ac laudatiſſima, illius *olei* pars ſunt quod cum aliis communicari parabola negat.

L. 1. de ind. c. 4. §. Quarta objectio.

Maldonat.

Nam quod ait ex adverſariis non nemo eo tantum ſignificari *in ultimo judicio unumquemque ex propriis operibus, non autem ex alienis eſſe judicandum*, id evidentiſſime falſum eſt. Illæ enim *virgines*, quæ *oleum* vel popoſcerunt, vel negarunt, nondum *ante Chriſti tribunal ſtabant*; ſed erant adhuc *in via*, ut vulgo in ſcholis loquuntur; quippe cum nondum adeſſet *ſponſus*, qui Paulo poſt adveniſſe in parabola dicitur. Atqui ultimum judicium non prius habitum iri conſtat quam *ſponſus advenerit*. Itaque ex hac Chriſti oratione clariſſime habetur fideles, non modo in tremendo illo judicio nullum in alienis operibus præſidium inventuros, ſed ne nunc quidem dum in terris ſunt, aliorum cum aliis opera communicari, ſic ut eorum vi pœnis, quas debent, liberentur.

CAPUT XX.

Arg. V. & VI. quod neque Sanctorum qui paſſi ſunt, voluntas ea fuiſſe certo cognoſcitur, ut pro nobis paterentur; neque Dei item, ut noſtro uſui illorum paſſiones cederent. VII. arg. inde ductum quod Sanctorum paſsiones omnes ſupra condignum remuneratæ ſint. Refellitur Bellarmini inſtantia, unum idemque opus & ſatisfactorium & meritorium eſſe cavillantis.

HUc accedit, quod ipſi adverſarii confitentur, ut unius *ſatisfactio* alteri ad impunitatem proſit, neceſſarium eſſe, ut ejus qui *ſatisfacit* ſaltem implicite hæc fuerit intentio. Atqui demonſtrari non poteſt ullum Sanctorum, dum propoſita pro fide certamina obiret, aut *corpus* laborioſis pœnitentiæ operibus *caſtigaret*, id mentis, atq; animi habuiſſe, ut ſuæ iſtæ perpeſſiones temporarias, quas nos meremur, pœnas expiarent. Oſtendimus ſupra, quam vanus fuerit eorum labor,

bor, qui probare conati ſunt hanc Pauli fuiſſe in ſuis *pro Eccleſia paſſionibus* intentionem. Contraque patet ex iſta Domini parabola proxime allata Sanctos eo animo fuiſſe, ut ſua opera ſibi omnino ſervata vellent: non autem, ut eorum aliis quoque copia fieret, illud quod ajunt *prudentes virgines*, merito verentes *ne forte* ea ſibi, & aliis *non ſufficerent*; qui eorum metus tanto juſtior fuiſſe cenſendus eſt, quod (ex adverſariorum ſententia) ſancti, quamdiu ſunt in terris, neque de præſenti Dei gratia, neque de ſua in poſterum perſeverantia certi ſunt; ſemperque, & *gehennæ*, & *purgatorii* etiam multo magis, cruciatus metuunt. De ſe ergo ſollicitos, neq; dum perſpectum, aut exploratum habentes, an Deo plane *ſatisfecerint*; quis adeo improvidos fuiſſe putet, ut quæ ſibi neceſſaria fortaſſe futura ſuſpicabantur, ea hoc animo ſuſceperint, quo aliis, non autem ſibi prodeſſent? Profecto cum hęc ſint adverſariorum placita, etiamſi iis, quod tamen falſiſſimum eſt, donaretur Sanctos pro nobis *ſatisfacere* potuiſſe, tamen apparet ne ſic quidem conſequens fore, ut ulla revera ſit eorum pro nobis *ſatisfactio*; quippe quos ſua illa *ſatisfactoria* opera, non nobis, (quod, ut ea nobis applicari queant, neceſſe erat) ſed ſibi ipſis animo deſtinaſſe ſatis ex iis, quæ diximus, perſpicuum ſit.

Sed præter ipſius *ſatisfacientis* intentionem aliud etiam accedere oportet ad hoc, ut ejus nobis *ſatisfactio* applicari, atque uſui eſſe poſſit, nimirum ejus quem læſimus, cuique pro nobis *ſatisfit*, voluntatem, atque conſenſum. Nam in toto hoc negotio præcipuas ejus partes eſſe decet, cujus res proprie agitur. Itaque ne Chriſtus quidem ipſe, quamquam Dei Filius, ſummusque univerſi dominus id ſibi ſumpſit, ut mortem pro nobis oppeteret, eaque ratione pro nobis *ſatisfaceret*, niſi à Patre *vocatus*, & de hac ejus voluntate, certus, ut à divinis ſcriptoribus diligenter eſt obſervatum. Fac igitur (quod non eſt) Sanctorum eas vires fuiſſe, ut pro nobis *ſatisfacere* potuerint; Fac eum fuiſſe animum, ut voluerint; nondum tamen eo fit, ut revera *ſatisfecerint*, niſi prius conſtet Deum, quem læſimus, cujusque ultrici juſtitiæ *ſatisfaciendum* fuit, hoc gratum, acceptumque habuiſſe, ac denique inſtituiſſe, & edixiſſe, ut ii pro nobis *ſatisfacerent*. Atqui nihil hujusmodi legimus in utriusque fœderis libris, quibus omnia divinæ de nobis, ſaluteque noſtra voluntatis documenta contineri certum eſt. Quinimo multa in illis litteris reperiuntur, quæ plane aliud ſuadere videntur; qualia illa ſunt, pæne innumerabilia, loca, quibus Chriſto uni *ſatisfactio* pro noſtris peccatis, noſtraque omnis liberatio, ſive redemptio à Patre impoſita fuiſſe dicitur. *Chriſtum* (inquit Paulus) *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Unus eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus* Rom. 3. 25.
Jeſus,

Ieſus, qui dedit redemtionem ſemet ipſum pro omnibus. Dei voluntate ſan-
1.Tim.2.5. *ctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Si quis peccaverit,*
advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt pro-
Hebr.10.10. *pitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro to-*
tius mundi. Hæc & alia conſimilia paſſim occurrunt in Scripturis; qui-
1.Joan.2.1.2. bus clariſſime docemur hanc fuiſſe Patris voluntatem, ut Chriſtus pro peccatis noſtris *ſatisfaceret*. De Sanctis, cur nihil hujuſmodi uſquam occurrit, ſi ea quoque Patris mens, atque voluntas fuit, ut & iſti pro nobis *ſatisfacerent?*

Sed & ipſa illa Sanctorum opera aliis ad expiationem peccatorum applicari non poſſe inde liquet, quod Sancti omnes plenam laborum ſuorum *mercedem* acceperunt; imo etiam fatentibus adverſariis, *ſupra condignum à Deo remunerati* ſunt; quod ipſi ex his Domini apud Lucam verbis confirmant; *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſu-pereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Cum itaque omnis illa operum à
Luc.6.38. Sanctis præſtitorum vis in ipſis Sanctis exhauſta fuerit, atque conſumpta, ſic ut nulla ejus pars ſuperſit, quæ non ſuum præmium cumulatiſſime acceperit; ridiculum eſt ſtatuere eam aliis præterea nunc prodeſſe ad eos pœnis, quas erant meriti, ex juſtitia & jure liberandos. Re-
Bell. de indulg. l.1.c.4.5. Quarta objectio. ſpondent adverſarii in bonis operibus Sanctorum, quæ laborioſa, & pœnalia fuerunt, duplicem eſſe rationem; alteram *meriti*, alteram *ſatisfactionis*. Quod attinet ad rationem *meriti*, plenam *mercedem*, imo etiam *confertam*, & *coagitatam*, & *ſupereffluentem menſuram* præmii Sanctos omnes pro ſuis laboribus accepiſſe. *Quod autem pertinet ad rationem ſatisfactionis, multos Sanctorum labores inanes, & ſine fructu fore, niſi pro reatibus aliorum remunerentur, cum ipſi Sancti aut nullis, aut certe minoribus laboribus pro ſuis expiandis reatibus indigerent.* En quo prorumpat humanæ ſuperbiæ temeritas! Niſi (inquit) etiam alios reatu liberent ſanctorum labores, ii *inanes* erunt & ſine fructu. Quid? Tune *inanem* audes dicere ejus laborem, cui cœleſtis, & immortalis vita, cum ſumma ſempiternaque gloria conjuncta, pro labore donata eſt? Tune eum *ſine fructu* eſſe, cui tanta, tamque divina merces à Domino reddita eſt? Etiam, inquit, niſi præter eam aliud quoque mercedis acceſſerit, ut aliis propter ipſum pœnæ peccatorum condonentur. O vocem impiam & omnium Chriſtianorum execratione dignam! Hæccine eſt gratitudo clementiſſimo, & liberaliſſimo Domino debita? ut omnibus ejus donis cumulatus conqueraris tamen nondum eum operibus tuis *ſatisfeciſſe*, jactesque eum in ære tuo adhuc futurum, niſi præter te aliis etiam tui cauſſa benefecerit? Non eſt, quo altius conſcendat cæca homi-

num

num ingratitudo, atque amentia. Primum *ſuperbia* eſt & quidem immanis, quod te aliquid, nedum vitam æternam, omnium bonorum apicem, apud Deum *mereri* putas, cui omnia debes; à quo omnia habes. Sed neque levis eſt illa tui ſupercilii *arrogantia*, quod glorïaris te pro alienis pœnis divinæ juſtitiæ *ſatisfacere*. Ille vero plane non ferendus *ſuperbiæ* tuæ *cumulus* eſt, quod te uno eodemque opere & vitam æternam tibi ipſi *mereri*, & aliorum *pœnas* ſimul & ſemel *expungere* contendis; Deumque, etiamſi tibi cœlum totum rependerit, niſi tamen & aliis propter te peccati pœnas remiſerit, debitorem tibi fore affirmas; id ni fiat, habiturum te, quod eum de nomine ex jure convenias, & apud Pretorem voces, meritoque conqueraris tuorum laborum aliquid *inane & ſine fructu* remanſiſſe. Hæc qui non exhorreſcat, fruſtra cum eo diſputem; adeo ſunt ab omni, non modo Evangelica veritate, ſed & ratione, & pudore aliena. Nos vero (quod ſumit adverſarius) quæ *laborioſa ſunt Sanctorum opera*, ea proprie apud Deum & *mereri*, & *ſatisfacere*, utrumque pariter negamus. Ac nulla quidem *ſatisfacere*, ſupra ſatis ſuperque demonſtravimus, eaque omnia quibus hic error conſtitui putatur, abunde confutavimus. Alterum vero de merito dogma refellere non eſt præſentis loci, quod ea res ſuam ſeorſim diſputationem requirat. Itaque utrumque caput nunc quidem omittamus; ac tantiſper ſepoſita gemina illa controverſia, fingamus verum eſſe, quod falſo docent adverſarii Sanctorum opera tam *mereri* vitam, quam *ſatisfacere* pro pœnis poſſe. Ego etiam his ita conſtitutis (quæ alioqui perverſiſſima ſunt, & à vero alieniſſima) nego conſequi, ut uni, eidemque operi & vita æterna, & pœnæ alicujus condonatio ſimul & ſemel ſeorſim utraque debeatur. Itaque ſi cui Sancto pro operibus vita æterna repenſa fuerit, ajo eum operis fructum abunde tuliſſe; neque citra ſummam impudentiam à Deo flagitare poſſe, ut idem illud opus, cujus tam *amplam*, tamque *cumulatam mercedem* accepit, alii præterea alicui imputetur, tamquam legitima pro pœnis, quas ille debebat, *ſatisfactio*. Quæ vero Bellarminus contra affert, ea futilia ſunt omnia, ex uno cauſſæ ſtudio nata. Imprimis falſum eſt, quod primo loco ponit, & ex quo cætera, velut ex erroris fonte, manant, nimirum hujusmodi opera, verbi gratia *eleemoſynam*, aut *jejunium*, *ſatisfactoria* eſſe quatenus *laborioſa* ſunt; *meritoria* vero quatenus ex caritate fiunt. Supponamus enim *jejunium* Ioannis eſſe *ſatisfactorium*; certe non eo Ioannes pro pœna *ſatisfecit*, quod inediam carni gravem, & moleſtam, ſimpliciter tulit; ſed quod eam ex amore Dei tulit. Idque vel ex eo apparet, quod infidelium & hypocritarum *jejunia* nullam omnino habent *ſatisfaciendi* vim; quia nimirum

L. 1. de ind. c. 2. §. Prima propoſitio.

Rr

mirum ſine fide & caritate fiunt. Vnde liquet *jejunium*, & alia hujus generis opera, *ſatisfactoria* ſi ſunt, non eo eſſe tantum, quod *laborioſa*, ſed etiam quod *ex caritate facta*. Ita Chriſti *crux*, quam omnes vere *ſatisfactoriam* eſſe confitemur, vim peccata noſtra expiandi habuit, non à ſolis ſimpliciter *cruciatibus*, quos ille perpeſſus eſt, ſed ab ea etiam *caritate, patientia, conſtantia*, & *obedientia*, qua propoſito pro nobis certamine defunctus eſt. Vnde eſt, quod neque damnatorum in inferno tormenta, neque impiorum in hac vita perpeſſiones, *ſatisfactiones* dici poſſunt; quod ſcilicet ea patientia, humilitate, atque animi demiſſione careant, quæ omnino eſt ad *ſatisfaciendum* neceſſaria. Iam neque obſcurior eſt meriti ratio. Nam qui *martyrium* faciunt, ſi *merentur*, non eo certe tantum *mereri* cenſendi ſunt, quod Deum & proximum amant; ſed eo etiam, quod graviſſimos labores pro hac cauſſa ſuſcipiunt, ac perferunt. *Meriti* pars eſt (ſi tamen aliquod eſt eorum *meritum*) ipſa illa perpeſſio, quam ſuſtinent. Idque vel ex eo intelligi poteſt, quod adverſarii *meritum* in eo ſitum eſſe volunt, quod quæ ex lege minime debemus, ea præſtamus tamen; eoque *mereri* dicant fideles, qui res graves, & moleſtas, ut *jejunium*, *flagellationes*, & cætera hujuſmodi, tametſi nuſquam à Deo in lege mandata, ſponte ſuſcipiunt. Cum igitur & caritatem *ſatisfactio*, & laborem *meritum* requirat, apparet non ſic in uno, eodemque opere alterum ab altero ſejungi, ac divelli poſſe, ut ſeorſim ſumpta vel ærumna *ſatisfaciendi*, vel caritas *merendi* vim habeat. Vtraque ad alterum horum coeunt, ſic ut neque ſine caritate labor *ſatisfaciat*, neque caritas ſine labore *mereatur*. Vnde illud poſtremo clariſſime conficitur, quod à nobis in argumento poſitum fruſtra convellere conatur adverſarius, iis ſanctorum operibus, quibus Deus vitam æternam rependit, nihil omnino præterea deberi; ut fruſtra ſint, qui in iis ſuarum pœnarum *ſatisfactionem* quærunt. Æterna enim illa vita, quam ipſi acceperunt, non ſimpliciter amoris, quo Deum proſecuti ſunt, ſed etiam laborum, quos pro eo perpeſſi ſunt, præmium eſt. Vt athleta bravium, non ejus modo impetus, aut affectus, quo ad laudem, & gloriam flagrabat, ſed etiam ejus certaminis mercedem habet, quod eo affectu incenſus ſuſcepit, ac ſuſtinuit. Itaque ſicuti ridiculus erit athleta, qui accepto bravio nondum ſe ſatis remuneratum conqueretur, ni ſibi ſontis alicujus ſupplicium condonetur; quod nimirum præter præclarum illum animi ardorem, quo coronam meritus eſt, multa gravia & moleſta in ſtadio pertulerit, quibus ſcilicet pro pœnis ſatisfecit; non aliter profecto deſipient illi, ſiqui ſint, adverſariorum Sancti, qui immortali cœleſtis vitæ laurea ab optimo, & clementiſſimo brabeuta, donati,

nati, magnam laborum ſuorum partem *inanem* ac *ſine fructu* dimitti ideo expoſtulent, quod dura illa quæ tulerunt, nemini ad *ſatisfactionem* proſint. Atqui docet Paulus illa, quæcumque tandem ſint, quæ hoc certamine ſuſtinuerunt, omnia non modo ſatis, & (ut loquuntur) *ex condigno*, ſed etiam *abunde*, & longe ſupra *condignum* illo vitæ æternæ bravio remunerata eſſe; *Exiſtimo enim* (inquit) *quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Illam *gloriam*, Bellarmine, Sancti tui acceperunt. Quid ergo conquereris? quid Deo facis invidiam, quaſi iis aliquid adhuc debeat? Concedis operibus, qua bona & ſancta ſunt, cœleſte donum *ſatisfacere*. Negas, qua dura, & laborioſa ſunt. Atqui eatenus ni fallor, laborioſa ſunt, quatenus *perpeſſiones* ſunt; hac vero etiam ratione Paulus ea vult gloriæ futuræ dono cumulatiſſime expungi. Ait enim *PASSIONES noſtras non eſſe condignas ad futuram gloriam.* Atque ex his facile eſt cætera Bellarmini argumenta diſſolvere, quæ omnia id, quod jam confutavimus, falſo ac perperam ſupponunt, in uno eodemque opere vim eam, qua id *meritorium* cenſetur, ab ea, qua *ſatisfactorium* eſt, omnino diverſam eſſe, neque utramque ad alterum ex his efficiendum concurrere. Primum autem ſic ille argumentatur, opus bonum ex caritate factum *meritorium* eſſe vitæ æternæ. At nihil detrahitur de bonitate, & dignitate ejus operis, ſi acceptetur à Deo ad *ſatisfactionem* pro *pœna*. Ergo idem opus & *meritorium*, & *ſatisfactorium* erit. Hæc eſt prima adverſarii ratio, admodum obſcura, & involuta, planeque mirabilis. Hoc omnino videtur velle opus bonum *ex caritate factum* ita poſſe apud Deum pro peccati pœna *ſatisfacere*, ut eo nihil ipſi pereat de illa dignitate, qua per ſe vitam æternam *meretur*; Itaque ſi id à Domino ad *ſatisfactionem* pro pœna acceptetur, nihiloſecius idem vitam quoque æternam *meriturum*. Bellarmini in his verbis, aut hæc, aut nulla mens eſt. Atqui ſi hic eſt ejus ſenſus, nihil aliud eſt totum hoc argumentum, niſi mera principii petitio. Nam quod ille ſumit nihil eo de operis dignitate decedere, quod acceptetur in *ſatisfactionem* pro pœna; quis ei conceſſerit, niſi qui idem cum ipſo ſenſerit? Imo quis hoc capere poteſt, ut opus aliquod *ex condigno* pro pœna *ſatisfaciat*, reumque ea liberet, & tamen tantumdem retineat dignitatis, quantum antea habebat? Plane iſte ſic agit, ac ſi athleta dicat nihil de certaminis ſui dignitate detractum iri, ſi acceptetur à judice ad *ſatisfaciendum* pro pœna; indeque concludat ſe uno, eodemque illo certamine & *coronam* eſſe *meritum*, & pro alicujus ſontis pœna *ſatisfeciſſe*; utramque adeo ſibi deberi, & *coronam*, & *ſontis* alicujus *impunitatem*, ſive (ut vulgo loquimur) *gratiam*; quæ

Rom. 8. 18.

L. 1. de ind. c. 2. § Prima propoſitio.

quam ſtulta ſint, nemo non videt. Quis enim iſti, quod ponit, conceſſerit, ſi ejus certamen ſontem ſupplicio liberaverit, non ideo minus corona quoque dignum fore? Quaſi in redimendo ſonte non fuerit exhauſta quæcumque ejus erat dignitas. Secundo; *Qui orat pro aliis* (inquit adverſarius) *eisque impetrat remiſſionem peccati, vel quodvis aliud beneficium Dei, certe non minus bene operatur, & Deo placet ita orando, quam ſi pro ſe tantum oraret; imo melius facit, ac magis Deo placet, quia ſimul exercet caritatem in Deum, & in proximum. Igitur non perdit mercedem ſuam apud Deum, quamvis etiam proximo beneficium aliquod illo ipſo opere impetraverit. Quare poterit eadem oratio ſimul eſſe impetratoria, & meritoria. Quod ſi ita eſt, quid impedit, quo minus poſſit eſſe ſimul ſatisfactoria, & meritoria?* Hoc inquam, quod qui *impetrat* ei, quod *impetrat* ex gratia, non *ex juſtitia* datur; ut ad impetrandum nullam eſſe neceſſe ſit ejus orationis, quam ad impetrandum adhibet, dignitatem. Contra, qui proprie *ſatisfacit*, ei id, pro quo *ſatisfacit*, non ex gratia, ſed ex *jure* & *juſtitia* conceditur; ut ad *ſatisfaciendum* certam, & ei quod expiat æqualem eſſe neceſſe ſit ejus operis, quo ſatisfacit, dignitatem. Unde videre eſt non, ſi adverſario conceſſero aliquem *mereri* apud Deum dignam opere ſuo mercedem, qui ex caritate orando impetrat aliquid proximo, ideo me concedere quoque debere *meriturum* apud Deum dignam opere ſuo mercedem, qui ex caritate orando, jejunando, vel eleemoſynas largiendo pro aliorum peccatis nititur *ſatisfacere*. Plane enim alia eſt *impetrationis*, alia *ſatisfactionis* ratio. Qui *ſatisfacit*, eum opus redemptione dignum afferre oportet; qui *impetrat*, facilem, & miſericordem judicem nanciſci. Itaque hunc quidem uno eodemque opere & *impetrare*, & *mereri* aliquid ex adverſariorum hypotheſi nihil vetat; illum & *ſatisfacere*, & *mereri* ex iis eſt, quæ fieri non poſſunt; niſi ea ſit operis dignitas, quæ propoſitam mercedem multis partibus ſuperet; quod de operibus humanis reſpectu vitæ æternæ dici non poteſt. Non eſt firmius, quod tertio loco affert adverſarius, *Si duo* (inquit) *pii viri cum æquali pietate, & caritate erga Deum orent, aut eleemoſynas tribuant, & uni remittatur pœna aliqua temporalis, cui erat obnoxius; alter non egeat ulla remiſſione; quæro an par præmium in vita æterna ſibi acquirant, an diverſum? Si par, igitur opus bonum meritorium, & ſatisfactorium ſimul eſſe poteſt; neque aliquid amittit de ratione meriti, propterea quod ratio ſatisfactionis accedat. Si diverſum, igitur opus bonum, aut meritorium, non integram à Deo mercedem accipit. Nam non poteſt tam parum detrahi de præmio vitæ æternæ, & augmento gratiæ, quin ſit illud multo pretioſius, & majus, quam remiſſio cujuscumque pœnæ temporalis. Eſt autem abſurdum opus bonum, & me-*

& meritorium non accipere à Deo integram mercedem. Igitur par præmium duo illi viri obtinebunt; etiamſi alteri tantum pœna temporalis remittatur. Nam alteri non remittitur, non quia non poſſit, ſed quia non eſt neceſſe. Hæc adverſarius. Ego vero, ſi ea, quæ ille falſo de *ſatisfactione*, & *merito* ſupponit, conceſſero, reſpondebo duos illos viros impar præmium in vita æterna acquirere; ſiquidem (quod iſte vult) ex *jure* cum utroque agatur. Quod vero ille ſubjicit, ſi ita res habeat, opus bonum non integram à Deo *mercedem* accepturum, negabo ſequi. Illa enim boni operis *merces* vel eſt *remiſſio* peccati, vel aliquod in vita æterna *præmium*, id eſt aliquod vel gratiæ, vel gloriæ augmentum. Itaque cum vir ille prior, qui fingitur, remiſſionem peccati pro opere acceperit, integram operis mercedem accepit, neque habet, quod conqueratur, ſi præter hanc non idem vel gratiæ, vel gloriæ augmentum accipiat, quod ille alter, cui æqualiter operato nullum remiſſum eſt peccatum. Sed in eo fallitur adverſarius, quod ſemper ſupponit opus bonum, ut *ſatisfaciat*, nihil aliud, quam *laborioſum*, & *pœnale* eſſe debere; ut *mereatur*, nihil aliud quam *ſanctum*, & *ex caritate profectum*. Id vero cum à nobis negetur, non ſupponi, ſed probari debuit. Conſtat enim ex iis, quæ nuper à nobis explicata ſunt, ſi opus aliquod *bonum* & *laborioſum*, vel *mereatur*, vel *ſatisfaciat*, eo vel *ſatisfacere*, vel *mereri*, non quod ſimpliciter vel *laborioſum*, vel *bonum* ſit, ſed quod utrumque, adeoque non alteram tantum, ſed utramque ejus dignitatem vel data peccati remiſſione, vel conceſſo gratiæ, aut gloriæ augmento compenſari, atque conſumi. Poſtremo ſic agit adverſarius; Primo ponit uni, atque eidem operi duplicem *mercedem* deberi; alteram ex juſtitia *commutativa*, alteram ex *diſtributiva*. Tum aſſumit operi *ſatisfactorio* deberi remiſſionem pœnæ *ex juſtitia commutativa*; operi *meritorio* deberi præmium *ex diſtributiva* ſecundum ſubſtantiam, quamvis ſecundum modum debeatur, & reddatur *ſecundum commutativam*. Vtrumque multis argumentis probat; & hoc quidem poſterius ex eo quod in Scripturis Deus, ut *judex*, diſtribuit *unicuique ſecundum opera*, & dicitur *Deus non eſſe acceptator perſonarum*; quod vitium contrarium eſt *juſtitiæ diſtributivæ*. Ex quibus tandem concludit idem opus bonum poſſe *meritorium* eſſe vitæ æternæ, & ſimul *ſatisfactorium* pro temporali pœna, nec minus *meritorium* quam *ſatisfactorium*. Hæc adverſarius; obſcure ſane, & implicite. Ego vero reſpondeo falſum eſſe, quod ille aſſumit, & ex quo cætera omnia deducit; nimirum operi *ſatisfactorio* remiſſionem pœnæ aliter deberi, quam *meritorio* præmium. (ut jam aliquod eſſe opus vel *ſatisfactorium*, vel *meritorium* donemus.) Vtriuſque omnino eadem eſt ratio. Vtrique & ſecundum

cundum ſubſtantiam *ex juſtitia diſtributiva*, & ſecundum modum *ex commutativa* tam debetur, quam ſolvitur *merces*. Neque pœnam remittere (quæ eſt *ſatisfactorii* merces) minus ad judicem, aut rectorem pertinet, quam gloriam dare (quod eſt *meritorii* præmium.) Neque in illo minus quam in hoc locum habere poteſt ea *perſonarum acceptio*, à qua Deus longiſſime abeſſe perhibetur. Quod vero *ſatisfactionis* modum ſic ſequitur remiſſionis modus, ut majori *ſatisfactione* majus expietur peccatum, minore minus, id pariter etiam obtinet in *meritorii* operis præmio; ut majori ſcilicet *merito* majus præmium, minori minus reſpondeat. Ex quibus clarum eſt, non *ſatisfactioni* magis, quam *merito* mercedem ex *juſtitia commutativa* vel reddi, vel deberi; ſed utrique, ut diſtinguunt adverſariorum Scholæ, ſecundum ſubſtantiam *ex diſtributiva*, ſecundum modum *ex commutativa*. Neque aliud probat
Deuter. 25. 2. illa lex, quæ ex Deuteronomio affertur *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*. Illæ enim *plagæ* non aliter *pœnæ* cenſebantur, quam ſi à *judice*, vel *rectore* ex *juſtitia diſtributiva* jus ſuum cuique reddente decretæ, & inflictæ eſſent. Vt mittam aliam eſſe *pœnæ*, de qua illic agitur, aliam *ſatisfactionis*, de qua hic quæritur, rationem. Ad hoc enim ut quis *puniatur*, non aliud requiritur, quam ut conſtitutam à rectore pœnam luat; quocumque animo eam luat, ſive invitus, ſive volens, ſive cum pietate, & caritate, ſive aliter. Ad hoc vero, ut quis vere, & legitime *ſatisfaciat*, præter id, quod perpetitur, accedere neceſſe eſt animi pietatem, & caritatem, ſine qua paſſus quidem dici poteſt; *ſatisfeciſſe* dici non poteſt. Itaque ne hinc quidem ſequitur quod adverſarius concluſum voluit, unius, ejuſdemque operis eam eſſe vim, ut ei & vitæ æternæ præmium *ex juſtitia diſtributiva*, & *pœnæ* remiſſæ merces *ex commutativa* debeatur. Cum enim ad horum alterum efficiendum tota operis dignitas conſumatur, utrumvis horum tulerit, abunde accepit quicquid ei ex *juſtitia diſtributiva* debitum fuiſſe volunt adverſarii, ut ad alterum quoque conſequendum nulla amplius ei vis, vel dignitas ſuperſit. Neque quicquam valent contra allata à Bellarmino exempla. Fateor *euangelizanti* & victum ab hominibus, quos docet, deberi, & à Deo vitam æternam promitti. Non tamen ex eo efficitur, ut cui pro Euangelii opere vita æterna à Domino reddita eſt ei ab eodem quoque debeatur pœnæ alienæ condonatio. Imo ne hoc quidem inde ſequitur, ut Deus euangelizanti quicquam debeat. Alia enim eſt hominum; alia Dei ratio. Apud illos, quibus non omnia debemus, aliquid nos *mereri* nihil vetat; apud hunc, cui omnia tum ob infinitam excellentiam, tum ob innumerabilia accepta beneficia, debemus, *mereri* nos quicquam

quicquam neque fas, neque ratio ſinit. Militi item fateor & ſtipendium pro iis operis, quas in bello locavit, ab Imperatore deberi, & eorum præterea præmium, quæ egregie ac fortiter extra ordinem geſſit. Neque abnuo fidelibus ex adverſariorum ſcilicet hypotheſi & vitam æternam pro pietate, & aliquod gloriæ augmentum pro iis deberi, quæ ſponte ad Dei gloriam vel gerunt, vel perpetiuntur. Sed inde ſequi nego juſtum eſſe, ut præter illam, quam accipiunt, cumulatiſſimam ſuorum operum mercedem, alienorum præterea peccatorum pœnas ſibi remitti flagitent. Neque enim eum militem quiſquam credo, ferendum eſſe dixerit, qui cum & *ſtipendia* omnia, & ampliſſima adhæc *præmia* ob fortem, fidelemque in bello navatam operam ab Imperatore acceperit, ideo ſibi *ſatisfactum* neget, quod non præter hæc alicujus etiam ſontis gratia, ſive impunitas conceſſa fuerit. Cum igitur ex his appareat, quam vana ſit omnis Bellarmini in hac cauſſa ſubtilitas, tandem aliquando concludamus inconcuſſum ſtare, quod objecimus, argumentum; Sanctorum opera, quæ *ſupra condignum* à Deo optimo maximo remunerata ſunt, etiamſi ea vel *ſatisfactoria*, vel *meritoria* eſſe potuiſſe concederetur, nullam nunc amplius vim habere ad alios fideles iis pœnis liberandos, quas commeriti ſunt.

CAPUT XXI.

Argum. VIII. inde ductum, quod ſuppoſita Chriſti ſatisfactione omnes illæ quæ finguntur, Sanctorum ſatisfactiones plane vanæ, ac ſupervacaneæ eſſe deprehenduntur.

QUo poſtremo & illud quoque accedit, quod illæ, quæ dicuntur *Sanctorum ſatisfactiones* plane ſupervacaneæ ſunt. Cum enim infinita ſit, quæ in Eccleſia, & in Euangelio extat, Chriſti Domini *ſatisfactio*, nihil opus eſt ad eam adjungi *ſatisfactiones* ex paſſionibus Sanctorum. Ad hæc adverſarius, *Non eſt quidem opus* (inquit) *ut adjungantur paſſiones Sanctorum paſſionibus Chriſti, quaſi hæ per ſe non ſufficiant; ſed adjunguntur tamen quia æquum eſt, ut paſſiones illæ coram Deo non ſint inanes; præſertim cum id ſit tum glorioſum Chriſto, à quo manat omne bonum Sanctorum, tum ipſis etiam Sanctis perhonorificum.* Atqui dum ſic reſpondet, cauſſam, quam agendam ſuſcepit, non tuetur, ſed deſerit, deſertamque, ac proditam nobis in manus tradit. Fatetur enim diſertiſſime, quod nos volumus; *Chriſti paſſiones* ad quorumvis peccatorum *ſatisfactionem* nobis ſufficere, & quidem per ſe, hoc eſt ſolas, ſine ulla aliarum paſſionum adjectione. Nobis vero Bellarmine id abunde eſt, quod *per*

Bell. de Ind. l. 1. c. 4. §. Tertia objectio.

ſe ſufficit; Neque ſane eſt, quod Chriſti *ſatisfactioni* quicquam adjiciendum putes, quam *per ſe ſufficere* confiteris. Et ſi quid ei adjicis, te ipſo judice id facis, quo facto nihil opus fuit; quo ſine ullo damno carere potuiſti. Quod vero ei adjicitur, quod *per ſe ſufficit*, id profecto *ſupervacaneum* eſſe nemo negaverit, quocumque demum animo adjiciatur. Iam quod cauſſaris etiamſi *nullis Sanctorum paſſionibus Chriſti paſſio indigeat* ad hoc, ut plenam pro peccatis noſtris *ſatisfactionem* nobis præſtet, adjungi tamen eas Chriſti paſſioni ideo oportere, *ne illæ paſſiones coram Deo ſint inanes*, in eo peccas multis modis. Ac primo quidem, quod futurum putas, ut *inanes ſint coram Deo Sanctorum paſſiones*, quæ nobis ad *ſatisfactionem* non cedunt. Abſit vero ut *inane* id dicamus, quod ex officio factum eſt; quod ad magnam Dei gloriam ceſſit; quod Eccleſiæ ædificationem non parum promovit; quod denique Sanctos ipſos in ſummam, ac ſempiternam gloriam evexit. Hos enim fuiſſe eorum, quæ Sancti perpeſſi ſunt, fructus negare non potes, etiam ſepoſita illa *ſatisfaciendi* ratione, quam tu nunc iis fruſtra attribuis. Inane vero id dicere, quod tantos, tamque præclaros fructus peperit, immanis eſt & inſcitiæ, & in Deum, atque homines ingratitudinis. Tum ſi *inanes ſunt eæ Sanctorum paſſiones*; quæ neminem pœnis liberant vi illa *ſatisfactoria*, quæ ipſis tribuitur; profecto multas *inanes* vel eſſe, vel fore neceſſe eſt. Primum enim ſi ea eſſet Eccleſiæ in terris militantis, quæ eſſe deberet ſanctitas, neceſſario jacerent, ac frigerent illæ Sanctorum *ſatisfactiones*, quæ non alios juvare finguntur, quam fideles pœnæ alicujus reos; quæ nulla foret, ſi ii ſancte pro eo, ac decet, vitam inſtituerent; ut ex adverſario plane per accidens contingat, quod iſtæ non ſint *inanes*. Nimirum *inanes* (ſi iſti credimus) *coram Deo ſunt*, quæ nullis peccatoribus applicantur: Nullis autem applicantur, niſi fidelibus. Quod autem fideles peccant, id fit præter ejus diſciplinæ, quam profitentur, inſtitutum; adeoque per accidens, quatenus quidem ii ſunt fideles. Neque enim quemquam, puto, ad hoc ut fidelis ſit, peccare neceſſe eſt. Sed ne ſi peccent quidem fideles (& peccant vero nimium quam ſæpe) nullæ ideo non *inanes* erunt. Cum enim non aliæ proſint, quam quæ in Eccleſiæ (ut vocant) *theſaurum* collectæ, & ex eo diſpenſatæ fuerint, multas *inanes* intercidiſſe, periiſſeque fatendum eſt, & totis Eccleſiæ Iudaicæ temporibus, & primis Chriſtianæ ſæculis; in quibus nulla uſquam occurrit iſtius *theſauri* mentio. Præterea cum inexhauſtus fingatur ille *theſaurus*, fieri non poteſt, quin multæ iſtic *inanes* remaneant, fruſtraque marceſcant, ac computreſcant; tum quod raro ſingulis nimirum jubilæis, aperiatur; tum quod noviſſimis mundi temporibus

non

non eſt credibile eum repente evacuatum iri. Iam quæ non fuerint ante ſupremam illam diem applicatæ, eas certum eſt nemini poſtea applicatum iri; *inanes* adeo *coram Domino*, ex adverſarii quidem ſententia, futuras. Atqui *inanes* eſſe, vel fore ullas Sanctorum paſſiones, etiam cogitare eſt nefas. Ergo cum ne hæ quidem, tametſi ad *ſatisfactionem* minime applicatæ, *inanes* vel fuerint, vel futuræ ſint; profecto ſequitur vanum fuiſſe adverſarii metum, qui niſi paſſioni Chriſti adjunctæ nobis applicentur, veretur ne *inanes* ſint. Denique illud ipſum, quod vult adverſarius, *paſſiones Sanctorum Chriſti paſſioni adjungi*, qui fiat, explicari non poteſt; quod cum ipſe ſentiret, negat *curioſe inveſtigandum, quomodo concurrant in hac applicatione ſatisfactiones Chriſti cum paſſionibus Sanctorum; id eſt an applicetur pars una ſatisfactionis ex paſſionibus Chriſti; pars alia ex paſſionibus Sanctorum; an vero integra ſatisfactio accipiatur ſemper ex paſſionibus Chriſti, & ſuperaddantur ad cumulum ſatisfactionis paſſiones Sanctorum.* Callide ſane vetat inveſtigari, quæ ſi inveſtigentur, videt eſſe actum de ſuo dogmate. Non potuit cautius ſuis ſomniis conſulere. Nam ſi, quod ille ſecundo loco ait, *integra ſatisfactio accipiatur ex paſſionibus Chriſti*; patet *paſſiones Sanctorum*, quod iſte adeo metuebat, *inanes* fore, quæ nimirum ad *ſatisfactionem* nihil conferant, &c, ſi *cumulus* ſunt, *cumulus* ſunt *inanis*, qui nihil ad rei integritatem conducit. Sin, quod priore loco ponit, *pars una ſatisfactionis ex Chriſti paſſionibus, pars* altera *ex Sanctorum paſſionibus* ſumpta dicatur; clarum eſt, vel illam *paſſionis Chriſti partem ſatisfactioni* noſtræ per ſe non ſufficere, (quod ſupra negare videbatur adverſarius) vel certe ſi *ſufficit*, fruſtra, ac inutiliter ei adjungi illam alteram *ex Sanctorum paſſionibus partem.* Ad hæc cum Chriſti paſſio ad *ſatisfactionem per ſe ſufficiat*, quando huic ejus parti, quæ nunc ſumitur, Sanctorum paſſiones ad integritatem *ſatisfactionis* adjunguntur; plane neceſſe eſt eam ab iſtis imminui, tantumque ei detrahi, quantum efficit adjuncta *ex Sanctorum paſſionibus* particula. Quæ ſi ita ſunt, quæro quid fiat illi, quod Chriſti paſſioni detrahitur? Profecto cum ad *ſatisfactionis* integritatem nihil efficiat, neceſſe eſt id totum, quantumcumque eſt, *inane* eſſe; paſſiones autem Chriſti non minus credo, quam Sanctorum, *inanes* eſſe coram Deo abſurdum eſt, & nefas. Vt illud mittam, cum nulla fuerit minima Chriſti in cruce paſſio, quæ non infinitam *ſatisfaciendi* vim habeat, non videri qui quod *infinitum* eſt, decurtari poſſit, tantumve ei detrahi, ut quod ſupereſt, non quamlibet temporalem pœnam expiare valeat. Tum ſi ad hoc ut pro peccatorum temporariis pœnis *ſatisfiat* neceſſe eſt ad Sanctorum paſſiones aliquid ex Chriſti paſſionibus accedere;

Ibid.

 mani-

manifeſtum eſt Sanctorum paſſiones non habere eam vim, quam illis hactenus tribuerunt, nimirum ut *ex condigno* pro pœnis temporalibus *ſatisfaciant*. Sed & illud plane eſt mirabile, quod ex Soto ſubjicit, & probat adverſarius, paſſiones Chriſti, quæ ſunt *infiniti pretii*, applicari per indulgentias *finito modo*; & ideo aliquid revera *ſuperaddi* cum paſſiones Sanctorum illis adjunguntur. Nimirum ne ſint *inanes* illæ Sanctorum *ſatisfactiones*, quas iſti ſomniant, Chriſti meritum decurtandum fuit, & cujus vis *infinita* eſt, cogendum in *finiti modum* quo ei ſcilicet aliquid non inutiliter addi poſſet. Atqui hoc neque fieri poteſt, neque ſi poſſet, faciendum tamen eſſet. Quod enim per ſe *infinitum* eſt, tam non poteſt ad *finiti modum* contrahi, quam quod *finitum*, in *infiniti modum* exporrigi. Vtrumque juxta impoſſibile eſt & quod infinitum eſt, finitum facere, & quod finitum, infinitum ut evadat, efficere. Sed utcumque ſe res ipſa habet, illud quidem certe clarum eſt ad Chriſti gloriam pertinere, ne quæ *infinita* ſunt ipſius merita, nos imminuamus, aut contrahamus. Iſti nimirum quo Sanctis conſulant, Chriſto Domino injurii ſunt; hujuſque *infinitatem* in ordinem, & in anguſtias cogunt, ut illorum non inefficax ad ſalutem noſtram opera ſit. Et tamen jactare non verentur, ut hæ Sanctorum paſſiones nobis ad *ſatisfactionem* applicentur, id *Chriſto glorioſum*, & ipſis *Sanctis perhonorificum eſſe*. Quaſi vero aut *Chriſto glorioſum* ſit merito ſuo *infinitatem* detrahi; aut *Sanctis honorificum* de Domini ſui cruce, ejuſque pretio, ac merito aliquid in ipſorum gratiam deteri. Quanto rectius, & ſimplicius erat Chriſti unius paſſionibus totam pro peccatis noſtris *ſatisfactionem* tribuere? Sanctorum paſſionibus hanc laudem ſervare, quod pietatis ac fidei Euangelicæ documenta fuerunt clariſſima, Deo glorioſa, nobis ad exemplum utiliſſima? Illa vero noſtra eſt, ſemperque erit de *ſatisfactione* ſententia; cujus veritas uſque adeo clara eſt, & luminis plena, ut ipſos communionis Romanæ homines minime latuerit. Nam fatente Bellarmino, Durandus, vir in iſtorum Schola longe nobiliſſimus, in quæſtionem vertit, *an ad hunc Eccleſiæ theſaurum pertinerent Sanctorum ſatisfactiones*. Neque illorum Lovanienſium alia mens fuiſſe videtur, quorum Bellarminus hunc articulum refert, *Solius Chriſti ſatisfactionibus remitti pœnam temporalem; Sanctorum autem paſſiones offerri Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Chriſti*. Illud certe negari non poteſt, cum in hoc de alienis *ſatisfactionibus* dogmate tam multas, tamque inexplicabiles difficultates reperiri, & ex iſtorum concertationibus, & ex ſuperiori diſputatione conſtet; cumque Chriſti paſſiones per ſe ad *ſatisfactionem* noſtram, etiam ex ipſorum adverſariorum confeſſione,

Lib. 1. de Ind. c. 2. §. Quod igitur.

In 4. d. 20. q. 3.

Lib. 1. de Ind. c. 4. §. Sexta objectio.

ſione, ſufficiant; immanis cujuſdam, ac propemodum prodigioſæ ſecuritatis eſſe, atque imprudentiæ, dubia, incerta, & periculoſæ aleæ plena ſectari, ac non in eo, quod certum, & undequaque apud omnes conſeſſum, idemque tutiſſimum, atque ſufficientiſſimum eſt, conquieſcere. Nobis quidem deeſſe nihil poteſt, qui ad unum Chriſtum confugimus, cujus crux nemo dubitat, quin ſit αὐταρκέστατος omnis *juſtitiæ*, *meriti*, *ſatisfactionis*, ac *propitiationis theſaurus*. Iſtos vero qui Sanctorum *ſatisfactiones* requirunt, titubare neceſſe eſt, ac illud perpetuo metuere ne nullum ſit hoc, quod ab ipſis præſidii petunt; neve falſa hac pietate Dei, & Chriſti voluntatem, atque diſciplinam violent; ne denique aliquid iis ſimile faciant, quos à Propheta vehementiſſime objurgatos legimus, quod *derelicto fonte aquæ vivæ ſibi ciſternas diſſipatas foderent aquam non continentes.* Hier. 2. 13.

Sed hæc pluribus perſequi nihil opus eſt; præſertim cum ex iis, quæ ſunt hactenus à nobis diſputata, non dubiam, aut incertam, ſed falſam & abſurdam; neque periculoſam modo, ſed etiam exitialem eſſe adverſariorum opinionem appareat. Nam ex divinarum litterarum libris clare niſi fallor, ac perſpicue demonſtravimus fidelibus Chriſti Domini ſanguine, ac merito per fidem, & legitimum ſacramentorum divinitus inſtitutorum uſum, purgatis, peccatorum noxas, pœnaſque omnes à Deo Patre optimo maximo plane, penituſque ſic dimitti, ut iis neque ullum amplius vel hic dum vivunt, vel poſtquam obierint, in ſubterraneis locis, ſupplicium ſit extimeſcendum; neque ut eam peſtem avertant, vel de ſua, vel de ullius mortalis *ſatisfactione* laborandum; ſed in una Chriſti ſui *mediatione*, atque *redemptione* conquieſcendum; quæque contra tamquam ex Scripturis afferuntur, ea omnia excuſſimus, atque diſſolvimus.

DE POENIS ET SATISFACTIONIBVS HVMANIS, LIBER QVARTVS.

Quæ veterum fuerit de pœnis fidelium, ſive in hac vita ſive poſt mortem luendis, ſententia.

CAPVT I.

Veteres ſenſiſſe nullas Deum ab iis pœnas exigere, quibus peccata remiſit, probatur ex Iuſtini, Tertulliani, Luciferi Calaritani, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Auguſtini, Hieronymi, Fulgentii, Theodoreti, ac denique Theophylacti pluribus teſtimoniis.

ABſoluta priori diſputationis parte, ad alteram venio; in qua quærere conſtituimus, quæ veterum fuerit de his doctrinæ capitibus ſententia. Solent enim adverſarii eorum auctoritatem hic, ut in cæteris quoque de religione controverſiis, obtendere. Ac tametſi ſemel perſpecta divini Spiritus in Scripturis loquentis ſenſu, parum interſit ſcire, quid homines ſive recentiores, ſive etiam veteres ſenſerint, quorum omnium ſcita, ac placita cœleſti illa trutina expendi decet, neque aliter à nobis admitti, quam ſi cum Domini oraculis congruerint, non pigebit tamen paulo diligentius inveſtigare, num priorum ſæculorum Chriſtiani in eodem cum adverſariis errore verſati ſint; quod hæc diſquiſitio & ad ſanctiſſimorum virorum decus, atque exiſtimationem pertineat, neque parum lucis eo allatura ſit, ut perſpicere poſſimus ex quibus initiis hæc Chriſtianæ doctrinæ pars paulatim immutata, tandemque in eum modum corrupta, atque deformata ſit, quo hodie in Eccleſiæ Romanæ Scholis traditur. Itaque eodem ſervato, quo in ſuperioribus uſi ſumus, ordine à pœnis ordie-

ordiemur ; mox de ſatisfactionibus dicturi. De pœnis vero ea primum afferemus, quæ in genere oſtendunt nullas Deum vel hic, vel alibi ab iis exigere, quibus peccata remiſit ; tum ſeorſim indagabimus, quid vel de hujus, vel de futuræ vitæ proprie pœnis veteres exiſtimaverint.

Ac prius quidem illud ut conficiamus, pauca, ſed clara & illuſtria Patrum teſtimonia deſcribemus. Primum erit Iuſtini, vetuſtiſſimi ac laudatiſſimi Eccleſiæ ſcriptoris, qui in Dialogo cum Tryphone Iudæo, *Longe ante med. p. 207.* ἡ (inquit) χρηϛότης καὶ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἄμετρον τοῦ πλούτου αὐτοῦ τὸν μετανοοῦντα ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, ὡς διʼ Ἰεζεκιὴλ μηνύει, ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει. *Bonitas & humanitas Dei, & immenſitas divitiarum ejus pœnitentem*, vel *reſipiſcentem à peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atque juſtum, quique peccatum non admiſerit, habet.* Quo in loco duo obſervanda ſunt ; Vnum, quod pronunciat eum, quem peccati pœnitet, ſic à Domino haberi, ac ſi non peccaſſet ; minime adeo puniri ; (nam qui punitur eum palam eſt, non ut *juſtum*, ſed ut *peccatorem* haberi.) Alterum, quod id ipſum ait Dominum apud Ezechielem docere ; innuens haud dubie duo illa hujus Prophetæ teſtimonia, quæ ſupra ſuo loco attulimus; Vnde conſequitur Iuſtinum nos habere in utriuſque loci interpretatione nobiſcum conſentientem.

Iuſtino Græco ſuccinit Afer Tertullianus, cujus hæc ſunt in libro de baptiſmo ; *Exempto reatu, eximitur & pœna.* Iam quibus peccata pœnitentibus dimittuntur, eorum eximi reatum clarum eſt, cum nemo ſit niſi peccati reus. *C. 5. p. 258. b.* Eximi ergo & pœnam ex Tertulliano neceſſe eſt, contra quam docent adverſarii, qui plurimos nullius peccati reos pœnas tamen vel hic, vel in purgatorio luere volunt. Ac ne in *reatus* vocabulo argutari poſſent, cavit ipſe Tertullianus. Mortem enim per ablutionem delictorum in baptiſmo deleri eo probat, quod *exempto reatu eximatur & pœna*; quæ conſecutio nulla erit, niſi delicti reatum intellexerit. De angelis loquitur quos temperandis noſtri baptiſmi aquis intervenire vult ; *Qui unum* (inquit) *ſemel anno liberabant* (in Betheſdæ ſcilicet piſcina) *nunc quotidie populos conſervant deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto ſcilicet reatu, eximitur & pœna.* Hæc poſtrema ſi non aliud ſignificant, niſi pœnam tolli ſublata ad eam obligatione, non probabunt mortem deleri abluto delicto ; quippe cujus dimiſſi pœnam ſupereſſe exſolvendam nihil ex adverſariorum hypotheſi vetat. Atqui hoc ex illis concludit Tertullianus. Igitur neceſſario confitendum eſt eum ſenſiſſe abluto, hoc eſt dimiſſo delicto, ſive delicti reatu ejus quoque pœnam una expungi. *In loc. Tert.* Quod vero cavillatur Pamelius

pœnam hic æternam proprie intelligi,id,ut illius viri plæraque, longe eſt ineptiſſimum. Nam Tertullianus in genere loquitur, hocque univerſale conſtituit axioma, *exempto reatu eximi & pœnam*; ex quo ita poſito conficit mortem, nimirum æternam, in baptiſmo deleri; quo ſcilicet delicta, quorum mors illa pœna eſt, abluuntur; omnino ac ſi hominem ex eo quod animal eſt,ſenſu præditum eſſe concluderem. Ita noſter ex eo,quod omnis reatus remiſſio pœnam expungit,baptiſmum, qui delictorum noſtrorum in Deum ablutio eſt,mortem quoque æternam delere conficit. Sin ex Pamelio *pœnam* pro ſola morte æterna ſumas, plane nugatus fuerit Tertullianus, idemque (ut in ſcholis loquuntur) per idem probaverit: Nimirum ſi Pamelio credimus mortem æternam dimiſſis delictis deleri in baptiſmo eo probat, quod exempto delictorum reatu mors æterna eximitur; ac ſi hominem ideo ſentire probem, quod ſentiat.

l. Moriendum eſſe pro D.F.l. p. 323. Eadem habet Lucifer Calaritanus, dum ſcribit *ubi deeſt culpa nec eſſe pœnam*; eoque probat Catholicos,qui nullius ſceleris rei,ob fidei veræ profeſſionem à Conſtantio cruciabantur, nullum proprie ſupplicium paſſos fuiſſe; *Igitur* (inquit) *cum juſtitiæ virtus in his perficiatur paſſionibus,cum quia Chriſtus in nobis patitur,nec ſentiamus ſupplicium,propterea quod ubi deeſt culpa,nec pœna ſit; quomodo his te rebus vincere Deo dicatos, devotosque potuiſſe arbitratus es, quibus augmenta virtutis invicta præbeat fides?*

Hom 4. de Ann. T. 2. p. 830. b. Eadem fuit aliorum Patrum,qui ſecutis ſæculis vixere, de hoc dogmate ſententia. Chryſoſtomus; ὁ εἰπὼν (inquit) ἐλέησόν με, συγχώρησιν ἔλαβε τῶν πεπλημμελημένων. ὁ γὰρ ἐλεηθεὶς οὐ κολάζεται. *Qui dixit, miſerere mei, remiſſionem delictorum accepit. Qui enim miſericordiam conſecutus eſt, non punitur.* Hic locus duo nobis argumenta contra adverſarios ſufficit; Ac prius quidem ipſa Chryſoſtomi ratiocinatio; qui pœnitentem delictorum remiſſionem accipere ex eo probat, quod non punitur. Ergo nullam ex Chryſoſtomo delicti remiſſionem accipit,niſi qui non punitur. Delicti autem remiſſionem accipere,quotquot Deo per pœnitentiam reconciliantur,ipſi adverſarii fatentur.Ergo neque puniri eos Chryſoſtomo aſſentiri debent. Alterum argumentum ipſa Chryſoſtomi verba continent; *non punitur* (inquit) *qui miſericordiam conſecutus eſt.* miſericordiam autem conſecutos eſſe palam eſt,quibuscumque culpa pœnitentibus dimiſſa eſt. Ergo neque eos vel hic vel alibi puniri ex Chryſoſtomo quidem clarum eſt. Id & ipſe in alio opere his verbis confirmat; ὅπου χάρις, συγχώρησις. ὅπου δὲ συγχώρησις, οὐδεμία κόλασις. *Vbi gratia, ibi remiſſio. Vbi remiſſio, ibi nulla punitio.* Quid

potuit

potuit dici contra adverſarios diſertius, qui pæne nullam eſſe remiſſionem volunt, in qua non ſit & aliqua punitio? Huc etiam accedunt, quæ idem alibi habet; ὁ πατέρα εἰπὼν τὸν θεὸν, καὶ ἁμαρτημάτων ἄφεσιν, *hom. 20. in Matt. T. 1. in N. T. pag. 241. d.* καὶ κολάσεως ἀναίρεσιν καὶ δικαιοσύνην, καὶ ἁγιασμὸν καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ υἱοθεσίαν καὶ κληρονομίαν καὶ ἀδελφότητα τὴν πρὸς τὸν μονογενῆ καὶ πνεύματος χορηγίαν διὰ τῆς μιᾶς ταύτης ὡμολόγησε προσηγορίας. οὐδὲ γὰρ δυνατὸν καλέσαι πατέρα τὸν θεὸν μὴ πάντων ἐκείνων ἐπιτυχόντα τῶν ἀγαθῶν. *Qui Deum Patrem appellavit & peccatorum remiſſionem, & punitionis exemptionem, & juſtitiam & ſanctificationem, & redemptionem, & adoptionem & hæreditatem & cum unigenito fraternitatem, & ſpiritus donationem hac una compellatione confeſſus eſt. Neque enim poſſibile eſt Deum patrem vocare eum, qui non omnia illa bona conſecutus fuerit.* Hæc Chryſoſtomus. Iam cuicumque culpa pœnitenti dimiſſa fuerit, non negant adverſarii quin ei jus ſit Deum patrem appellare (eſt enim ei reconciliatus.) Ergo & qui hujusmodi eſt eum neceſſe eſt, tum cætera à Chryſoſtomo commemorata bona, tum inprimis τὴν κολάσεως ἀναίρεσιν *exemtionem à pœnis* conſequi. Non conſequetur autem ſi debitas peccato pœnas vel hic, vel in purgatorio luit. Ergo neque hic, neque illic ullas luere ex Chryſoſtomo quidem manifeſtum eſt. Quod etiam alius confirmat ejusdem *hom. 3. de pœnit. T. 4. p. 492. c.* auctoris locus, ſuperioris geminus; ὁ θεὸς (inquit) ὅταν ἐξαλείφῃ ἁμαρτήματα, οὐδὲ οὐλὴν ἀφίησιν, οὐδὲ ἴχνος συγχωρεῖ μεῖναι. ἀλλὰ μετὰ τῆς ὑγιείας καὶ τὴν εὐμορφίαν χαρίζεται. μετὰ τῆς ἀπαλλαγῆς κολάσεως καὶ δικαιοσύνην δίδωσι, καὶ ποιεῖ τὸν ἡμαρτηκότα ἴσον εἶναι τῷ μὴ ἡμαρτηκότι. ἀναιρεῖ γὰρ τὸ ἁμάρτημα, καὶ ποιεῖ αὐτὸ μηδὲ εἶναι, μηδὲ γεγενῆσθαι. οὕτω καθόλου αὐτὸ ἀναιρεῖ. οὐκ οὐλὴ, οὐκ ἴχνος, οὐκ ἔλεγχος οὐ δεῖγμα. *Deus quando peccata delet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum veſtigium ſinit manere; ſed una cum ſanitate eximium etiam confert formæ decus. Cum exemptione ſive liberatione à pœna, donat & juſtitiam, efficitque ut qui peccavit par ſit ei, qui non peccavit. Peccatum enim tollit, & efficit ut neque ſit, neque fuerit; adeo plane illud penitusque totum abolet. Non cicatrix, non veſtigium, non argumentum, non indicium ejus ullum ſupereſt.* Hæc Chryſoſtomus; quæ quam ſint adverſariorum dogmati contraria, nemo non videt. Hi volunt Deum pœnitentium peccata ſic delere, ut ab iis pœnam aliquam repetat. Ille vero ſtatuit Deum quoties peccata delet κολάσεως ἀπαλλάττειν *pœna* ſive *punitione liberare*. Hic qui peccat, ſic haberi à Deo ac *ſi non peccaſſet* (qui vero non peccavit, neque punitur:) Illi ſic, *ut qui peccavit* (ajunt enim *puniri*, quod eſt inſtar *ſontis* haberi,) Denique Chryſoſtomus pronuntiat nullum dimiſſi peccati ἔλεγχον nullum δεῖγμα nullum *argumentum*, aut *indicium* in eo exſtare, cui ſemel dimiſſum eſt.

eſt. Adverſarii vero pertendunt multa, eaque clariſſima, & quidem interdum multos annos in iis hærere peccati *argumenta*, quibus id dimiſſum erat, *pœnas* ſcilicet proprie dictas, quas & hic & in purgatorio à fidelibus ſui fingunt; quibus nullum eſt peccati certius *argumentum*, aut *indicium*.

His poſtremo addam locum ex altera homilia in pſalmum quinquageſimum, quod ea Chryſoſtomi nomine circumferatur, tametſi an ejus ſit verum ac genuinum opus dubitare nos cogat ſtyli diverſitas. Sic ergo ille, quiſquis eſt, ſcriptor loquitur: ὅπου ἔλεος, ἐξέτασις οὐκ ἔστιν. ὅπου ἔλεος, δικαστήριον οὐ κάθηται. ὅπου ἔλεος, εὐθῦναι οὐκ ἀπαιτοῦνται. *Vbi miſericordia eſt, non eſt inquiſitio. Vbi miſericordia eſt, non ſedet judicium. Vbi miſericordia eſt, pœnæ non expetuntur.* Reſpondet Bellarminus hoc Chryſoſtomi *teſtimonio miſericordiam* generatim commendari. *Ac veriſſimum eſt* (inquit) *miſericordiæ opponi judicium & pœnam. Qui enim miſericordiam quærit, non vult ſubire judicium, & qui ex miſericordia indulgentiam conſequitur, non debet ſubire pœnam, quæ ſibi condonata eſt. At ex hac generali commendatione miſericordiæ non poteſt recte colligi non oportere pœnitentes ſatisfactione injuriam aliqua ex parte compenſare; niſi aliunde conſtet ex miſericordia condonari illis à Deo non ſolum culpam, ſed etiam omnem omnino pœnam temporalem, & ſempiternam.* Hæc ille. Sed nos hic quidem de ſatisfactione nondum agimus, quo pertinet & hæc ejus reſponſio, & quæ ex Chryſoſtomo adducit teſtimonia. Iam vero culpam ſic à Domino pœnitentibus dimitti, ut una etiam ipſa culpæ pœna remittatur, quod nunc proprie agimus, id ex Chryſoſtomi dicto clariſſime ſequi nemo non videt. *Miſericordiam*, inquit, *in genere laudat*. Certe; eamque hujuſmodi eſſe vult, ut ubicumque ea habet locum, illic *pœnæ* nullæ expetantur. ὅπου ἔλεος, εὐθῦναι οὐκ ἀπαιτοῦνται. Itaque ex hujus quidem ſcriptoris mente neceſſario confitendum eſt in pœnitentis reconciliatione, qua culpa ei & gehenna remittitur, vel *miſericordiam* nullum habere locum, vel certe nullas *pœnas* exigi. Prius abſurdiſſimum eſt, quod ne ipſi quidem adverſarii tueri velint. Poſterius ergo concedendum eſt; quo eorum dogma funditus evertitur. Neque adeo alio confugiendum eſt, ut probemus Deum ex miſericordia condonare pœnitentibus non ſolum *culpam*, ſed omnem etiam *pœnam*, temporalem ac ſempiternam. Id ipſe hujus ſcriptoris locus abunde probat. Cum enim ſtatuat pœnarum exactionem cum miſericordia conſiſtere non poſſe, & vero ſatis conſtet Deum pœnitentem ad ſe confugientem miſericordia proſequi, profecto vel hic ſcriptor mentitus eſt (quod non dicet, puto, Bellarminus) vel (quod nos volumus,)

Chryſoſt. T. 3. p. 866. b.

l. 4. de pœnit. c. 16. ſ. Reſpondeo primum.

mus,) nullæ omnino *pœnæ* à pœnitente ad Deum confugiente exiguntur. Dic obſecro Bellarmine; Suntne veræ *pœnæ* eæ quas tu temporales vocas ? Ais ergo, inquam, eæ à pœnitente nullæ *exiguntur*, quem ſcilicet Deus miſericordia complexus eſt. Fateor, inquis, *ſi ſunt condonatæ*. O acumen! Quaſi non *condonatas* dixerit, qui nullas *exigi* dixit. Non vides, cum quæ *exiguntur pœnæ*, eæ non ſint *condonatæ*, has quas iſte *exigi* negat ubi quidem miſericordia eſt, neceſſario intelligi *condonatas?* Sed hæc de Chryſoſtomo ſatis.

Eadem eſt Cyrilli Alexandrini epiſcopi ſententia. ὅπου ἁμαρτίας ἄφεσις (inquit) ἕψεται πάντως καὶ τὸ ἀπηλλάχθαι δεινῶν τῶν δι' αὐτὴν ἐπενηνεγμένων. *Ubi remittitur peccatum, illic etiam ſequitur neceſſario malorum propter peccatum inflictorum depulſio.* In Zach. part. 8.

Auguſtinum, qui Cyrilli temporibus vivere deſiit, idem quoque ſenſiſſe non eſt obſcurum. Primum enim eadem illa Prophetæ verba enarrans, quæ nos ſupra ex Pſalmis attulimus, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, ea inquam verba enarrans, hæc habet. *Si texit peccata Deus, noluit advertere, noluit animadvertere. Si noluit animadvertere, noluit punire. Noluit agnoſcere; maluit ignoſcere.* Tum pauculis interjectis; *Tecta peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata?* Itaque Auguſtino Deus *tegere* vel *non videre* ea peccata dicitur, quæ non *punit*. Atqui Deus nemini culpam dimittit, niſi cujus *peccatum tegit*. Ergo ex Auguſtino neminem Deus *punit*, cui peccatum, ſive culpam *dimiſit*. Reſpondet Bellarminus *loqui Auguſtinum de pœna æterna. Nam de temporali* (inquit) *quod eam requirat Deus patet ex locis ſupra citatis ex eodem Auguſtino tractatu CXXIV. in Ioannem, & in Pſalmum L.* Hoc vero (quod pace Bellarmini dictum ſit) nugari eſt; non diſputare. Auguſtinus diſertiſſime ait Deum quę peccata *tegit*, nolle *advertere*, neq; *animadvertere*, neq; *punire*. In quæ vero temporalibus vel hic, vel in purgatorio ſuppliciis vindicat ex ultrici juſtitia, ea Deum & *advertere*, & *animadvertere*, & *punire*, tum omnes intelligunt, tum ipſi adverſarii non modo fatentur, ſed etiam docent ac pugnant. Ergo ſi quos Deus peccatores ſic habet, eorum peccata ex Auguſtino quidem non *texit*; Tegit autem omnium, qui cum vera fide & pœnitentia ipſi reconciliantur etiam fatentibus adverſariis. Ergo eorum, qui hujuſmodi ſunt, neminem vel *æternis*, vel *temporalibus* pœnis ex Auguſtino afficit. Si pœna æterna ſola peccati vera *pœna* eſt; concedam Auguſtinum, dum negat peccata fidelium *puniri*, ſola eos *æterna* morte liberari intellexiſſe; non autem *temporalibus* vel hujus vitæ ſuppliciis, vel futuræ cruciatibus. Si à

In pſ. 31. conc. 2. T. 8.

L. 1. de purgat. c. 13. §. Septimo p. Martyr.

& illa hujus vitæ ſupplicia, & illi futuræ cruciatus vere ac proprie (quod volunt adverſarii) peccati *pœnæ* ſunt; profecto neceſſe eſt iſtos confiteri non *æterna* ſolum morte, ſed etiam *temporalibus* illis pœnis fideles ab Auguſtino eximi; quorum ille peccata ſic à Deo *tegi* vult, ut ea neque *videat*, neque *advertat*, neque *animadvertat*, neque poſtremo *puniat*. Quæ ſe contra attuliſſe ait Bellarminus duo Auguſtini loca, ea infra cum ad objectiones adverſariorum ventum erit, expendemus, ac ut ſpero cum bono Deo clare ac plane diſſolvemus.

Secundo Auguſtinus injuſtum cenſet id judicium, in quo morte *punitur*, qui peccati eſt immunis. Sic enim ille cum Pelagianis diſputans; *illi pœnam* (inquit) *dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto judicio puniri, trahendo mortem ſine meritis mortis. Quod de uno ſolo Mediatore Dei & hominum Chriſti Ieſu catholica fides novit, qui pro nobis mortem hoc eſt peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt*: quod ille fuſius exſequitur. Iam ex his primo patet Auguſtinum abſurdiſſimum cenſuiſſe, ut quis *ſine culpa morte puniatur*, & judicium, quo aliquid hujusmodi diſcernitur pro injuſto habuiſſe. At ex adverſariorum ſententia id quotidie fit; dum vel infantes ſuſcepto baptiſmo, vel adulti per pœnitentiam reconciliati moriuntur. Vtrosque enim & *ſine culpa* eſſe, & morte tamquam vera ac legitima pœna puniri volunt; hoſq; interdum etiam præter mortem, dira in purgatorio ſupplicia luere. Secundo teſtatur ac profitetur Auguſtinus *catholicam fidem unum Chriſtum noſſe, qui peccati pœnam ſine peccato ſubierit*. Adverſariorum ergo *fides catholica* non eſt, quæ alios innumerabiles *novit, qui peccati pœnam ſine peccato ſubeunt*, eos nimirum omnes, quos accepta peccatorum remiſſione peccati pœnas nihiloſecius dare fingunt vel hic, vel in purgatorio. Nam eos & vere *puniri* volunt, & tamen *ſine peccato eſſe*, quorum ſcilicet *peccata* vere *dimiſſa*, omnesque culpas deletas fuiſſe volunt. Hanc itaque *ſingularem Mediatoris prærogativam* (quod paulo poſt de Pelagianis dicit Auguſtinus) adverſarii quoque *evacuare conantur*, ut hoc jam non ſit in Domino ſingulare; nimirum quod *unus pœnam peccati ſine peccato ſubierit*. Neque eſt quod regerant, & infantes baptizatos, & adultos fideles accepta peccatorum remiſſione nihiloſecius *mori*. Mori fatemur; *puniri* negamus. Mors illis non *pœna*, ſed neceſſarius eſt ad requiem & gloriam *tranſitus*. Mortem, quæ eadem peccacati *pœna* ſit, nemo præter *unum Chriſtum ſine peccato ſubiit*. Quin & ipſe Auguſtinus hanc objectionem laudato loco & occupavit, & ſolvit; *Quamvis enim* (inquit) *bonis conferatur per mortem plurimum boni* (*unde nonnulli congruenter etiam* de bono mortis *diſputaverunt*) *tamen & hinc*

l.4.contr.2.Epiſt. Pel.c.4.T.7.

quæ

quæ prædicanda eſt, niſi miſericordia Dei, quod in bonis uſus convertitur pœna peccati? Itaque ex Auguſtino *boni* (id eſt pii, quibus peccata dimiſſa ſunt) non eo moriuntur, ut ob peccata *puniantur*; Sed iis mors, quæ ſuapte natura peccati *pœna* erat, in alios uſus bonos & ſalutares ſapientiſſimo miſericordis Dei conſilio cedit.

Tertio idem Auguſtinus in alio opere Euangelicam ex Matthæi decimo octavo parabolam, quam nos ſupra attulimus, ediſſerens ſervum *l. 1. de bapt. cont. Don. c. 12. T. 7.* conſervo nondum dimiſiſſe debitum *centum denariorum* ex eo colligit, quod is eam pecuniam adhuc debuiſſe dicitur; *Si enim* (inquit) *dimiſerat, non ei debebat. Quia ergo dicit debebat ei manifeſtum eſt, quod non dimiſerat.* Ex his patet Auguſtinum exiſtimaviſſe non *deberi* quæ *dimiſſa* ſunt. *Dimitti* autem omni vere pœnitenti *peccata*, nemo Chriſtianus negat. Ergo ex Auguſtino ne ea quidem *debent* vere pœnitentes. Cum igitur iniquum & injuſtum ſit ab aliquo id exigere quod *non debet*, fatendum eſt Auguſtinum putaſſe vel nullas peccatorum *pœnas* ab iis repoſci quibus ea dimiſſa ſunt, vel certe (quod abſit) in Deum iniquitatem & injuſtitiam cadere poſſe.

Denique Auguſtinus Chriſtum moriendo ita pro nobis ſatisfeciſſe *De verb. Ioan. ſer. 37. T. 9.* docet, ut peccatorum & culpas, & pœnas expunxerit. *Suſcipiendo* (inquit) *pœnam, & non ſuſcipiendo culpam, & culpam delevit, & pœnam.* Et *Serm. 141.* alibi; *Dominus noſter Ieſus Chriſtus communicando nobiſcum ſine culpa pœnam & culpam ſolvit & pœnam.* Quo etiam pertinent hæc ejusdem in alio opere verba; *Suſcepit Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum, ut inde ſolveret noſtrum reatum, & finiret etiam ſupplicium noſtrum.* Iam conſtat *Contr. Fauſt. l. 24. c. 4. T. 7.* neque eam *pœnam* deletam dici poſſe, quæ adhuc à peccatore repoſcitur, neque id *finitum ſupplicium*, quod à nobis exigitur. Cum igitur teſtetur Auguſtinus à Domino pro nobis moriente, & deletas eſſe peccatorum noſtrorum *pœnas*, & *finita ſupplicia*, quæ nobis ob ea admiſſa incumbebant; neceſſario conſequitur, ut is neque ullas à nobis dimiſſorum in Chriſto delictorum *pœnas* repoſci, vel ulla exigi *ſupplicia* exiſtimaverit.

Quo argumento probare licet idem quoque ſenſiſſe cæteros Patres. Neque enim dubitandum eſt, quin ii Chriſtum pro noſtris & *culpis*, & *pœnis* moriendo *ſatisfeciſſe* crediderint. Chryſoſtomus quidem utrumque diſertiſſime pæne totidem, quot Auguſtinus, verbis profitetur; πάντες ἦμεν (inquit) ὑφ' ἁμαρτίαν καὶ κόλασιν· αὐτὸς κολασθεὶς ἔλυσε καὶ τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν κόλασιν. *Eramus omnes ſub peccato & pœna. Ipſe Chriſtus punitus & peccatum ſolvit, & pœnam.* Sic etiam Cyrillus Alexandrinus; Γέγονεν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος, καὶ τὴν

hom. 6. in ep. ad Col. T. 6. in n. e. p. 1994.

Glaphyr 2. in Gen.

ὑπὲρ πάντων ἀνέτλη σφαγὴν ποινῆς καὶ δίκης ἐλευθερῶν, καὶ παντὸς τοῦ τοιοῦδε δείματος ἀπωτάτω τιθεὶς τοὺς πεπιστευκότας. *Unigenitum Dei verbum homo factus eſt, mactationem pro omnibus perpeſſus liberans à pœna, & ſupplicio, atque ab omni ejuſcemodi metu longiſſime removens eos, qui crediderint.* Atque hæc illi. Ex quibus cum appareat Patres ſenſiſſe non tantum pro *culpis*, ſed etiam pro *pœnis* noſtris Chriſtum moriendo *ſatisfeciſſe*; neque citra injuſtitiam ea à nobis pœna repoſci queat pro qua *ſatisfactum* eſt (ſic enim in idem peccatum *bis vindicaretur*, quod eſt ab omni jure alienum) conſequens eſt, ut fateamur eos illud quoque nobiſcum contra adverſarios tenuiſſe Deum nullam à fidelibus *pœnam* vel hic vel poſt mortem exigere eorum peccatorum, quæ ipſis Chriſti *ſatisfactionem* & *meritum* vera fide ac pœnitentia amplexis demiſit. Quæ contra hanc argumentationem afferri ab adverſariis ſolent, ea cum à nobis in priori hujus diſputationis parte fuſe confutata fuerint, nihil opus eſt hic repetere.

Sed & ex aliis quoque probatur hanc fuiſſe Patrum ſententiam. Nam Hieronymus in pſalmum triceſimum primum iis, quæ ſupra ex Auguſtino deſcripſimus, paria ſcribit. *Quod tegitur*, inquit, *non videtur; quod non videtur, non imputatur; quod non imputatur, non punitur.* In Pſal. 31. Iam fidelium pœnitentium delicta *tegi*, neque *imputari* palam eſt; Ergo neque *puniri* ex Hieronymo confitendum eſt.

Ep. 7. ad Venant. c. 8. extr. Sic Fulgentius; *Non punit* (inquit) *Deus in peccatore peccata, ſi peccatoris cervix non fuerit indurata.* Atqui nullius vere pœnitentis *cervix indurata* eſt. Ergo neque ullius vere pœnitentis *peccata* Deus *punit.*

Hanc eſſe Dei optimi cum pœnitentibus rationem clariſſime quoque docuit Theodoretus; dum illa Ezechielis verba enarrans, quæ ſunt à nobis in ſuperioribus allata, *Iuſtitia juſti non liberabit eum in qua* In Ezech. 33. 12. pag. 480. *die erraverit, & iniquitas iniqui non occidet eum in qua die revertetur ab iniquitate ſua*; ὥσπερ γὰρ (inquit) εἴ τις τῶν ἐν ἀρετῇ βεβιωκότων ταύτην μὲν καταλείποι τὴν ὁδὸν, τὴν δὲ τῆς κακίας προέλοιτο, ἀνάγκη αὐτὸν εὑρεῖν ἄξιον τῆς ὁδοῦ τὸ τέλος. οὕτως εἴ τις τῇ παρανομίᾳ συντραφεὶς εἰς τὴν τῆς ἀρετῆς ὁδὸν ἐπανελθεῖν ἐθελήσειεν, ἀπαλλαγήσεται πάντως τῆς τοῖς παρανόμοις τιμωρίας ἀφωρισμένης. *Quemadmodum ſiquis eorum, qui cum virtute vixerunt, hac via relicta alteram vitiorum illi antepoſuerit neceſſe eſt ut dignum viæ exitum inveniat; ita ſiquis tranſgreſſioni connutritus ad virtutis viam redire voluerit, ab eo ſupplicio quod ſceleratis, ſive legis tranſgreſſoribus definitum eſt, liber prorſus erit.* Atqui τοῖς παρανόμοις ſceleratis, ſive legis *tranſgreſſoribus* non ſola mors æterna, ſed & variæ omnis generis pœnæ in hac etiam vita conſtitutæ ſunt, ut videre eſt in Lege. Ergo non

non à morte tantum æterna, ſed & ab iſtis temporalibus pœnis *ἀπαλλαγήσεται πάντως omnino liberabitur* quiſquis relicto ſcelerum, ac peccatorum tramite *ad virtutis viam redire* voluerit. Id vero quam ſit ἀσύμφωνον cum iis pœnis, quibus adverſarii etiam vere pœnitentes affici volunt, nemo non videt. Sed & idem ille Theodoretus qualis ſit peccatorum remiſſio, quam pii pœnitentes à Domino conſequuntur luculentiſſime docuit, commentario in Michæam, dum hæc Prophetæ verba expendit, quæ nos etiam in ſuperioribus attigimus, *Revertetur & miſerebitur noſtri; demerget peccatum noſtrum, & projicientur in profundum maris omnia peccata noſtra.* Primum enim illa cum Domini conſimilibus apud Iſaiam verbis contendit; *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor*; quæ quam vim habeant, neque obſcurum eſt, & à nobis ſupra abunde demonſtratum eſt. Tum vero ipſe ſubjicit; Τοῦτο γὰρ δὴ τὸ παράδοξον, ὅτι οὐ μόνον ἀφίησιν, ἀλλὰ καὶ μνήμης ἐκβάλλει καὶ οἱόν τινι βυθῷ παραδίδωσι τῇ λήθῃ. Τοῦτο γὰρ παραδηλῶν καὶ ὁ μακάριος ἔφη Μιχαίας, καταδύσει τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ ἀπορριφήσονται εἰς τὰ βάθη τῆς θαλάσσης πᾶσαι αἱ ἁμαρτίαι ἡμῶν. ὥσπερ γὰρ τὸ εἰς τὸν βυθὸν τῆς θαλάττης βαλλόμενον ἀφανές ἐστι παντελῶς, οὕτω φησὶ καὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν λήθῃ παντελεῖ παραδώσει. *Hoc enim certe admirabile, quod non ſolum ignoſcit, ſed etiam memoria ſua expellit peccata, & tamquam in profundum in oblivionem tradit. Hoc enim explicans B. etiam Michæas dixit*, demerget peccata noſtra, & projicientur in profundum maris omnia peccata noſtra. *Quemadmodum enim id quod* in profundum maris *abjicitur penitus non extat; ſic inquit peccata noſtra oblivioni omnimodæ tradet.* Iudicet cordatus Lector an Deus eorum *peccata memoria ſua expuliſſe*, eaque in oblivionem *tamquam in profundum* tradidiſſe, funditusque *oblivione obruiſſe* dici poſſit; quos ob peccata & viventes ultricibus pœnis inſectatur, & mortuos infernalibus flammis multum, diuque excruciat.

In Mich. 7. 19. p. 834. a. 6.

Iſ. 43.

Denique Theophylactus idem quoque docuiſſe cernitur. Nam Euangelicam illam parabolam, cujus jam aliquoties meminimus, enarrans, ac de ſervo illo, qui peccatoris imago eſt, loquens; ἡ δὲ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ (inquit) συνεχώρησε παντελῶς τὸ δάνειον· καίτοιγε ὁ δοῦλος οὐ συγχώρησιν παντελῆ ἐζήτει, ἀλλὰ προθεσμίαν. *Sed Dei* (inquit) *miſericordia dimiſit omnino debitum; tametſi ſervus non omnia remitti, ſed prorogari tempus peteret.* Atqui peccati debitum *non omnino dimittit* Deus, ſi culpam quidem remittit, pœnam vero exigit. Tum alibi eum orationis Dominicæ articulum enarrans, in quo *peccatorum remiſſionem* poſcimus; ἐπειδὴ (inquit) καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα ἁμαρτάνομεν, ἱκετεύομεν ἵνα ἀφήσῃ ἡμῖν·

In Matth. 18. p. 108. b

In Matth. 6. p. 35. e.

οὕτω δὲ ἀφήσει ὡς καὶ ἡμεῖς. *Quia & poſt baptiſma peccamus, precamur ut dimittat nobis. Sic autem dimittet, quemadmodum & nos.* Iam notum eſt nos, ſi pii & vere Chriſtiani ſumus, ita in nos delinquentibus offenſas condonare, ut nullam *pœnæ*, quam erant promeriti, partem ab iis exigamus. Ergo & nobis Deus peccata poſt baptiſmum admiſſa ſic dimittit, ut nullas à nobis eorum *pœnas* repoſcat. Quo etiam pertinet quod à Chryſoſtomo in eumdem locum traditum eſt, quam iſtic remiſſionem petimus hoc continere τὸ μηδενὸς ἀπαιτηθῆναι λόγον τῶν πεπλημμελημένων, *quod nullius à nobis exigatur ratio peccati.* Exigetur autem *peccati ratio*, ſi ob id commiſſum puniamur. Ergo qui quam petunt à Domino obtinent peccatorum remiſſionem (obtinent autem quotquot cum vera fide & pœnitentia petunt) ii nullas ex Chryſoſtomo pœnas dant.

Hom. 20. in Matth. p. 246. b

CAPUT II.

De perpeſſionibus hujus vitæ. Veteres minime eas, quæ fidelibus incumbunt, agnoviſſe pro pœnis proprie dictis, probatur ex Minutii, Auguſtini, Cypriani, Baſilii, Hieronymi, Chryſoſtomi, luculentis teſtimoniis.

Atque hæc quidem in genere dicta ſatis ſunto; ex quibus patet nullam veteres agnoviſſe in hoc negotio culpæ à pœna diviſionem; adeoque nobiſcum ſenſiſſe quibuſcumque peccati culpa dimittitur, iiſdem omnem quoque proprie dictam *pœnam* dimitti. Unde illud etiam certiſſime conſequitur nullam eos exiſtimaviſſe fidelibus ſupereſſe in fictitia purgatorii fornace luendam pœnam; & quas in hac vita pii perpetimur afflictiones eas non pro veris, ac propriis peccati *pœnis* habuiſſe, ſed pro paternis diſciplinis ad nos non *puniendos*, ſed vel *emendandos*, vel *probandos*, aut *exercendos* comparatis. Sed quo res tota clarior fiat, age jam de utriſque ſeorſim ac ſigillatim videamus; ac prius quidem de iis perpeſſionibus, quas in hac vita etiam ſanctiſſimis incumbere, omnes & experimur, & confitemur.

Earum ſane quam veteres rationem eſſe putaverint, non eſt obſcurum. Primum enim Minutius, vetuſtiſſimus ſcriptor, de eo argumento ita loquitur: *Quod corporis humana vitia ſentimus, & patimur, non eſt pœna; militia eſt. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt.* Mox ait *Deum in adverſis unumquemque explorare, & examinare ingenium ſingulorum periculis penſitando. Itaque ut aurum* (inquit) *ignibus; ſic nos diſcriminibus arguimur.* Duobus poſt

In Octav. p. 109. 110.

Minutium ſæculis Auguſtinus quæſtionem ita diſerte ac luculente definivit, ut nemo noſtrum diſertius ac explicatius ſententiam, vel noſtram expreſſerit, vel adverſariorum exploſerit. Pium enim hominem ſub cruce gementem, & cum variis malis, quæ hic perpetimur, conflictantem conſolans, poſtquam patrem eſſe monuit Deum, à quo ſic vapulamus, hæc continuo ſubjicit; *Quod pateris, unde plangis, medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio.* Pauca verba; ſed aurea; quibus vir ſanctus breviter quidem, ſed tamen pleniſſime totam hanc controverſiam ſecundum nos decidit. Nam quæ hic patimur, & *pœnam* (quod ajunt adverſarii) eſſe negat; & *medicinam*, quod nos affirmamus, eſſe pronuntiat. Negat eſſe *damnationem*, quod tamen *damnatio* eſt, ſi à Deo judicante decernitur, ac infligitur, ut volunt adverſarii. Ait eſſe *caſtigationem*; quod ipſum nos & ſentimus, & ſupra ex Scripturis defendimus. Itaque vel hic unicus locus ſatis eſt ad demonſtrandum Patrum eamdem cum noſtra fuiſſe de hoc doctrinæ capite ſententiam. In Pſal. 102. T. 8. p. 478. A

Sed neque obſcuriora ſunt, quæ idem ille Auguſtinus alibi de hoc argumento contra Fauſtum Manichæum diſſerit, invidiam Deo creatori impie facientem, quod is in veteribus libris minetur *gladium*, quo nemini parcat nec juſto, nec peccatori. Auguſtinus enim admittens, quod Fauſtus objiciebat, quodque ipſe rerum uſus oſtendit eſſe veriſſimum, Deum ſcilicet ne piis quidem & juſtis *parcere*, ſed eos pariter cum impiis variis malis, atque calamitatibus in hac vita exagitare; utrorumque paſſiones diſtinguit; earum cauſſas, fines, uſus, naturamque diſcriminat; atque oſtendit diverſiſſimam eſſe utrarumque rationem. *Summus quippe ille* (inquit) *vitis agricola aliter parat falcem ſarmentis fructuoſis; aliter infructuoſis; tamen non parcit nec probis, nec reprobis; illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum eſt tanta juſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis, vel ad* PERFICIENDAM, *vel ad* CONFIRMANDAM, *vel ad* PROBANDAM *virtutem.* Hi ſunt ergo noſtrarum diſciplinarum ex Auguſtino fines; quibus nihil cum proprie dictis *pœnis* commune eſſe & quivis videt, & nos ſupra ſuo loco demonſtravimus. Hæc in genere dicta Auguſtinus mox confirmat Pauli exemplo, quem *colaphizandum Angelo Sathanæ*, ideo à Domino *traditum* fuiſſe legimus, *ne magnitudine revelationum efferretur*; & huic Apoſtoli vexationi Martyrum mortes in ſequentibus adjungit; & allato quodam Petri ex priore epiſtola teſtimonio, *Hinc* (inquit) *intelligitur quomodo non parcatur impiis, tamquam ſarmentis præciſis ad combuſtionem; quando juſtis non parcitur propter perficiendam purgationem.* Denique paulo poſt hunc locum ſic concludit; *Cum ergo ex voluntate* Contr. Fauſt. l. 22. c. [illegible] T. 6. 2. Cor. 12. 7.

Spiritus

Spiritus Dei patiuntur benefacientes, non parcitur juſtis; cum autem malefacientes, non parcitur peccatoribus; ſecundum illius tamen voluntatem fit utrumque, qui ait, Non parcam nec juſto, nec peccatori; *illum flagellando, ut filium; illum puniendo, ut impium.* Hæc Auguſtinus; egregie ſane, ac plane ad mentem noſtram. Vult enim hoc eſſe inter ea quæ pius, & quæ impius patiuntur, diſcrimen, ut ille quidem *flagelletur*; hic vero *puniatur*; ille *ut filius* habeatur; hic ut reus à judice damnatus. Deus igitur ex hujus ſcriptoris ſententia, pios *flagellat* (quod nos ultro confitemur) non *punit*, (quod volunt adverſarii.) Nam ſi *punit*, fruſtra ac imperite vir ſanctus horum tribulationes ab illorum afflictionibus eo diſtinxit, quod hi *flagellantur*, illi *puniuntur*; illi *ut filii*; hi *ut impii*; hac ratione ſignificans tam abſurdum eſſe, ut fideles velut *impii puniantur*, quam ut impii velut *filii flagellentur*. Itaque cum hoc omnes Chriſtiani reſpuant, illud quoque pariter explodi neceſſe eſt.

Quod idem contra Pelagianos diſputans accuratiſſime docuit. Iſti enim ut mortem non *peccati*, ſed *naturæ* eſſe probarent, ita argumentabantur; *Si peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remiſſionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, moreremur.* Auguſtino ex adverſariorum diſciplina in promptu erat reſponſio; Nobis Chriſti beneficio tributam quidem eſſe *culpæ* remiſſionem, non autem totius *pœnæ*. Itaque non eſſe mirandum, quod morti, quæ peccati *pœna* eſt, etiam poſt acceptam *culpæ* remiſſionem obnoxii ſimus. Sic enim ſtatuit Bellarminus, & ex eo ipſo, quod infantes accepto baptiſmo nihilo ſecius moriuntur, colligit ipſis non *omnem pœnam* una cum *culpa* fuiſſe remiſſam. Itaque Auguſtinus, ſi idem cum Bellarmino de hoc doctrinæ capite ſenſit, ſic omnino, ut diximus, reſpondere debuit. Sed ille tamen nequaquam hac reſponſione uſus eſt; quod ejus ſilentium vel unum ſatis loquitur ignota ipſi fuiſſe nupera hæc Romanæ Scholæ myſteria. Sed præterquam quod hanc iſtorum ſolutionem loco tam opportuno, tamque neceſſario omiſit; ea inſuper Pelagianis ſic objectantibus reſpondet, quæ adverſariorum dogma funditus evertunt. Sic enim ille propoſita iſtorum objectione; *Non intelligunt* (inquit) *quomodo res, quarum reatum ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſolvit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, ut per illas erudiantur, & exerceantur proficientes in agone juſtitiæ. Poſſet enim & alius hoc non intelligens dicere; Si propter peccatum dixit Deus homini*, In ſudore vultus tui edes panem tuum, & ſpinas & tribulos pariet tibi terra, *quare & poſt remiſſionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aſpera parit etiam terra fidelium? Item; Si propter peccatum dictum eſt mulieri*, In gemitu paries; *cur etiam poſt peccatorum remiſ-*

Lib. 2. de Pecc. mer. & rem. c. 33. & 7.

Geneſ. 3.

remiſſionem fœminæ fideles eoſdem dolores in parturiendo patiuntur? Ad hanc objectionem ex adverſariorum hypotheſi illud quoque, quod diximus, reſpondendum erat, nobis per Chriſtum peccati *culpam* quidem omnem donari, *pœnam* non omnem remitti; itaque iſtas, quas Deus olim peccatoribus minatus erat, *pœnas* etiam nobis poſt Chriſti beneficium luendas ſupereſſe. Sed nihil tale Auguſtinus. Imo in alia omnia it. Sic enim utramque objectionem, & illam priorem de morte, & hanc poſteriorem de vitæ duris, atque aſperis, ſimul ac ſemel ſequenti capite diſſolvit. *Quemadmodum eis* (intelligit autem eos, qui hoc poſterius objiciebant) *hac quæſtione propoſita reſpondemus dicentes, ante remiſ- ſionem eſſe illa* SUPPLICIA *peccatorum; poſt remiſſionem certamina, exercitationeſque juſtorum; ita & illis quos de morte corporis ſimiliter movet, reſpondere debemus, ut eam & peccato accidiſſe fateamur, & poſt peccatorum remiſſionem, ut magnus timor ejus à proficientibus ſuperetur, ad certamen nobis relictam eſſe non dedignemur.* Tum paulo poſt; *Unde mirandum non eſt, & mortem corporis non fuiſſe eventuram homini, niſi præceſſiſſet peccatum, cujus etiam talis pœna conſequeretur, & poſt remiſſionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo juſtitiæ.* Hæc eſt Auguſtini ad propoſitas objectiones reſponſio; non minus doctrinæ noſtræ conſentanea, quam ab adverſariorum placitis aliena. Plane enim ex noſtra diſciplina nodos iſtos diſſolvit, cum ait, & gravia illa, quæ etiam poſt acceptam Chriſti gratiam perpetimur, & mortem ipſam, quam una cum aliis hominibus obimus, *ad certamen fidei nobis relicta fuiſſe; ut erudiamur & exerceamur; ut in agone juſtitiæ proficiamus;* item iſta *certamina, exercitationeſque eſſe juſtorum; in quibus ad victoriam exercetur fortitudo juſtitiæ.* Bellarminus, cum hic eſſet à Calvino allatus Auguſtini locus, leviſſime defungitur; *Auguſtinus* (inquit) *dicit quidem, quod notavit Calvinus, pœnas, quibus Deus amicos ſuos affligi ſinit, eſſe materiam virtutis; ſed non negat eſſe etiam ultionem peccatorum.* Verum neque nos ſane negamus *iſta ultionem eſſe peccatorum*, ſi modo *ultionem* ita ut ſæpe ſumitur, pro *paterna caſtigatione* acceperis ex amore ad ejus, qui *caſtigatur*, bonum atque emendationem profecta. Sin *ultionem* intelligis *pœnam* proprie dictam, quæ ex lege à judice nocenti infligitur ad hoc ut *puniatur*, & *vindicetur* peccatum ab ipſo commiſſum; (quæ veſtra eſt in tota hac diſputatione mens, atque ſententia) qua fronte ſcribere auſus es *non negare Auguſtinum* has piorum diſciplinas *ultionem eſſe?* Vbi erant oculi tui cum hunc locum legeres? *Reſpondemus* (inquit Auguſtinus) *dicentes ante remiſſionem eſſe illa* SUPPLICIA *peccatorum; poſt remiſſionem autem certamina, exercitationeſque juſtorum.* Hoc puto non negabis

Ibid. c. 34.

Lib. 4. de Pœn. c. 2. 3. Sic etiam.

ſupplicium peccati eſſe ejus proprie dictam *ultionem*. Atqui ſi hoc, quod negare non potes, conceſſeris, res confecta eſt. Clariſſime enim atque diſertiſſime negat Auguſtinus illas fidelium perpeſſiones *ſupplicia* eſſe; negavit adeo *ultionem* eſſe proprie dictam. Nam ille tamquam res diſparatas, atque inter ſe oppoſitas diſtinguit *ſupplicia peccatorum* & *certamina exercitationesque juſtorum*. Hæc aut inter ſe male opponuntur, aut certe ita ſe habent, ut alterum ab altero aliud ſit. Atqui ſi (quod tu ſtatuis) quæ pii poſt remiſſionem ferunt, ea quoque *ſupplicia* ſunt, coincidet utrumque Auguſtinianæ diſtinctionis membrum. *Iſta* (inquit) *ante remiſſionem peccatorum ſupplicia ſunt; poſt remiſſionem vero juſtorum certamina ſunt:* ſed iſta *juſtorum certamina* ipſa ne etiam *ſupplicia* ſunt? Sunt, inquit Bellarminus. Quid ergo malum! iſta à *peccatorum ſuppliciis*, quaſi diverſa, dividis? Quis non videt qui ſic, ut hoc loco Auguſtinus, loquitur, eum duos *malorum*, quæ hîc homines patiuntur, ordines facere? unum eorum, quæ *ante remiſſionem* impii ferunt? alterum eorum, quæ *poſt remiſſionem* pii perpetiuntur? alterum autem ordinem ab altero ſic ſecernere, atque diſpeſcere, ut quæ ſunt in priori perpeſſiones eæ *ſupplicia* ſint *peccatorum*? quæ in poſteriori, eæ, non (ut in priori genere) *ſupplicia* ſint *peccatorum*, ſed *juſtorum exercitationes*, atque *certamina*? Huc accedit, quod alibi Auguſtinus id, quod patiuntur fideles, *pœnam* eſſe exerte negavit; *Quod pateris* (inquit) *unde plangis, medicina eſt, non pœna*; quem locum nuper attulimus. Sed neque ipſa rerum ratio, communiſque hominum ſenſus patitur, ut quod *certamen*, exercitatioque alicujus eſt id ſit ejuſdem *ſupplicium*, vel contra. Quis enim eum ferat, qui nocentem, de cujus ſcelere *ſupplicium* ſumitur, eo dicat vel virgis cædi, vel etiam ſuſpendi, aut vivum comburi, ut ejus fortitudo exerceatur? vel ut mortis timorem illo agone vincere diſcat? Iſta vero portenta ſunt hactenus inaudita. Aliud eſt *ſupplicium*; aliud *certamen*, & exercitatio. Vtriuſque rei materia eadem eſſe poteſt; forma & ratio ipſa neceſſario alia, atque alia eſt. Nec qui ad virtutem exercentur vel athletæ, vel milites *puniri*; nec qui proprie *puniuntur* ſontes, exerceri dicuntur. Neque illorum exercitationes *ſupplicia* ſunt, neque horum *ſupplicia* exercitationes aut *certamina*. Cum igitur Auguſtinus quæcumque pii *poſt peccatorum* remiſſionem perpetiuntur, totidem eorum *certamina*, exercitationes, atque probationes eſſe affirmet, non eſt dubitandum, quin iſta pariter neget piorum *ſupplicia* eſſe, aut proprie dictas *pœnas*.

His etiam illa attexere operæ pretium puto, quæ paulo poſt in eodem capite apud Auguſtinum ſequuntur, quod iis non parum illuſtren-

tur,

tur, ac confirmentur, quæ nos ad quamdam adverſariorum objectionem in prima hujus operis parte reſpondimus. *Tale aliquid nobis* (inquit) *inſinuatum eſt de Patriarcha David in libro Regnorum, ad quem Propheta cum miſſus eſſet, eique propter peccatum, quod commiſerat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit, reſpondente Propheta, quod illud ei flagitium, facinusque remiſſum ſit; & tamen conſecuta ſunt, quæ Deus fuerat comminatus, ut ſic humiliaretur à filio. Quare & hic non dicitur*, Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimiſſo peccato quod minatus erat, implevit? *niſi quia rectiſſime (ſi dictum fuerit) reſpondebitur remiſſionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna? Subſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur? Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit*; id eſt *ut in mortis timore vincendo exerceatur juſtitiæ* (nimirum noſtræ) *fortitudo*. Sic enim eumdem ſenſum paulo ante in hoc eodem capite elocutus fuerat. Iam ex his liquet Davidi mala iſta, quæ *poſt remiſſum* ei *peccatum* contigerunt, divinitùs immiſſa fuiſſe, non ut peccati, quod dimiſſum erat, *pœnas* daret; ſed ut hac caſtigatione humiliatus probaretur, & ad pietatis profectum *exerceretur*. Vnde conſequitur fruſtra hoc Davidis exemplum ab adverſariis allatum fuiſſe, quo ſuum illud mirificum de *pœnis* culpa dimiſſa *retentis* dogma conſtituerent. *Aug. ubi ſupra c. 34.*

Et ex his quidem ſatis, nì fallor, liquet, quod Auguſtini fuerit de piorum afflictionibus judicium. Cæteros Patres in eadem fuiſſe ſententia ex eo videre eſt, quod quæ fidelibus accidunt adverſa ea omnes fidelium *certamina*, *probationes*, *exercitationes*, & *medicinas* eſſe confitentur; non adeo proprie dictas *pœnas*; quod volunt adverſarii; cum ea ſit omnis veræ ac propriæ *pœnæ* ratio, quæ cum iſtis conſiſtere non poſſit; ut ſupra probavimus. Cyprianus; *Sic & Apoſtolus Paulus* (inquit) *poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & gravia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit adverſis, ut cum gravius affligitur verius probaretur.* Datus eſt mihi (inquit) ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet, ut non extollar; propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea nam virtus in infirmitate perficitur. *Quando ergo infirmitas & imbecillitas, & vaſtitas aliqua graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur; tunc fides, ſi tentata perſtiterit, coronatur, ſicut ſcriptum eſt; Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Tum enumeratis plæriſque peſtis, *de mortalit. p. 55. med.* *2. Cor. 12.* *Eccleſ. 27.*

ub. ſupr. p. 56.

quæ tum Carthagine graſſabatur; graviſſimis ſymptomatis, ea omnia ait *ad documentum proficere fides*. Et paulo poſt; *Peſtis iſta & lues* (inquit). *quæ horribilis & feralis videtur, explorat juſtitiam ſingulorum, & mentes humani generis examinat.* Cyprianus igitur Deum piis varias afflictiones immittere credidit non ad exigendas delictorum *pœnas*, ſed ad eorum fidem *probandam*, atque confirmandam.

Comm. in Iſ. T. 2. Baſil. p. 63. 4. vide p. 218. Par ſ. edit. de Anomœis in car. 10.

Sic etiam Baſilius, ſive quisquis eſt auctor commentarii in Iſaiam, qui inter Baſilii opera circumfertur à coetaneo ſcriptus; ἐπάξω τὴν χεῖρα. πυρώσω. καὶ τί; ἵνα καθαρὸν ἀποδείξω. οὕτω θυμοῦται ὁ Θεὸς, ἵνα εὐεργετήσῃ τοὺς ἁμαρτωλοὺς. οὐ γὰρ εἰς ἀφανισμὸν κολάζει. ἀλλὰ παιδεύει εἰς ἐπανόρθωσιν. *Inducam manum, igne examinabo. Ad quid? Vt purum exhibeam. Sic indignatur Deus, ut peccatores beneficentia ſua afficiat. Neque enim ad extremam uſque exinanitionem eos plectit, ſed caſtigat ad morum correctionem.*

Comm: 3. in Oſ. T. 6. p. 19. k

Hieronymus illa Domini apud Oſeam verba enarrans, *Et ero illis quaſi dans alapas homo ſuper maxillas ejus, Et quia* (inquit) *non ſua ſponte currebant* (Iſraelitæ) *ſed vincti funibus trahebantur, paululum maxillas eorum verberavi, non* PVNIENS, *ſed corrigens & emendans. Iudex lacerat carnes, torquet funiculus, flagellus atque ignibus cruciat. Qui autem pater eſt laſcivientem filium palma percutit manus.* Hæc Hieronymus, qui fidelium caſtigationes à proprie dictis *pœnis* dupliciter diſtinguit; & à re ipſa, quod ſint moderatiores; & à fine rei, quod eas Dominus infligat, non ad puniendum, ſed ad corrigendum, & emendandum. Nihil dici potuit in noſtram ſententiam diſertius. Idem alibi plane eadem, iisdemque pæne verbis docet. Nam poſt enarratas varias afflictiones, quibus populum ſuum Deus caſtigaverat: *Cumque hoc* (inquit) *fecerim, non* PVNIENS, *ſed occaſionem tribuens pœnitentiæ, ne ſic quidem eſtis reverſi ad me, dicit Dominus.* Paulo poſt ibidem, *Cumque & hæc fecerit, ut corriperet delinquentes, & emendaret errantes, ne ſic quidem redierunt ad eum, dicit Dominus.* Hactenus Hieronymus.

Comm: 2. in Amoſ. T. 6. p. 39. c

Ibid: m.

Hom. 41. (Lat 42) in Mat. T. 1. in n. s. pag. 476. d

Hom. 28. in 1. Cor 11. T 5 in n. s. p. 302. d

Chryſoſtomus idem quoq; docet, ut cum ad illa Pauli verba, *dum judicamur autem à domino corripimur, etiam*, νουθεσίας γὰρ (inquit) μᾶλλον ἐστιν ἢ καταδίκης τὸ γινόμενον, ἰατρείας ἢ τιμωρίας, διορθώσεως ἢ κολάσεως. *Nam quod fit eſt magis admonitionis, quam condemnationis, curationis quam punitionis, correctionis, quam caſtigationis.* Alibi de Iobi, & Apoſtolorum perpeſſionibus loquens, οὐ γὰρ δὴ κολάσεως ἦν (inquit) ἅπερ ἔπασχον, ἀλλ' ἀγώνων καὶ παλαισμάτων. *Non enim quæ patiebantur punitionis erant, ſed certaminum & luctarum.* Idem in alio opere; Καὶ διὰ τοῦτο Θεὸς τὰς τιμωρίας ἡμῖν ἀπειλεῖ καὶ ἐπάγει πολλάκις, οὐχ ὡς ἑαυτὸν ἐκδικῶν, ἀλλ' ἡμᾶς

Ad Theod. lapſ. par. 1. T. 4. pag. 550. c, d.

ἕλκων

ἕλκων πρὸς ἑαυτόν. καὶ γὰρ καὶ ἰατρὸς ἐπὶ τῇ τῶν παραπαιόντων ὕβρεσιν οὐκ ἀλγεῖ μὲν οὐδὲ δάκνεται. ὅμως δὲ πάντα πράττει καὶ πραγματεύεται ὑπὲρ τοῦ παῦσαι ἀσχημονοῦντας ἐκείνους, οὐ τὸ ἑαυτοῦ σκοπῶν, ἀλλὰ τὴν ἐκείνων ὠφέλειαν. κἂν ἐπιδείξωνται μικρόν τι σωφροσύνης καὶ νήψεως, χαίρει καὶ εὐφραίνεται, καὶ πολλῷ σφοδρότερον τὰ φάρμακα ἐπιτίθησιν, οὐχ ὑπὲρ τῶν προτέρων αὐτοὺς ἀμυνόμενος, ἀλλὰ τὴν ὠφέλειαν αὐξῆσαι θέλων, καὶ πρὸς καθαρὰν ὑγίειαν ἐπαναγαγεῖν. οὕτω καὶ ὁ θεὸς ὅταν εἰς τὴν ἐσχάτην μανίαν ἐκπέσωμεν, οὐκ ἀμυνόμενος ὑπὲρ τῶν προτέρων, ἀλλ᾽ ἀπαλλάξαι τῆς νόσου βουλόμενος ἅπαντα καὶ λέγει καὶ ποιεῖ. *Hac de cauſſa Deus flagella nobis minatur, & ſæpe inducit, non ut ſe ipſum ulciſcatur, ſed ut nos ad ſe trahat. Medicus enim propter contumelias mente captorum non dolet, neque offenditur; ſed omnia facit, omnia molitur, quæ ad ſedandos illorum abſurdos mores attinent; non ſua ſpectans, ſed illorum utilitatem. Quod ſi tenuem ægrotus conjecturam temperantiæ, & frugalitatis* oſtendit, continuo gaudet ac lætatur, multoque accuratius medicinam apponit, non ut expetat pœnas prioris contumeliæ, ſed quoniam illorum utilitatem augere vult, atque perfectam illis reſtituere ſanitatem. Non aliter Deus poſtquam nos in extremam cecidimus inſaniam, non eſt ultor veteris flagitii, ſed ut morbum arceat omnia dicit ac facit.*

* *Melioris mentis.*

Idem alibi de ea ſtomachi infirmitate differens, qua B. Timotheum Paulus laboraſſe ſcribit, arrepta inde occaſione in genere diſputat de omnibus iis malis, atque calamitatibus, quibus fidelium etiam ſanctiſſimorum vita non ſine gravi infirmorum ſcandalo, ut plurimum in hoc ſeculo conflictari ſolet. Ac ut id ſcandalum amoliatur, piorumque animos confirmet, atque erigat, cauſſas rei in ſpeciem abſurdæ diligenter inveſtigat, ac proponit. Quis non intelligit ſi paria cum adverſariis ſenſiſſet, tale argumentum tractanti nihil prius in mentem venturum fuiſſe, quam immitti iſta ſanctis, ut eorum perpeſſione vel *ſuorum*, vel certe *alienorum* peccatorum *pœnas luant?* Nemo eſt ex Romanæ communionis Theologis, qui ſi in ea cauſſa verſetur, non hoc ſtatim ſit allaturus, eamque omnem invidiam, quam homines vel impii, vel imperiti divinæ providentiæ inde conflare ſtudent, hac vel una, vel certe potiſſima ratione amoliturus. Atqui ne verbum quidem unum de ea occurrit in tota hac pulcherrima, atque copioſiſſima Chryſoſtomi diſputatione. Vnde hæc tam inſolens, tamque inuſitata in ſapientiſſimo, atque facundiſſimo viro oblivio? Cauſſas divinæ hujus diſpenſationis præclaras quidem illas, & ex media Scripturarum philoſophia petitas octo recenſet. Hanc, quæ ſi vera eſt, una rem totam facile, ac uno (ut ſic dicam) niſu conficere poterat, penitus omiſit.

Hom. 1. ad Pop. Ant. in 1. Tim. 5.7. 1.

ſit. Deſudet in hoc ſolvendo nodo omnis adverſariorum ſubtilitas. Numquam iis perſuadebunt, quibus vir ille probe cognitus fuerit, ſciviſſe ipſum, quod eo tempore ac loco omiſit, quo ſine ſtupore ac flagitio id ſi ſciviſſet, prætermittere non potuit. Sed videamus tamen quas ille cauſſas afferat crucis, atque afflictionum quæ piis divinitus immittuntur. Prima hæc eſt; διὰ τὸ μὴ ταχέως αἴρεσθαι εἰς ἀπόνοιαν τῷ μεγέθει τῶν κατορθωμάτων καὶ θαυμάτων ἀφίησιν αὐτοὺς ὁ Θεὸς κακοῦσθαι. *Ne propter rerum præclare geſtarum, ac miraculorum magnitudinem facile in arrogantiam efferantur, ipſos Deus affligi ſinit.* Secunda: ἵνα μὴ μείζονα τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως περὶ αὐτῶν ὑπόνοιαν ἔχωσιν ἕτεροι, καὶ θεοὺς, ἀλλ᾽ οὐκ ἀνθρώπους νομίσωσιν αὐτοὺς εἶναι. *Ne cæteri de iis majus aliquid, quam eſt humana natura, ſuſpicentur, & ipſos Deos, non autem homines eſſe arbitrentur.* Tertia; ἵνα ἡ τοῦ Θεοῦ φαίνηται δύναμις διὰ τῶν ἀσθενούντων, καὶ διὰ τῶν δεσμουμένων κρατοῦσα, καὶ περιγινομένη, καὶ τὸ κήρυγμα αὔξουσα. *Vt Dei virtus appareat per ægrotantes & vinctos exſuperans, & vincens, & prædicationem augens.* Quarta; ἵνα αὐτῶν ἐκείνων ἡ ὑπομονὴ φανερωτέρα γένηται, οὐκ ἐπὶ μισθῷ τῷ Θεῷ δουλευόντων, ἀλλὰ καὶ τοσαύτην ἐπιδεικνυμένων εὐγνωμοσύνην ὡς καὶ μετὰ τοσαῦτα κακὰ τὴν ἀκραιφνῆ περὶ αὐτὸν ἐπιδείκνυσθαι εὔνοιαν. *Vt ipſorum illorum patientia manifeſtior fiat, non propter mercedem Deo ſervientium, ſed & tantam exhibentium gratitudinem, ut & poſt tot mala ſinceram in eum benevolentiam oſtendant.* Quinta; ἵνα περὶ ἀναστάσεως φιλοσοφῶμεν. ὅταν γὰρ ἴδῃς ἄνδρα δίκαιον καὶ πολλῆς γέμοντα ἀρετῆς μυρία παθόντα δεινὰ, καὶ οὕτως ἀπελθόντα ἐντεῦθεν, καὶ ἄκων ἀναγκασθήσῃ πάντως ἐννοῆσαί τι περὶ τῆς ἐκεῖ κρίσεως. εἰ γὰρ ἄνθρωποι τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν κάμνοντας οὐκ ἀφιᾶσι χωρὶς μισθῶν καὶ ἀμοιβῆς ἀπελθεῖν, πολλῷ μᾶλλον ὁ Θεὸς τοὺς τοσαῦτα πεπονηκότας οὐκ ἂν ἕλοιτό ποτε ἀστεφανώτους ἀφεῖναι. εἰ δὲ οὐκ ἂν ἕλοιτο τῆς τῶν πόνων ἀμοιβῆς αὐτοὺς ἀποστερῆσαί ποτε, ἀνάγκη καιρὸν εἶναί τινα μετὰ τὴν ἐντεῦθεν τελευτὴν, καθ᾽ ὃν ἀπολήψονται τὰς ἀμοιβὰς τῶν ἐντεῦθεν πόνων. *Vt de reſurrectione cogitemus. Cum enim virum juſtum & multa plenum virtute, innumera paſſum mala, & ſic hinc digreſſum videris, tum vel invitus omnino cogeris aliquid de illo judicio cogitare. Si enim homines eos, qui pro ſe laborant, ſine præmiis, & retributione abire non ſinunt; multo magis Deus eos qui tantum laboraverunt, incoronatos remanere numquam patietur. Si autem ſuſtinere non poteſt, ut ii laborum retributione priventur, omnino neceſſe eſt aliquod poſt præſentium finem eſſe conſtitutum tempus, quo laborum hujus vitæ retributionem recipiant.* Sexta; ἵνα πάντες οἱ περιπίπτοντες τοῖς δεινοῖς ἱκανὴν ἔχωσι παράκλησιν, καὶ παραμυθίαν εἰς ἐκείνους ἀφορῶντες, καὶ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς μεμνημένοι κακῶν. *Vt omnes in res adverſas incidentes ſufficientem conſolationem, & mitigationem habeant in eos*

reſpi-

Pag: 9. E.

reſpicientes , & malorum quæ ipſis acciderunt recordantes. Septima : ἵνα ὅταν παρακαλῶμεν ὑμᾶς πρὸς τὴν ἐκείνων ἀρετὴν, καὶ πρὸς ἕκαστον ὑμῶν λέγωμεν, ὅτι μίμησαι Παῦλον, καὶ ζήλωσον Πέτρον, μὴ νομίζοντες διὰ τὴν τῶν καλορθωμάτων ὑπερβολὴν ἑτέρας αὐτοὺς μετεσχηκέναι φύσεως, ἀποκνήσητε πρὸς τὴν μίμησιν. *Ne quando vos exhortamur ad illorum virtutem , & cuique dicimus*, Imitare Paulum, æmulare Petrum , *propter geſtorum exceſſum alterius ipſos naturæ participes fuiſſe cogitantes, ad imitationem torpeatis.* Octava ; ἵνα ὅταν δέῃ μακαρίζειν καὶ ταλανίζειν, μάθωμεν τίνας μὲν χρὴ μακαρίους ἡγεῖσθαι, τίνας δὲ ἀθλίους καὶ ταλαιπώρους. *Vt quando beatos, vel miſeros cenſere oportet , diſcamus quos quidem beatos , quos autem miſeros & ærumnoſos putare debeamus.* Hę omnino ſunt octo illę malorum, in quæ pii incidunt, à Chryſoſtomo commemoratę cauſſæ ; quas ille deinceps è Scripturis ſigillatim explicat , facundiſſimeque pro more exſequitur , atque amplificat ; præfatus δεῖν αὐτὰς ἀπὸ τῶν γραφῶν πιστώσασθαι πάσας, καὶ δεῖξαι μετὰ ἀκριβείας, ὡς οὐκ ἀνθρωπίνων λογισμῶν ἐπίνοια, ἀλλὰ τῶν γραφῶν ἐστιν ἀπόφασις τὰ εἰρημένα ἅπαντα. *Oportet eas omnes è Scripturis firmare , accurateque demonſtrare quod omnia dicta non humanarum cogitationum inventa ſunt, ſed divinarum Scripturarum ſententiæ.* Harum cauſſarum tertia ad Dei gloriam ; prima & quinta ad ipſorum, qui affliguntur , tum profectum , tum laudem ; reliquæ omnes ad noſtram ædificationem pertinent; nulla ad *pœnæ* poſt dimiſſum peccatum *relictæ expiationem.*

CAPVT III.

Mortem piorum non eſſe ipſorum proprie dictam pœnam , oſtenditur ex Auguſtino, Cypriano, Ambroſio, & Methodio.

SEd præter hæc , quæ patres univerſe de omnibus piorum in hac vita afflictionibus docent, illud etiam obſervandum videtur, quod de morte proprie ac peculiariter tradunt. Hanc enim adverſarii, ut initio hujus operis audivimus , potiſſimum eſſe , *pœnam* contendunt, quod quæ cæterarum perpeſſionum eſt , hujus nulla eſſe poſſe videatur ad morum emendationem utilitas. Quid igitur? Patres-ne cum iſtis putant fideles ad hæc mori ut ſic reliquas dimiſſorum peccatorum *pœnas* luant ? Nihil minus. Iam ex Auguſtino audivimus *mortem* , quæ per ſe peccati *pœna* eſt , piis per Dei miſericordiam in bonos uſus converti ; *& poſt peccati remiſſionem relictam eſſe ad certamen , ut magnus timor ejus à proficientibus ſuperetur , ac ut in ejus timore vincendo exerceatur juſtitiæ noſtræ fortitudo.* His vero poſtremis nunc addenda ſunt quæ in eodem opere, *l.4. contr. 2.Ep. Pel: c. 4. l.2.de Pecc.mer. & remiſſ.c.34.*

opere, ex quo hæc deſumpta ſunt, de mortis noſtræ ratione paulo ante dixerat. *Poterat autem* (inquit) *etiam hoc donare credentibus* (nimirum Chriſtus) *ut nec iſtius experirentur corporis mortem; Sed ſi hoc feciſſet, carni quædam fœlicitas adderetur; minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem iſtam horrent, ut non ob aliud fælices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quod mori omnino non poſſent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret; ſed propter removendam mortis moleſtiam delicatius crederetur in Chriſtum:* Atque hujus generis fidem paulo poſt ait *enervem & debilem futuram; imo nec fidem omnino dicendam. Plus ergo* (inquit) *gratiæ præſtitit; plus fidelibus ſuis ſine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, ut ſe ſperet moriturus ſine fine victurum?* Similia habet in opere de Civitate Dei; *Siquem vero movet* (inquit) *cur vel ipſam* (mortem) *patiantur, ſi & ipſa pœna peccati eſt, quorum per gratiam reatus aboletur, jam iſta quæſtio in alio noſtro opere quod inſcripſimus* de baptiſmo parvulorum, *tractata ac ſoluta eſt; ubi dictum eſt ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis à corpore, quamvis ablato jam criminis nexu; quoniam ſi regenerationis ſacramentum continuo ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides enervaretur, quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore, atque certamine, in majoribus duntaxat ætatibus, etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis Martyribus maxime eminuit; cujus profecto certaminis, nulla eſſet victoria, nulla gloria; quia nec ipſum poſſet eſſe certamen, ſi poſt lavacrum regenerationis jam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Chriſti gratiam propterea potius curreret, ne à corpore ſolveretur? atque ita non inviſibili præmio probaretur fides; ſed jam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quærendo & ſumendo mercedem. Nunc vero majore & mirabiliore gratiâ Salvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. Tunc enim dictum eſt homini,* Morieris, ſi peccaveris. *Nunc dicitur martyri,* Morere, ne pecces. *Tunc dictum eſt,* ſi mandatum tranſgreſſi fueritis, morte moriemini. *Nunc dicitur*, Si mortem recuſaveritis mandatum tranſgrediemini. *Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur; nunc ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis; & fit juſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur juſtitia moriendo. Verum hoc in ſanctis Martyribus, quibus alterutrum à perſecutore proponitur, ut aut*

l. 1. de pecc. mer. & remiſ. 31. T. 7.

l. 13. c. 4. T. 5. pag. 783.

deſerant fidem, aut ſufferant mortem. Juſti enim malunt credendo perpeti, quod ſunt primitus iniqui non credendo perpeſſi. Niſi enim peccaſſent illi, non mererentur; Peccabunt autem iſti niſi moriantur. Mortui ergo ſunt illi, quia peccaverunt; non peccant iſti, quia moriuntur. Factum eſt per illorum culpam, ut veniretur in pœnam; Fit per iſtorum pœnam, ne veniatur in culpam; non quia mors bonum aliquod facta eſt, quæ antea malum fuit; ſed tantum Deus fidei præſtitit gratiam, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam. Hactenus Auguſtinus; qui & in epiſtola ad Hilarium hæc quoque attigit; *Temporalis* (inquit) *mors coporis, etiam in iis, qui Chriſti morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei & agonem præſentis luctationis, in quo & Martyres certaverunt.* Eadem de re, deque tota hac controverſia luculentus etiam extat ejuſdem in libris de Trinitate locus; *Quamvis ipſa mors* (inquit) *carnis de peccato primi parentis originaliter venerit, tamen bonus ejus uſus glorioſiſſimos martyres fecit. Et ideo non ſolum ipſa; ſed omnia hujus ſæculi mala dolores laboreſque hominum, quamquam de peccatorum, & maxime de peccati originalis meritis veniant, unde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & unde exerceretur virtus fidelium; ut novus homo per teſtamentum novum inter mala hujus ſæculi novo ſæculo præpararetur, miſeriam, quam meruit vita iſta damnata, ſapienter tolerans, & quia finiretur prudenter gratulans; beatitudinem vero, quam liberata vita ſine fine habitura eſt, fideliter & patienter expectans.* Atque ex his patet, quæ mortis in fidelibus ex Auguſtino ratio ſit; non ut ea (quod commenti ſunt adverſarii) peccatorum ab ipſis admiſſorum *pœnæ* luantur, ſed ut ad eam ferendam exerceretur ipſorum virtus & patientia; utque iis gloriæ & profectus materia eſſet quæ cæteris ſupplicium ac *pœna* eſt.

Ep.89.T.2.pag.153.d

l.13.c.16.

Cyprianus pæne duobus ante Auguſtinum ſæculis jam his ſimilia de mortis in fidelibus uſu docuerat; *Mortalitas iſta* (inquit) *Judæis, & gentilibus, & Chriſti hoſtibus peſtis eſt. Dei autem ſervis ſalutaris exceſſus eſt. Hoc quod ſine ullo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti, non eſt, quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem.* Atqui communis eſt, ſi ut horum, ita illorum quoque *pœna* eſt. Tum; *Ad refrigerium* (inquit) *juſti vocantur; ad ſupplicium rapiuntur injuſti.* Mox commemorato iſtius mortalitatis ad pietatem, & caritatem uſu, *Exercitia* (inquit) *ſunt nobis iſta, non funera. Dant animo fortitudinis gloriam; contemptu mortis præparant ad coronam.* Et poſt plura, *ideo nos mori* ait, quo *ad æternam vitam tranſeamus; Quod interim morimur* (inquit)

de mortal. p. 55. extr.

pag. 56.

quit) *ad immortalitatem morte tranſgredimur ; nec poteſt vita æterna ſuccedere , niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus , & temporali* Ibid.p.57. *itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus.* Quæ ſane præclara ſunt, & quæ nos de mortis uſu in primo libro diximus egregie confirmant ; omnémque adverſariorum de mortis erga fideles ratione & ingenio ſententiam evertunt. Nam ſi mors ad hoc (ut vult Cyprianus) neceſſaria eſt , ut huic temporali vitæ *æterna ſuccedat* ; fruſtra quærunt iſti , *cur fideles moriantur , ſi mors peccatorum ab iis admiſſorum pœna non eſt* ; cum in promptu ſit reſpondere ideo eos mori , ut per mortem immortalitatis compotes fiant. Sed & aliam cauſſam , quam nos itidem ſuo loco attigimus, in ſequentibus affert maturioris nonnullorum fidelium

Ibid.p.58. exitus ; *Sed & per Salomonem* (inquit) *docet Spiritus ſanctus qui Deo placeant maturius iſtinc eximi, & citius liberari , ne dum in iſto mundo diutius immorantur mundi contactibus polluantur.* Raptus eſt inquit , ne malitia

Sap.4. mutaret intellectum ejus. *Placita enim erat Deo anima ejus. Propter hoc properavit educere eum de media iniquitate.* Atque hæc quidem Cyprianus.

Quid de Ambroſio dicam, qui tantum ab eo abfuit, ut aliquorum fidelium mortem *pœnam* eſſe exiſtimaret , ut ne cæteris quidem hominibus mortem in *pœnam* conſtitutam eſſe voluerit? Nam cum tres mortis ſpecies faciat ; unam *ſpiritualem* , qua mundo & peccato morimur;

l. de fid. reſurr: *naturalem* alteram, cum anima nexu corporis liberata de hac vita exce-

2.;p.471.A dit ; tertiam denique *pœnalem* , qua non ſolum caro , ſed etiam anima moritur ; cum hæc inquam ſic diviſiſſet, continuo ſubjicit ; *Sed non quæ*

Ibid. b *naturalis* (inquit) *eadem pœnalis. Non enim pro pœna, ſed pro remedio dedit mortem* ; quod fuſe probare contendit ; ac denique concludit ; *Vides mortem magis metam eſſe noſtrarum pœnarum , qua curſus hujus vitæ inciditur. Ergo mors non ſolum malum non eſt , ſed etiam bonum eſt.* Hæc Ambroſius.

Sed neque omittenda eſt ea mortis fidelium ratio , quam apud Epiphanium affert Methodius contra Origenem diſputans ; Hanc enim eſſe vult hujus rei cauſſam, ut peccatum naturæ noſtræ penitus infixum per mortem aboleatur , noſque ea ratione renovemur. Statuit enim mortem eſſe veluti ſalutiferum quoddam medicamentum , cujus vi exitialis illa peccati peſtis altiſſime nobis inſita, ac per carnem noſtram longe lateque diffuſa plane revellitur , funditusque perimitur. ὥσπερ

Ep.p. Panar.l.2. οὖν (inquit) ἀλεξιφαρμάκου τρόπον ὑπὸ τοῦ ἀλεξητῆρος ἡμῶν καὶ ἀληθῶς ἰα-

T. 2. hær. 64.s. τροῦ θεοῦ πρὸς ἐκρίζωσιν τῆς ἁμαρτίας παρελήφθη ὁ θάνατος , καὶ ἀφανισμὸν,

26.p.549.B. ἵνα μὴ διαιωνίζον ἐν ἡμῖν εἴη τὸ κακὸν ἀθάνατον , ἅτε ἐν ἀθανάτοις ἀναλεῖλαι.

αὐτὸ

αὐτοὶ δὲ λελωβημένοι καὶ ἐκϛάντες, νοσώδη τρόπον, τῆς οἰκείας ἀρετῆς, ἐπὶ πολὺ διαλείβωμεν. *Itaque ad peccatum velut extirpandum, penituſque delendum, opitulator noſter ac vere medicus Deus mortem, quaſi auxiliare quoddam medicamentum, adhibuit, ne malum in nobis, utpote immortalibus, excitatum ſempiternum maneret; nos autem peſſime affecti, & à propria virtute ægrotantium more deſciſcentes diutius in eo ſtatu maneremus.* Mox; Διὸ δὴ καλῶς ταύτην πρὸς ἄμφω σωτηρίαν καὶ ψυχῆς καὶ σώματος, φαρμακευτικῆς τρόπον καθάρσεως, τὸν θάνατον ὁ θεὸς ἤνεγκε, ἵνα πανάμωμοι καὶ ἀσινεῖς οὕτως ἐξεργασθῶμεν. *Proindeque ad utrinſque repræſentandam ſalutem, animæ ſcilicet ac corporis, quaſi medicam quamdam purgationem, ita mortem Deus excogitavit, ut nos immunes ab omni damno, integroſque præſtaret.* Cætera eodem pertinentia, quæ deſcribere longum eſt, quivis apud Epiphanium videre poteſt. Iam ex iſtius & Epiphanii qui eum laudat ſententia, mors piis non ſupplicium eſt, ſed medicina; ejusque uſus eſt non ad luendas peccati pœnas, ſed ad conficiendum, penituſque è nobis extirpandum peccati ſive habitum, ſive fomitem. Atque hæc quidem ſatis ſunt ad id, quod inſtitueramus, probandum; nimirum veteres neque mortem, neque cæteras fidelium in hac vita perpeſſiones pro veris ac proprie dictis peccati *pœnis* habuiſſe.

CAPUT IV.

Solvuntur, quæ ab adverſariis contra afferuntur ex Auguſtini duobus locis, Chryſoſtomi uno, Gregorii uno. Explicatur & pſeudo-Iuſtini locus, quo mortem piis in pœnam infligi videtur ſtatui.

SVpereſt, ut quæ contra ab adverſariis afferuntur, nunc expendamus. Ea vero & pauca ſunt, & hujusmodi quæ nullo negotio ex ſuperioribus diſſolvuntur.

Primo deſcribit Bellarminus duo Auguſtini teſtimonia; quorum prius ex ultimo ejus in Ioannem tractatu ſic habet; *Hanc itaque vitam, de qua ſcriptum eſt*, Numquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? *in qua quotidie clamamus ad Dominum*, Libera nos à malo, *cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis; quamvis ut in eam veniret miſeriam primum fuerit cauſſa peccatum. Productior eſt enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* Reſpondeo Auguſtinum his verbis nihil aliud ſignificare, niſi in hac mortali, mul-

l. 1. de purg. c. 11. ſ. Hu acced.
tract. 124. in Ioan.
Iob: 7. 1.

 tiſque

tiſque malis, & calamitatibus obnoxia vita etiam poſt acceptam peccatorum remiſſionem detineri fideles; non autem continuo ad beatam transferri, maliſve illis liberari, quibuſcum ipſi ante Chriſti beneficium una cum cæteris mortalibus conflictabantur; quod nemo negat. Hæc autem mala, quæ per ſe *peccati pœna* ſunt à Deo conſtituta, quæq; hominum ante peccati remiſſionem vere ſupplicia ſunt, ipſis quoque fidelibus *pœnam* eſſe, quam ob peccata, quamquam dimiſſa, luant, neque dicit hoc loco Auguſtinus, neque uſquam alibi. Imo ſupra *pœnam* eſſe exertiſſime negabat; quin & idem hoc ipſo loco non obſcure docet, dum iis quæ deſcripſimus continenter ſubjicit; *Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam non detinet culpa.* Iſta, quæ per ſe, & ſuopte ingenio peccati *pœna* erant; etiam in vita fidelium manere ait; ſed alio longe fine, atque uſu, quam quem per ſe habebant. Iſtis enim, quibus cæteri homines, tamquam legitimis peccati ſuppliciis afficiuntur, pii non puniuntur, ſed ad ſalutem exercentur. His nimirum experimentis diſcunt, quam miſera ſit hominum vita; His documentis & ad ſanctitatem, & ad patientiam formantur. Vt quæ natura ſua venena ſunt, ea interdum arte medici ſic corriguntur, ut fiant medicamenta, & vitam, quam alias perdere ſolent, tueantur. Itaque adverſariorum dogma hic locus non modo non confirmat, ſed plane evertit; qui hujus ſæculi afflictiones piorum *inſtructiones, emendationes*, & *exercitationes* eſſe ſtatuit; adeoque nullam *pœnæ* proprie dictæ in ipſos rationem habere, qua puniuntur ſontes, non *exercentur*, aut *probantur*; quæ ad hoc proprie infligitur, ut ultrici juſtitiæ ſatiſfiat, non ut nocens vel inſtruatur, vel emendetur. Neque quemquam turbare debet, quod has afflictiones, quibus pii vel erudiuntur, vel emendantur, aut exercentur, *pœnas* Auguſtinus dixerit. Sic enim etiam appellat eo ipſo in loco, in quo *pœnas* eſſe negat. *Quod pateris, unde plangis* (inquit) *medicina eſt, non pœna, caſtigatio eſt, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello; ſed quem locum in teſtamento.* Pœnam jam dicit, quam *pœnam* eſſe negavit. Nimirum dum *pœnam* negat, veram & proprie dictam intelligit, ex lege decretam & inflictam ad peccatum puniendum. Dum *pœnam* ait, eo nomine rem moleſtam, & acerbam ſignificat; qua notione quicquid nobis grave eſt *pœnam* dicimus. Sed & in hoc loco, qui nunc nobis eſt præ manibus, metonymia quædam ſubeſſe videtur. Cum enim ait Auguſtinus *productiorem eſſe pœnam, quam*

In pſ.102.

culpam,

culpam, neque cum culpa finiri pœnam, & *pœnam hominem detinere*, pœnæ nomine mortalis hujus vitæ miſeriam ſignificat; eamque *pœnam* vocat, non quod nunc piis *pœna* ſit (eſt enim ejus ingenium Domini beneficio mutatum) ſed quod olim natura ſua *pœna eſſet*; ut *aqua* dici potuit etiam ea, quæ cum ſic diceretur *aqua* non erat ſed *vinum* ex aqua Chriſti voluntate factum in nuptiis illis Galilææ; ut *virga* Moyſis dicitur etiam ea quæ non *virga*, ſed *ſerpens* ex virga factus erat; ut denique *cæci* appellantur etiam qui viſum Chriſti gratia receperant, quia nimirum antea *cæci* fuerant. Rebus enim tametſi immutatis priſtinum nomen hærere nihil vetat. Itaque ſi proprie, ac citra tropum loquendum eſt, ſic reſolvenda erit omnis hæc Auguſtini oratio, *productior eſt pœna, quam culpa*; id eſt miſeria illa, quæ ante remiſſionem *pœna* fuit, *productior eſt, quam culpa*. Ea enim etiam poſt dimiſſam *culpam*, manet; tametſi *pœnæ*, quod prius vere habuerat, ingenium Chriſti gratia amiſerit, facta ex *pœna* utile ac ſalutare vel medicamentum, vel certamen. Hoc vero ipſum Auguſtinus alibi proprie & ſine tropo ſic elocutus eſt; *Res quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint Deus ſolvit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, ut per illas erudiantur, ac exerceantur proficientes in agone juſtitiæ*. Omnino idem eſt utriuſque loci ſenſus. Nam & hic de morte corporali, cæteriſque humanæ vitæ miſeriis loquitur.

l. 2. de pecc. mer. & remiſſ. c. 33.

Alter Auguſtini à Bellarmino allatus locus extat in enarratione pſalmi quinquageſimi in hæc Prophetæ verba, *Ecce enim veritatem dilexiſti; incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Veritatem dilexiſti; *id eſt* (inquit ille) *impunita peccata eorum, etiam quibus ignoſcis, non reliquiſti*. Veritatem dilexiſti. *Sic miſericordiam prærogaſti, ut ſervares & veritatem. Ignoſcis; confitenti ignoſcis; ſed ſe ipſum punienti. Ita ſervatur miſericordia, & veritas. Miſericordia, quia homo liberatur. Veritas, quia peccatum punitur.* Hac verborum imagine deluſus adverſarius putavit ſe ſuum dogma in Auguſtino reperiſſe. Itaque ea arripuit; mentem ſcriptoris neque vidit, neque ut videret, laboravit. Illa vero ab iſtorum placitis tantum abeſt, quantum à terra cœlum. Quod ut eluceſcat, quærendum eſt, quid hic ſit Auguſtino *peccata non relinquere impunita*. Nego enim iis verbis ſignificari, quod volunt adverſarii, ita culpam peccatori condonare, ut tamen aliquam ab eo proprie dictam peccati *pœnam* exigas. Auguſtinus contra ait Deum cum peccatore pœnitente ſic agere, ut *is liberetur ipſius miſericordia*. Non liberatur autem, qui pœna proprie dicta afficitur. Tum hominem peccato opponit. Hominem ex miſericordia *liberari* vult; peccatum ex veritate *puniri*. Vnde liquet quicquid hic pœnarum intelligit id totum in pecca-

in pſ. 50. in med. T. 8.

tum ipſum incumbere; hominem ab iis, ſi proprie loquendum eſt, liberum & immunem eſſe. Huc & illud accedit, quod id ipſum, quod ait *peccata eorum etiam quibus ignoſcit Deus, impunita non relinqui*, id inquam dicit illis Prophetæ verbis, *Dilexiſti veritatem* ſignificari. At illud, ſi eo ſenſu accipias, quo volunt adverſarii, nihil habet cum his Prophetæ verbis commune. Quis enim eo quod *Deus veritatem diligit*, ſignificari putaverit Deum ita cum pœnitentibus agere, ut iis tametſi culpam condonet, pœnam tamen peccati luendam imponat? Plane contra; videtur Dei veritas poſtulare, ne ullas ab eo *pœnas* exigat, cui peccatum ignoſcit; quod & res ipſa, & multo etiam clarius ipſius Dei promiſſiones oſtendant hanc eſſe, dicique peccati remiſſionem, cum is, qui peccavit, ex gratia dimittitur impunitus; ut qui contra ſentiunt ii Dei veritatem non confirmare, ſed labefactare, penituſq; convellere videantur. Quid enim à veritate magis alienum fingi poteſt, quam ut cui omnem peccatorum ejus memoriam ſi pœnitentiam egerit, abjecturum te promiſeris, eum poſtea vere & ex animo pœnitentem ob ipſa illa peccata, quę condonas nihiloſecius punias? *Quæ ergo* (inquies) *qualiſque eſt illa peccatorum punitio, quam hic intelligit Auguſtinus?* Ego vero reſpondeo rem non eſſe obſcuram; eamq; facile perſpicere potuiſſe adverſarios, ſi animo præjudiciis libero locum legiſſent. Is enim iis verbis veram, & ſeriam peccatoris emendationem ſignificat, quę fit vi pœnitentiæ; cum peccator ſic immutatur, ut ex peccatore ſanctus & juſtus evadat; peccata ita deflens ac deteſtans, ut omnem eorum habitum, affectus & libidines, ex quibus manabant, ex animo evellat, atq; obliteret. Hanc peccatoris immutationem Auguſtinus argute (ut ſolet) & eleganter *punitionem peccati* vocat; quod ut *punitio* nocenti mortem; ita hæc immutatio peccato interitum afferat. Nam & nocens *ſupplicii*, & peccatum *pœnitentiæ* vi interimitur. Qua ratione peccator, quatenus quidem peccator erat, ipſe etiam *puniri* dicitur; quia nimirum ex peccatore fit juſtus. Itaque ait etiam Auguſtinus pœnitentem *ſe ipſum punire*; quatenus nimirum debilitato, ac fracto vitioſo peccati habitu, ac ut Scriptura loquitur, interempto *veteri illo homine*, qui ipſius pars erat, ipſe quodammodo, & quidem allata ſibi ipſi manu, occidere ac interire videtur, in novum hominem reformatus. Hanc omnino fuiſſe hoc loco Auguſtini mentem clariſſime oſtendunt quæ ſtatim adducit Ninivitarum, & Pauli exempla. *Proſtraverunt ſe* (inquit de Ninivitis loquens) *in lacrymis, in jejuniis, in cilicio, & in cinere. Proſtraverunt ſe, gemuerunt, fleverunt. Pepercit Deus. Stetit Ninive, an everſa eſt Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, & aliter viſum eſt Deo. Ego autem puto impletum fuiſſe, quod*

Propheta

Propheta prædixerat. Reſpice, quæ fuit Ninive: & vide quia everſa eſt; everſa in malo, ædificata in bono. Sicut everſus Saul perſecutor; ædificatus Paulus prædicator. Hæc tum *Ninivitarum*, tum *Sauli everſio* omnino illa eſt *peccati, pœnitentiſque punitio*, quam in præcedentibus intellexit; qua peccatum interimitur, & pœnitens, peccator, qui antea fuerat, eſſe deſinit. Ita clarum eſt Deum Ninivitarum, quibus ignovit, peccata minime reliquiſſe impunita, quæ ſcilicet vi pœnitentiæ confecta interierunt. Ita ſe ipſos Ninivitæ puniverunt, quia alii ex aliis repente facti ſunt, & veteribus illis incolis, qui miſeram civitatem libidine, ſceleribus, ac flagitiis polluerunt, de medio ſublatis, bonaque fide interemptis, novos cives, juſtitia, ac ſanctimonia florentes ſuffecerunt. Ita everſa Ninive *veritas Dei*, qui eam everſum iri prædixerat, ſancita eſt. Sic denique ſervata eſt Dei & veritas & miſericordia; hæc, quia homines liberati; illa, quia peccatum punitum, ac de medio ſublatum. Eadem fuit Dei cum Saul ratio. Hominem ſervavit. Saulum (id eſt blaſphemum ac perſecutorem) evertit. Veteris enim illius Sauli nihil remanſit in Paulo; qui ex illius (ut ſic dicam) ruinis ædificatus eſt. Ita Dei & veritas & miſericordia utraque incolumis ſervata eſt; Hęc quæ tantum peccatorem mirabiliter exitio ereptum ſalute donavit; illa, quæ peccatum, quod *impunitum* non fore profeſſa erat, ſic *punivit*, ut aboleverit. Atque hæc Auguſtini de Paulo ultima imitatus eſt, ut id obiter dicam, ſermonis triceſimi quarti apud Ambroſium auctor, quiſquis eſt (neque enim Ambroſius eſt) *Ubi pluvia ſuper eum lavacri cæleſtis influxit, necatur* (inquit) *blaſphemus, necatur & perſecutor, necatur & Saulus; vivificatur Apoſtolus, vivificatur & juſtus, vivificatur & Paulus.* Ambr. t. 3. ſer. 34 p. 727. d Iam ex his ni fallor ſatis liquet, quam ab adverſariorum dogmate aliena ſint allata Auguſtini verba; qui non aliud vult, niſi Deum peccata iis ſolis ignoſcere, qui vera pœnitentia ducti quæ deflent peccata, ea deponunt, atque abjiciunt; ſicque in eorum odium exardeſcunt, ut non ante conquieſcant, quam ea penitus ex animo exterminaverint. Sic enim apparet *non impunita dimitti*, quæ ſcilicet exſcinduntur, atque abolentur. Et hoc ſane flagitat Dei veritas; tum quæ peccatum aboleri mandat, nihilque ſibi profitetur cum ejus mancipiis commune fore; tum quæ peccata nōn alia lege peccatori dimittenda edixit, niſi quem vere & ex animo peccati pœnituerit. Ex quo etiam illud exiſtit, quod ait Auguſtinus, ut in hoc opere Deus ſic prærogët miſericordiam, ut ſervet & veritatem; miſericordiam, qua liberat homines; veritatem, ex qua *punitur* id eſt exſcinditur & interimitur peccatum.

Eodem etiam modo accipienda ſunt, quæ in eodem tractatu paulo

ante

ante hunc locum leguntur; *Quid dabis, ut munderis? Vides enim quem invoces. Iuſtum invocas. Odit peccata. Si juſtus eſt vindicat in peccata. Si juſtus eſt, utiquę non poteris auferre à Domino Deo juſtitiam ejus. Implora miſericordiam; ſed attende juſtitiam. Miſericordia eſt, ut ignoſcat peccanti. Iuſtitia eſt, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam. Peccatum impunitum remanebit? Reſpondeat David; reſpondeant lapſi, reſpondeant cum David, ut miſericordiam mereantur* (id eſt obtineant) *ſicut David; & dicant, non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam. Non impunitum erit; ſed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio; Ideo peto, ut ignoſcas, quia ego agnoſco.* Hic etiam *peccantem* peccato opponit. *Peccanti* ignoſci vult; *peccatum* puniri; non adeo vel peccantem puniri vel peccato *ignoſci*. Atqui ex adverſariorum hypotheſi peccans *punitur*. Peccatum autem is *punit*, qui ei nuncium mittit; qui omnes ejus libidines ex animo exſcindit; neque ullam illius vitii, ex quo peccavit, fibram vel in mente, vel in affectibus reſidere patitur. Hoc ab iis poſcit Deus, quibus veniam offert; hoc illi apud Auguſtinum ſpondent lapſi; non illa *pœnarum* nugamenta, quibus apud adverſarios hypocritę etiam perditiſſimi defunguntur, *peccantem punientes, peccato ignoſcentes*; plane contra quam decernit Auguſtinus; ſed vera peccati *ſupplicia*, veram ſcelerum ac flagitiorum crucem; atrox ſcilicet & implacabile impietatis & injuſtitiæ odium, & ἄσπονδον in eas peſtes bellum. Hac ſibi lege delicta à Deo condonari poſtulant; *Nolo, ut me punias; quia ego peccatum meum punio. Peto ut ignoſcas; quia ego agnoſco.* Huc etiam pertinet, quod eadem mente, pæneque iiſdem verbis alibi ſcripſit Auguſtinus; *Nihil aliud aget, quem veraciter pœnitet, niſi ut id, quod mali fecerit, impunitum eſſe non ſinat. Eo quippe modo ſibi non parcenti ille parcit, cujus altum, juſtumque judicium nullus contemptor evadit.* Nimirum *impunitum id, quod mali fecerit, non ſinit*, qui id factum ex animo dolens in peccatum, ex quo id manavit, vere ſævit, ejuſque omnes partes, cauſſas, fomites, ac libidines ferro flammaque (ut ſic dicam) inſectatur, nihilque intentatum relinquit, quo ea peſtis ex viſceribus ſuis revelli, atque averruncari poſſit. Atque hæc de Auguſtino.

Epiſt. 54. T. 2.

Ad Chryſoſtomum venio; cujus hunc ex homilia de Pœnitentia locum adfert adverſarius; *Ne peccantes & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium; ſed vidit hoc manifeſte, quod peccatis ipſis non minus damnoſum ſit non puniri. Propter hoc imponit pœnam; non exigens ſupplicium de peccatis, ſed ad futura corrigens.* Hic autem locus habetur in Spicilegio ex Chryſoſtomi operibus Tomo ſexto titulo de confeſſione

Bell. l. 4. de pœn. c. 2. §. Denique Chryſ.

T. 6. p. 854. b

confeſſione & peccato; ſed immutatus, & interpolatus. Apud ipſum vero Chryſoſtomum invenitur Tomo quinto ſermone quinquageſimo octavo, qui in codice noſtro inſcribitur, non *de Pœnitentia*, ſed plane alio titulo, *Quod non ſit ad gratiam concionandum.* Ibi autem ſic loquitur Chryſoſtomus; εἰ γὰρ ἁμαρτάνοντες, καὶ μένοντες ἀτιμώρητοι μὴ ἐγινόμεθα χείρους, κἂν ἀφῆκεν ἡμῖν τὴν κόλασιν. ἀλλ' οἶδε τοῦτο σαφῶς ὅτι τῶν ἁμαρτημάτων αὐτῶν οὐκ ἔλαττον ἡμᾶς τὸ μὴ κολάζεσθαι ἁμαρτάνοντας βλάπτει. Διὰ τοῦτο ἐπιτίθησι τὴν τιμωρίαν, οὐ τῶν ἀπελθόντων ἀπαιτῶν δίκην, ἀλλὰ τὸ μέλλον διορθούμενος. *Si enim cum peccamus, & impuniti manemus, deteriores non fieremus, etiam pœnam nobis remiſiſſet. Sed hoc probe novit non minus damni nobis peccatorum impunitatem, quam ipſamet afferre peccata. Propterea ſupplicium* τιμωρίαν *infert, non ut præteritorum pœnas exigat, ſed ut in futurum emendet.* Sed hic locus adverſariorum dogma non conſtituit, ſed evertit. Negat enim diſertiſſime Deum dum ſuis τιμωρίαν *pœnam imponit* τῶν ἀπελθόντων αἰτεῖν δίκην *præteritorum pœnas exigere*; ſed eos illis malis afficere ait τὸ μέλλον διορθούμενον *ut eos in futurum corrigat, ſive emendet.* Quæ ipſiſſima eſt noſtra ſententia; unde neceſſario conficitur illam, quam à Deo nobis imponi ait τὴν τιμωρίαν non eſſe *pœnam* proprie dictam, hoc eſt ab ultrici juſtitia illatam, ut ſibi ex lege ſatisfiat, cum qui hujus generis ſupplicium infert, eum manifeſtum ſit τῶν ἀπελθόντων δίκην αἰτεῖν *præteritorum pœnas exigere*; quod hic de Deo illam nobis τιμωρίαν imponente negat Chryſoſtomus. Quid ergo ea eſt, inquies? Reſpondeo caſtigationem eſſe paternam; idque ex eo clariſſime apparet, quod illam Deum infligere ait τὸ μέλλον διορθούμενον *futura corrigentem* vel *emendantem*; quæ vera & propria ratio eſt ferularum, quibus à parentibus verberantur liberi; Sed & idem oſtendit cauſſa quam affert Chryſoſtomus, cur neceſſe ſit nobis hujuſmodi τιμωρίαν imponi; quod nimirum *cum peccamus, &* ἀτιμώρητοι *manemus, deteriores fiamus*; & quod τὸ μὴ κολάζεσθαι ἁμαρτάνοντας βλάπτει ἡμᾶς *damnum nobis afferat peccatorum impunitas*: idque niſi ita eſſet, Deum & hanc pœnam nobis remiſſurum fuiſſe. Iam vero non hæc eſt pœnarum proprie dictarum ratio, ut niſi deteriorem *impunitas* nocentem fecerit, eæ omittantur; Vtcumque ſe habeat nocens, infliguntur: quia nimirum per ſe ac primario ad juſtitiæ ipſius ſatisfactionem ſpectant; quod uſque adeo verum eſt, ut nocens etiamſi peccati eum pœniteat, nihilo ſecius puniatur. Purgatorium quidem totum hæc Chryſoſtomi ratio extinguit. Nam cum ille ſtatuat non alia de cauſſa Deum nobis *pœnas* imponere, niſi hac ne ſi nobis impune ſit, *deteriores fiamus*: apparet eum nullas, mortuorum fidelium ſpiritibus à Deo *pœnas* imponi

T. 5. p. 614. ab.

putaviſſe, qui ſcilicet in eo jam ſunt ſtatu, ut *deteriores fieri*, & ab eo caritatis & ſanctitatis gradu, quem obtinent, nullo modo deficere poſſint. Præterea illud quidem veriſſimum eſt fideles, niſi caſtigarentur, *deteriores* evaſuros; ut liberos, niſi diſciplina regerentur. *Deteriores* factum iri, niſi *pœnas* ultrici juſtitiæ proprie dictas darent, falſum eſt. Et ſæpe contingit, ut pœnis hujumſodi ſontes obdurentur, & pejores fiant. Damnatos certe gehenna nihil minus, quam emendat. Itaque illa Chryſoſtomi τιμωρία nihil aliud eſt, quam κόλασις *caſtigatio*, & τὸ ἀτιμώρητον μένειν ut ſe ipſe interpretatur eſt τὸ μὴ κολάζεσθαι *non caſtigari*. Hujuſmodi autem caſtigationes τιμωρίαι id eſt *pœnæ* cur dicantur, ſæpius jam monuimus; nimirum quod ſua natura *pœnæ* ſint, & magnam habeant cum *pœnis* proprie dictis ſimilitudinem. Quod vero ait Bellarminus illa Chryſoſtomi verba, *Propterea pœnam imponit non ut præteritorum pœnas exigat, ſed ut in futurum emendet, ſignificare Deum in pœnis magis intendere utilitatem noſtram, quam ultionem peccati, & ideo peccata ulciſci, quia nobis id utile; quemadmodum Oſeæ ſexto legimus, Miſericordiam volo, non ſacrificium*; Primo fruſtra eſt. Non enim ego hunc Chryſoſtomi locum objicio; ſed ab adverſariis objectum ſolvo. Itaque etiamſi hunc, quem vult Bellarminus, ſenſum ferre poſſet, non ideo tamen ſequitur eum neceſſario ſic eſſe accipiendum; cum is quo modo ego ſum interpretatus, commodiſſime ſumi queat; neque adverſarius contra quicquam afferat. Deinde tametſi hujuſmodi locutiones, quæ unum negant, alterum affirmant, aliquando non ſimpliciter, ſed comparate accipiendas eſſe confitear, ut illum ex Oſea deſcriptum locum, qui non aliud ſignificat, quam hoc unum *Deum* ſcilicet *miſericordiam malle, quam ſacrificium*; tamen is ſenſus in hoc Chryſoſtomi dicto non videtur locum habere poſſe. Primo quia id quod ait, ſi ita ſumatur, falſum & abſurdum erit. Nam cum Chryſoſtomus in genere dicat. *Deum* τὴν τιμωρίαν *ideo fidelibus imponere, non ut præteritorum pœnas exigat, ſed ut in futurum emendet*; ſi hæc comparate ita ut vult Bellarminus, ſumantur, fatendum erit nullam omnino pœnam Dominum fidelibus imponere, in qua non magis ipſorum in futurum emendationem intendat, quam peccatorum præteritorum ultionem. Atqui hoc ex adverſariorum hypotheſi evidentiſſime falſum eſt. Omnes enim purgatorii pœnas fidelibus imponi volunt, non ad ullam ipſorum in futurum *emendationem* (cui nullum poſt mortem locum faciunt) ſed ad ſolam *præteritorum ultionem*. Et ſane ſi rem propius ſpectemus id *pœnæ* proprie dictæ omnino ingenium eſt, ut ea ad ſolam peccati *ultionem*, non autem ad ipſius etiam peccantis *emendationem* inferatur; ut

apparet

apparet tum ex mortuorum & in gehenna, & in purgatorio (ſi admittere lubeat) ex nocentium, qui apud nos à judicibus plectuntur, ſuppliciis. Cum ergo in *pœna* proprie dicta Deus ad ſolam peccati *ultionem*, non autem ad ipſius, qui punitur, *emendationem* intendat, neceſſe eſt quod hic Chryſoſtomus de fidelium caſtigationibus ait, ſic ſumi, ut iis non comparate (quod vult adverſarius) ſed ſimpliciter atque abſolute, & præteritorum *pœnas* exigi neget, & in futurum nos emendari affirmet; eaſque adeo non proprie dicta *ſupplicia*, ſed paternas *caſtigationes* eſſe. Id poſtremo ex iis ejuſdem ſcriptoris locis patet, quæ nos in ſuperioribus attulimus; maxime ex illo, in quo negat Deum nos caſtigantem ἑαυτὸν ἐκδικεῖν vel ἀμύνεσθαι *ſe ipſum ulciſci*; eumque medico comparat ægrotum pharmacis curanti; quæ (ut notum eſt) nullam omnino *pœnæ* proprie dictæ rationem habent. Atque hæc quidem de Chryſoſtomo ſatis ſunto. *Paræn. 1 ad Theod. lapſ. T. 4. pag. 552.*

Supereſt Gregorius, quem etiam teſtem citant adverſarii; *delinquenti* (inquit) *Dominus nequaquam parſit; quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim hoc homo in ſe pœnitentes punit aut hoc Deus in homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic David audire poſt confeſſionem meruit*, Dominus tranſtulit peccatum tuum. *Et tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exſolvit.* Ego vero reſpondeo merito nobis eſſe ſuſpectam hujus viri in hoc argumento fidem; quem ſequioribus Eccleſiæ temporibus, ineunte ſeptimo Chriſtianiſmi ſæculo vita exiiſſe ſcimus, & à veterum ſimplicitate atque gravitate diſceſſiſſe, fabuloſiſque narrationibus de variis animarum poſt obitum apparitionibus nimium tribuiſſe; quem denique purgatorianæ fornacis principem architectum fuiſſe non negamus. Sed neque hoc ejus teſtimonium cum adverſariorum doctrina congruere videtur. Quale enim iſtud eſt, quod ait *Davidem reatum culpæ fuga & cruciatibus exſolviſſe?* Atqui ne ipſi quidem adverſarii hoc dixerint. Volunt enim iſtis Davidis afflictionibus unius *pœnæ reatum* ſolutum fuiſſe; *culpæ* vero *reatum* non ulla ejus perpeſſione expiatum, ſed ſola Dei gratia miſericorditer dimiſſum. Quid, quod de Paulo ibidem ait *culpam ejus* (qua nimirum antequam vocaretur ſe obſtrinxerat Eccleſiam Dei perſequens) *punitam fuiſſe?* eoque refert diras illas afflictiones, quibus vir ſanctiſſimus in obeundo Euangelii miniſterio poſtea exercitatus eſt. Secundum Domini Chriſti prædictionem, *Ego oſtendam ei quanta eum oporteat pro nomine meo pati?* Profecto iſta ne in Romanis quidem ſcholis conſiſtere poſſunt. Quis enim ſic deſipit, ut Paulum glorioſiſſima iſta certamina ideo ſuſtinuiſſe

l. 9 in Iob. c. 27.

A. D. 604. Mart. 12. obiit.

putet,

putet, quo pœnas pro anteactæ vitæ blaſphemiis daret? Nonne fatentur adverſarii qui primum vocantur, eos & *culpæ* & *pœnæ remiſſionem* accipere? nulla adeo ob præterita delicta *puniri?* qui ergo factum, ut quæ in ſalutari Chriſti unda plane, penituſque diluta fuerat Pauli culpa, ea de integro tam multis afflictionibus *puniretur?* Iſta vero tam ſunt abſurda, tam ab omni veri ſpecie aliena, ut ne Gregorium quidem ipſum, tametſi hac in parte minus (ut dixi) ſanum, ita ſenſiſſe exiſtimem. Omnino hic videtur idem ſignificare voluiſſe, quod nuper ex Auguſtino audivimus (è quo ceu fonte, pleraque Gregoriana, quæ quidem ſana ſunt, fluxiſſe nemo negabit, qui in utriuſque ſcriptis ſedulo verſatus fuerit.) Nimirum peccata Dominum ita ſuis ignoſcere, ut ea tolli, aboleri, & exſcindi velit; quod iſte Auguſtini exemplo *puniri & vindicari* dixit; eoque adhiberi illas diſciplinas, & afflictiones, quibus ſuos Deus in hoc ſæculo exercet. Plane is eſt eorum verborum ſenſus, quibus ille totum hunc locum paulo poſt ſic concludit. *Bene ergo dicitur, Sciens quod non parceres delinquenti; quia delicta noſtra ſive per nos, ſive per ſemet ipſum* RESECAT, *etiam cum relaxat. Ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in eis in*
l.16.c.19. *perpetuum non vult vindicare.* Eoque referendam exiſtimo, quod ille in eodem opere ait *flagella bonorum aut vitia perpetrata purgare, aut ea quæ poterant perpetrari, futura devitare.* Vult nimirum ideo nos affligi, ut vel vitiis ex quibus peccavimus, mundemur, vel ut à peccando in poſterum caveamus. Alibi quoque memorat, *qui non pro purgatione criminis, ſed pro fortitudinis probatione feriuntur*; ac denique ait Iobum *non*
l.6.c.14. *pro corrigenda culpa, ſed pro augenda gratia percuſſum eſſe.* Sed cum nihil
l.13.c.10. & l. 16.c.20. noſtra interſit, quid Gregorius ea de re ſenſerit, non eſt quod in eo diutius immoremur.

l.4. de pœnit. c. 9. §. Nunc aſſeramus. De morte, hic quidem Bellarminus nihil proprie objecit. Sed alibi, tametſi loco non ſuo, quædam quæ huc pertinent adfert ex auctore Quæſtionum, & reſponſionum, quæ, licet falſo, Iuſtini nomine circumferuntur. Is enim ſcriptor Ioſiæ, regis Iudæ mortem pœnam fuiſ-
Quæſt.79 p.341 lin.12. ſe peccati ab eo commiſſi his verbis affirmare videtur; ὀδυνηρὸν δὲ τέλος τῆς ζωῆς ἐδέξατο Ἰωσίας διὰ τὸ παρακοῦσαι αὐτὸν τοῦ προστάγματος ἱερεμίου, εἰρηκότος αὐτῷ ἐκ προστάγματος θεοῦ μὴ ἐξελθεῖν εἰς συνάντησιν τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου εἰς πόλεμον, καθὼς φησὶν ὁ ἱερεμίας. ἵνα οὖν καθαρὸν αὐτὸν ἁμαρτημάτων παραλάβῃ ἐκ τοῦ βίου ὁ δεσπότης θεὸς διὰ τοῦτο συνεχώρησεν ἑλληνικῷ ξίφει δίκας δοῦναι ταύτης τῆς παρακοῆς, πρὸς τὴν διδασκαλίαν τῶν ἑξῆς ἀνθρώπων τοῦ μὴ ἀπειθεῖν τοῖς προφήταις. καὶ τοῦ, εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἁμαρτωλὸς καὶ ἀσεβὴς ποῦ φανεῖται; *Cæterum laborioſum vitæ finem*

propterea

propterea Ioſias retulit, quod juſſioni Hieremiæ non paruerit, qui ei mandato Dei dixerat, ut ne progrederetur ad obviandum Regi Ægypti in bellum, ſicut ait Hieremias. *Quapropter ut eum purum à peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideo permiſit illum inobedientiæ ejus gladio Ægyptio pœnas dare, ad poſterorum hominum documentum, ut Prophetis immorigeri non eſſent, tum autem, ut illud diſcerent, Si juſtus vix ſalvatur, impius & peccator ubi comparebit?* Hæc ille. Ego vero nego his verbis adverſariorum cauſſam juvari. Primum enim, ſi valet Bellarmini diſputatio hinc ſequitur homines morte, non *pœnam* tantum temporalem *luere*, atque expiare, ſed etiam à *culpis* ipſis, peccatiſque *purgari*. Diſerte enim ait iſte Ioſiam ideo interemptum eſſe, ἵνα καθαρὸν αὐτὸν ἁμαρτημάτων παραλάβῃ ὁ δεσπότης, *ut eum purum à peccatis reciperet Dominus. Purus* autem *à peccatis* is eſt, non qui pœnam, aut pœnæ partem aliquam tulit, ſed qui à culpa liber eſt. At negant ipſi adverſarii peccati mortalis, (qualis hæc Ioſiæ *inobedientia* fuit) culpam vel morte, vel alia ulla temporali pœna purgari. Ergo neceſſe eſt hæc alio, quam ad pœnam proprie dictam referri. Nimirum hoc vult ille ſcriptor Ioſiam in acie *ferro Ægyptio* ideo fuiſſe lethaliter vulneratum, quo ea plaga admonitus de peccato cogitaret, pœnitentiamque ex animo ſuſciperet, eaque ratione *purgaretur*, non (quod ariolantur adverſarii) à reatu pœnæ temporalis, mortem perferendo, ſed *à peccatis*, remiſſionem tum culpæ, tum pœnæ ab optimi Domini miſericordia impetrando, ſicque purus hinc migraret. Non enim Ioſias in acie ſtatim ex illo vulnere deceſſit; ſed aliquantum temporis adhuc ſuperfuit; ut teſtatur ſacra hiſtoria; *Ioſias* (inquit) *perrexit, ut dimicaret in campo Mageddo; ibique vulneratus à ſagittariis dixit pueris ſuis; Educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum: qui tranſtulerunt eum de curru in alium currum, qui ſequebatur eum more regio, & aſportaverunt eum in Ieruſalem, mortuuſque eſt & ſepultus in mauſoleo patrum ſuorum.* Itaque ſatis ei ſpatii fuit, quo de peccato cogitaret, ejusque ex vera pœnitentia veniam à Domino conſequeretur, eoque *purus à peccato* ex vita diſcederet. Mors vero nihiloſecius conſecuta eſt πρὸς τὴν διδασκαλίαν τῶν ἑξῆς ἀνθρώπων, ut ait ille idem ſcriptor, *ad documentum*, ſive *inſtructionem poſterorum*. Hæc omnino eſt iſtius de morte Ioſiæ ſententia. Quod vero illum ait δίκας δοῦναι τῆς παρακοῆς *pœnas inobedientiæ dediſſe*, non eſt vexandum. His enim verbis *caſtigationem* ex benevolo & ſalutari amantiſſimi parentis judicio impoſitam, non proprie dictam *pœnam* ex prætorio jure ad legitimam injuriæ compenſationem inflictam, ſignificat; cujuſmodi locutiones in omnium paſſim hominum ſermone obviæ ſunt. Atque ex

2. Paral. 35. 22. 23. 24.

 his

his ſatis apparet nihil in veterum ſcriptis extare, quod adverſariorum de fidelium in hoc ſæculo afflictionibus, & morte errori faveat.

CAPVT V.

De pœnis poſt hanc vitam in purgatorio. Expenditur quæ ſit in hac cauſſa vis teſtimonii Paganorum, Iudæorum, & Mahumedanorum, quod hinc Bellarminus adhibendum putavit.

IAm ergo ad eas pœnas veniamus, quas adverſarii fidelibus non paucis poſt decurſa hujus vitæ ſpatia luendas in eo quod commenti ſunt purgatorio ſupereſſe docent. Sed ante quam excutio, quæ veterum Eccleſiæ Chriſtianæ doctorum fuerit de iſtis ſententia, audiendi ſunt quidam miri ſane, & inexpectati teſtes, quos Bellarminus, aliique in hanc cauſſam inducunt, Paganos ſcilicet, Mahumedanos, & Iudæos. Ego vero iſtos fateor *purgatorium*, ſi non idem cum eo, quod comminiſcuntur adverſarii, certe ſimile ſomniaſſe; idque iiſdem pæne coloribus pinxiſſe; adeo ut alterum ab altero expreſſum omnino veriſimile ſit. Sed non putaram in Paganorum deliciis, vel in recutitorum fabulis, vel in Mahumedis impoſturis quærenda veritatis Chriſtianæ firmamenta. Sequantur ſane adverſarii ſi lubet, Platonem, & Virgilium, Talmudem, & Alcoranum. Nos iis tales fidei magiſtros non invidemus; qui Chriſti diſcipuli ſumus, cœleſtique ejus Euangelio contenti quicquid mundi, & carnis inſaniens ſapientia deliravit ſecuri aſpernamur; idque demum vere ſapere exiſtimamus nihil præter Dei verbum ſapere. Sed turpe & inhoneſtum argumentum Bellarminus incruſtare conatus eſt. Citatis enim Platone, & Mahumede, & Gorionide, deſcriptiſque Virgilii & Claudiani quibuſdam verſiculis, *Neque* (inquit) *dicat aliquis hoc potius argumentum eſſe erroris, & fabularum, quandoquidem id ſentiunt Ethnici, & Mahumedani. Nam illa, in quibus omnes fere nationes conveniunt, vix poſſunt aliunde provenire, quam à naturali lumine omnibus hominibus communi. Quæ enim ſunt excogitata, & confiĉta ab hominibus varia ſunt, & diverſa pro gentium varietate. Sicut ergo Deum eſſe, in quo omnes nationes conveniunt, dicimus veriſſimum eſſe; nec tamen recipimus in particulari Deos varios, & multiplices, quos ſibi quælibet natio fabricavit; & ſicut poſt hanc vitam eſſe pœnas, & præmia, in quo etiam conveniunt omnes recipimus ut verum; nec tamen recipimus varias fabulas, qaibus hoc explicant (nam eſſe pœnas & præmia poſt hanc vitam docuit*

l. 1 de purg. c. 11 §. Neque dicat.

cuit omnes homines cognitio divinæ providentiæ; fabulas autem ex ſe finxerunt) ita etiam purgatorii confeſſionem, in qua omnes fere gentes conveniunt, oportet dicere eſſe confeſſionem luminis naturalis. Ejuſdem enim divinæ providentiæ cognitio docuit purgatorium, quæ docuit paradiſum & infernum, ſaltem generali & confuſo quodam modo; quia nimirum videmus pœnas & præmia ita diſtribui in hac vita, ut plura bona habeant mali, & plura mala boni ut plurimum; inde judicamus divinam providentiam in aliam vitam diſtuliſſe judicium, & veram diſtributionem præmiorum, & pœnarum. Hæc Bellarminus. Bella ſane & acuta ratio; quæ ſi obtinet, cauſſam vicerint veteres Pagani contra Chriſtianos. Nam ſi (quod illa ſciſcit) verum eſt ea, in quibus omnes fere nationes conveniunt, non aliunde provenire, quam à naturali lumine omnibus hominibus communi, veteres illi Pagani τὴν πολυθεότητα, id eſt *deorum pluralitatem* merito retinebant; in qua haud paulo clarius, tum conveniebant nationes, quam in purgatorii fide. Neque jam miror, quando hæc ſunt Bellarminianæ theologiæ principia, tam animoſe ab iſto defendi *imaginum* & *ſimulacrorum* in religione uſum ac cultum, in quo ſcilicet omnes pæne gentes, maxime veteres, habet conſentientes. Miror, quod non homines, & animalia Deo immolanda putet, cum utriuſque generis victimas apud univerſas fere nationes in uſu fuiſſe conſtet. Equidem non nego generaliſſima quædam veritatis principia in omnium pæne hominum animis hæſiſſe; quæ, ubi occurrunt, minime ſpernenda eſſe confiteor. Sunt enim divinæ lucis ſcintillæ in tenebris ſummo Dei beneficio ſervatæ, ut earum ope impietas, atque error coargui poſſet; & via aliqua ad veritatem Euangelicam aperiri. Sed ubi ab iſtis primis, ac generaliſſimis notionibus diſceſſum eſt, ſtatim in varios ac multiplices labyrinthos incidimus. Homines enim, (quod & ipſa rerum experientia comprobat, & Paulus diſerte monuit) *cum cognoviſſent Deum, non* Rom. 1. 21 *ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed* ἐματαιώθησαν *evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* Itaque ut primæ illæ, generaliſſimæque ἔννοιαι retinendæ, atque exſoculandæ ſunt; ita ſollicite cavendum ab illis opinionibus, quas inde homines adhibita mentis ſuæ ratiocinatione concluſerunt; ut ut eas videamus communi pæne omnium gentium conſenſu, atque applauſu fuiſſe comprobatas: Tantumque abeſt, ut quæ ſunt hujuſmodi tamquam vera, ſtatim amplectenda ſint; ut contra niſi ſint Dei litteris, atque auctoritate diſerte confirmata, ea vehementer ſuſpecta nobis eſſe debeant, tamquam ab erroris ſpiritu profecta. Iam illa purgatorii ratio, quam olim Platonici commenti ſunt,

quam-

iſtas, caſſas, ac evanidas umbras ſectari non tam mirandum, quam dolendum, & indignandum eſt. Quam vero rationem ſubjicit Bellarminus, quamque Platonem in ponendo *purgatorio* ſecutum eſſe ait, ea nihili eſt, & ex naturali non lumine, ſed errore profecta eſt. *Videmus* (inquit) *ex iis, qui migrant ex hac vita, alios eſſe valde bonos; alios valde malos; alios mediocriter bonos, & mediocriter malos. Quocirca judicamus naturali lumine eſſe poſt hanc vitam pœnas æternas pro valde malis, præmia æterna pro valde bonis, ac pœnas temporarias, & per eas tranſitum ad præmia pro iis, qui ſunt mediocriter boni, vel mali.* Certe non aliud concludit hæc ratiocinatio, ſi intra legitimos terminos conſiſtat, niſi eorum qui *valde boni ſunt*, vel *valde mali* magna item fore vel præmia, vel ſupplicia; eorum qui *mediocriter vel boni, vel mali* mediocrem quoque vel pœnam, vel mercedem. Quod aſſuit adverſarius de *tranſitu per pœnas temporales*, ſive *purgatione*, id alienum eſt, & aſcititium. Quod ſi Plato judicavit mediocriter malos ex jure divino *purgari* tantum, non autem in æternum *puniri* debere, in eo graviſſime erravit. Docet enim divina veritas neminem eſſe adeo *mediocriter malum*, qui non *æternam maledictionem* mereatur, ſi Deus ſummo jure cum eo agere velit. Fateor ex bonitate, qua Deus etiam nunc in noſtrum genus utitur, apparere eum cum hominibus non *ex jure*, ſed *ex æquitate* & *miſericordia* agere velle. Sed quomodo eorum, quibuſcum ſic agit, peccata *purgentur*, id neque Plato, neque quiſquam alius ex naturæ lumine perſpicere, vel omnino aliunde diſcere potuit, quam ex Dei ipſius revelatione; quæ cum nullam in iis, quibus continetur, litteris Platonici iſtius *purgatorii* mentionem uſpiam fecerit, profecto id velut Paganicæ vanitatis commentum ab omnibus piis explodi decet.

CAPUT VI.

Origenis teſtimonia ab adverſariis allata excutiuntur; quæ non ad ipſorum purgatorium, ſed ad impium Origenis de gehennæ fine delirium pertinere, oſtenditur.

Miſſis ergo Paganis, Mahumedanis, & Iudæis Chriſtianos veteres audiamus. Horum vero quæ ſit ſententia, ex iis quæ dicta ſunt, non eſt obſcurum. Cum enim illi nullam ibi *pœnam* eſſe ſenſerint, ubi nulla *culpa* eſt, Deumque una cum peccato omnem pœnitentibus proprie dictam *pœnam* condonare, quod nuper audivimus; clarum eſt eos vel pœnitentes, quibus hic dimiſſa ſunt à Domino pec-

no peccata, nullis *pœnis* poſt hanc vitam affici cenſuiſſe; vel certe (quod non eſt veriſimile) ſibi ipſis turpiter contradixiſſe, & quod una manu conſtituerant, id altera evertiſſe. Pugnant tamen adverſarii ſuum illos de *purgatorio* dogma, tamquam *traditionem Apoſtolicam*, docuiſſe; idque probare contendunt duplici teſtimoniorum genere. Vnum eſt eorum, in quibus *purgatorium* diſerte eos poſuiſſe volunt; alterum eorum, in quibus *preces pro fidelium vita functorum animabus* aut factas in Eccleſia, aut faciendas eſſe teſtantur. Vtrumque genus ſeorſim conſiderabimus; ac priori quidem loco illud prius; in quo, ſi privatas & ſingulares quorumdam opiniones ſepoſueris, nihil eſt difficile. Cum enim animarum corpore ſolutarum ſtatus, tum judicii quod de iis aliquando feretur, modus & circumſtantiæ res ſint per ſe obſcuriſſimæ, neque ſenſibus, neque rationi perviæ; accidit, ut qui ex Patribus ſibi extra ſcripturas, in hoc argumento indulſerunt (in tanto autem numero fieri non potuit, quin ſibi aliqui indulgerent) ii inquam in dogmata plærique inciderint incommoda, & à communi divinarum litterarum luce aliena. Hæc adverſarii fere accipiunt; & verborum ambiguitate abuſi ad *purgatorium* ſuum rapiunt mala fide, nullo pudore. Eo fiet hæc diſputatio prolixior, quæ (ſi verecunde iſti, & bona fide egiſſent,) multo futura erat brevior, & facilior.

Illi ergo, ut inde ordiar, Origenem nobis ſui *purgatorii* teſtem citant; ex quo Bellarminus pauca, cæteri multa deſcribunt. Ego vero primum reſpondeo improbe iſtos facere, qui eum nobis *teſtem* laudant, quem error graviſſimus in hac cauſſa fecit *inteſtabilem*. Nemini enim ignotum eſt, quæ hujus viri fuerit de pœnarum omnium, ipſiuſque etiam gehennæ fine ſententia; & à vetuſtiſſimis Patribus Epiphanio *a*, Hieronymo *b*, Auguſtino *c* reprehenſa, & in Concilio œcumenico quinto à tota olim Eccleſia damnata *d*, & ab ipſo denique Bellarmino initio hujus diſputationis inter errores commemorata *e*, *Origenes* (inquit) *nullas pœnas, niſi purgatorias, poſt hanc vitam agnovit, omnibusque impiis hominibus, & dæmonibus tandem ſalutem pollicetur.* Auguſtinus vero de eo hæc habet *f*; *Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ catholica Eccleſia omnino non recipit, in quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari; maxime de* PVRGATIONE *& liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ. Quis enim catholicus Chriſtianus doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum? id eſt etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & ſacrilegiis, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipſum etiam poſtremo diabolum, atque angelos*

a *Epiſt. ad Ioan. Hieronym.*
b *Ep. ad. Pammach. de err. Or.*
c *de civ. D. l. 21 c. 17.*
d *Niceph hiſt. l. 17. c. 27.*
e *l. 1. de purg. c. 2. § porro.*
f *l. de hæreſib. c. 43.*

los ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, purgatos atque liberatos regni Dei luci reſtitui? Hæc Auguſtinus. Quæ quam vere de Origene ſcripſerit teſtantur ipſi, qui ſuperſunt ejus libri, licet multipliciter inverſi, & interpolati. Nam in opere περὶ ἀρχῶν principio docet Deum una boni- *l.2.c.p.8.& 9.*
tate motum rationabiles naturas ſolas initio condidiſſe, omnes æquales; ſed ex vi liberi arbitrii in diverſa mox opera prolapſas pro meritis in hanc, quam videmus in mundo diverſitatem poſtea eduxiſſe. Itaque alibi vult quæ de coſmopœa primis Geneſeos capitibus prodita *Philoc.c.1.p.32.*
ſunt, ea γεγραμμένα μὲν ὡς γεγονότα, οὐ γεγενημένα δὲ κατὰ λέξιν. *Scripta qui-* *33.*
dem ſic eſſe quaſi facta fuerint, non tamen vere & ad litteram facta eſſe; ideoque ea omnia ipſe allegorice interpretatur. Sic ut cætera mittam quod illic ſcriptum eſt de *veſtibus pelliceis*, quibus Adamum & Evam à Domino veſtitos fuiſſe narrat Moyſes, iſte ſic accipiebat, quaſi id ſignificaret homines, quorum initio, & in ipſo condita natura ſimplex, ſpiritualis, atque angelica fuiſſet, tum demum cum lapſi eſſent, *corporibus indutos* & inſtructos fuiſſe. Denique omnem illam creaturarum mate- *l.2.περ. ἀρ. c.8.*
rialium varietatem, quæ hodie in mundo cernitur, à varietate meritorum proficiſci ait earum mentium, quas initio creaviſſe Deum ſolas putat. Iam Deum omnia primum rationabilia, mox etiam corpora ad ſummam unde exciderunt, dignitatem, ſed multis labentibus ſæculis, *Ibid.l.3.c.6.*
ſenſim, & ſigillatim reducturum eſſe; corpora enim ipſa in ſtatum, qualitatemque ſpiritualem tandem profectura. Omnia igitur in eundem reditura ſtatum, in quo creata olim initio fuerant; tuncque impletum iri quod ait Scriptura, *Deus erit omnia in omnibus.* Quo etiam alibi re- *Ibid.l.1.c.6.*
fert illud è pſalmis, *Donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; illa ſubjectione ſignificari volens omnium *ſubjectorum* ſalutem, quæ à Chriſto eſt. Atque eo pertinent, quæ in opere contra Celſum ſcribit, *fore ut olim omni rationali naturæ prævaleat ratio, mutetque omnem ani-* *l.8.*
mam in ſuam perfectionem, poſtquam unuſquiſque ſua poteſtate uſus elegerit, quæ voluerit, & in iis fuerit quæ elegerit; neque enim conſentaneum eſſe, ut ſunt in corporum morbis, quæ ſuperant omnem medicorum artem, ſic eſſe in animabus quicquam mali quod non poſſit à ſupremo illo verbo & Deo curari. Itaque Diabolum etiam ipſum diſerte docet aliquando deſiturum eſſe malum, & inimicum; quo illud Apoſtoli trahit, *noviſſimus inimicus de-* *l.4.περὶ ἀρχ.c.6.*
ſtruetur mors. Atque in hanc *rerum omnium reſtitutionem* collimare vult & Moyſis, & Chriſti miſſionem, omneſq; omnino Dei ſive docentis, ſive punientis, ſive benefacientis diſpenſationes. Vnde eſt, quod in alio opere Chriſti Eungelium ad ipſos dæmonas pertinere vult. Nam cum id hominibus à Chriſto ſeminatum eſſe dixiſſet, continuo addit,

οὐ ψεύσομαι δὲ προστιθεὶς καὶ λέγων ὅτι καὶ τῶν ἄλλων λογικῶν, καὶ δεομένων διορθώσεως καὶ θεραπείας καὶ μεταβολῆς τῆς ἀπὸ τῆς κακίας; *non mentiar autem, ſi & hoc adjecero etiam aliis* (præter homines ſcilicet) *rationalibus creaturis, quibuſcumque opus eſt correctione, ſanatione, mutationeque ad virtutem à vitiis.* Igitur pœnas omnes, quibus ſive in hoc ſeculo, ſive in alio afficiuntur & homines, & dæmones, medicas & *purgatorias* eſſe ſtatuit; inferrique non ut juſtitiæ ultrici *ſatisfiat*, vel ut crimina *puniantur*, ſed ut creaturæ iſtis veluti pharmacis pro diverſa ſubjectorum ipſorum ratione, acrioribus lenioribusve, diutius vel citius peccato tamquam morbo paulatim curentur; quo pertinent quæ in opere contra Celſum occurrunt *immunes ab igne & pœnis permanſuros ſolos eos, qui & opinione & moribus & mente egregie purgati fuerint, cæteros horum diſſimiles ignis caſtigatorii diſpenſatione, pro ſuis meritis opus habentes in his ad certum quemdam finem fore.* Gehennæ vero cruciatum alibi definit *ignem quemdam eſſe ex peccatis ipſis in conſcientia, & anima peccatoris accenſum*, ut ex malis humoribus febrim, qui pro ratione ſua aliquanto tempore effervеſcit; quo illud Pauli ex priore ad Corinthios epiſtola refert de *ligno, fœno, & ſtipula* igni conſumendis. Hæc eſt Origenis de ultimo rerum omnium fine, deque pœnarum ingenio, atque uſu ſententia; quo loco non poſſum non deflere humani ingenii infirmitatem, quæ tanta eſt, ut vir cœtera maximus, quique neque mentis acumine, neque eruditione, variaque ac ſtupenda rerum, linguarum, ac diſciplinarum pæne omnium cognitione ulli vel Chriſtianorum, vel Paganorum ſcriptorum cedit, in tam fœdos errores, ſive potius deliriorum portenta inciderit, ſimulatque derelicta ſacrarum litterarum ſimplicitate ſe ſibi permiſit. Iam ex his facile intelligitur non abs re vel Auguſtinum illa, quæ paulo ante recitavimus ſcripſiſſe, vel quintum Synodum hoc Origenis dogma damnaſſe. Vnde videre eſt, quam non modo temere ac fruſtra, ſed etiam improbe ac inverecunde talem virum adverſarii huc teſtem adducant. Ad hoc enim ejus dogma perſpicue referuntur quæcumque ex eo in hac cauſſa deſcribunt; cujuſmodi ſunt, quæ Bellarminus verbi cauſſa habet; *Qui ſalvus fit* (inquit) *per ignem ſalvus fit, ut ſi quid forte de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & reſolvat, ut efficiantur* OMNES *aurum purum.* Vides, ut *omnes in aurum* tandem *evaſuros* dicat, id eſt *omnes omnino* & homines & dæmonas ſalutem adepturos. Nihil opus eſt deſcribere cætera, quæ alii afferunt, & quorum eadem eſt ratio. Ego vero Origenem fateor hominum poſt mortem *purgationem* poſuiſſe; ſed quam, teſte Auguſtino, *catholica non recipit Eccleſia.* Fateor eum *purgationem* malorum docere;

l.8.contr. Celſ p. 429.

l.3.περι αρχ. c. 11 p.187.

l.4.contr.celſ.

l.3.περι αρχ. c.11.

c.1.de purg.c.10.
1. Origenes.
Hom. 6.in exod.

cere; ſed *quam omnis Catholicus Chriſtianus vel doctus, vel indoctus vehementer exhorreat.* Fateor denique eum liberationem à pœnis infernalibus agnoviſſe, ſed *quam tota Eccleſia* in quinta Synodo anathemate percutiendam cenſuit. Talem non invidemus adverſariis teſtem; cujus de hoc argumento voces, cum jam olim à priſcis Chriſtianis damnatas fuiſſe conſtet, apparet eadem opera, eodemque telo confoſſum fuiſſe iſtorum de *purgatorio* dogma, ſi id revera hujuſmodi eſt, quod Origenes in illis, quæ afferunt locis, affirmaverit. Ergo hæc ſi bene rem putes, oſtendunt hoc eorum dogma à veteri Eccleſia, non (quod ipſi volunt) confeſſum atque probatum, ſed plane contra rejectum, atque damnatum fuiſſe. Nam allata Origenis loca iſtorum *purgatorium* vel continent, vel non continent. Si continere negant, ſeſe peſſimæ fidei ſophiſtas eſſe fatentur; qui ad quæſtionem concludendam ea teſtimonia afferant, quæ nihil cum ipſa commune habere ipſi ſibi conſcii ſunt. Si ajunt, ergo neque à veteri Eccleſia damnatum fuiſſe *purgatorium* ſuum negare poſſunt; quod Origenico contineri concedunt à Patribus damnato. Sed tanta eſt nonnullorum ex iſto grege impudentia, ut unus ex iis Peltanus contra omnem rerum atque hominum fidem non dubitaverit nos cavillationis accuſare, ſi dixerimus *Origeni omnes pœnas eſſe purgatorias.* Atqui hoc jam pridem dixit Auguſtinus. dixit Quinta Synodus dixit Iuſtinianus. Dixit & nuper Bellarminus. Dixerunt quotquot de Origenis erroribus ſcripſerunt. Iſti ſi Peltanum audimus, omnes *cavillatores* fuerunt. Sed audiamus quo argumento nixus *cavillationis* dicam cæteris pæne omnibus auctoribus Chriſtanis & veteribus & recentioribus ſcribere auſus ſit graviſſimus, ac ſapientiſſimus Ieſuita. Ille vero hunc Origenis locum primum recitat; *Veniendum omnibus ad conflatorium. Siquis illuc plumbi plus detulerit, plus exuritur, ut & ſi parum aliquid ſit auri, purgatum tamen reſideat. Quod ſi aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo quod ſcriptum eſt, Demergetur in profundum tamquam plumbum in aqua validiſſima.* Hæc verba clariſſime referuntur ad ſuperius Origenis dogma de *omnium ſalute.* Omnes enim quibus *plumbi* aliquid fuerit, adeoque *damnatos univerſos* ad *conflatorium* illud ſuum admittit; diutius, maturiuſve *purgandos* pro ejus *plumbi,* quod attulerint, ratione; nemine vel à *purgatione,* vel à ſalute, quæ eam conſecutura eſt, excluſo. Sed Peltanus longe alia molitur. His enim Origenicis deſcriptis ipſe ſic colligit; *Nequis cavillari* (inquit) *poſſet ei omnes pœnas purgatorias eſſe, concludit qui toti plumbei, hoc eſt Chriſti gratia prorſus deſtituti, & multis præterea gravibuſque ſceleribus prægravati illuc acceſſerint, illos tamquam plumbum demerſum iri numquam inde amplius*

l. de purg. c. 9. p. 335.

Hom. 6. in exod.

plius

plius emerſuros. Nimirum ex eo quod iſtos Origenes *tamquam plumbum, in profundum demerſum iri* ait, hic noſter colligit ipſum revera cenſuiſſe numquam iſtos inde *emerſuros*. Sed hoc quidem tuum, Peltane, acumen *plumbeum* eſt totum. Iſta enim hic ab Origene adhibita ſimilitudo conficit quidem ſceleratos in imum gehennæ barathrum *demergi*; numquam inde *emerſuros*, non conficit. Nam & *plumbum* & *ferrum*, quæ ſua gravitate in aquarum ima delata ſunt, nihil tamen vetat inde extrahi; quod te & nautarum bolides docere poterant, & prophetici illius diſcipuli *ferrum* è fluvii, in quem inciderat, profundo *enatans*. Non dubitas credo, quin diabolum ſceleratorum omnium principem, *in profundum tamquam plumbum demerſum iri* Origenes putaverit. Et hunc tamen ipſum emerſurum aliquando, malumque eſſe deſiturum ſcripſit. Sed inſtat Peltanus; *Alludit* (inquit) *Origenes ad exercitum Pharaonis, qui rubri maris fluctibus inſtar plumbi obrutus numquam inde ad vitam enatavit*. Reſpondeo Origenem eo alludere, quatenus ut Ægyptii in maris ima detruſi ſunt; ſic ſcelerati in gehennæ profundum *mergendi* ſunt; Vltra tetendiſſe, ut neque hos ex gehenna emerſuros intellexerit, quemadmodum illi numquam ex abyſſis ad vitam enatarunt, nego. Atque ut ſcias Peltane, quam vel inepta, vel infœlix ſit tua hæc ſubtilitas, moneo te Origenem hunc ipſum Pharaonem ex cujus exitio nunc argumentaris, non ſic periiſſe putaſſe, ut numquam ſit emerſurus; ſed exiſtimaſſe eam ipſam demerſionem ei ad ſalutem profuiſſe; καταποντοῦται (inquit) οὐχ ὡς οἰηθείη ἄν τις ἐπὶ τὸ παντελῶς ἀπολέσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἀποβαλόντα τὰ ἁμαρτήματα κουφισθῆναι. καὶ τάχα ἐν εἰρήνῃ ἀπὸ τοσούτου πολέμου τῆς ψυχῆς εἰς ᾅδου καταβῆναι. *Mergitur Pharao, non ideo, ut quiſpiam exiſtimarit, ut penitus periret; ſed ut ejectis peccatis allevaretur, & forte in pace ex tanto bello animi ad inferos deſcenderet*. Quæ cum ita ſint, quicquid *cavilletur* Peltanus, dubitandum non eſt, quin Origenes *omnes omnium*, etiam ſceleratiſſimorum pœnas, aliquando deſituras, adeoque mere *purgatorias* eſſe exiſtimaverit.

Philoc. c. 26. pag. 438.

Itaque ſecundo jam loco reſpondeo hæc ejus teſtimonia, præter invidiam, quam adverſariorum dogmati apud omnes Chriſtianos merito conciliare debent, eo inſuper laborare, quod nihil ad ipſorum cauſſam faciunt. Nam Origenis *purgatorium* plane aliud eſt ab eo quod iſti jam conſtituunt. Illud enim *diabolorum* eſt & *reproborum*; hoc *fidelium* duntaxat, Chriſti ſanguine juſtificatorum. Illo ipſi *vitiorum habitus* eluuntur; hoc ſolæ *pœnæ* expiantur. Illo creatura *cruciatur*, non ut juſtitiæ ultrici ſatisfiat, quam Origenes penitus ſuſtulit; ſed ut ipſa creatura *morbo curetur*, atque relevetur. Hoc contra fidelium ſpiritus *torquentur*,

tur, non ut aliqua infirmitate liberentur, à qua omni ſint immunes ſed ut *pœnas* ex lege divinæ juſtitiæ debitas *pendant*. Sed & præter hæc alia eſſe immania inter utrumque *purgatorium* diſcrimina hic Origenis locus clariſſime demonſtrabit; *Donec ſumus* (inquit) *in carne poſiti ad liquidum puri eſſe non poſſumus, niſi octava venerit dies, id eſt niſi futuri ſæculi tempus affuerit. In quo tamen die ſi maſculus eſt, & viriliter egerit, ſtatim in ipſo adventu futuri ſæculi purgatur, & ſtatim munda efficitur mater, quæ genuit eum. Purgatam namque carnem ex reſurrectione accipiet. Si vero nihil habuit in ſe virile adverſum peccatum, ſed remiſſus & effœminatus fuit in actibus ſuis; cujus peccatum tale eſt, quod non remittatur neque in præſenti ſæculo, neque in futuro, iſte tranſit & unam, & aliam ſeptimanam in immunditia ſua, & tertia demum oboriri incipiente: ſeptimana purgatur ab immunditia, quam fœminam pariendo contraxit.* Ex hoc loco patet eam, quam Origenes docet *purgationem*, octava die, ſive futuri ſæculi tempore, id eſt ab ultimo judicii die factum iri. Secundo in carne ipſa homines *purgatum* iri; adeoque poſt reſurrectionem. Nam cum eos, qui *purgatam* ex reſurrectione carnem acceperint, ultra purgatum iri neget, manifeſtiſſime ſignificat eos ſolos *purgatum* iri, qui carnem quidem, ſed non *purgatam* ex reſurrectione acceperint. Tertio illos tantum peccatores ad eam *purgationem* admittit, quorum peccatum tale eſt, quod *non remittatur, neque in præſenti ſæculo, neque in futuro*, quos ipſos non quidem prima, vel ſecunda, ſed tamen *tertia ſeptimana purgatum* iri affirmat à ſua immunditia. Nihil fingi potuit magis alienum ab adverſariorum *purgatorio*, in quo omnia plane alia, & velut ex diametro iſtis Origenicis oppoſita. Nam ſuum illi *purgatorium* & ante diem judicii deſiturum, & in ſolas animas, non autem & in carnem ſævire, & eos denique duntaxat *purgare* volunt, qui talia peccata admiſerint, quæ *remittantur* vel in *hoc*, vel in *futuro ſæculo*; quos omnes, Origenes a ſuo *purgatorio* excludit; Vt Antipodes non magis ſint à nobis averſi, quam ſunt à ſe invicem iſtorum de *purgatione* deliramenta. Atque ex his liquet quanta ſit adverſariorum vel cæcitas, vel fraus, dum ex Origene teſtimonia pro *purgatorio* ſuo afferunt; quæ neque ullam vim per ſe habent, cum ſint auctoris in hoc ipſo articulo damnati, & ſi quam haberent, nihil tamen efficerent pro iſtorum dogmate, à quo penitus aliena ſunt ea, quæ ſenſit Origenes. Quo etiam refelluntur, quæ Bellarminus ex eodem in ſuperiori ex Scripturis diſputatione adduxit. Ac primo quidem, ut probaret illum Davidis locum *Tranſibimus per ignem* de *purgatorio* intelligendum eſſe Origenem citavit in Numeros; quem locum ut ſcias quam delire & ſtulte Origenes perverterit,

Hom. 8. in num.

l. 1. de purg. c. 4. §. Quintus Orig. in num. hom. 25.

Epiph.hær.64. tent, libet hic ex Methodio apud Ephiphanium ejus interpretationem
Epiphan.hær.64. deſcribere. Ait ergo Methodius Origenem, & ejus diſcipulos hæc
Orig.p.572.a. Pſalmi verba voluiſſe *animarum humanarum ſermones eſſe, quæ in corpus velut in laqueum è tertio cœlo, ubi & paradiſus eſt ad certamen delatæ ſunt. Nam iis verbis* (inquiebant) tranſivimus per ignem & aquam, *aut animæ maternum per uterum in hunc mundum tranſitus exprimitur, quod in tanto incendio, atque humore verſetur; aut ejuſdem in hanc vitam è cœlo lapſus oſtenditur; in quo cum ignis veluti fontes, tum illam, quæ ſupra firmamentum eſt aquarum vim, copiamque tranſmittit.* Hæc ſunt Origenis de illo Pſalmographi loco inſomnia; quæ quam ſint ab adverſariorum purgatorio aliena, nemo non videt. Mox ut idem ex illo Malachiæ loco concluderet. *Ipſe ſedebit quaſi ignis conflans,* eumdem adduxit in Exodum 1. Tum aliquot ejuſdem loca laudavit, ut Paulina verba *ſervabitur ſic tamen quaſi per ignem*, de *purgatorio* ſuo accipienda eſſe conficeret. Denique ejus quoque locum ex homilia in Lucam triceſima quinta, & commentario in epiſtolam ad Romanos deſcripſit, ut probaret *carcere* illo euangelico, unde *non exitur* niſi *reddito noviſſimo quadrante*, *purgatorium* ſuum intelligi. Atqui ſi hæc omnia loca inſpiciantur, clarum erit Origenem in iis non de adverſariorum *purgatorio*, ſed de *ſuo* cogitaſſe; quod quale ſit, quamque à Romano, de quo quæritur, alienum cum ex iis, quæ nuper diximus, ſatis appareat, nihil opus eſt in iſtis ſigillatim expendendis tempus terere.

Bellar.ub.ſupr.5. Decimus.

Or.hom.6.in Ex.

Bell.ibid.c.5.s. Ex græc. Origenes hom. 6. in exod. hom. 14 in Lev. hom. 12. in Hiere.

Bell.ibid.c.7.s. Origenes.

CAPUT VII.

Reſpondetur ad objecta ex Gregorio Nyſſeno; demonſtraturque ea ad Origenis quoque delirium pertinere, quo paſſim infecta eſſe, Nyſſeni opera oſtenditur, tum ex ipſis ejus libris, tum ex Nili, Germani, & Photii teſtimoniis.

IAm quæ de Origenis locis diximus, eadem de iis dicta volumus, quæ ex Gregorio Nyſſeno afferuntur. Is enim tametſi in cæteris fidei quam Origenes ſanioris, hoc tamen ejus de *omnium purgatione* atq; reſtitutione delirium manifeſte ſequitur ab omni veteri Eccleſia damnatum. Idque Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus Græcorum nomine contra *purgatorium* diſputans ad objectorum à Latinis ejus auctoritatem jam pridem obſervavit; οὐ γοῦν (inquit) περὶ αἰωνίου κολάσεως μήπω ἐξητασμένου ζητήματος τοῦ τῆς ἁμαρτωλῶν ἀποκαταστάσεως δόξης καὶ οὗτος γενέσθαι δοκεῖ, καὶ τέλος ἐξάγειν κολάσεως. μηδὲν ἄλλο ταύτην εἶναι ἀποφαινόμενος

Tract. de purg. p.147.

νόμενος ἢ κάθαρσίν τινα, καὶ χώνευσιν, καὶ πρὸς θεὸν ἑλκυσμὸν δι' ὀδύνης καὶ πόνων, ὡς ἐσομένης ποτὲ τελείας ἀποκαταστάσεως πάντων, καὶ τῶν δαιμόνων αὐτῶν, ἵνα ᾖ, φησὶν, ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι. *Cum itaque quæſtio de pœna æterna nondum agitata, diſcuſſaque eſſet, videtur etiam Gregorius Nyſſenus ejus opinionis fuiſſe, quæ reſtitutionem peccatorum ponit, finemque punitionis inferre, nihil aliud punitionem eſſe ſtatuens, quam purgationem quamdam, & fornacem, attractionemque ad Deum per dolorem, & labores; tamquam perfecta omnium, etiam ipſorum dæmonum inſtauratio aliquando futura ſit, ut ſit Deus* (inquit) *omnia in omnibus juxta Apoſtoli dictum.* Atque hæc Nilus. Germanus vero epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui non paucis ante Nilum ſæculis vixit, anno à Chriſto nato 680. librum teſte Photio, ediderat hoc titulo Ἀνταποδοτικὸς, ἢ Ἀνόθευτος; in cujus priori parte Origenis de impiorum, & dæmonum purgatione delirium fuſe ex Scripturis, & patribus confutabat; in poſteriori autem contendebat vitiatos fuiſſe ab Origeniſtis Gregorii Nyſſeni libros, multis de ſuo additamentis hujus ſcriptoris orationi paſſim inſultis, eoſque ab hac hæreticorum fraude, atque impoſtura vindicabat. Tres autem maxime libri erant, quibus hanc operam præſtabat, *De anima dialogus cum ſorore Macrina; Catechetica oratio;* & *de vita perfecta.* Germani opus non exſtat; quo fit, ut difficile ſit judicare, quid præſtiterit. Photius, qui legerat, magni facit totum opuſculum. Sed utcumque ſit, ſive ipſe Nyſſenus ita ſcripſerat, ſive (quod mavult Germanus) ab Origeniſtarum manu corrupti ſunt ejus libri; hoc quidem certum eſt Origenicam illam labem non paucis ejus operibus jampridem inſediſſe. Hoc hodieque clamant plæraque viri, quæ ſuperſunt, opera, ex quibus non pigebit nonnulla deſcribere. Sic igitur ille de pœnis diſputans in libro de Anima; οὐ γὰρ μισῶν οὐδ' ἀμυνόμενος ἐπὶ τῇ κακῇ ζωῇ κατά γε τὸν ἐμὸν λόγον, ἐπάγει τοῖς ἐξημαρτηκόσι τὰς ὀδυνηρὰς διαθέσεις ὁ θεὸς, ὁ ἀντιποιούμενός τι, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκων πᾶν ὅ, τι παρ' αὐτοῦ χάριν ἦλθεν εἰς γένεσιν. ἀλλ' ὁ μὲν ἐπὶ τῷ κρείττονι σκοπῷ πρὸς ἑαυτὸν, ὅς ἐστι πηγὴ πάσης μακαριότητος, ἐπισπᾶται τὴν ψυχήν. ἐπισυμβαίνει δὲ κατ' ἀνάγκην ἡ ἀλγεινὴ διάθεσις τῷ ἑλκομένῳ. *Nec enim odio, ac vindicandæ vitæ pravæ cauſſa, mea quidem opinione, Deus iis, qui peccaverint dolorem facientes adhibet affectiones; qui & apprehendit, & ad ſe trahit quicquid ipſius gratia provenit in rerum naturam. Sed ille quidem meliori animo, atque conſilio ad ſeſe, qui omnis beatitudinis fons eſt, animam attrahit; ex neceſſitate autem ei, quod attrahitur accidit illa affectio acerba.* Ita ſtatuit omnem omnino *pœnam* Deum ad hoc infligere, non ut *puniat*, ſed ut *emendet*, & ſic creaturam ratione præditam paulatim *ad ſe trahat*, ſibique uniat; ac per accidens fieri

Biblioth. cod. 233. p. 478.

l. de an. & reſurr. T. 3. p. 226. b

præter Dei conſilium, ut pœnæ iis, qui *purgantur*, graves ſint atq; acer-
bæ. Quod poſtquam in ſequeutibus duplici ſimilitudine illuſtravit, ita
Ibid.p.227.c. concludit; χρὴ γὰρ πάντῃ καὶ πάντως ἐξαιρεθῆναί ποτε τὸ κακὸν ἐκ τοῦ ὄντος,
καὶ ὅπερ ἐν τοῖς φθάσασιν εἴρηται, τὸ ὄντως μὴ ὂν μηδ᾽ εἶναι ὅλως ἐπειδὴ γὰρ ἔξω
τῆς προαιρέσεως ἡ κακία εἶναι φύσιν οὐκ ἔχει, ὅταν πᾶσα προαίρεσις ἐν τῷ θεῷ
γένηται, εἰς παντελῆ ἀφανισμὸν ἡ κακία χωρήσει, τῷ μηδὲν αὐτῆς ὑπολει-
φθῆναι δοχεῖον. *Oportet enim penitus ac prorſus malum aliquando eximi ex
eo quod eſt, & quod in ſuperioribus dictum eſt, id quod re ipſa non eſt, ne
eſſe quidem omnino. Quoniam enim ea vitii, malitiæque natura eſt, ut ex-
tra voluntatem & arbitrium non ſit, cum omnis voluntas & omne arbitrium
in Deo fuerit, ad abſolutam atque perfectam & extremam abolitionem & in-
teritum vitioſitas redigetur, quod nullum ejus receptaculum relictum ſit.* Id
Ib.p.229.b. ipſum mox etiam diſertius; ὁ δὲ πάντα γινόμενος (inquit) καὶ ἐν πᾶσι
γίνεται. ἐν τούτῳ δέ μοι δοκεῖ τὸν παντελῆ τῆς κακίας ἀφανισμὸν δογματίζειν ὁ
λόγος. εἰ γὰρ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν ὁ θεὸς ἔσται, ἡ κακία δηλαδὴ ἐν τοῖς οὖσιν οὐκ
ἔσται. *Porro qui omnia exiſtit, etiam in omnibus exiſtit. Atque in hoc mihi
videtur perfectum, & abſolutum interitum vitioſitatis ac nequitiæ tradere
Scriptura. Si enim* in omnibus *rebus* Deus erit, *vitioſitas nequitiaque ni-
mirum in rerum natura non erit.* Tum paulo poſt; πάντα χρὴ τάξει τινὶ καὶ
Ib.c. ἀκολουθίᾳ κατὰ τὴν τεχνικὴν τοῦ καθηγεμόνος σοφίαν τῇ θείᾳ προσοικειωθῆναι
φύσει. *Oportet omnia ordine, ac viciſſitudine quadam ſecundum artificioſam
creatoris, & auctoris ſapientiam divinæ conciliari, atque conjungi naturæ.*
Clare docet creaturas rationales à peccati labe puras, atque immunes
Ibid.p.232.a. omnes aliquando futuras. Quo etiam ſupra retulerat illud Apoſtoli
dictum, fore ut Chriſto *omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, &
ſubterraneorum.* Eo enim ſignificari ait; ὅτι τῆς κακίας ποτὲ ταῖς μακραῖς
τῶν αἰώνων περιόδοις ἀφανισθείσης οὐδὲν ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ καταλειφθήσεται. ἀλλὰ
καὶ παρ᾽ ἐκείνων ὁμοφώνως ἡ ὁμολογία τῆς τοῦ Χριστοῦ κυριότητος ἔσται.
*Quod vitioſitate longis ſæculorum anfractibus, & circuitionibus aliquando
abolita, atque exſtincta, nihil præter bonum relinquetur; Sed etiam dæmo-
nes concorditer, & conſentienter dominationem Chriſti confitebuntur.* Sic
Ibid.p.254.c. etiam aliquot pagellis ante libri finem. σκοπὸς δ᾽ αὐτῷ εἷς τὸ τελειωθέντος
ἢ διὰ τῶν καθ᾽ ἕκαστον ἀνθρώπων παντὸς τοῦ τῆς φύσεως ἡμῶν πληρώματος, τῶν
μὲν εὐθὺς ἤδη κατὰ τὸν βίον τοῦτον ἀπὸ κακίας κεκαθαρμένων, τῶν δὲ μετὰ ταῦτα
διὰ τοῦ πυρὸς τοῖς καθήκουσι χρόνοις ἰατρευθέντων, τῶν δὲ ἐπίσης καὶ τοῦ καλοῦ καὶ
τοῦ κακοῦ τὴν πεῖραν παρὰ τὸν τῇδε βίον ἀγνοησάντων, πᾶσι προθεῖναι τὴν με-
τουσίαν τῶν ἐν αὐτῷ καλῶν, ἅπερ φησὶν ἡ γραφή, μήτε ὀφθαλμὸν ἰδεῖν, μήτε
ἀκοὴν δέξασθαι, μήτε λογισμοῖς ἐφικτὸν γενέσθαι. τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶ κατά γε
τὸν ἐμὸν λόγον, ἢ τὸ ἐν αὐτῷ τῷ θεῷ γενέσθαι. *Porro propoſitum, atque conſi-
lium*

lium ejus (Dei) *hoc unum eſt, ut omni naturæ noſtræ plenitudine ſingulatim per quoſque homines jam perfecta, atque abſoluta, cum alii quidem jam ſtatim per hanc vitam à vitioſitate expiati, alii vero poſthac convenientibus temporibus per ignem curati fuerint, alii autem ex æquo boni ſimul ac mali ſcientiam atque experientiam per hanc vitam non habuerint, omnibus proponat participationem & uſum bonorum, quæ in ipſo ſunt; quæ bona Scriptura neque oculum vidiſſe, neque aures accepiſſe, neque cogitationibus & ratiocinationibus aſſequi, atque comprehendi poſſe dicit. Id autem nihil eſt alind, (ut mea quidem opinio fert) quam in ipſo Deo eſſe.* Tum; ἡ δὲ τοῦ (inquit) κατ' ἀρετὴν ἢ κακίαν βίου διαφορὰ ἐν τῷ μετὰ ταῦ- Ibid. p. 255. a. τα τοῦτο δειχθήσεται μάλιστα, ἐν τῷ θᾶττον ἢ σχολαιότερον μετασχεῖν τῆς ἐλπιζομένης μακαριότητος. *Porro differentia vitæ, quæ vel cum virtute, vel cum nequitia, vitioque tranſigitur, poſthac maxime per hoc oſtenditur, quod citius, aut tardius quis beatitudinis, quæ ſperatur, particeps fiet.* Similia habet in oratione Catechetica; ἐπειδὴ χρεία τοῦ κἀκείνης τὰς Orat. Catech. c.8. T.3. p.61.b. ἐμφυείσας ἐξ ἁμαρτιῶν κηλῖδας διά τινος ἰατρείας ἐξαιρεθῆναι. τούτου ἕνεκεν ἐν μὲν τῇ παρούσῃ ζωῇ τὸ τῆς ἀρετῆς φάρμακον εἰς θεραπείαν τῶν τοιούτων προσετέθη τραυμάτων. εἰ δὲ ἀθεράπευτος μένει, ἐν τῷ μετὰ ταῦτα βίῳ, ταμιεύεται ἡ θεραπεία. *Quoniam vero opus eſt, ut illius quoque* (animæ) *quæ ex peccatis ei ingeneratæ inſederunt maculæ per medicinam aliquam auferantur; propterea in præſenti quidem vita adhibitum eſt medicamentum virtutis ad hæc curanda vulnera. Quod ſi minime curata permaneat, in futuram vitam reſervatur curatio.* Ideo ait de judicio illo ultimo quo Ibid. c. hæ pœnæ peccatoribus infligentur ὅτι τοῖς συνετωτέροις ἰατρεία καὶ θεραπεία παρὰ τοῦ θεοῦ τὸ ἴδιον πλάσμα πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐπανάγοντος χάριν εἶναι πιστεύεται. *Quod iis, qui ſunt intelligentiores creditur à Deo eſſe medicina, & curatio figmentum ſuum reducente ad eam, quæ erat ab initio, gratiam.* Eodem libro clariſſime ſtatuit homines tam initiatos Chri- Ibid. c. 35. Ext. p. 101. a. ſti myſteriis, quam non initiatos, utroſque ad beatitudinem perventuros; ſed cum hoc diſcrimine, quod qui Chriſti doctrina & ſacramentis purgati fuerint in beatam, & impaſſibilem vitam reſurrecturi ſint ultima die; alii reſurrecturi quidem, ſed ad fœlicitatem nonniſi poſt diuturnam ignis *purgationem* perventuri; οἷς δὲ προσεπωρώθη τὰ πάθη, καὶ οὐδὲν προσήχθη τῆς κηλῖδος καθάρσιον, οὐχ ὕδωρ μυστικὸν, οὐκ ἐπίκλησις θείας δυνάμεως, οὐχ ἡ ἐκ μεταμελείας ὄρθωσις, ἀνάγκη πᾶσα, καὶ τούτους ἐν τῷ καταλλήλῳ γενέσθαι. κατάλληλον δὲ τῷ κεκιβδηλευμένῳ χρυσίῳ τὸ χωνευτήριον, ὡς τῆς ἐμμιχθείσης αὐτοῖς κακίας ἀποτακείσης, μακροῖς ὕστερον αἰῶσι καθαρὰν ἀποσωθῆναι τῷ θεῷ τὴν φύσιν. *Quibus autem induratæ occalluerunt affectiones, neque ſordium & macularum ulla fuit adhibita*

hibita purgatio, non aqua myſtica, non divina virtutis invocatio, non inconcinnæ pravitatis ex pœnitentia correctio, neceſſe eſt ut ij quoque ſint in eo quod convenit. Manifeſtum eſt autem auro adulterino, confuſoque, & non ſincero convenire fornacem, ut cum eis miſtum vitium fuerit liquefactum, longis poſtea ſæculis Deo puro ſalvetur natura. Sic etiam alibi in oratione *de iis, qui præmature abripiuntur*, purgationem illam per ignem in ultimi judicii tempora rejicit; cum de infante mortuo quærit, ὄψεται ἆρα κἀκείνη ἡ ψυχὴ τὸν κριτήν; παραστήσεται μετὰ τῶν ἄλλων τῷ βήματι; ὑφέξει τῶν βεβιωμένων τὴν κρίσιν; λήψεται τὴν κατ' ἀξίαν ἀντίδοσιν; ἢ πυρὶ καθαιρομένη κατὰ τὰς τοῦ εὐαγγελίου φωνάς, ἢ τῇ δρόσῳ τῆς εὐλογίας ἀναψύχουσα. *An illa quoque anima judicem videbit? tribunali cum aliis ſiſtetur? ſubibit actæ vitæ judicium? accipiet pro merito retributionem & compenſationem? vel igni purgata juxta Euangelii verba; vel in rore benedictionis refrigerata atque refocillata?* Ille enim *ignis* καθάρσιος, quem intelligit, flamma, eſt in quam ſummi judicis ſententia conjicientur οἱ ἡμαρτηκότες καὶ μὴ μετανοήσαντες ἀξίως πρὸ τελευτῆς, *qui peccaverunt, & ante mortem non ut dignum erat, pœnitentiam egerunt*; ut recte annotat Græcus auctor ſcholii, quod hoc loco inſertum habetur. Plura congerere nihil neceſſe eſt. Ex his enim ſatis clarum eſt Origenis de *pœnis*, & *purgatione*, omniumque rationalium creaturarum reſtitutione ſententiam vel Nyſſenum, quod ait Nilus, eſſe ſecutum, vel certe (quod mavult Germanus) Origeniſtas doloſe hujus libris inſeruiſſe. Eoque pertinent, quæ inde adverſarii fruſtra & inſcite in hac cauſſa afferunt; qualia illa ſunt, quæ Bellarminus deſcripſit in oratione de mortuis; *Vel* (inquit) *in præſenti vita precibus, ſapientiæque ſtudio purgatus, vel poſt obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad priſtinam vellet redire fœlicitatem.* Et infra; *Non poterit* (inquit) *à corpore egreſſus divinitatis particeps fieri, niſi maculas animæ immixtas purgatorius ignis abſtulerit.* Et infra; *Alius* (inquit) *poſt hanc vitam purgatorio igne materiæ labes abſtergentibus.* Hæc quæ in ſpeciem adverſariorum dogmati favere videntur, omnino de Origenica illa purgatione, quam ſupra ex ipſo Nyſſeno deſcripſi, intelligenda ſunt, ut facile animadvertet, quiſquis ea accurate ac plene apud ipſum autorem legerit. Deum enim ait hominem, cum is ſponte ad malum deflexiſſet, in iis eſſe ſiviſſe, quæ ſibi eſſe elegerat, quo guſtatis malis, quæ concupiverat, experiendoque diſcens quæ quibus commutaſſet παλινδρομήσῃ διὰ τῆς ἐπιθυμίας ἑκουσίως πρὸς τὴν πρώτην μακαριότητα, ἅπαν τὸ ἐμπαθές τε καὶ ἄλογον, ὥσπερ τι ἄχθος ἀποσκευάσας τῆς φύσεως, ἤτοι κατὰ τὴν παροῦσαν ζωὴν διὰ προσευχῆς τε καὶ φιλοσοφίας ἐκκαθαρθεὶς, ἢ μετὰ τὴν

T. 3. p. 322. a.

L. 1. de purg. c. 10.

Cont. de mort. T. 3. p. 634. d.

ἐνθένδε

ἐνθένδε μετανάστασιν διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας; *ut ſponte per cupiditatem ad primam fœlicitatem rediret, omni eo, quod perturbationi obnoxium, & rationi inimicum eſt, velut onere depoſito, atque abjecto, vel in præſenti vita per precationis, & philoſophiæ purgationem, vel poſt migrationem ex hac vita, per purgatorii ignis fornacem.* Omnes omnino homines, plane ut in ſuperioribus, ſtatuit ad eam, unde exciderunt fœlicitatem perventuros, eoque omnes illud perturbationum, & τῶν ἀλόγων onus, quo eorum natura laborat, abjecturos; ſed non uno omnes modo, aut tempore. Alios enim in præſenti vita per Chriſti diſciplinam purgatum iri; quo in cenſu omnes vere fideles habet; alios, nimirum qui hanc vitam in impietate, vel injuſtitia & immunditia extra Chriſtum egerant, igne illo, in quem poſt reſurrectionem conjicientur, mundatum iri. Id clariſſime oſtendunt ea, quæ mox ſubjicit, poſtquam hanc Dei diſpenſationem hominem ſibi permittentis cum medici arte comparavit ægroto intemperanti indulgentis; quo refert *pelliceas illas tunicas*, quibus Adamum à Deo indutum Moſes ſcribit; Ea enim *veſte* (una cum Origene) hîc quoque ſignificari putat *corpus*, beſtiarum, unde deſumpta erat, paſſionibus obnoxium; quo ſcilicet hominem à Deo poſt peccatum indutum fuiſſe volunt. Nam his explicatis τύποις (ea intelligit quibus animalis natura conſtat) ἐμβιοτεύων κατὰ τόνδε τὸν βίον ὁ ἄνθρωπος τῇ αὐτεξουσίῳ κινήσει, εἰ μὲν διακρίνοιτο τοῦ ἀλόγου τὸ ἴδιον, καὶ πρὸς ἑαυτὸν βλέποι διὰ τῆς ἀστειοτέρας ζωῆς, καθάρσιον τῆς ἐμμιχθείσης κακίας τὸν παρόντα βίον ποιήσεται, κρατῶν διὰ τοῦ λόγου τῆς ἀλογίας. εἰ δὲ πρὸς τὴν ἄλογον τῶν παθημάτων ῥοπὴν ἐπικλιθείη, τῷ τῶν ἀλόγων δέρματι συνεργῷ χρησάμενος πρὸς τὰ πάθη; ἄλλως μετὰ ταῦτα βουλεύσεται πρὸς τὸ κρεῖττον, μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον γνοὺς τῆς ἀρετῆς τὸ πρὸς τὴν κακίαν διάφορον, ἐν τῷ μὴ δύνασθαι μετασχεῖν τῆς θειότητος, μὴ τοῦ καθαρσίου πυρὸς τὸν ἐμμιχθέντα τῇ ψυχῇ ῥύπον ἀποκαθήραντος. *In his degens præſentis vitæ tempore homo pro arbitrio ſuo, ſi neglecto quod beſtiarum eſt, urbanius vivendi genus complectetur, ratione vincens, quod rationi conſentaneum non eſt, præſentem hanc vitam vitii ſibi admixti purgatricem efficiet.* Hîc eſt prior eorum hominum ordo, qui Dei verbo, velut medici mandatis parent; non alii, quam veri fideles. Sequitur alter hominum ordo, qui contemptis cœleſtis medici mandatis, ſe ſe mundanis, & belluinis vitiis dedunt; *Sin* (inquit) *quo perturbationum impetus duret inclinabit, beſtiarumque pellem ad vitia miniſtram, & adjutricem adhibebit, aliud poſtea inibit conſilium ut ad bonum perveniat, cum è corpore egreſſus cognita, quæ inter virtutem & vitium differentia, eſt ex eo quod non poterit divinitatis* Ibid. p. 635 c. d.

 particeps

particeps fieri, niſi maculas animo immiſtas purgatorius ignis abſtulerit. Illam nimirum *purgationem* ſignificat, quam ipſe cum Origene poſt reſurrectionem factum iri ſomniat per ignem gehennæ; quem iſti quidem aliquando deſiturum, cæteri vero Chriſtiani æternum fore putant. Ac nequis dubitet, continuo explicat quinam illi ſint duo hominum ordines; quorum alii Dei & Chriſti diſciplina hic in terris, alii igne futuri ſæculi purgantur. In priori cenſet patriarchas, Prophetas,
Ibid. p. 636. A Apoſtolos, diſcipulos, martyras, καὶ πάντας τοὺς τὴν ἐνάρετον ζωὴν πρὸ τοῦ ὑλικοῦ τετιμηκότας, *quicumque vitam cum virtute conjunctam rebus corporeis, materiæque immerſis prætulerunt;* hoc eſt omnes vere pios & Chriſtianos. In altero, reliquos omnes homines collocat, quos & ipſos ad gratiam naturæ initio conceſſam ſponte redituros affirmat διὰ τῆς εἰς ὕστερον ἀγωγῆς ἐν τῷ καθαρσίῳ πυρὶ ἀποβαλόντας τὴν πρὸς τὴν ὕλην προσπάθειαν, *poſtquam per futuram in poſterum diſciplinam* (nimirum in altero poſt judicium ultimum ſæculo) *in purgatorio igne abjecerint ſive abſterſerint propenſionem & affectionem ad materiam.* Sic enim habent Nyſſeni verba; non ut Bellarminus ea repræſentat, *aliis poſt hanc vitam materiæ labes abſtergentibus.* Idem iſtorum, qui ſuperiorum ſenſus; vere pios in hac vita Chriſti fide & obedientia purgari; reliquos mortales igne illo, qui poſt judicium in eos arſurus, quicquid iis materiæ inolitum erat, depaſcet ac conſumet; ac utroſque tandem, quamquam diverſis temporibus, illos maturius, hos ſerius ad ſummam beatitudi-
Ibid. p. 642. C nem perventuros; Quo pertinet quod in eodem libro legitur τῆς κακίας καθόλου πάντων τῶν ὄντων ἐξοικισθείσης ἐν τὸ θεοειδὲς κάλλος ἐπαστράψειν τοῖς πᾶσιν, ᾧ κατ' ἀρχὰς ἐμορφώθημεν; *futurum, ut malo ex iis omnibus, quæ ſunt, penitus ac univerſe exturbato, ſive ejecto una in omnibus divina pulcritudo fulgeat ad quam initio formati eramus.* Ex his patet quantum ab adverſariorum purgatorio diſtet illa Nyſſeni purgatio. Illi aliquos tantum, ex iis, qui vere fideles fuerint, igni ſuo purgant; Hic contra nullos vere fideles flamma ſua luſtrat. Illi nullos *purgant* præter fideles; hic omnes omnino homines (ſolis exceptis fidelibus) igne ſuo purgatum iri ſtatuit. Hic non peccati pœnam igne illo ſuo lui vult, ſed τὴν πρὸς ὕλην προσπάθειαν *propenſionem ad materiam*, id eſt vitioſos affectus animæ ex anteacta vita inolitos, tamquam ſcorias, ἀποβάλλεσθαι *abjici* & abſtergi docet. Contra, iſti nullos à fidelibus vitioſos animi vel habitus, vel affectus deponi volunt (quotquot enim illam fornacem intrant eos volunt perfecta eſſe caritate præditos, nullaque carnis libidine, nullo omnino vitio laborare) ſed pœnas tantum expendi, quas nondum in hoc ſæculo exſolverant. Quod diſcrimen in

iis ipſis verbis extat, quæ Bellarminus attulit, in quibus ait Nyſſenus *maculas animo immixtas ignem illum auferre; & materiæ labes abſtergere;* eoque inexcuſabilior eſt iſtius temeritas, qui cum vel ex his intelligere poſſet illum Nyſſeni ignem à ſuo alienum eſſe, non dubitavit tamen hæc ejus verba eo trahere. Sed etiam ſunt impudentiores, qui ad eamdem purgatorii cauſſam torquent, quæ ex alio Nyſſeni opere laudant *nos in eandem gratiam reſtituendos qua Deus nos creavit.* Is enim locus, quem innuunt Origenicam illam omnium tum hominum, tum dæmonum ἀποκατάστασιν tam clare conſtituit, ut ferream ejus frontem eſſe oporteat, qui eum pro Romano *purgatorio* teſtem dare auſus eſt. Sic enim ille habet; τίς οὖν ὁ τοῦ λόγου ἐστὶ σκοπὸς, ὃν δογματίζει ἐν ἐκείνῳ τῷ μέρει ὁ θεῖος ἀπόστολος; (intelligit autem illam Apoſtoli diſputationem, quæ extat in priori epiſtola ad Corinthios capite decimo quinto, in hoc dicto deſinentem, *quando ſibi ſubjecerit omnia, tunc etiam ipſe filius ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecit omnia*) ὅτι ποτὲ πρὸς τὸ μὴ ὂν ἡ τοῦ κακοῦ φύσις μεταχωρήσει, παντελῶς ἐξαφανισθεῖσα τοῦ ὄντος, καὶ πᾶσαν λογικὴν φύσιν ἡ θεία τε καὶ ἀκήρατος ἀγαθότης ἐν ἑαυτῇ περιέξει, μηδενὸς τῶν παρὰ τοῦ θεοῦ γεγονότων τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ ἀποπίπτοντος, ὅταν πάσης τῆς ἐμμιχθείσης τοῖς οὖσι κακίας οἷόν τινος ὕλης κιβδήλου διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας ἀναλυθείσης, τοιοῦτον γένηται πᾶν ὃ παρὰ τοῦ θεοῦ ἔσχε τὴν γένεσιν, οἷον ἐξ ἀρχῆς ἦν, ὅτε οὔπω τὴν κακίαν ἐδέξατο. *Quiſnam eſt ergo ſcopus verbi, cujus in ea parte dogma tradit divinus Apoſtolus? Quod aliquando ad nihilum tranſibit mali natura, plene & perfecte deleta ex rerum eſſentia; divinaque & ab omni interitu aliena bonitas in ſe continebit omnem naturam ratione præditam, nullo ex iis, qui à Deo facti ſunt, excidente à regno Dei quando omni vitio, quod rebus fuerat immiſtum, tamquam impura aliqua materia, per ignis purgatorii conſumpto fuſionem, omne quod à Deo ortum habuit, tale factum fuerit, quale erat ab initio, quando nondum ſuſceperat vitium.* Sic infra in eadem oratione; σαφῶς γὰρ ἐν τῷ πλάτει τῶν εἰρημένων τὸ τῆς κακίας ἀνύπαρκτον τῷ λόγῳ παρίστησιν, ἐν τῷ εἰπεῖν ἐν πᾶσι γίνεσθαι τὸν θεὸν, πάντα ἑκάστῳ γινόμενον. δῆλον γὰρ ὅτι τότε, ἀληθὲς ἔσται τὸ ἐν πᾶσι τὸν θεὸν εἶναι, ὅταν μηδὲν κακὸν ἐνθεωρῆται τοῖς οὖσι. οὐ γὰρ δὴ καὶ ἐν κακῷ τὸν θεὸν εἰκός ἐστι γίνεσθαι. ὥστε ἢ οὐκ ἐν πᾶσιν ἔσται, ὅταν ὑπολειφθῇ τι κακὸν ἐν τοῖς οὖσιν. ἢ εἰ ἀληθῶς ἐν πᾶσι χρὴ πιστεύειν αὐτὸν εἶναι, τὸ μηδὲν κακὸν εἶναι τῇ περὶ τούτου πίστει συναποδείκνυται. *Eſt enim perſpicuum tunc verum futurum, quod Deus ſit in omnibus, quando nullum malum in rebus conſpectum fuerit. Non eſt enim conſentaneum, ut Deus ſit in malo. Quamobrem aut non erit in omnibus, quando in rebus aliquod malum fuerit reliquum; aut ſi vere eum in omnibus eſſe oportet credere, ſimul oſtenditur cum ea, quam de ipſo habemus fide, nullum*

Orat. in illud. Tunc ipſe filius ſubjicietur, &c. T. 2. p. 12. c

Ibid p. 14. e

Ibid.p.16.b *lum eſſe malum.* Iterum; κεφάλαιον δὲ τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἐστιν ὑποταγὴ, ὅταν ὁμόφωνος πᾶσα ἡ κτίσις γένηται πρὸς ἑαυτήν. καὶ πᾶν αὐτῷ γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα, γλῶσσα ἐξομολογήσεται ὅτι Κύριος Ἰησοῦς χριστός. τότε πάσης τῆς κτίσεως ἓν σῶμα γενομένης, καὶ πάντων διὰ τῆς ὑπακοῆς μετ' ἀλλήλων ἐν αὐτῷ συμφυέντων τὴν τοῦ ἰδίου σώματος πρὸς τὸν πατέρα ὑποταγὴν εἰς ἑαυτὸν ἀναφέρει. *Noſtrorum autem bonorum ſumma eſt, & caput, Deo eſſe ſubjectum, quando univerſa creatura ſibi fuerit conſonans; & omne genu ei ſe inflexerit cæleſtium, terreſtrium, & inferorum & omnis lingua confeſſa fuerit, quod Dominus eſt Ieſus Chriſtus; tunc cum omnis creatura unum corpus fuerit effecta, & omnia per obedientiam inter ſe invicem ei conjuncta, & coalita fuerint, ad ſe refert ſui corporis Patri obedientiam.* Ideo corpus Chriſti, quod per eum aditum habet ad Patrem, non de ſola Eccleſia, ſed de univerſa homi-

Ibid.p.17.a num natura intelligit. σῶμα δὲ αὐτοῦ, καθὼς εἴρηται πολλάκις, πᾶσα ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ᾗ κατεμίχθη. *Corpus autem ejus, ſicut ſæpe dictum eſt, omnis eſt humana natura, cui admiſtus eſt.* Denique diſputationem hanc

Ibid.p.18.b concludens, οὐκοῦν φανερὸν διὰ τῶν εἰρημένων γέγονε τὸ ἀποστολικὸν νόημα, ὅτι πάσης ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν γινομένην τοῦ ὄντος ἐπίγνωσίν τε καὶ σωτηρίαν ἡ τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα ὑποταγὴ διασημαίνει. *Per ea ergo quæ dicta ſunt fit perſpicuus ſenſus Apoſtolicus, nempe quod per eam, qua Patri filius ſubjicitur, ſubjectionem ſignificetur cognitio, qua eum qui revera eſt, agnoſcet omnis humana natura & ſalus ipſius.* Sed & mox non longe ab orationis fine idem diſertiſſime docet, quo loco ait Chriſti hoſtes duorum eſſe generum; alios *Chriſto ſubjectum* iri; alios vero abolitum iri; καταργη-

Ibid.p.20.b. θήσεται μὲν (inquit) ὁ τῇ φύσει ἐχθρὸς, τουτέστιν ὁ θάνατος, καὶ ἡ περὶ αὐτὸν τῆς ἁμαρτίας ἀρχή τε καὶ ἐξουσία, καὶ δύναμις. ὑποταγήσονται δὲ οἱ καθ' ἕτερον λόγον ἐχθροὶ τοῦ θεοῦ λεγόμενοι, οἱ ἀπὸ τῆς βασιλείας πρὸς τὴν ἁμαρτίαν αὐτομολήσαντες. *Delebitur quidem, qui ex natura inimicus, nempe mors, & quod circa eam verſatur peccati imperium, viſque & poteſtas. Subjicientur autem, qui alia ratione Dei dicuntur inimici, qui à regno transfugerunt ad peccatum.* Tum paulo poſt; ὡς διὰ τούτου γενέσθαι δῆλον, ὅτι τῶν μὲν κα-

Ibid.a κῶν ἡ δυναστεία εἰς τὸ παντελὲς ἐξαρθήσεται. οἱ δὲ διὰ τῆς παρακοῆς ἐχθροὶ τοῦ θεοῦ κληθέντες, οὗτοι διὰ τῆς ὑποταγῆς φίλοι τοῦ Κυρίου γενήσονται, ὅταν πεισθῶσι τῷ λέγοντι, ὅτι ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ. *Adeo ut ex hoc ſit perſpicuum, quod malorum quidem potentia omnino tolletur; qui autem propter inobedientiam vocati ſunt Dei inimici, ii per ſubjectionem Dei fient amici, cum fidem adhibuerint dicenti. Pro Chriſto legatione fungimur: tamquam Deo per nos hortante, rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Poſtremo

ſtremo denique ait omnes qui nunc inimici vocantur olim factum iri *ſcabellum pedum Dei* ἐν τῷ δέξασθαι τὸ θεῖον ἴχνος ἐν ἑαυτοῖς , *eo quod in ſe divina ſuſceperint veſtigia , morte deleta.* In quibus omnibus manifeſte apparent Origenis de impiorum & dæmonum *reſtitutione* non ſolum ſenſus , dogmaque ipſum , ſed etiam enthymemata & argumenta. Atque hæc quidem de Nyſſeno. *Ibid.p.21.a*

CAPVT VIII.

Reſpondetur ad objecta Hieronymi loca; oſtenditurque ea partim ad ſuperius Origenis commentum , partim ad ejus quemdam ſurculum pertinere , quo multi etiam Catholici illo tempore ſtatuebant omnes in externa communione Eccleſiæ mortuos ſalvatum iri.

QVid , quod idem illud Origenis de damnatorum *purgatione*, & ſalute delirium in ipſius quoq; Hieronymi Commentariis hæſit ? Certe non alio referri poſſunt , quæ ille in Prophetam Amos his verbis ſcripta reliquit ; *Extrema medicina eſt* (inquit) *& decem tribuum , & hæreticorum , & omnium peccatorum , ut postquam mortem miſerit* (Deus) *in via Ægypti , & percuſſerit juvenes eorum gladio, equoſque conſumpſerit, & accendere fecerit putredinem caſtrorum in nares eorum, & ne ſic quidem ad eum reverſi fuerint , ſubvertat eos , ſicut ſubvertit Deus Sodomam , & Gomorram ; & cum ſubverſi fuerint ob ſimilitudinem criminum Sodomæ , & Gomorræ , peſſimaque in eis ædificia ignis exuſſerit , ipſi liberentur , quaſi torris raptus de incendio. Et quomodo Lot Sodoma pereunte ſervatus eſt, amittens ſubſtantiam & partem corporis ſui, quam intelligimus uxorem ; Sic omnes iſti divitias Sodomorum amittentes, evadant nudi, juxta illud, quod in Apoſtolo legimus ;* Sicujus opus manſerit , quod ſuperædificavit , mercedem accipiet. Sicujus autem opus arſerit , detrimentum patietur ; ipſe autem ſalvus erit ; ſic tamen quaſi per ignem. *Qui ergo* ſalvatur per ignem *quaſi* torris de *incendio rapitur. Et ad iſtius modi homines quos in Euangelio Salvator arguens loquebatur ,* Si filii eſſetis Abraham , opera Abraham faceretis, *Ioannes Baptiſta dicit,* Progenies viperarum , quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ , & ne velitis dicere intra vos , Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod poteſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraham. *Igitur & Iſrael , & cuncti hæretici , quia habebant opera Sodomæ, & Gomorræ, ſubvertuntur ut Sodoma & Gomorra;* *Com.in c.4.Am. T.6.p.40.a*

 ut

ut quaſi torris raptus de incendio liberentur. Et hoc eſt, quod in Propheta legimus, reſtituetur Sodoma in antiquum, *ut qui vitio ſuo Sodomites eſt, poſtquam in eo Sodomæ opera arſerint, in antiquum reſtituatur ſtatum.* Atque hæc quidem apud Hieronymum; quibus clariſſime ſtatuuntur Iſraelitæ *decem tribuum*, id eſt *idololatræ*, & *hæretici*, peccatoreſque omnes poſtquam nullis Dei flagellis, ad pœnitentiam & converſionem ſubigi potuerint, *in ignem* mittendi, atque in eo tam diu arſuri, donec omnia, (ut loquitur) *peccati ædificia*, id eſt ſcelera & flagitia exuſta fuerint; quo tempore ipſos tandem liberatum, ac *ſalvatum iri* ait; eoque trahit, & quod eſt apud Amos, *facti eſtis ſicut torris raptus de incendio*; & quod eſt apud Apoſtolum, *Ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem*; quem locum teſtatur Auguſtinus ſic omnino ab iis fuiſſe explicatum, qui damnatorum nonnullos tandem poſt tormenta gehennæ ſervatum iri ſentiebant. Ex quibus fraus & inverecundia adverſariorum patet, qui hæc Hieronymi verba pro ſuo purgatorio citare non dubitant; & ex iis probare ſtudent Hieronymum illum Apoſtoli locum in ſuam ſententiam interpretari; quæ quam falſa ſint, nemo non videt. Nam hic Hieronymi locus de *idololatris*, & *impiis*, & *hæreticis*, & *impœnitentibus* loquitur, quorum illi nullum in *purgatorium* ſuum admittunt. Sunt ergo hæc plane Origenica, (qualia Hieronymus non pauca in Commentariis ſuis immiſcuit) quæ ipſe alibi non quidem omnino ſed tamen aliquatenus repudiat.

Bell. l. 1. de purg. c. 7. Eſt ignur.

Comment. in Iſai.

Nam totum quidem Origenis de univerſæ creaturæ rationalis, etiamque dæmonum, *purgatione* & *reſtitutione*, ac ſalute delirium nulli videntur Hieronymi temporibus inter Chriſtianos ſecuti. Sed non defuerunt tamen, qui inhoneſtum illud, atque execrandum dogma variis rationibus veluti temperantes, ac moderantes docerent; alii non ipſos quidem *dæmonas*, ſed *omnes* tamen *homines* aliquando ſervatum iri, vel ex ſola Dei bonitate, vel etiam ex piorum, totiuſque Eccleſiæ poſt reſurrectionem pro eorum ſalute precibus; alii non univerſos quidem homines *ſervari*, ſed tamen ex humano genere omnes, qui baptiſmum & euchariſtiam apud quoſcumque Chriſtianos ſuſcepiſſent. Alii etiam iſtis modeſtiores ſalutem iis ſolis promittebant, qui in Eccleſia Catholica, non autem apud hæreticos, ſacro lavacro initiati eſſent. Fuere, qui hanc conditionem præterea adderent, ſi ii in externa Eccleſiæ Catholicæ communione perſeverarent. Alii denique non alios ad ſalutis ſpem admittebant, quam eos, qui & perſeveraſſent, & eleemoſynas dediſſent. Has ſuis temporibus extitiſſe de hac quæſtione ſententias teſtatur non ſemel Auguſtinus; Earum autem omnium

Ench. c. 67. q. 1. ad Dulcit. l. 21. de C. D. c. 18. 19. 20. 21. 22.

um (excepta prima) tria quædam communia fuerunt; Primum, quod eos homines, qui conditiones, quas ſingulæ requirebant, habuiſſent, tandem *ſervatum iri*, contendebant; utcumque de cætero flagitioſam, & ſceleratam vitam in terris ad mortem ſine ulla vera pœnitentia egiſſent; Secundum quod quoſcumque flagitioſos ac impœnitentes ſervari volebant, eos antequam ſalutem adipiſcerentur, ipſo illo *gehennæ igne*, quo in ultimo judicio punientur mali, pro criminum ſuorum modo atque ratione, tantiſper cruciari concederent, donec omni labe purgati eſſent. Tertium denique quod omnes nobili illo Pauli ad Corinthios loco *ſervabitur, ſed tamquam per ignem*, ad ſuum ſinguli tuendum errorem abuterentur; non aliter quam hodie adverſarii ad accendendam *purgatorii* ſui fornacem eum quoque ipſum *ignem* adhibere ſolent. Auguſtinus contra iſta omnia deliria acriter, neque uno loco pugnat conſerta cum iis, qui illa defendebant, manu; quos *humana quadam benevolentia deceptos* fuiſſe ait; fuſeque oſtendit neminem æternæ ſalutis compotem umquam fore, niſi qui vera *fide ex dilectione operante* præditus fuerit; adeoque cum ſacramentorum perceptione, ac externa veræ Eccleſiæ communione, ſanctimoniæ quoque, ac caritatis, & juſtitiæ ſtudium conjunxerit. Ac præter cætera loca, in quibus iſtos vir ſanctus oppugnat, librum *de fide & operibus* proprie & ex inſtituto contra eos ſcripſit. Cæterum non diſſimulat quoſdam fuiſſe etiam Catholicos, qui ſi non alias, certe duas poſtremas ex iſtis ſententiis tuerentur. Sic enim ait; *Creduntur à quibuſdam etiam ii, qui nomen Chriſti non relinquunt, & ejus lavacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea ullo ſchiſmate, vel hæreſi præciduntur, in quantiſlibet ſceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis uſque ad hujus vitæ ultimum diem pertinaciſſime perſeverent*, ſalvi *futuri* per ignem, *licet pro magnitudine facinorum, flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici ſunt humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura divina aliud conſulta reſpondet.* Iam iſtorum, qui hoc credebant, & tamen Catholici erant, unus videtur fuiſſe Hieronymus. Certe iſtorum ſententia in ejus operibus duobus locis diſerte expreſſa habetur; quorum prior extat extremis in Iſaiam commentariis; *Sicut Diaboli* (inquit) *& omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo*, Non eſt Deus, *credimus æterna tormenta; ſic peccatorum, atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ ſententiam judicis.* Poſterior locus legitur in opere Contra Pelagianos; *Si autem* (inquit) *omnes rationa-*

Aug. 21. de civ. D. c. 21. extr.

Enchir. c. 67. T. 3

l. 1. Contr. Pelag. T. 2. p. 97. m.

biles creaturas dicit non eſſe perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui Diabolum, & ſatellites ejus, omneſque impios, & prævaricatores dicimus perire perpetuo; & Chriſtianos (ſi in peccato præventi fuerint) ſalvandos eſſe poſt pœnas? Vtriuſque loci idem, ut apparet, ſenſus eſt; continens Hieronyminianæ ſententiæ cum Origenica antitheſin. Hic quidem concedit Hieronymus non tantum Diaboli, ſed etiam negatorum & atheorum æterna fore tormenta, quod ipſum in Amos negare viſus eſt. Sed *impiorum* (ut loquitur) *Chriſtianorum moderatum*, ac *clementiæ mixtum arbitratur* fore judicium; quod omnino idem eſt cum eo, quod illi ab Auguſtino memorati, ac confutati Catholici ſtatuebant, *diuturno quidem, non tamen æterno igni* punitum iri peccatores *impœnitentes, qui in Eccleſia baptizati numquam Chriſti nomen reliquiſſent.*

Invectiv. 1. in Hier. Atque hæc fortaſſe præter cæteras cauſſa fuit, cur Ruffinus Origeniſmum Hieronymo tribuerit. Sane hoc ipſo in Iſaiam loco cum Origene agit molliter, neque pro innata, ac ſolenni vehementia, dogmaque

Vb. ſupr. ejus non tam damnat, quam non definit. Sic enim ille; *Quæ omnia replicant* (inquit) *aſſeverare cupientes poſt cruciatus, atque tormenta futura refrigeria, quæ nunc abſcondenda ſunt ab his, quibus timor utilis eſt, ut dum ſupplicia reformidant, peccare deſiſtant. Quod nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere, cujus non ſolum miſericordiæ, ſed & tormenta in pondere ſunt; & novit quem, quomodo, & quamdiu debeat judicare, ſolumque dicamus, quod humanæ convenit fragilitati*, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Et ſicut Diaboli, & omnium negatorum*; & cætera, quæ nuper deſcripſimus. Sed & ipſe Bellarminus, cum iſtum quorundam errorem ex Auguſtino retuliſſet, qui volebant

l. 2. de purg. c. 1. § Eſt autem obſ. *omnes Catholicos in fide perſeverantes*, quamquam peſſime vixiſſent, *ſervari*, hæc ſubjicit; *Eſt autem obſervandum eſſe aliquos, qui arbitrentur B. Hieronymum in hoc errore fuiſſe*; continuoque affert duo hęc ipſa Hieronymi à nobis deſcripta loca. Hi autem qui fuerint, non dicit; quo videtur innuere fuiſſe ſuæ communionis homines. Nam ſi noſtræ fuiſſent, veriſimile eſt eum profeſſurum fuiſſe adverſarios. Vnde colligendum videtur fuiſſe inter ipſos adverſarios, qui hanc, quam diximus, Hieronymi mentem eſſe in duobus illis locis agnoverint. Noſtrorum vero quoſdam priora illa Hieronymi ex Commentario in Iſaiam verba aliter accepiſſe ſcio, ac ſi ſignificarent tantum *impiorum Chriſtianorum* damnationem *leviorem* ac *mitiorem* fore, quam impiorum *negatorum*;

l. 21. de Civ. D. c. 24. æternam autem futuram non negarent. Nam & Auguſtinus adverſus Origeniſtas diſputans, iis concedit, ut *mitiores* eorum, qui Chriſtiani fuerint, pœnas fore ſentiant, dummodo *æternas* confiteantur; *Quibus*

placet

placet (inquit) *iſtam ſententiam* (hanc ſcilicet ex pſalmo 143. Numquid obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas?) *uſque ad illa impiorum tormenta protendere; ſaltem ſic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno pronunciata ſupplicio, non contineat Deus in hac ira ſua miſerationes ſuas, & faciat eos non tanta quanta digni ſunt pœnarum atrocitate cruciari; non ut eas pœnas, vel numquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed ut eas mitiores, quam merita ſunt eorum, levioreſque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipſa ira ſua miſerationes ſuas non continebit.* Hæc Auguſtinus. Vtinam vero in eum ſenſum allata Hieronymi verba accipere liceret! Sed ut libere eloquar quod ſentio, vix id patitur ipſa illius oratio. Nam cum *Diaboli* & *negatorum*, & *atheorum* tormentis *Chriſtianorum impiorum* tormenta clariſſime comparet, hæcque illis opponat; omnino exigit hujus antitheſeos ratio, ut cum illa *æterna* fore pronunciet, hæc *temporalia* futura intelligat. *Vt Diaboli*, inquit, *tormenta æterna credimus; ſic impiorum Chriſtianorum ſententiam moderatam arbitramur, & clementiæ mixtam.* Quis non videt, ut legitima ſit oppoſitio, plane requiri, ut illa clementiæ mixtura, qua horum tormenta temperat, eorum durationem reſpiciat? ſic, ut hæc aliquando deſitura ſint, cum illa ſempiterna futura ſint? Si hoc non habuiſſet in animo, dixiſſet proculdubio, horum *tormenta æterna* quidem & ipſa fore, ſed tamen *mitiora*, *clementiæque mixta*. Tum ſi hos æternum in gehenna fore ſenſit, quid eſt, quod ait *eorum opera in igne probanda, atque purganda?* Quiſquam-ne *Diaboli*, & *negatorum*, & breviter eorum, qui in *inferno* æternum manſuri ſunt, opera igne illo, quo cruciantur, *probari*, atque *purgari* dixerit? Huc denique accedit, quod in ſecundo loco hujus prioris gemino, diſerte ait, *Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas;* quo clariſſime ſignificat eam clementiam, qua *impiorum Chriſtianorum* ſententiam temperatum iri dicit, hujuſmodi fore, ut ipſos *poſt pœnas* ad ſalutem tandem aliquando admiſſura ſit. Itaque his rationibus cogor cum iis auctoribus, quos ſupra tacito eorum nomine memorabat Bellarminus, fateri duo hæc Hieronymi loca ad eorum errorem referenda eſſe, quos ait Auguſtinus ſenſiſſe *quicumque* Chriſtiani, licet impie & ſcelerate viventes, in externa Eccleſiæ communione perſeveraſſent, eos poſt tolerata aliquanto tempore gehennæ tormenta, ad ſalutem licet ſero, aliquando tamen perventuros. Bellarminus repugnat quidem fateor; ſed & molliter; neque ulla ſolida ratione. Sic enim agit. *l. 2. de purg. c. 3.* *Videtur tamen Hieronymus* (inquit) *in hoc errore non fuiſſe.* Ego vero *s. Videtur tamen* quid ipſe Hieronymus re vera ſenſerit, nunc non diſputo, qui non ra-

ro contraria, ac inter ſe pugnantia diverſis locis loquitur; ut vel in hoc ipſo argumento apparet. Nam quos hic à ſalute excludit *negatores* & *impios*, eos alibi in Commentario in Amos, & in epiſtolam ad Epheſios aliquando ſervatum iri non obſcure ſignificat. De locis ipſis Hieronymi, quem ea ſenſum habeant, quæro. Atqui ſole meridiano clarius eſt priore quidem dici *Chriſtianorum*, *licet impiorum* ac peccatorum *moderatam, ac clementiæ mixtam fore ſententiam* judicis. Quæ ſi alium, quam quem diximus ſenſum habere poſſint, non repugnabo quin ab iſto errore immunis fuiſſe putetur Hieronymus. Bellarminus ergo ut id conficiat, & hunc locum ad ſuum *purgatorium* trahat, ait Ibid.ſ. In locis. *his verbis nolle B. Hieronymum dicere omnes Chriſtianos ſalvandos poſt pœnas, ſed nullos ſalvandos poſt pœnas niſi Chriſtianos. Vnde* (inquit) *dicit quidem Chriſtianos impios ſalvandos, ſed addit conditionem reſtringentem, cum dicit*, quorum opera in igne probanda, & purganda; *id eſt illi ſoli Chriſtiani impii ſalvabuntur, quorum opera mala jam purgata quoad culpam purganda erunt quo ad reatum pœnæ.* Sed hæ meræ ſunt offuciæ. Primo quorſum iſte ait, non dicere Hieronymum *omnes Chriſtianos impios ſalvandos poſt pœnas?* Nemo cum hoc dicere affirmat. Fatemur eum ſolos eos *Chriſtianos* intelligere, qui cum neque ſint *apoſtatæ*, neque *hæretici*, vitam tamen *impie* in externa veri Chriſtianiſmi communione egerunt. Cœteros non habuit in animo, qui vel *negatores*, vel *ſchiſmatici*, aut *hæretici* ſunt, vel qui, *vita* & *factis*, non nomine tenus, Chriſtiani ſunt. Hos enim ſine ullis *pœnis*; illos ne poſt ullas quidem *pœnas* ſervatum iri conſtituit, ac. ut loquuntur, ſupponit. Sed illos alios, qui nomine quidem & profeſſione Chriſtiani ſunt, vita tamen & moribus *impii*, *clementiam* judicis aliquando experturos dicit diſertiſſime; quod ſi, ut fatentur adverſarii, *ſervari* eſt, certe relinquitur ut & iſtos tandem aliquando *ſervatum iri* crediderit, licet quam cæteros ſerius. Sed (inquit Bellarminus) addit conditionem reſtringentem, cum dicit *eorum opera igne probanda & purganda.* Horribile arcanum; Quaſi vero quiſquam neget Hieronymum aliter iſtos ſervari nolle, niſi poſtquam gehennæ igne eorum impietas ac mala opera purgata fuerint. Sed faceta eſt Bellarmini gloſſa in hæc Hieronymi verba; *quorum opera igne probanda ſunt & purganda*, id eſt (inquit Bellarminus) *quorum opera mala jam purgata quo ad culpam, purganda erunt quo ad reatum pœnæ.* O bonum & ſimplicem interpretem! Atqui Hieronymus iſtos, quos ſervatum iri putat, *impios* vocat. Tibine ergo Bellarmine, *impii*, qui pœnitentiæ ſacramento *purgati*, Chriſti ſacrificio juſtificati, culpæque omnis expertes, aliquas tantum *pœnas* debent? Certe hactenus inauditum fuit,

fuit, ut *impius* dicatur, qui cætera purus & ab omni culpa immunis, *pœnæ* tamen alicui, aut calamitati eſt obnoxius. Neque Hieronymum puto *pœnis* ſubjecturum fuiſſe quos tu nobis hic deſcribis Chriſtianos ab omni quam contraxerant peccatorum culpa purgatos. Sin reſpondes iſtos ab Hieronymo *impios* quidem dici, ſed (ut ſcholæ loquuntur) in *ſenſu diviſo*, non quod *impii* ſint, quo tempore purgatis ipſorum culpis moriuntur, ſed quod antequam purgarentur, *impii* eſſent; ſic nugatoriam facis hanc Hieronymi orationem totam. Ait enim *negatorum* quidem, & *atheorum* æterna eſſe tormenta; peccatorum autem & *impiorum Chriſtianorum*, quorum opera ignē purganda ſunt, non æterna. Atqui nulla omnino eorum erit inter ſeſe oppoſitio ſi per *impios Chriſtianos* eos intelligit, qui *impii* fuerunt quidem aliquando, ſed eſſe deſierunt, purgata ante mortem per Chriſti gratiam peccatorum, quæ admiſerant, culpa. Nam & *negatorum*, & *atheorum* par eſt conditio, ſiqui iſto ſenſu *negatores* & *athei* dicuntur, hoc eſt non qui tales ſint, ſed qui cum tales aliquando fuiſſent, per Domini indulgentiam pœnitentia ante mortem acta peccatorum remiſſionem conſecuti ſunt. Ne horum quidem tormenta magis quam *Chriſtianorum impiorum*, per te poſt mortem futura ſunt. Nam ego quidem utrorumq;, ſi hujuſmodi fuerint, ne ulla quidem poſt mortem tormenta futura ſtatuo; ſtatuit etiam, ut opinor Hieronymus. Si hæc eſt conditio, qua ille ſalutem impiis Chriſtianis promittit, nimirum ut eorum mala opera jam quo ad culpam purgata fuerint, potuit eam etiam *negatoribus* & *atheis* eadem lege polliceri. Quis enim neſcit neminem eſſe uſque adeo ἄθεον, & conſceleratum, qui Domini clementiam non ſit experturus, ſi modo eum impietatis vere & ex animo ante mortem pœniteat, ſine quo neque culpæ, neque pœnæ æternæ quiſquam remiſſionem conſequitur? Sed Hieronymus exſerte affirmat iſtorum omnium negatorum, & atheorum *æterna* eſſe tormenta. Ergo neceſſario intellexit hujuſmodi negatores & atheos, qui in ſcelere ſine pœnitentia ad mortem perſeverant; Vnde conſequitur, cum ſit eadem oppoſitorum ratio, *impios* quoque *Chriſtianos* hujuſmodi eum ſignificaſſe, qui in impietate ſine pœnitentia ad obitum uſque manent. Ex quibus, clariſſime conficitur Hieronymum hic velle etiam eos, qui tales ſunt, aliquando tandem ſervatum iri, quorum ſcilicet *ſententiam moderatam* fore ait, & *clementiæ mixtam*. Iam quibus Bellarminus probare ſtudet non fuiſſe eum in hoc errore verſatum ea leviſſima ſunt. *Capite* (inquit) *Matthæi* 25. *ubi manifeſte agitur de damnatione fidelium peccatorum ita ſcribit; Prudens lector attende, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habe-*

at

at ruinarum. Audio. Obſervat Hieronymus ſupplicia eſſe *æterna*; contra Origenem,qui ulla *æterna* fore negabat. Nulla fore *non æterna*,non dicit. Nimirum, (quod hic clariſſime expreſſit) Diaboli, atheorum, negatorum *æterna* eſſe vult; *Impiorum Chriſtianorum* diuturna quidem, aliquando tamen deſitura arbitratur. Illud ex Chriſti apud Matthæum verbis probat; de hoc nihil hic in alterutram partem dicit. Quod vero ait Bellarminus Matthæi viceſimo quinto agi de *damnatione fidelium peccatorum*; primum mirifice loquitur, qui *fideles* aliquos *damnatum* iri dicit; quo nihil à Scripturæ ſermone magis alienum fingi potuit. Tum fateor de *hominum impiorum*, qui fidem & Chriſtum falſo profeſſi ſunt, *damnatione* iſtic agi; *ſupplicia* quæ hinc *æterna* fore colligit Hieronymus, eorum ipſorum eſſe *ſupplicia*, qui *impie*,licet in externa Eccleſiæ communione vixerint, nego. Ex eo quod *ignis*,in quem conjicietur diabolus una cum impiis *æternus* dicitur, & Hieronymus, & qui cum eo ſentiebant, contra Origenem concludebant gehennam *æternum arſuram*; aliquorum adeo ſupplicia *æterna* fore. Quod vero *Chriſtianos impios* ſervatum tandem iri opinabantur, eos in gehennam quidem miſſum iri continebantur; in ea æternum manſuros negabant. Huc etiam accedit, quod ex ipſis Chriſtianis nonnullos æternum perituros concedebant, *negatores* ſcilicet & *hæreticos*; de quibus fortaſſe ſolis illa Chriſti aqud Matthæum verba accipienda reſpondiſſent; ut pœnarum, quas iis conſtituit, æternitas nihil ad eos pertineat, qui impii quidem reapſe,ſed tamen profeſſione Chriſtiani & Catholici ad mortem uſque fuerunt. Secundo deſcribit Bellarminus hæc Hieronymi verba ex commentario in epiſtolam Pauli ad Galatas; *Putamus* (inquit) *nos regnum Dei conſequi, ſi à fornicatione, idololatria, veneficiis immunes ſimus. Ecce inimicitia, contentio, ira, rixa, diſſenſio, ebrietas quoque, & cætera quæ parva arbitramur, excludunt nos à regno Dei.* Reſpondere poterit Hieronymus ſe intellexiſſe his à regno Dei excludi Chriſtianos & nunc,& ultimo die; non ſic tamen,ut non aliquando,quamquam ſero, poſtquam diuturnis tormentis in gehenna cruciati fuerint, in cœleſtem vitam admittantur, qui in externa Eccleſiæ Catholicæ communione ad finem perſeveraverint; quomodo hęc & alia conſimilia Scripturę loca interpretatos eſſe veriſimile eſt tum Origeniſtas,tum eos qui ſententias illas, quas ex Auguſtino retulimus, ex Origenica velut ex matrice propagatas tuebantur. Itaque qui ſic loquutus eſt Hieronymus, nihil eum vetat paria cum ipſis ſenſiſſe de ſera illa *impiorum Chriſtianorum* reſtitutione, ac ſalute. Neque aliud evincunt, quæ Sixtus ex ejus commentario in caput Ionæ tertium attulit; quo loco diabolum,

Biblioth.l.6.ar. 290.

bolum, & impios & negatores à ſalutis ſpe in æternum excludit contra Origenem; de Chriſtianis peccatoribus, quibus hic clementiam Dei pollicetur, nihil proprie dicit. Denique huc accedit, quod etiamſi aliqua reperirentur in Hieronymi libris, quæ cum hoc errore pugnarent, non ideo tamen ſequeretur non eum hoc ſenſiſſe, quod dicit. Ipſe quidem non ſemel profitetur ſe non omnia, quæ in commentariis poſuit, præſtare debere; cum hujus generis quædam à Ruffino, & ab Auguſtino ei objicerentur. Et hanc ipſam ejus ſententiam, in qua nunc verſamur, in Origenis quoque homilia nona in diverſos reperiri Coquæus annotavit. Sed tamen eum id ipſum quod dicit, ſenſiſſe clarum eſt, ex eo quod hæc in Iſaiam ſcribens ſuam ſententiam Origenicæ opponit. Neque eam poſtea mutaſſe inde liquet, quod ſuum illud in Pelagianos Opus, in quo illam adhuc retinet, poſtremis vitæ temporibus ſcripſit, anno Domini 416: id eſt quarto ante diſceſſus ſui diem anno. Itaque concluſum tandem eſto hæc duo Hieronymi loca nonnulla Origenici erroris labe inſperſa eſſe; ſtatuereque homines, quantumvis impios, & impœnitentes, nihiloſecius poſt aliqua in gehenna tormenta ſervatum iri, ſi modo in externa Eccleſiæ catholicæ communione ad obitum permanſerint. Vnde apparet, quem hic memorat *ignem* nihil habere cum adverſariorum purgatorio commune. Nam hic quidem Hieronymi *ignis impiorum* eſt; adverſariorum vero ignis *fidelium* in Chriſti ſanguine juſtificatorum, & vera pœnitentia functorum. Ergo niſi veri fideles pro *impiis* habeantur idem eſſe non poteſt hic, & ille *ignis*. Cumque qui in impios arſurus eſt *ignis*, non alius ſit, quam gehennæ, neceſſario de gehenna intelligendus eſt hic ab Hieronymo memoratus *ignis*. Quod etiam eos ſenſiſſe refert Auguſtinus, quorum dogma hic ab Hieronymo expreſſum fuiſſe diximus. Illi enim ajebant ſuos illos corruptæ, ac ſceleratæ vitæ Chriſtianos *ſalvos fieri per ignem, hoc eſt poſt pœnas ignis illius liberari, quo igne in ultimo judicio punientur mali*. Atque ex his poſtremo intelligere quivis poteſt, quam fruſtra atque inutiliter hæc duo Hieronymi loca Bellarminus attulerit ad confirmandum ſuum purgatorium, à quo plane ſunt aliena. Nam cum & *ignis* quem Hieronymus intelligit, *gehenna* ſit, & quorum eo *igne purgari* opera vult, ii *impii* ſint, *peccato* ſine pœnitentia *præventi*, quis non videt neutro loco aſtrui, quod ex eo probare Bellarminus voluit adverſariorum *purgatorium*? vel confici de eodem eſſe accipiendum Paulinum tertio prioris ad Corinthios capite *ignem*, quorſum uterque peſſima fide à Bellarmino citatus fuit? Alioqui fateri debent adverſarii & *gehennam*

Comm. in Ioel. c. 3. T. 6. p. 58. b. c. d.

In l. 21. de C. D. c. 21.

L. 21. de civ. D. c. 21. extr.

L. 1. de purg. c. 10. §. 8. Hieron.

S. Hieron. ibid. c. 5.

eſſe

eſſe ſuum *purgatorium*, & quos eo ablegant *impios*, atque *impœnitentes* ad obitum fuiſſe, tametſi nomine tenus Chriſtianos; quod utrumque cum negent, illud denique agnoſcere debent nullum eſſe hactenus in Hieronymo cauſſæ huic ſuæ præſidium. Nam quod Bellarminus præter ſuperiora, non dubitavit alicubi ſcribere *docere Hieronymum illum Michææ locum*, Ne læteris inimica mea &c. *afferri ſolitum pro purgatorio*, id inquam craſſiſſima eſt impoſtura, quam iſte pro conſueto pudore lectori propinavit. Quod ut intelligatur, afferenda ſunt ipſa Hieronymi, quæ ille innuit, verba; *Porro* (inquit) *qui volunt ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tempora, tamen habere terminum his utuntur teſtimoniis*, Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſalvus fiet; *& iterum*, Concluſit Deus omnia ſub peccato, *& in alio loco ſanctus loquitur*, Iram Domini ſuſtinebo, quia peccavi ei, donec juſtificet cauſſam meam, & educat me in lucem, &c. qui ipſiſſimus eſt Michææ locus, quem hinc probat Bellarminus de ſuo *purgatorio* exponendum eſſe, ex Hieronymi ſcilicet & veterum Catholicorum auctoritate. Atqui hi, quos Hieronymus iſtis, & quibuſdam aliis teſtimoniis uti ait, non Catholici erant, ſed Origeniſtæ hac in parte hæretici, quos ille ſic clare deſcribit, ut eos nemo non poſſit agnoſcere; *qui* ſcilicet *volebant ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tempora, tamen terminum habere tormenta.* Mox adjectis aliis quibuſdam teſtimoniis, quibus iſti pariter abutebantur, *Quæ omnia* (inquit) *replicant aſſeverare cupientes poſt cruciatus & tormenta futura refrigeria.* Hæc ergo Michææ expoſitio, qua ſe tuetur Bellarminus, non catholicorum & orthodoxorum Patrum interpretatio eſt; ſed heterodoxorum impudens, & ab ipſo Hieronymo ſuggillata, ad delirium Origenis conſtituendum gloſſa. En quales Romanum *purgatorium* patronos habeat!

L. 1. de purg. cap. 3. §. Octavus.

Hier. com. 18. in Is. extr. T. 5.

Mich. 7.

Hier. ibid.

Atque hæc de iis Patrum locis dicta ſunto, in quibus aliqua Origenici de damnatorum purgatione, & ſalute delirii labes hæſiſſe videtur.

CAPUT

CAPUT IX.

Solutio ſecundi argumenti ex multis Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Cæſarii Arelatentis, Euſebii Emiſſeni, Eligii Noviomenſis teſtimoniis ducti; quæ non ad purgatorium Romanum, ſed ad ignem homines reſuſcitatos ultimo die ex iſtorum commento luſtraturum, pertinere oſtenditur; ac inſignis Bellarmini in iſtis contradictio, atque impoſtura detegitur, & coarguitur.

SEquitur alter locorum ordo, ad alium quemdam Patrum errorem pertinentium, iſto quidem Origenico leviorem, ſed nullus tamen vel Scripturæ, vel rectæ rationis fundamentis nixum; & à ſola veterum hallucinatione profectum; quique nullos jam habet vel in noſtris, vel in adverſariorum partibus ſectatores. Putarunt enim veteres plærique ſuprema mundi die omnes eos, qui coram Chriſti Domini tribunali judicandi ſiſtentur terribili quodam *igne* probatum, atque examinatum iri; cujus vi boni à malis ſcilicet diſcernentur, atque ſeparabuntur, optimique à mediis; & ſiquid bonis vitii ex anteacta in terris vita inolitum, ac concretum adhæſerit, id ſtatim purgatrice illa flamma conſumptum iri. Hæc eſt Lactantii, Ambroſii, Hilarii, & aliorum ſententia. Lactantius; *Idem divinus* L. 7. c. 21. *ignis* (inquit) *una eademque vi, ac potentia, & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit; quod poetæ in vulturem Tityi tranſtulerunt. Ita ſine ullo vireſcentium corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet. Sed & juſtos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena juſtitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid inde, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat.*

Hilarius; *An cum ex omni otioſo verbo rationem ſimus præſtituri diem* In pſ. 118. *judicii concupiſcimus, in quo nobis eſt indefeſſus ille ignis obeundus? in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia? B. Mariæ animam gladius pertranſibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Si in judicii ſeveritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt; deſiderare quis audebit à Deo judicari?*

Ambroſius; *Siquidem* (inquit) *poſt conſummationem ſæculi miſſis* Serm. 3. in pſ. 118. p. 1438.

 Angelis, a. b.

eſſe ſuum *purgatorium*, & quos eo ablegant *impios*, atque *impœnitentes* ad obitum fuiſſe, tametſi nomine tenus Chriſtianos; quod utrumque cum negent, illud denique agnoſcere debent nullum eſſe hactenus in Hieronymo cauſſæ huic ſuæ præſidium. Nam quod Bellarminus præter ſuperiora, non dubitavit alicubi ſcribere *docere Hieronymum illum Michææ locum*, Ne læteris inimica mea &c. *afferri ſolitum pro purgatorio*, id inquam craſſiſſima eſt impoſtura, quam iſte pro conſueto pudore lectori propinavit. Quod ut intelligatur, afferenda ſunt ipſa Hieronymi, quæ ille innuit, verba; *Porro* (inquit) *qui volunt ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tempora, tamen habere terminum his utuntur teſtimoniis*, Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſraël ſalvus fiet; *& iterum*, Concluſit Deus omnia ſub peccato, *& in alio loco ſanctus loquitur*, Iram Domini ſuſtinebo, quia peccavi ei, donec juſtificet cauſſam meam, & educat me in lucem, &c. qui ipſiſſimus eſt Michææ locus, quem hinc probat Bellarminus de ſuo *purgatorio* exponendum eſſe, ex Hieronymi ſcilicet & veterum Catholicorum auctoritate. Atqui hi, quos Hieronymus iſtis, & quibuſdam aliis teſtimoniis uti ait, non Catholici erant, ſed Origeniſtæ hac in parte hæretici, quos ille ſic clare deſcribit, ut eos nemo non poſſit agnoſcere; *qui* ſcilicet *volebant ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tempora, tamen terminum habere tormenta.* Mox adjectis aliis quibuſdam teſtimoniis, quibus iſti pariter abutebantur, *Quæ omnia* (inquit) *replicant aſſeverare cupientes poſt cruciatus & tormenta futura refrigeria.* Hæc ergo Michææ expoſitio, qua ſe tuetur Bellarminus, non catholicorum & orthodoxorum Patrum interpretatio eſt; ſed heterodoxorum impudens, & ab ipſo Hieronymo ſuggillata, ad delirium Origenis conſtituendum gloſſa. En quales Romanum *purgatorium* patronos habeat!

L. 1. de purg. cap. 3. §. Octavus.

Hier. com. 18. in Is. extr. T. 5.

Mich. 7.

Hier. ibid.

Atque hæc de iis Patrum locis dicta ſunto, in quibus aliqua Origenici de damnatorum purgatione, & ſalute delirii labes hæſiſſe videtur.

CAPUT

CAPVT IX.

Solutio ſecundi argumenti ex multis Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Cæſarii Arelatentis, Euſebii Emiſſeni, Eligii Noviomenſis teſtimoniis ducti; quæ non ad purgatorium Romanum, ſed ad ignem homines reſuſcitatos ultimo die ex iſtorum commento luſtraturum, pertinere oſtenditur; ac inſignis Bellarmini in iſtis contradictio, atque impoſtura detegitur, & coarguitur.

SEquitur alter locorum ordo, ad alium quemdam Patrum errorem pertinentium, iſto quidem Origenico leviorem, ſed nullus tamen vel Scripturæ, vel rectæ rationis fundamentis nixum; & à ſola veterum hallucinatione profectum; quique nullos jam habet vel in noſtris, vel in adverſariorum partibus ſectatores. Putarunt enim veteres plærique ſuprema mundi die omnes eos, qui coram Chriſti Domini tribunali judicandi ſiſtentur terribili quodam *igne* probatum, atque examinatum iri; cujus vi boni à malis ſcilicet diſcernentur, atque ſeparabuntur, optimique à mediis; & ſiquid bonis vitii ex anteacta in terris vita inolitum, ac concretum adhæſerit, id ſtatim purgatrice illa flamma conſumptum iri. Hæc eſt Lactantii, Ambroſii, Hilarii, & aliorum ſententia. Lactantius; *Idem divinus* L. 7. c. 21.
ignis (inquit) *una eademque vi, ac potentia, & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit; quod poetæ in vulturem Tityi tranſtulerunt. Ita ſine ullo viréſcentium corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet. Sed & juſtos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena juſtitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid inde, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat.*

Hilarius; *An cum ex omni otioſo verbo rationem ſimus præſtituri diem* In pſ. 118.
judicii concupiſcimus, in quo nobis eſt indefeſſus ille ignis obeundus? in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia? B. Mariæ animam gladius pertranſibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Si in judicii ſeveritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt; deſiderare quis audebit à Deo judicari?

Ambroſius; *Siquidem* (inquit) *poſt conſummationem ſæculi miſſis* Serm. 3. in pſ. 118. p. 1438.
Angelis, a. b.

Angelis, qui ſegregent bonos & malos, hoc futurum eſt baptiſma; quando per caminum ignis iniquitas exuretur, *ut* in regno *Dei* fulgeant juſti ſicut Sol in regno patris ſui. *Et ſi aliquis, ut Petrus ſit, ut Ioannes, baptizatur hoc igni. Veniet ergo Baptiſta magnus (ſic enim eum nomino, quo modo nominavit Gabriel dicens*, Hic erit magnus.) *Videbit multos ante paradiſi ſtantes veſtibulum; Movebit romphæam verſatilem. Dicet eis, qui à dexteris ſunt, non habentibus gravia peccata, Intrate, qui præſumitis; qui ignem non timetis. Prædixeram etiam vobis*, Ecce venio ſicut ignis. Mox; *Sed quia hic purgatus* (inquit) *iterum neceſſe habet illic purificari, illic quoque nos purificet; quando dicat Dominus*, Intrate in requiem meam; *ut unus quiſque noſtrum uſtus romphæa illa flammea, non exuſtus, introgreſſus in illam paradiſi amœnitatem, gratias agat Domino ſuo, dicens*, Induxiſti nos in refrigerium. *Qui ergo per ignem tranſierit in-*
Serm. 20. in pſ.118.p. 1590. a.b.c. *trat in requiem.* Idem alibi in eodem opere; *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradiſum redire deſiderant. Non enim otioſe ſcriptum eſt, quod ejectis Adam & Eva de paradiſi ſede poſuit Deus in exitu paradiſi gladium igneum verſatilem. Omnes oportet tranſire per flammas; ſive ille Ioannes Evangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum*, Sic eum volo manere; quid ad te? *De morte ejus aliqui dubitaverunt; De tranſitu per ignem dubitare non poſſumus; quia in paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto. Sive ille ſit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum qui ſupra mare ambulavit; oportet dicat*, Tranſivimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. *Sed Ioanni cito verſabitur igneus gladius, quia non invenitur iniquitas in eo, quem dilexit æquitas. Siquid in eo vitii humani fuit, charitas divina decoxit. Alæ enim ejus ſicut alæ ignis. Qui habuerit hic caritatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit. Ipſi Petro, qui toties mortem ſuam pro Chriſto obtulit, dicet*: Tranſi; recumbe. *Sed ille dicet*; Igne nos examinavit; ſicut examinatur argentum. *Etenim in quo aqua multa excludere non potuit caritatem, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabitur, ut argentum. Ego examinabor, ut plumbum. Donec plumbum tabeſcat, ardebo. Si nihil argenti in me inventum fuerit, heu me, in ultima inferni detrudar, aut ut ſtipula totus exurar. Siquid inventum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, ſed per miſericordiam & gratiam Chriſti, per miniſterium ſacerdotii, dicam fortaſſe ego*; Etenim qui ſperant in te, non confundentur. *Illo igitur igneo gladio* iniquitas *exuretur, quæ* ſedet ſuper talentum plumbeum. *Ideo unus ignem illum ſentire non potuit, qui eſt juſtitia Dei Chriſtus, quia* peccatum non fecit. *Nihil enim ignis in eo quod exurere poſſet invenit.*

Denique ne plura congeram, idem hæc habet in alio loco; *Omnes*

igne

igne examinabimur; Et allatis quibuſdam Malachiæ verbis, *Igne ergo* In pſ. 36. T. 4. p.
purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. Sed hi etſi per ignem 1303. c. d
examinabuntur, dicent tamen; Tranſivimus per ignem, & aquam. *Alii*
in igne remanebunt. Illis rorabit ignis, ut Hebræis pueris, qui incendio for-
nacis ardentis objecti ſunt. Miniſtros autem impietatis ultor ignis exuret. Væ
mihi, ſi meum opus arſerit, & laboris hujus patiar detrimentum. Et ſi ſal-
vos faciet Dominus ſervos ſuos, ſalvi erimus per fidem, ſic tamen ſalvi, quaſi
per ignem. *Et ſi non exuremur tamen uremur. Quomodo tamen alii rema-*
neant in igne, alii pertranſeant, alio loco nos doceat Scriptura divina. Nem-
pe in mare rubrum demerſus populus eſt Ægyptiorum; Tranſivit autem po-
pulus Hebræorum. Moyſes pertranſivit; Præcipitatus eſt Pharao, quoniam
gravia eum peccata merſerunt. Et modo præcipitabuntur ſacrilegi in lacum
ignis ardentis, qui ſuperba in Deum jactavere convitia. Atque hæc Am-
broſius; quo & illa referenda ſunt, quæ idem habet in parabolam eu-
angelicam de debitore, non ante è carcere exituro, quam noviſſimum
quadrantem ſolverit; *Quadrantem autem in balneis* (inquit) *dari ſolere* l. 7. comm. in Luc.
reminiſcimur; cujus oblatione, ut illic unuſquiſque lavandi accipit faculta- c. 12. extr. pag.
tem; ita hic accipit eluendi; quia uniuſcujuſque peccatum ſupra ſcriptæ ge- 1739.
nere conditionis eluitur; cum tamdiu exercetur noxius pœnis, ut commiſſi
ſupplicia erroris expendat. Vult nimirum quemque pro ratione pecca-
torum, quæ ſibi adhæſerant, ex illo igne maturius, aut tardius exire
poſtquam contractam labem flammeo illo lavacro eluerit. Ambroſium
enim ultimi judicii purgationem hoc loco intelligere, primum ex eo
patet, quod hic perpetuus conſtanſque eſt viri ſenſus, ut docent nuper
allata ejus loca, neque ille uſquam alterius mortuorum *purgationis* me-
minit. Sed & in ipſo hoc loco teſtatur ſibi de ultimi judicii tempore
ſermonem eſſe. Explicans enim paulo ante, quis ille ſit judex, cui nos
ab accuſatore trademur: *Hunc* (inquit) *magiſtratum tibi, & judicem* Ibid. a b
monſtrat, qui monſtravit, & accuſatorem (Paulus nimirum) *& oſtendit*
quando ſit revelandus, In die (inquit,) qua Deus judicabit occulta ho-
minum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum Dominum
noſtrum. Hic *igitur eſt judex Ieſus Chriſtus, per quem omnium occulta re-*
darguuntur, & improbi operis pœna mandatur. Vis ſcire Chriſtum eſſe ju-
dicem, qui exactori tradit, & in carcerem mittit? Ipſum interroga; imo
ipſum lege in Euangelio dicentem, Tollite, & mittite illum in tenebras
exteriores. *Exactores quoque ſuos monſtravit alio loco*, Sic erit in con-
ſummatione ſæculi. *Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſto-*
rum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & ſtridor dentium.
Vult igitur Ambroſius Chriſtum à peccatore *noviſſimum* illum *quadran-*

tem ultimo demum die *in conſummatione ſaeculi* exacturum; id eſt eo tempore, quo adverſariorum *purgatorium*, ſi ipſis credimus, nullum amplius in rerum natura futurum eſt. Vnde patet nulla hæc Ambroſiana ratione eo trahi; inſciteque facere Bellarminum, qui hunc nobis locum recitat, quo probet Euangelicæ illius parabolæ carcerem ſuum eſſe *purgatorium*.

l.1 de purg. c.7. §. Ambroſius.

Ad hunc etiam veterum de noviſſimo illo igne errorem Bellarminus pertinere judicat, quæ Hieronymus in caput ſeptimum Amos, in hæc verba ſcribit, *Ecce vocabit ignem ad judicium. Idcirco*, (inquit) *nunc Dominus ad judicium ignem vocare ſe monſtrat, ut* uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probet, *& impleatur illud, quod ſcriptum eſt*, Ambulate in lumine ignis veſtri, &c. *Vocatus autem ignis ad judicium devorat primum abyſſum id eſt omnia genera peccatorum ligna, fœnum, ſtipulam; & poſtea comedet ſimul partem, hoc eſt ad ſanctos illius pervenit, qui in peculium Domini, & in ejus parte reputantur.* Tempus enim eſt, ut incipiat judicium à domo Domini. *Et in Ezechiel præcipitur his, qui pœnas illaturi ſunt*, A Sanctis meis incipite. *Et in Apoſtolo legimus*, Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. *Cumque omnes fuerimus in peccato, & jacuerimus ad ſententiæ veritatem, miſerebitur Dominus noſter, & quia parvuli ſumus, reſurrectionis nos tempore ſuſcitabit; ſive ſuſcitabit per virtutes, qui in vitiis jacebamus.* Sed hæc quidem in hanc ſententiam obſcurius dicta videntur; quod hoc *ignis*, de quo Hieronymus loquitur, judicium reſurrectionem præcedat; *ignis* autem, de quo alii Patres, eam ſequatur. Tum neque illud videtur poſt ultimi *ignis* judicium locum habere, quod hic dicitur *Dominus nos tunc per virtutes ſuſcitaturus, qui in vitiis* antea *jacebamus*. Itaque malim hunc Hieronymi locum ad afflictionum graviſſimarum quidem, ſed tamen temporalium ſive ſæcularium *ignem* referre, quo Deus ſuos in hac vita adhuc commorantes probare, atque *purgare* ſolet. Eo ſane pertinent Petri & Ezechielis quæ ille laudat, loca; Eo denique etiam referri poſſe illa quæ ex priore ad Corinthios citat. *Salvus erit quaſi per ignem*, ſatis teſtantur & Auguſtinus, & Gregorius Romanus.

l.2. de purg. c.1.

Hieron. com. 3. in Amos. T.6. pag. 46. b

Iam ad earumdem afflictionum temporalium *ignem* alium quoque ejuſdem Hieronymi in Malachiam locum pertinere, ipſe Bellarminus monuit. Deſcriptis enim his ex Malachiæ capite tertio verbis, *Ipſe ſedebit quaſi ignis conflans*, *Hic* (inquit) *ut recte exponit B. Hieronymus, agitur de tribulatione, quæ præcedet diem judicii ad purganda peccata fidelium.* Sane de afflictione eum locum accipit Hieronymus; *Ipſe his, qui peccant*

l.1. de purg. c.1. §. Secundo.

peccant graviter, ignis conflans *eſt*, *atque conſumens*; *qui autem levia peccata committunt*, herba fullonum, *ut lotis munditiam reſtituat*, &c. *Qui ſordes habent*, *ſpiritu judicii indigent*, *ut laventur*; *qui ſanguine pleni ſunt*, *ſpiritu combuſtionis*, *ut ſanguis*, *qui in eis extrinſecus litus eſt*, *auferatur*. Itaque ſtatim huc affert Domini verba, *Ignem veni mittere ſuper terram*, quæ evidentiſſime ad afflictiones pertinent. De tempore diem judicii præcedente nihil, quod equidem animadverterim, dicit eo loco Hieronymus. *Hieron. comm. in Malach. c. 6. p. 132. c*

Auguſtinus vero apertiſſime ſequitur illam ſuperiorum Patrum de noviſſimi diei *purgatione* ſententiam. His enim citatis Malachiæ verbis, *Quis ſuſtinebit diem introitus ejus*; *Ex his* (inquit) *quæ dicta ſunt videtur evidentius apparere in illo judicio quaſdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur*, Quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit, ut aſpiciat eum, quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorii, & quaſi herba lavantium, & ſedebit conflans, & emundans, ſicut aurum & argentum, & emundabit filios Levi, & fundet ſicut aurum, & ſicut argentum; *quid aliud intelligendum eſt? Dicit tale aliquid & Eſaias*; Lavabit Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis. *Niſi forte ſic eos dicendum eſt emundari à ſordibus, & eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium ſeparantur, ut illorum ſegregatio, atque damnatio, purgatio ſit iſtorum; quia ſine talium de cætero commixtione victuri ſunt. Sed cum dicit*, Et emundabit filios Levi, & fundet eos, ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offerentes hoſtias in juſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem; *utique oſtendit eos ipſos, qui emundabuntur, deinceps in ſacrificiis juſtitiæ Domino eſſe placituros, ac per hoc ipſi à ſua injuſtitia mundabuntur, in qua Domino diſplicebant. Hoſtiæ porro in plena, perfectaque juſtitia, cum mundati fuerint, ipſi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quam ſe ipſos? Verum iſta quæſtio de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur in aliud tempus differenda eſt. Filios autem Levi, & Iuda, & Hieruſalem ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, non ex Hebræis tantum, ſed ex aliis etiam gentibus congregatam; nec talem, qualis nunc eſt, ubi* ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; *Sed qualis tunc erit, velut area per ventilationem, ita per* IUDICIUM *purgata noviſſimum; eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio neceſſaria eſt.* Sic etiam capite ſequenti ait *igne judicii noviſſimi mundatum iri qui offerunt hoſtias in juſtitia*, id eſt ut clarum eſt, fideles æterna fœlicitate fruituros. Et paulo poſt, *Proinde* (inquit) *quia*

l. 20. de Civ. D. c. 25.

Iſ. 4.

Ibid. c. 26.

quia poſt judicium cum fuerint etiam igni mundati, qui ejuſmodi mundatione ſunt digni, in omnibus Sanctis nullum invenietur omnino peccatum. Idem docet in pſalmum ſextum, ubi hæc enarrans Prophetæ verba, *Domine ne in ira tua arguas; nec in furore tuo corripias me*, ſic ſcribit:

Id. in Pſ. 6. T. 8. *Arguuntur enim in die judicii, omnes, qui non habent fundamentum, quod eſt Chriſtus; emendantur autem, id eſt purgantur, qui huic fundamento ſuperædificant lignum, fœnum, ſtipulam; Detrimentum enim patientur; ſed ſalvi erunt, tamquam per ignem.* Vides, ut eos qui *fundamentum* habent, *emendatum* & *purgatum iri* dicat *in die* judicii, quo arguentur impii. Vnde intelligitur eodem quoque pertinere quæ in eadem illa Prophe-

In pſ. 37. tæ verba pſalmo triceſimo ſeptimo repetita ſcribit; *futurum eſſe, ut quidam in ira à Deo emendentur, & in indignatione arguantur, & forte non omnes, qui arguuntur, emendatum iri; ſed tamen futuros in emendatione quoſdam ſalvos, quia emendatio nominata eſt, ſic tamen quaſi per ignem.* Prophetam prioribus verbis, *Domine, ne in indignatione tua arguas me*, petere *ne ſit* in priori illa claſſe, *eorum qui non emendabuntur; quibus dicturus eſt Chriſtus*, Ite in ignem æternum; poſterioribus, Neque in ira tua emendes me, *rogare ne in altera eorum, qui emendantur quidem, ſed quaſi per ignem; Vt in hac vita* (inquit) *purges me, & talem me reddas, cui jam emendato* (vel, ut alii codices habent *emendatorio*) *igne non opus ſit; propter illos, qui ſalvi erunt, ſic tamen, quaſi per ignem. Quare, niſi quia hic ædificant ſupra fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam? Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos, & de utroque igne ſecuri eſſent, non ſolum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalvi erunt. Dicitur enim,* Ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. *Et quia dicitur, ſalvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis ſalvi per ignem gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita. Et noſtis quanta hic paſſi ſunt mali, & poſſunt pati; tamen tantà paſſi ſunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quiſque maleficus, latro, adulter, ſceleratus, ſacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confeſſione Chriſti? Iſta ergo, quæ hic ſunt mala, multa faciliora ſunt; & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quicquid juſſeris faciunt? Quanto melius faciunt, quod jubet Deus, ne illa graviora patiantur?* Hæc Auguſtinus. Duplicem ignem memorat; unum *reprobos* cruciaturum; alterum *lignorum*, & *ſtipularum* ædificatores *emendaturum*; & hunc quidem graviorem, quam quicquid homo poteſt pati in hac vita; ſed utrumque futuri judicii die exarſurum; ut patet primo ex iis, quæ in hæc eadem Prophetæ verba ex Commentario pſalmi ſexti paulo ante deſcripſi-

deſcripſimus, quibus clariſſime affirmat in die judicii & *argui*, qui non habent *fundamentum*, & *emendari*, qui huic *fundamento ſuperſtruxerunt ligna, fœnum, ſtipulam*. Cum enim utrobique eadem verba enarret Auguſtinus, ad eumdem Pauli locum alludat, voces pæne eaſdem uſurpet, dubitandum non eſt, quin utrobique eamdem omnino *purgationem* intelligat, id eſt in noviſſimo judicio peragendam. Sed & in poſteriori loco ſatis innuit ſimul ac ſemel factum iri & illam *in ira* emendationem, & hanc *in indignatione* (ut ſic dicam) redargutionem. *Futurum eſt* (inquit) *ut quidam in ira Dei emendentur, & in indignatione arguantur*. Iam vero quam intelligit *in indignatione* redargutionem, in ultimo judicio factum iri ipſe ait, *Utique* (inquit) *arguet eos, quibus dicet*, Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Sitivi, & non potaſtis me, &c. Ergo & illam fidelium *in ira emendationem*, de qua loquitur, ultimo quoque die futuram intelligit. Ad eamdem igitur pertinent, quæ in ſequentibus addit, *ignem* quo illa fiet, *graviorem fore, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita*. Ignem nimirum ſignificat ultima die arſurum, quo ex hac ejus hypotheſi emendandi erunt aliqui fideles.

Denique eodem quoque referenda ſunt, quæ idem alibi ſcribit, quamdam Abrahæ viſionem enarrans; *Cum autem* (inquit) *Sol jam erat ad occaſum flamma facta eſt, & ecce fornax fumibunda, & lampades ignis, quæ tranſierunt per media diviſa illa; ſignificat jam in fine ſæculi per ignem judicandos eſſe carnales. Sicut enim afflictio civitatis Dei, qualis antea numquam fuit, quæ ſub Antichriſto futura ſperatur, ſignificatur tenebroſo timore Abrahæ circa Solis occaſum, id eſt propinquante jam fine ſæculi; ſic ad Solis occaſum, id eſt ad ipſum jam finem, ſignificatur iſto igne dies judicii dirimens carnales per ignem ſalvandos, & in igne damnandos*. Hujus loci is plane geminus eſt, qui Commentario in pſalmum centeſimum tertium occurrit; quo illud Abrahæ ſacrificium, viſionemque ei apparentem ad eumdem modum, ſed paulo fuſius interpretatur. Aves non diviſas de *ſpiritualibus Chriſtianis* accipit, qui non dividuntur in hæreſes, & ſchiſmata, cætera *diviſa* de *carnalibus*, qui (quamdiu carnales ſunt) diviſibiles ſunt. *Veſpera autem illa* (inquit) *finis eſt ſæculi, & caminus ille veniens dies judicii; diviſit inter media illa, quæ diviſa erant, etiam caminus. Si inter media tranſiit caminus, alia in dexteram, alia in ſiniſtram ſeparavit. Sunt ergo quidam carnales, & tamen Eccleſiæ gremio continentur, viventes ſecundum quemdam modum ſuum, quibus timemus, ne ſeducantur ab hæreticis. Quamdiu enim carnales ſunt, diviſibiles ſunt. Aves quippe non diviſit; Carnales dividuntur.*

L. 16. de Civ. D. c. 24.

Id. in pſ. 103. conc. 3. T. 8. p. 489. D[illegible]. 6, c.

Tum paucis interjectis; *Rogo vos* (inquit) *fratres, audite & proficite. Excutite vos de loco carnali. Pergite in turturem, & columbam. Aves enim non diviſit. Sed quicumque talis* (id eſt carnalis) *permanſerit & ſecundum quemdam vitæ modum aptum carnalibus, & de gremio Eccleſiæ non receſſerit, & non fuerit ſeductus ab hæreticis, ut ex contraria parte dividatur, veniet caminus, & ad dexteram poni ſine camino non poterit. Sed ſi caminum pati non vult, pergat in turturem, & columbam. Qui poteſt capere, capiat. Si autem non ſic erit* (id eſt qui turtur & columba non erit) *& ædificaverit ſuper fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam, id eſt amores ſæculares fundamento fidei ſuæ ſuperædificaverit; tamen ſi in fundamento ſit Chriſtus, ut primum locum ipſe habeat in corde & ei nihil omnino anteponatur, portantur tales, tolerantur & tales. Veniet caminus; incendet ligna, fœnum, ſtipulam.* Ipſe autem inquit, ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Hoc aget caminus. Alios in ſiniſtram ſeparabit; alios in dexteram quodammodo eliquabit.* Hactenus Auguſtinus. Vtriuſque loci eadem ratio; idem ſenſus. Carnales homines duorum ordinum facit; alios ad ſiniſtram noviſſimi diei *igne ſeparandos* & *damnandos*; alios ad dexteram eodem illo *igne*, ut loquitur, *eliquandos*, & *ſalvandos*; de quibus hic quoque accipit Paulina in priore ad Corinthios verba, *ipſe ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Diſerte enim ait in priori quidem loco, *Significatur iſto igne dies judicii*; In poſteriore vero, *Veſpera finis eſt ſæculi; & caminus ille veniens dies judicii.* Quo etiam illa ſpectant, quæ paulo poſt adjicit, *Alios in ſiniſtram ſeparabit; alios in dexteram eliquabit*; quæ manifeſte pertinent ad ultimum Chriſti Domini judicium. Atque ex his omnibus clarum eſt hoc quoque cum ante memoratis Patribus ſenſiſſe Auguſtinum, noviſſimi judicii die nonnullos fidelium *per ignem* tunc arſurum *purgatum*, & emendatum iri. Vnde intelligitur, quantopere ſuis lectoribus illuſerint, tum Bellarminus, tum alii adverſarii, qui hæc Auguſtini loca aut omnia, aut quædam ad ſuum *purgatorium* trahere conati ſunt. Paulinus, Auguſtini amicus, de eodem igne reſuſcitatos examinaturo ſic canit; *Opus per omne curret ignis arbiter. Quod non cremarit flamma, ſed probaverit. Illud perenni præmio penſabitur. Qui concremanda geſſerit, damnum feret, Sed ipſe ſalvus evolabit ignibus. Tamen ſubuſti corporis ſignis miſer Vitam tenebit; non tenebit gloriam.* Hæc ille: quibus vitam iſtorum æternam quidem, ſed tamen ſine gloria futuram ſomniat.

Paraphr. pſ. 1. p. 464.

Idem quoque hac de re cum nuper memoratis Patribus ſenſit auctor illius homiliæ, quam adverſarii modo Auguſtini ex libro [a] quinquaginta Homiliarum, modo Euſebii Emiſſeni [b] nomine, quamquam

a *Homil. 16.* b *Homil. 3. de Epiphania.*

utroque falſo, citare ſolent. Ille enim quiſquis eſt ſcriptor, hæc habet; *Hæc pœna illos manebit, qui amiſſo, & non ſervato baptiſmo in æternum peribunt, ad quos dicitur, ut* eant in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. *Hi vero, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quod* non exeunt inde donec reddant noviſſimum quadrantem, *per fluvium igneum (de quo Propheticus ſermo commemorat, Et fluvius rapidus, qui currebat ante eum) per vada ferventibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranſeunti mora: quantum accreverit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis diſciplina: & quantum ſtulta iniquitas geſſit tantum ſapiens pœna deſæviet. Et quia ſermo divinus quodammodo aneæ ollæ animam comparans, pone ollam ſuper prunas vacuam, donec incaleſcat æs ejus, illic perjuria, iræ, malitiæ, cupiditates, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant exſudabunt; illic ſtannum, vel plumbum diverſarum paſſionum, quæ aurum divinæ imaginis adulteraverant, conſumentur; Quæ omnia hic ab anima ſeparari per eleemoſynas, & lacrymas compendii tranſactione poterant. Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſeipſum pro homine dedit, & confixus clavis legem mortis fixit. Illic juſti velut per amœnos gurgites, incendiis naturam ſuam mutantibus, tranſmeabunt, intacta ignibus corpora, ipſis honorificanda pœnis, quia non ſunt onerata peccatis. In illos enim ſævus æſtibus nihil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit; & quibus puritas contulit reverentiam, inferre neſciet rationabilis ardor injuriam.*

Eadem ille ejus quoque homiliæ auctor ſenſit; quæ & inter Cæſarii Arelatenſis homilias octava numeratur, & inter ſermones Auguſtini de Sanctis legitur loco quadrageſimo primo; adeoque ſpuria eſt, & dubii atque incerti parentis. Is autem de minutis peccatis ſic loquitur; *Quicquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo Apoſtolus dixit,* quia in igne revelabitur, & cujus opus arſerit detrimentum patietur. *Aut enim dum in hoc ſæculo vivimus; ipſi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certe volente, aut permittente Deo multis tribulationibus pro iſtis peccatis affligimur, & ſi Deo gratias agimus liberamur;* quod qui fiat, paulo fuſius exſecutus, *Ita* (inquit) *peccata ipſa in hoc ſæculo purgantur, ut in futuro ignis ille purgatorius, aut non inveniat, aut parum inveniat, quod exurat. Si autem nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus ipſa peccata redimimus, tamdiu in illo purgatorio moras habebimus, quamdiu ſupra dicta minuta peccata, tanquam ligna, & fœnum, & ſtipula conſumantur. Sed dicis aliquis, Non ad me pertinet, quamdiu moras habeam, tantum ut ad*

T. 2. bibl pp. p. 281. Aug. T. 10. p. 421.

 vitam

vitam æternam perveniam. Nemo hoc dicat fratres cariſſimi; quia ille ipſe purgatorius ignis durior eſt, quam quicquid poteſt pœnarum in hoc ſæculo aut cogitari, aut videri, aut ſentiri. Et cum de die judicii ſcriptum ſit, quod erit dies unus tamquam mille anni, & mille anni tamquam dies unus; *unde ſcit unuſquiſque utrum diebus, aut menſibus, an forte etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus? Et qui modo unum digitum ſuum in ignem mittere timet, quare non timeat ne neceſſe ſit tunc non parvo tempore cum anima & corpore cruciari?* Hæc ille; quibus clariſſime docet, ſe eam à minutis peccatis purgationem intelligere, quæ judicii die fiet, quæque plane eadem eſt cum Ambroſii, & Hilarii & cæterorum, de quibus diximus, noviſſima luſtratione. Nam & hic judicii diem diſerte nominat, & iſtos poſt carnis reſurrectionem purgatum iri apertiſſime ſignificat, quos ait cum *anima, & corpore cruciandos*; & paulo poſt ſanctos per *ignem*, quo illam purgationem factum iri hariolatur, ipſos quoque tranſituros, ſed ſine læſione affirmat; *Omnes ſancti, qui Deo* (inquit) *fideliter ſerviunt lectioni, & orationi vacare, & in bonis operibus perſeverare contendunt, ne capitalia crimina, nec minuta peccata admittant, id eſt lignum, fœnum, & ſtipulam ſupra fundamentum Chriſti, ſed bona opera, hoc eſt aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperædificantes per ignem illum, de quo Apoſtolus ait*, quia in igne revelabitur, *abſque ulla violentia tranſibunt.* Neque vero quemquam moveat, quod ſupra ait quoſdam *diebus, aut menſibus, aut etiam annis per ignem illum tranſituros*; quod in diem judicii, qui unus erit, nequaquam dici poſſe videtur. Nam & *dies* & *menſes* & *annos*, non numero, ſed proportione intelligit; ut clariſſime ex eo apparet, quod ibidem ait judicii diem eſſe *tamquam mille annos, & mille annos tamquam diem illum unum.* Eos igitur *diebus, aut menſibus, aut annis per ignem tranſituros* intelligit; qui ille licet uno die tantum doloris perpetientur, atque exhaurient, quantum *diebus, aut menſibus, aut annis* pluribus ſatis eſſet. Iam cum iſte per *ignem* illum ſuum, & omnes omnino fideles, quamquam diverſa forte neque eodem exitu, & noviſſimi judicii die, & corpore & anima tranſituros ſtatuat, quorum nihil in adverſariorum *purgatorium* convenit; apparet, quam inſcite, vel certe maligne, hunc ejus locum eo torqueat Torrenſis ſub Auguſtini nomine; quamque fruſtra Baronius de hac homilia exſultet, ſuam in ea de *purgatoriis* pœnis doctrinam contineri ſibi ipſi fingens.

Confeſſ. Aug. l. 4. c. 1. art. 4.

Ann. F. 6. ad an. 506. §. 6.

Quin & citerioribus etiam Eccleſiæ temporibus diu perſeveraſſe videtur illud vetus de noviſſimi diei *purgatione* delirium. Certe eo pertinent, quæ in centone Eligii Noviomenſis, ſeptimi ſæculi & quidem

dem jam adulti ſcriptores nomine prænotato, occurrunt; *Duo namque judicia* (inquit) *in ſanctis ſcripturis legimus; unum per aquam in diluvio, quod præfiguravit baptiſmum, quo ab omnibus peccatis mundati ſumus; & alind quod futurum eſt per ignem, quando veniet Deus ad judicium, de quo Pſalmiſta ait;* Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempeſtas valida; *ut tempeſtas examinet, quos ignis exuret.* Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, *ne ab æterno (quod abſit) nec ab illo igne tranſitorio exuramur; de quo igne judicii Dei Apoſtolus ait,* Vniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit; *quod de igne purgatorio eum dixiſſe non eſt dubitandum. Quem ignem aliter impii ſentient, aliter ſancti, aliter juſti. Impii ſiquidem de illius ignis cruciatu ad perpetuas ignium flammas detrudentur. Sancti vero qui ſine omni peccatorum macula in corporibus ſuis reſurgent, quia* ſuper fundamentum, *quod Chriſtus eſt,* aurum, argentum, lapides pretioſos, *id eſt ſenſum fidei lucidum, eloquium ſalutis clarum, & opera pretioſa ædificaverunt; tanta facilitate illi igni prævalebunt, quanta integritate fidei, & dilectionis Chriſti in hac vita cuſtodierint præcepta. Erunt ergo quidem* (an *quidam*) *juſti minutis quibuſdam peccatis obnoxii,* qui ædificaverunt ſuper fundamentum, *quod eſt Chriſtus,* fœnum, ligna, ſtipulam, *quæ ſignificant levium peccatorum diverſitatem, à quibus non digne adhuc expurgati invenientur, cum cœleſtis civitatis gloria digni invenientur. Illo quoque tranſitorio igne, & toto extremi judicii die completo, unuſquiſque ſecundum modum meritorum aut damnabitur, aut coronabitur.* Hactenus Eligius, vel potius Alcuinus ſæculo nono ineunte denatus. Ipſa enim hæc, quæ deſcripſimus, verba, Alcuini ſunt libro de Trinitate tertio; ex quo ab iſtius homiliæ auctore ſumpta ſunt; ut ex aliis, cætera, quæ habet, pæne omnia. Nam ii nonnulla & ex Hilarii libro 5. de Trinitate, & ex Hieronymo in pſalmum 44. & ex libris de ſacramentis Ambroſio falſo aſcriptis, & ex Proſperi ſententia 189. & ex Iſidoro de officiis, & ex Alcuino, hæc quæ diximus, mutuatus eſt; & ex Auguſtini undecim libris diverſis plurima, ut nihil aliud ſit tota iſta homilia, quam cento ex illis omnibus contextus; adeoque nihil minus, quam verus Eligii fœtus. Neque pluribus eſt opus. Ex his enim ſatis, ſuperque conſtat, quis, qualiſque ſit ille ab iſtis Patribus traditus *ignis.* Nam primo omnes docent eum ultimo judicii die *arſurum,* quo ſuum adverſarii *deſiturum,* atque exſtinctum iri profitentur. Tum Patres ſuum illum ignem *omnes* appetiturum ajunt, etiam *Sanctiſſimos*, etiam *Ioannem*, etiam *Petrum*, etiam *beatiſſimam Mariam*; adverſarii contra neque ſanctiſ-

Hom. 8. Bibl. pp. T. 2. p. 98. d. e.

ſimis, neque plena pœnitentia hic defunctis, neque infidelibus ullum in ſuo purgatorio locum eſſe volunt; ſed iis tantum, qui cum alioqui pii, & in Chriſti ſanguine juſtificati fuerint, hinc tamen vel cum peccatis venialibus, vel cum pœnæ mortalis alicujus delicti debito diſceſſerunt. Deinde ipſum utriuſque ignis ingenium diverſum eſt. Patrum enim *probatorius* eſt, quoſdam *amburens*, quoſdam *perſtringens* duntaxat, lambens; adverſariorum vero, neminem *probat*; ſed omnes, qui in eum mittuntur, *crudeliſſime urit*, ac vexat; ut nemo ex eo, niſi cruciatus, exeat. Præterea in eo etiam, ingens, ac inprimis obſervandum diſcrimen inter utrumque elucet, quod ejus ignis, quem in ſubterraneis accendunt adverſarii, hoc unum eſſe volunt officium, ut miſeros fideles puniat, & eas, quas debent, peccatorum pœnas ab ipſis exigat. Neque ſane aliud habet, quod agat in animas perfecta caritate, ac ſanctitate præditas, omnique peccati culpa, ac labe carentes. Contra qui à Patribus ſuprema illa die etiam infideles arſurus traditur ignis, præterquam quod eos probat, etiam *iniquitatem exuſturus eſt, ligna, fœnum, ſtipulas conſumpturus, plumbum tabefacturus, tranſeuntem tamdiu moraturus; donec peccati materiam aboleverit, tantumque ſibi ex homine vindicaturus, quantum culpæ accreverit. Illic perjuria, iræ, malitiæ, cupiditates, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exſudatura* dicuntur; illic *conſumptum iri plumbum & ſtannum diverſarum paſſionum, quæ aurum divinæ imaginis adulteraverant.* Itaque ſi proprie loquendum eſt, non tam ſupplicium erit illa exuſtio, quam *purgatio*, qua alienæ à cœleſti habitatione carnis, ac peccati, quæ tum etiam in iſtis futuræ finguntur, reliquiæ, excoquantur, atque excernantur; *quo fulgeant juſti in regno patris ſui*, inſtar auri accuratiſſime in catino defæcati. Eo fit, ut iſte quidem Patrum *ignis*, ſi revera futurus eſſet, *purgatorius* jure meritoque dicendus foret; Adverſariorum vero ignis nonniſi abſurde ſic dici poteſt, in quo nihil hujuſmodi accidere ipſi volunt, nulla iſtic vitii vel peccati labe pios purgari docentes. Denique Patres iſtum, quem tradunt *ignem* in homines reſuſcitatos, corporeque adeo veſtitos ſævitûrum putant; ut ex iis, quæ attulimus patet, quæ clariſſime conſtituunt purgationem illam tum demum factum iri, cum omnes *ante Chriſti tribunal ſiſtentur*, quod non ante fiet quam à mortuis ſuſcitati fuerimus. Et ille pſeudo Euſebius, quem citavimus, diſertiſſime dixit *juſtorum corpora intacta ignibus fore, ipſis honorificanda pœnis*; ſimiliterque Cæſarius narrabat *anima & corpore* cruciari qui *per* illum *ignem tranſituri ſunt.* Adverſarii vero ſuum illum *ignem*, quem vocant *purgatorium*, in ſolas animas, corpore exutas, ſævire affirmant;

affirmant; defiturum, ubi animæ vi Chriſti in corpora reverſæ fuerint. Quæ cum ita ſint, nemo non videt, quam ſit inanis illorum labor, qui hæc ipſa loca, quæ modo deſcripſimus, & in quibus tam clare expreſſa eſt veterum de illo ultimi judicii igne ſententia, aut certe detruncatas ex iis particulas pro ſuo *purgatorio* afferunt. Nam Bellarminus laudata à nobis loca Ambroſii quidem omnia, Auguſtini vero pæne omnia, & Euſebii pſeudo Emiſſeni locum, & quidem non ſemel citat, modo ad probandum *purgatorium*, modo ad confirmandas ſuas de eo Scripturæ interpretationes, ut videre eſt in ejus ſcriptis, quæ nos in margine annotavimus. Atque eo inexcuſabilior eſt hæc iſtorum temeritas, quod peccant, non imprudentes, aut falſa verborum ſpecie deluſi; ſed ſcientes volentes. Obſervant enim ipſi ultro Patres iſtos in ea ſententia, quam memoravimus, fuiſſe; eamque atro carbone notant. *Primus error fuit* (inquit Bellarminus) *purgari debere poſt hanc vitam tam bonos, quam malos. Hæc ſententia ſolet tribui Alcuino. Sed videtur eſſe non ejus ſolum, ſed multorum Patrum, Origenis, Ambroſii, Hilarii, Lactantii, Hieronymi, Ruperti*; idque etiam allatis ſingulorum teſtimoniis docet. Vbi ergo eſt, Bellarmine, fides, & frons tua, cum nunc eoſdem illos, quos iſtic erroris inſimulas, teſtes tui *purgatorii* afferſ? Iſtis locis, quæ utrobique eadem citas, vel ſignificatur *purgatorium* veſtrum, vel non ſignificatur. Si ais, ergo *purgatorium* veſtrum error eſt, cum ea loca, quibus id contineri vis, tu ipſe erroris accuſes. Si negas, tua ergo nulla fides, nulla religio, qui prudens pro *purgatorio* tuo ea attuliſti, quibus id minime contineri ſciviſti. Quid igitur eſt? Nimirum tu tuique ſodales ſatis habetis rudibus, ac imperitis imponere, objecta inani teſtimoniorum larva; eorum inertiæ, ac ſtupori confiſi. Atque ſi hæc in plebeculæ circulis faceretis, frontem veſtram mirarer equidem; aſtutiam, & vafritiem non deſiderarem. Nunc quæ major dici, vel fingi poteſt vel impudentia, vel ſtultitia, quam in iis ipſis litteris, quas in publicam doctorum hominum lucem editis, ea pro *purgatorio* veſtro afferre, quæ vos ipſi vobis probe eſtis conſcii nihil cum illo commune habere? eaque ipſa in priori volumine velut veritatis teſtimonia oſtentare, quæ in ſequenti, tamquam erroris documenta damnatis?

l. 1. de purg. c. 9. § Ambroſius. § B. Auguſt. § Euſeb. Emiſſ. Ib. c. 4. § Quartus. § Quintus. § Sextus. § Decimus. Ibid. c. 5. § Eſt igitur comm. Ibid. c. 7. § Euſeb. Emiſſ.

l. 2. de purg. c. 1. § Primus.

Neque vero eſt, quod quis putet Bellarminum ab hoc fraudis, & malæ fidei crimine ideo defendi poſſe, quod quos Patres erroris inſimulaverat, eoſdem mox (uno Origene excepto) abſolvere, aut ſaltem excuſare videtur. *Patres adducti* (inquit) *videntur ſano modo intelligi poſſe. Nam aliqui eorum per* ignem *non intelligunt ignem purgatorium*,

l. 2. de purg. c. 1. § Adde quod.

rium, ſed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus, cum ait, Vniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. *Et hoc modo fatendum eſt omnes Sanctos, Chriſto excepto,* per ignem tranſire. *Ita videntur de igne loqui Hilarius,* & Hieronymus, & Ambroſius ſermone 20. in pſ. 118. *Aliqui vero videntur intelligere per* ignem *verum ignem purgatorii, per quem tamen dicunt* tranſire *Sanctos* ſine ulla læſione; *ita ut tranſeant per* purgatorium *materialiter, non formaliter. Ita videntur loqui Lactantius, Hilarius, & Rupertus.* Tum; *Conformis eſt* (inquit) *huic ſententiæ viſio B. Furſæi, quam deſcribit Beda hiſt. l. 3. c. 19. Ille enim vidit in via ad cœlum maximos ignes, per quos neceſſario tranſeundum erat. Sed vidit ſimul, eos, qui nihil haberent combuſtibile, id eſt nullum culpæ, aut pœnæ reatum, illæſos tranſire; alios vero magis, minuſve exuri, prout plus minuſve materiæ combuſtibilis afferebant. Sane hanc ſententiam, quæ docet omnes tranſituros per ignem, licet non omnes lædendi ſint ab igne, nec auderem pro vera aſſerere, nec ut errorem improbare.* Sed hæc, ut dixi, Bellarminum minime excuſant. Primum enim de illo ſenſu, quem his Patrum teſtimoniis tribuit, valde dubitanter loquitur. *Videntur* (inquit) *ſano modo intelligi poſſe. Ita videntur loqui Hieronymus, & Hilarius. Aliqui vero videntur intelligere.* Tu vero Bellarmine, quædam ex his ipſis iſtorum dictis, quæ nunc *videri* ais de *purgatorio* poſſe intelligi, inter ea Patrum loca attuleras, quæ apertiſſima eſſe præfatus eras. Nam inter illa *apertiſſima*, ut vocas *loca, ubi Patres aſſerunt purgatorium*, apud te lego & Lactantii, & Hilarii, & Ambroſii eadem illa dicta, quæ tu jam ais *videri ſic intelligenda.* Itaque tu tuo ipſius teſtimonio convinceris falſo *ea apertiſſima* vocaſſe. Nemo enim teſtimonium aliqua de re apertiſſimum, ut hoc Moſis de creatione verbi gratia, *In principio creavit Deus cœlum, & terram,* nemo dixerit *videri de creatione loqui*; vel *poſſe ſano modo intelligi.* Et cum ad aliquid probandum apertiſſima aſſumi debeant, tu qui hæc non modo non apertiſſima, ſed etiam ambigua, & *manifeſti erroris ſi ut ſonant accipiantur* ſpeciem, te ipſo auctore, habentia ad *purgatorium* ex Patribus demonſtrandum aſſumpſiſti, apertiſſime ſophiſta eſſe deprehenderis. Huc & illud accedit, quod etiamſi tibi conceſſerimus, eum eſſe locorum iſtorum, quem tu vis, ſenſum, ne ſic quidem ex iis *purgatorium* tuum concludi poterit. Ac de priori quidem interpretamento, quo Hilarii, & Ambroſii dicta diluis, res aperta eſt. Ais enim Hilarium in illa verba pſalmi 118. *Concupivit anima mea deſiderare, judicia juſtitiæ tuæ*, & Ambroſium ſermone in eumdem pſalmum viceſimo, cum dicit, *Oportet omnes tranſire per flammas ſive ille Ioannes ſit, ſive Petrus,* ais inquam iſtos his locis *non intelligere ignem purgatorium, ſed ignem*

l. 1. de purg. cap. 10. §. Deinde ſunt.

l. 2. de purg. c. 1. §. Hac ſententia.

ignem divini judicii. Atqui tu ipſe libro ſuperiori hæc eadem Hilarii, & Ambroſii dicta, quæ jam de igne *purgatorio* intelligenda negas, pro apertiſſimis *purgatorii* probationibus attuleras. Meminiſti enim credo te eo loco poſtquam aliqua ex Ambroſii commentario in pſalmum 36. recitaſſes, ita ſcripſiſſe, *Vide etiam eumdem ſermone viceſimo in pſalmum* 118. & poſtea cum jam tuum illud *apertiſſimorum teſtimoniorum* agmen claudere velles, hunc ipſum Hilarii locum iiſdem quibus hîc eum indicaſti verbis laudaſſe; *Hilarius in pſalmum* 118. *in illud Concupivit anima mea,&c. Nobis, inquit, eſt indefeſſus ille ignis obeundus.* Iam ſic concluſus teneris, ut non ſit ullus evadendi relictus tibi locus. Plane neceſſe eſt te, vel tuo ipſius judicio, ſophiſtam iſtic fuiſſe, qui quæſtionem ex iis concluſiſti,quæ nihil ad eam pertinere tute tibi conſcius eras. Neque vero res obſcurior eſt in ſecundo aliorum locorum interpretamento. Hic enim concedis Lactantium,& in priore loco Ambroſium (is autem deſcriptus erat ex ſermone in pſalmun 36.) *per ignem intelligere verum ignem purgatorii, per quem tamen dicunt tranſire ſanctos ſine ulla leſione.* Atqui ſi hæc vera ſunt, cum per tuum *purgatorium* nulli tranſeant Sancti; cum nulli impune, aut illæſi in eo inambulent, vel ex eo ipſo apparet quem illi Patres locis laudatis intelligunt ignem *purgatorium*, eum à tuo plane eſſe alienum. Quod argumentum eo eſt in te efficacius, quod tu (ſi bene memini) eo ipſo in hoc eodem opere uſus es, ut probares ignem illum, qui apud Paulum *in die Domini uniuſcujuſque opus probabit*, non eſſe, (quod quidam veſtrorum volebant) ignem *purgatorii* veſtri. Sic enim hanc iſtorum ſententiam ibi oppugnans loqueris: *Denique* (inquis) *ſequeretur omnes homines etiam ſanctiſſimos tranſire per ignem purgatorii, &* ſalvari per ignem. *Nam per hunc ignem de quo loquimur, omnes tranſeunt. At omnes tranſire per ignem purgatorii, & ſalvari per ignem, eſt aperte falſum.* Agnoſciſne tua? Atqui niſi & illic quoque ſophiſta fuiſti, ex tuis nunc nobis per te licet ſic argumentari; Ignis de quo Lactantius,& Ambroſius, hujuſmodi *ignis* eſt per quem omnes etiam ſanctiſſimi quamquam illæſi, tranſeunt; Per ignem autem *purgatorii* Romani tranſire omnes & per eum ſalvari, aperte falſum eſt. Ergo neque minus aperte falſum eſt ignem purgatorii Romani eum eſſe de quo Ambroſius, & Lactantius loquuntur. Tua ſunt hæc, Bellarmine omnia; præter concluſionem, quam (cum præmiſſas ex quibus ea infertur, conceſſeris, imo conſtitueris) tu quidem negare non potes. Quæ cum ita ſe habeant, dic bona fide, potes-ne jam te ſophiſtam fuiſſe negare, qui ipſiſſima hæc Ambroſii, & Lactantii loca, velut apertiſſima pro *purgatorio* tuo

l.1 de purg c.10 §.Ambroſius.

Ibid.c extremo.

l.1.de purg. c.5. §.Denique ſeq.

l. 2. de purg. c. 10. Ambroſius & Lactantius.

teſtimonia in altero hujus operis titulo afferre non dubitaſti? Nam inter ea, quæ capite præcedentis libri decimo, hoc elogio inſignivisti leguntur eadem illa Ambroſii ex ſermone in pſalmum 36. & ex libro Lactantii citata, quæ nunc ad ignem quemdam referri ais per quem iſti etiam Sanctiſſimos tranſire illæſos putarunt; hoc eſt ignem à tuo, per quem ulli ſancti tranſeunt, alienum.

Denique quod ait Bellarminus iſti Patrum ſententiæ conformem eſſe illam, quam ex Beda nobis proponit, bellam ſane & lepidam Furſæi viſionem, in eo inquam manifeſte fallitur. Ea viſio neque Patrum, neque adverſariorum ſomnio congruit. Non Patrum; qui per ſuum illum ignem ſanctos vel alios non ante tranſire volunt, quam noviſſimi judicii die jam reſuſcitatos, & corporibus indutos, ut ſupra obſervavimus; cum Furſæus non homines reſuſcitatos, ſed nudas morientium animas per maximos illos ignes, quos in via ad cœlum ardere imaginatus eſt, tranſeuntes viderit, multis ante judicium ſæculis. Non adverſariorum; qui & ſuum *ignem* prope infernum, intra terræ viſcera, non autem in via à nobis ad cœlum locant; neque ullos per eum ſanctos tranſire faciunt. Itaque non poſſum non mirari novam Bellarmini religionem, qui ſententiam illam, quæ docet *omnes tranſituros per ignem*, licet *non omnes lædendi ſint ab igne*, nunc neque pro vera aſſerere, neque ut errorem improbare audet. Atqui is ipſe, qui nunc tam modeſte ἐπέχει, in priori volumine, quod nuper commemoravimus, πάλαι δογματικῶς definiebat *aperte falſum eſſe omnes tranſire per ignem purgatorii, & ſalvari per ignem; & Paulum*, aiebat *aperte dicere ſolum eos, qui* ædificant *ligna, fænum, ſtipulam, ſalvandos quaſi per ignem, & Eccleſiam perpetuo ſenſiſſe Sanctos martyras & infantes poſt baptiſmum morientes mox in cœlum recipi ſine ullo tranſitu per ignem*; idque Concilium Florentinum docere ſeſſione ultima. Ergo niſi Paulum, niſi Eccleſiam, niſi Florentinos Patres, vel veterum deliriis, vel recentioribus Furſæi iſtius viſionibus faſces ſummittere; niſi ipſe, poſtremo ſibi turpiſſime contradicere velit, nulla ei religio eſſe debet ſententiam illam, ut errorem, improbare. Sed ille quidem viderit. Nos ſane, qui Chriſti, non Furſæi diſcipuli ſumus; quique ex patris noſtri Abrahæ præcepto Moyſe, Prophetiſque & Apoſtolis contenti nullas præterea vel mortuorum apparitiones, vel quorumlibet Sanctorum revelationes deſideramus, animabus in Domino morientium, quod ſummi illi veritatis miniſtri docent, quietem non flammam paratam eſſe ſcimus.

Bell. l. 2. de purg. c. 6. §. Octava.

l. 1. de purg. c. 5. § Quinque.

Iam ſiquis ſuperius illud Patrum de noviſſimi diei purgatione placitum exagitet, & à Scriptis alienum eſſe objectet; equidem non repugnabo,

pugnabo, dum hoc mihi, quod nunc clariſſimum eſt, concedatur, illud eorum dogma, qualecumque tandem fuerit, certe longe aliud eſſe, quam adverſariorum *purgatorium*, adeoque ſophiſtice, ac peſſima fide ad id probandum adhiberi. Cæterum veteres illos in errorem incidiſſe, nemini novum, aut mirum videri debet. Cum enim homines fuerint, ſuoque ingenio nimium quam ſæpe indulſerint, humani aliquid interdum paſſos eſſe, æquum eſt. Neque eos in hoc ſolo argumento erraſſe putes. Aliæ ſunt, & quidem plurimæ paſſim in eorum ſcriptis obviæ hallucinationes. Vnde illud poſtremo concludendum eſt, neque in iſtorum auctoritate & ſapientia, neque in cujuſquam mortalis perſpicacitate neque denique uſquam alibi, quam in Scripturarum divinarum oraculis tutam fore piorum fidem.

CAPUT X.

Solvitur Arg. III. ex teſtimonio Cypriani ep. 52. quod nihil ad purgatorium, ſed ad pœnitentium ſtatum pertinere oſtenditur.

SEd his explicatis, quæ à privatis, iiſque falſis quorumdam Patrum ſententiis adverſariorum ſophiſtica ad ſuum dogma verſute traduxerat, jam cætera videamus.

In quorum ordine primum cenſeo Cypriani vetuſtiſſimi epiſcopi, & Martyris nobilem locum ex epiſtola ad Antonianum; *Aliud eſt* (inquit) *ad veniam ſtare; aliud ad gloriam pervenire. Aliud miſſum in carcere non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim virtutis, & fidei accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe; aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini; aliud ſtatim à Domino coronari.* Sed nihil hic de adverſariorum *purgatorio* Cyprianus. *Carceris* & *ignis* nomina hominibus cauſſæ nimium ſtudentibus hic, ut alias, impoſuere. Nimirum illi numquam iſta audiunt, quin ſolenni deliratione ſtatim ad ſomnium ſuum ea referant. Sepoſito hoc cauſſæ ſtudio facilis eſt Cypriani ſententia. Purgat ille, ac defendit apud Antonianum recens ſuæ Eccleſiæ decretum, quo conſtitutum erat, ut libellatici ad pœnitentiam admitterentur; ſacrificatis in exitu ſubveniretur. Nam cum eam Eccleſiæ lenitatem nonnulli aſperioris ingenii homines criminarentur, quod ſpe pacis & veniæ hujuſmodi lapſis data fideles ad martyrium ſegniores factum iri putarent, neque amplius Ep. 52. Pam. 58. Nord.

facile repertum iri, qui pro Chriſti Euangelio ſanguinem profundere, quam idolis ſacrificare mallent, occupat hanc objectionem Cyprianus; *Nec putes* (inquit) *frater cariſſime, hinc aut virtutem fratrum minime, aut martyria deficere, quod lapſis laxata ſit diſciplina, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata.* Quod oſtendit primum ſimili exemplo. Neque enim effeciſſe eam lenitatem, qua mœchis pœnitentia conceſſa erat, & pax promiſſa, ut minoris eſſet apud fideles virginitatis, & continentiæ decus, & ſtudium. Tum rationem affert evidentiſſimam, à martyrum, & pœnitentium diſparitate ductam, quod etſi ſacrificio pollutis pœnitentia & tandem pax in Eccleſia daretur, longe tamen potior, tutior, ac glorioſior ſit Martyrum, quam hujuſmodi pœnitentium conditio. Itaque utroſque hic inter ſe ſe comparat; Martyrum præ pœnitentibus eximia, ac præcipua recenſens iis verbis quæ ſunt ab adverſariis allata; *Aliud eſt ad veniam ſtare; aliud ad gloriam pervenire;* & quæ ſequuntur. In his perpetuæ ſunt antitheſes, ſic inſtitutæ, ut prior earum pars lapſorum pœnitentium; poſterior martyrum ſtatum, ac conditionem ſignificet; Verbi gratia *ad veniam ſtare*, pœnitentium eſt; *ad gloriam pervenire* martyrum; & ſic deinceps. Hæc omnino Cypriani mens eſt; quod neminem, qui hanc, quam enarravimus, epiſtolæ particulam totam attente legerit, negaturum confido. Iam quid ad hoc ejus conſilium facit eorum, qui in *purgatorio* cruciari finguntur, miſerias, atque ærumnas commemorare? Si dixeris has ideo apposite, & opportune tali loco afferri, quod lapſi antequam in quietem, & gloriam admittantur, flammis iſtis tuis neceſſario purgandi ſint; cum martyres contra hinc recta in cœlum evolent; falſum dixeris. De iis enim lapſis loquitur Cyprianus, qui pœnitentiam ſuſcipiunt. At ne tu quidem affirmas omnes pœnitentes in *purgatorium* deſcendere. Quam multi ſunt ex eo genere, quibus pœnitentia legitime functis cœlum non minus, quam juſtis, aut martyribus ſtatim aperis? Ergo ſi de *purgatorii* tui ærumnis priora iſta Cyprianicæ comparationis membra accipias, luxabitur, ac frigebit antitheſis, totaque pæne erit à ſcriptoris ſcopo aliena. *Aliud eſt* (inquit) *in purgatorio cruciari; aliud gloria ſtatim in cœlo frui.* Certe, inquam. Sed neque iſtos neceſſe eſt, quibus tu Eccleſiæ januam aperis, in *purgatorium* deſcendere. Iis quoque per pœnitentiam cœlum patet. Hos tam lacrymæ, quam martyras ſanguis, & flammæ, ab hoc igne liberare queunt. Beatius eſt *mercedem ſtatim, quam ſero nec niſi poſt diuturna carceris tædia accipere.* Fateor. Sed cur eo martyres pœnitentibus anteponis, cum & his ſi juſta, ac fortis, ac digna denique pœnitentia fuerit, ſtatim quoque præmium repræſentetur?

Cætero-

Cæterorum, quæ Cyprianus addit, eadem eſt ratio; ut frigidam, ac ineptam totam hanc ejus orationem eſſe appareat, ſi eo, quo adverſarii volunt, ſenſu de ipſorum *purgatorio* intelligatur. Huc accedit, quod etiamſi conſilium auctoris id pateretur, verba tamen ipſa, quibus utitur, minime ſinunt, ut hæc quæ de lapſis pœnitentibus dicit, ad eum ſtatum referantur, in quo iſti *purgatorii* ſui cives degere fabulantur. Ait enim Cyprianus eos, de quibus loquitur, *pendere in die judicii ad ſententiam Domini.* Profecto hæc obverſa fronte pugnant cum tota adverſariorum hypotheſi. Quos enim *purgatorio* concludunt eos de ſua ſalute, adeoque de Domini ſententia certiſſimos eſſe, jam in ipſa illa fornace eſſe ſtatuunt; & ex ea dimiſſos, etiam ante judicii diem, in cœlum recipi volunt. Ergo nihil hic locus ad iſtorum *purgatorium* pertinet. Quis igitur eſt, inquis, loci ſenſus? Ille vero planus eſt, ac perſpicuus; ſi modo Cyprianum ex ſuo, non ex tuo dogmate interpretemur. Ac ut res ſit clarior, fingamus duos Chriſtianos à Principis pagani miniſtris ſacrificare juſſos, lata in eum, qui non paruerit, mortis pœna; alterum mortem tanto ſceleri præoptare, ac martyrium facere; alterum vitæ cupiditate victum ſacrificare quidem, ſed tamen mox peccati conſcientia perculſum ad Eccleſiam accedere; pœnitentiam poſcere, ac impetrare. Hujus cum illo hoc unum commune eſt, quod non eſt à Dei gratia plane, penituſque excluſus; quod ſpes eſt eum aliquando ejuſdem cum altero vitæ ac ſalutis participem fore. Sed in cæteris tamen longe diſpari eſt, ac inferiore, quam Martyr, conditione. *Martyr ad gloriam pervenit*; in ſummum faſtigium eniſus eſt. Pœnitens *ſtat ad veniam*, & in ultimo adhuc gradu conſiſtit. Omnino videtur reſpicere Cyprianus ad veterum pœnitentium ritus; qui in Eccleſia *ſtabant inter audientes*, ut ſolenne eſſet iis edicere, quibus pœnitentia imperabatur, *ut ſtarent, & orarent cum audientibus*, id eſt cum catechumenis. Hoc primum eſt ejus diſcrimen, qui per pœnitentiam ad ſalutem contendit ab eo, qui martyrio in cœlum evehitur. Sequitur alterum. Martyr virtutis, ac fidei *mercedem ſtatim accipit*; Ille alter *miſſus in carcere non exit inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem.* Varios antiquæ diſciplinæ anfractus, laborioſiſſimamque diſciplinam euangelica hac imagine ſignificat ſtatum pœnitentium in Eccleſia *carceri* comparat; quo concluſi, & per varios pœnitentiæ gradus, veluti per totidem diverſa illius cuſtodiæ ſepta ſigillatim traducti, non ante exibant, libereque in Eccleſiæ communem lucem, ac domum admittebantur, quam dignam ſcelere, quo ſe obſtrinxerant, pœnitentiam accuratiſſime peregiſſent. Hoc eſt,

Bell. l. 2. de purg. c. 4.

eſt, quod Cyprianus eleganter dicit, *miſſum in carcere non exire inde donec ſolvat noviſſimum* quadrantem; Quæ eo etiam melius iſtorum pœnitentiæ conveniunt, ſi ea, quod ſtatuit Albaſpineus indicta erat, quæ toto vitæ curſu ad obitum agenda eſſet. Tertio dehinc loco aliud diſcrimen ſubjicit; quod Martyr quidem *peccata omnia paſſione purgarit*, hoc eſt pro fide fortiter moriendo omnium delictorum veniam à clementiſſimo Domino ſimul, ac ſemel acceperit; cum è contra lapſus *pro peccatis longo dolore cruciatus emundetur & purgetur diu igne*; quibus verbis non aliud ſignificat, quam planctus, fletus, jejunia, cæteraque aſpera quibus pœnitentes in veteri Eccleſia purgabantur ab admiſſis criminibus. Intenſiſſimum autem illum dolorem, qui vere pœnitentium pectus urit, *ignem* dicit; quod familiare eſt Eccleſiaſticis ſcriptoribus. Hieronymus Fabiolæ pœnitentiam deſcribens, *Sedit* (inquit) *ſuper carbones ignis; Hi ei fuere in adjutorium.* Siricius Papa in argumento, hujus Cyprianici gemino, de Monachis, quibus perpetuam pœnitentiam indici vult; *quatenus* illæ perſonæ (inquit) *retruſæ ſuis ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubvenire.* Qui Siricii locus ad hunc Cypriani illuſtrandum jam olim à clariſſimo Theologo Andrea Riveto, quem honoris cauſſa nomino, fuit allatus. Denique addit Cyprianus ultimum inter iſtos diſcrimen, quod Martyr quidem *ſtatim à Domino coronetur*; lapſus vero pœnitens *pendeat in die judicii ad ſententiam Domini.* Hæc quæ *purgatorio* ut diximus, non conveniunt, difficile eſt de ſtatu pœnitentis in hoc ſæculo quo cætera pertinebant, explicare; cum auctor affirmet eum *in die judicii ad ſententiam Domini pendere*; dies vero judicii eadem mundi ſuprema ſit. Itaque ego quidem exiſtimo ſignificare Cyprianum pœnitentem præmium expectare ad ſententiam uſque Domini, quæ illa judicii die feretur; quod non eſt magis mirum, quam quod & Ambroſius [a] & Nyſſenus [b] dixerunt quorumvis hominum, non pœnitentium modo, ſed etiam aliorum, poſt mortem animas adhuc tum *futuri judicii ambiguo ſuſpendi* φόβῳ τε καὶ ἐλπίδι τῶν μελλόντων μετεώρους κραδαίνεσθαι, *tum metu, tum ſpe futurorum ſuſpenſas tremere.* Hoc igitur velle videtur Cyprianus pœnitentem in paradiſum non ante ultimam diem admiſſum iri; cum Martyr contra difficili quidem, ſed uno eoque brevi certamine defunctus paradiſo ſtatim excipiatur, atque coronetur. Et hoc Martyrum ſummum erat, non modo præ pœnitentibus, ſed etiam præ cæteris quibusvis fidelibus ex plærorumque Patrum ſententia præcipuum; ad

diem

Obſerv. l. 2. obſerv. 12. p. 116.

Epitaph. Fab. ad Ocean.

Ep. ad Himmer. art. 6. T. 1. Conc. p. 690.

Cath. orthod. q. 42. p. 701.

a L. 1. de Abel & Cain. c. 2.
b Orat. 5. de beatitud. T. 1. p. 829. b.

diem judicii *pendere*, nec ante latam à Domino ſententiam paradiſo, paradiſique gloria frui putabant. Ita tradit Tertullianus, Cypriani, ut ipſe appellabat, magiſter. *Tota paradiſi clavis tuus ſanguis eſt.* Atque ex his patet nihil ad *purgatorium* adverſariorum facere hanc Cypriani ſententiam, quam etiam ad pœnitentiæ dura referre videtur Albaſpineus, Aurelianenſis epiſcopus; Ait enim his verbis expoſitam eſſe à Cypriano *differentiam lapſorum, qui non ante finem pœnitentiæ quam vitæ faciunt, & martyrum & aliorum fidelium.* Vnde quivis videre poteſt, quam fruſtra falſoque hoc Cypriani teſtimonio abuſus ſit Bellarminus; tùm ut probaret Paulinum *ignem* in tertio prioris ad Corinthios epiſtolæ capite *purgatorii* ſui *ignem* eſſe; tum ut oſtenderet *carcerem* illum, de quo Dominus Matthæi quinto, eſſe *purgatorium* Romanum; tum denique ut *purgatorium* ſuum directe ex veteribus aſtrueret inter quorum *apertiſſima* (ut ille quidem vult) teſtimonia hoc etiam Cyprianicum cenſere non dubitavit; quod quam vere opinatus ſit, ex his quæ diximus, ſatis patet.

L. de an. c. 55.

Obſer. l. 2. Obs. 12. p. 116. extr.

L. 1. de purg. c. 5. §. Eſt igitur.

Ibid. c. 7. §. Cyprianus.

Ibid. c. 10. §. Theodoretus.

CAPUT XI.

Solvuntur objecta loca, ex Gregorio Nazianzeno, IV^m, ex Baſilio Magno, V.^m

PRoximus Cypriano, ſed longo intervallo ſequitur Gregorius Nazianzenus, è quo hæc adverſarii recitant, *in altero ſuo igni baptizabuntur, qui poſtremus eſt baptiſmus; nec ſolum acerbior, ſed & diuturnior; qui craſſam materiam inſtar ferri* (ſcribe fœni) *depaſcitur, vitiique levitatem abſumit.* Nos vero hunc *ignem* non negamus; ſed impiis, & impœnitentibus conſtitutum. Intelligit enim Gregorius *gehennæ ignem.* Quod ut appareat, totus locus legendus eſt; in quo Novatianos hæreticos hortatus, ut relicto ſchiſmate ad Eccleſiæ communionem redirent; hæc ad auditores converſus de iis ſubjicit; ἤτοι μὲν οὖν εἰ μὲν βούλοιντο, τὴν ἡμετέραν ὁδὸν, καὶ χριστοῦ, εἰ δὲ μὴ, τὴν ἑαυτῶν πορευέσθωσαν. τυχὸν ἐκεῖ τῷ πυρὶ βαπτισθήσονται, τῷ τελευταίῳ βαπτίσματι, τῷ ἐπιπονωτέρῳ, καὶ μακροτέρῳ, ὃ ἐσθίει ὡς χόρτον τὴν ὕλην, καὶ δαπανᾷ πάσης κακίας κουφότητα. *Atque hi quidem noſtra ſi velint, atque adeo Chriſti via; ſin minus, ſua inſiſtant. Forte illic baptizabuntur igni, qui poſtremus eſt baptiſmus; nec ſolum acerbior, ſed diuturnior; qui materiam, inſtar fœni, depaſcitur, & cujuſvis nequitiæ levitatem abſumit.* Vides Gregorium loqui de Novatianis pervicacibus, & in ſchiſmate, ſpreta Eccleſiæ, & Domini via obſtinatis; cujuſmodi hominibus

Bell. l. 1. de purg. c. 10. §. Greg. Naz.

Orat. in ſanct. lum. extr.

T. 1. p. 636. c.

minibus, non *purgatorii* ſui, ſed *gehennæ ignem* paratum eſſe conſitentur adverſarii. Atque ita hunc locum Nicetas ſcholiaſtes interpretatur; *Quod ſi vos* (inquit) *non flectimus, pro vobis, utpote incurabili morbo correptis, lacrymas effundemus. Igni enim ſempiterno baptizabimini, qui terrenam & craſſam materiam, tamquam fœnum comedit, ut Iſaiæ verbis utar; hoc eſt craſſis & obſcœnis voluptatibus ſervientes exurit, atque homines peccato leves, & aridos ita excruciat, ut tamen non abſumat.* Neque quemquam turbare debet vocula τυχὸν *fortaſſe*, quæ dubitantis eſt; cum gehennæ ignis, non fortaſſe, ſed certiſſime hujuſmodi peccatoribus paratus ſit. Particula enim illa τυχὸν non ſemper eſt dubitantis. Denique ſi cui dilutius videtur, baptiſmum gehennæ, qui ſempiternus erit, dici *diuturniorem* baptiſmo pœnitentiæ; ſi cui durius, quod illius baptiſmi *ignis* dicitur ἐσθίειν ὡς χόρτον τὴν ὕλην, καὶ δαπανᾷν πάσης κακίας κυφότητα, cum non abſumendis peccatis, ſed puniendis peccatoribus paratus ſit ille *ignis*; ſicui non ſatisfacit Nicetæ, commode hæc interpretantis, induſtria (quæ mihi ſane vix ſatisfacit) is ad Origenicum de gehennæ uſu, & fine dogma iſta referat; quo afflatum nonnihil fuiſſe Gregorium hunc non eſt abſurdius, quam Nyſſenum, ipſius & σύγχρονον & συνώνυμον, & familiarem atque amicum. Nam viri, & in Origenem ſtudium Philocaliæ opus fatetur, ab ipſo, & Baſilio (ut ferunt) communi opera ex Origenis ſcriptis concinnatum; & non alienum ab hoc ipſo dogmate animum teſtantur ea, quæ alibi in proxima post hanc homilia leguntur. Nam cum illic ignem memoraſſet οὐ καθαρτήριον, ἀλλὰ κολαστήριον, *non purgantem, ſed vindicantem, & punientem*; μὴ σβεννύμενον, ἀλλὰ διαιωνίζοντα τοῖς πονηροῖς, *numquam exſtinguendum, ſed una cum improbis perennantem*; dixiſſetque πάντα γὰρ ταῦτα τῆς ἀφανιστικῆς ἐστι δυνάμεως, *hæc enim omnia eam vim habent, ut perdant, ac deleant*; per quamdam epanorthoſin ſtatim ſubjicit, εἰ μὴ τῷ φίλον κἀνταῦθα νοεῖν τοῦτο φιλανθρωπότερον, καὶ τοῦ κολάζοντος ἐπαξίως; *niſi tamen hoc quoque loco quiſpiam ignem mitius, atque ut Deo qui punit dignum eſt, intelligendum putet.* Ex quibus verbis merito colligit Nilus illis temporibus apud Patres ἀμφισβήτησιμον fuiſſe illud de æternitate gehennæ dogma, καὶ μήπω διακεκαθαρμένον ὅπως ἂν ἀκρίβειας ἔχοι, *controverſum, neque ita repurgatum, ut ejus veritas eſſet certa*; quandoquidem Gregorius ἐφίησι τοῖς βουλομένοις νοῆσαι τὸ πῦρ ἐκεῖνο φιλανθρωπότερον; *liberum facit volentibus ignem illum mitius interpretari.* Ego hoc etiam adjecerim in hanc partem propenſiorem videri Gregorium, qui hanc interpretationem non tantum ab humanitate commendet, ſed etiam *Deo dignam* eſſe innuat. Certe Ammonius apud Tur-

Orat. 40. in paſch. T. I. p. 66. ſ. a.

de purgat. p. 140.

Turrianum refert, ὅτι φασὶ τινες καὶ τὸν λόγον τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Ναζιανζοῦ εἰς τὰ θεοφάνεια ἀπὸ τῶν αὐτῶν διαφθαρῆναι, *quoſdam dicere orationem Gregorii Nazianzeni in Theophania ab iiſdem* (Origeniſtas intelligit) *corruptam eſſe*; nimirum in hoc ipſo loco, quem à Bellarmino allatum explicavimus; quo deſcripto δοκεῖ γὰρ (inquit) ἐνταῦθα κατὰ τὸν Ὠριγένην τελευταῖον βάπτισμα καθαρτικὸν ἁμαρτιῶν τιθέναι τὴν κόλασιν: *Videtur enim juxta Origenem conſtituere punitionem eſſe quoddam poſtremum baptiſma purgatorium peccatorum.* Sed ſive hæc Origeniſtis in ſuum ſenſum adulterata, ſive ab ipſo Gregorio (quod non eſt incredibile) hoc modo ſcripta fuerint, nobis ſatis eſt, quod ea nihil cum adverſariorum *purgatorio* commune habeant. Præfat. Græc. in Σχόλ. Clem.

Neque minus ab hac cauſa aliena ſunt, quæ ex Baſilii in Iſaiam commentario deinceps afferuntur. Quamquam & ea ipſa Baſilii ne vere ſint, non immerito dubitari poteſt. Nam totus ille liber plurimum abeſt à majeſtate, ac pulcritudine facundiſſimi illius ſcriptoris. Non habet ejus genium; non ſpiritus, non vim; non illam perpetua ſuavitate temperatam gravitatem. Mihi quidem ita viſum cumprimum legi. Poſtea comperi idem quoque olim fuiſſe Eraſmi de hoc opere judicium, viri haud dubie in litteris maximi. Sic enim ille in epiſtola ad epiſcopum Roffenſem; *Hunc* (inquit) *aggreſſus latinum facere inſtitui. Sed quo altius deſcendo in operis penetralia, hoc minus mihi viſum eſt divinam illam Baſilii phraſin ſapere; tametſi mox in ipſo libri veſtibulo titulus nonnullam animo ſuſpicionem injecerat; ita teſtans ab ipſo quidem Baſilio deſcriptum opus; cæterum ab illius obitu ab alio quodam presbytero evulgatum. Auxit ſuſpicionem, quod ne apud ſcriptores quidem, qui Baſilii recenſent lucubrationes, hujus voluminis ulla ſit mentio.* Sed cujuſcumque ſit hic fœtus, non heri neque nudiuſtertius Baſilio inſcriptus eſt. Memorat enim Photius Baſilii τὴν ἑρμήνειαν τοῦ Ἠσαΐου, & quidem illa ipſa loca intuens, quæ nunc ab adverſariis objiciuntur. Sunt autem duo ex commentario in caput nonum deſcripta; *Si igitur per confeſſionem* (inquit) *detexerimus peccatum, jam ſuccreſcens gramen arefecimus, dignum plane quod depaſcatur, ac devoret purgatorius ignis.* Et infra; *Non omnimodam* (inquit) *internecionem, & exterminium comminatur; ſed innuit expurgationem, juxta Apoſtoli ſententiam, ipſe autem ſalvus erit, quaſi per ignem.* Vtrumque locum ſigillatim expendamus. In priori auctor iſte hæc Iſaiæ verba enarrans, *Et ſuccendetur iniquitas, ſicut ignis, & ſicut gramen aridum devorabitur ab igne*, peccatum gramini ideo comparari ait, ὅτι ἡ ἄγρωστις πολυγονώτατον ἐστιν ἐν βοτάναις, καὶ οὐδαμοῦ καταλήγει αὐτῆς ἡ γέννησις, *quod gramen fœcundiſſimum ſit inter herbas, neque um-*

In 1. cor. c. 3.

Bell. l. 1. de purg. c. 10. §. Baſilius.

Iſ. c. 9.

quam deſinat aliquid progignere; Idem eſſe peccati ingenium; aliud ex alio indeſinenter ſeri, nec uſpiam deficere peſtilentem fœcunditatem. His ea ipſa continenter ſubjicit, quæ attulit adverſarius, *ἐάν ὖν γυμνώσωμεν τὴν ἁμαρτίαν διὰ τῆς ἐξομολογήσεως, ἐποιήσαμεν αὐτὴν ξηρὰν, ἀξίαν τῦ καθαρτικῦ πυρὸς καταβρωθῆναι. Si igitur per confeſſionem detexerimus peccatum, ipſum fecimus gramen aridum, dignum conſumi ab igne purgatorio.* Sic enim vertendus fuit locus. Vellem Bellarminus nobis expoſuiſſet, qui hæc ſuo purgatorio accommodet. Ego ſane non video. Quæſo enim peccatum ne iſti ab illo ſuo *igne* abſumi volunt? Nihil minus. Peccatum confeſſione conſumi ajunt, non autem *dignum* effici, quod *purgatorio conſumatur*: & poſt *confeſſionem*, non *peccatum*, quod dimiſſum eſt, ſed ſolam peccati *pœnam* in *purgatorio* luendam ſupereſſe. Itaque alius ab iſto eſt hujus ſcriptoris *ignis*; qui peccatum ipſum, & quidem poſt confeſſionem conſumit; cui adeo *confeſſio* peccatum *exſiccans*, *& arefaciens* dignum abſumi pabulum præbet. Quis autem *ignis* iſte eſt? Nemo nos melius quem intelligat, docuerit, quam hic ipſe auctor. Is autem ſextam Iſaiæ viſionem ſupra explicans, ait illo altari, quod à Propheta viſum eſt, ſignificari *ἐπουράνιόν τι θυσιαστήριον, τουτέστι χωρίον καθαρισμῦ ψυχῶν, ὅθεν ἐκπέμπεται ταῖς ἁγιαζομέναις δυνάμεσι τὸ καθάρσιον πῦρ, cœleſte quoddam altare, nempe locum purificationis animarum, è quo ignis ille purgatorius virtutibus ſanctificatis emittitur.*

Inc. 6. Iſ. p. 172. b.

τοιούτῳ πυρὶ Κλεώπα καὶ Σίμων͡ος ἐκαίετο ἡ καρδία, ὅτε διήνοιγεν αὐτοῖς ὁ Κύρι͡ος τὰς γραφάς. τοιούτῳ θερμαίνονται πυρὶ οἱ τῷ πνεύματι ζέοντες. τοιοῦτον ἔλαβε πῦρ Ιερεμίας. διὸ καὶ ἔλεγε, καὶ ἐγένετο πῦρ ἐν τοῖς ἐγκάτοις μου. Tali igne cor Cleophæ, & Simonis ardebat, cum Dominus iis Scripturas aperiret. Tali igne incaleſcunt, qui fervent Spiritu. Talem accepit ignem Hieremias, quare dicebat, factus eſt ignis in viſceribus meis. Non potuit clarius docere, ſibi *πῦρ καθαρτικὸν* ſive *καθάρσιον ignem purgatorium* eſſe Spiritum ſanctum. Ipſe ergo ille *ignis* eſt, qui in fidelium corda effuſus jam arefactum confeſſione, ac pœnitentia peccatum cœleſti vi abſumit. Quod ſi peccator in ſcelere, aut flagitio induratus pœnitentiam ſive exomologeſin reſpuat, neque igneam illam ſancti Spiritus vim accipiet, neque peccatum in eo abſumetur; ſed in dies magis magiſque multiplicabitur. Hic ſenſus eſt eorum, quæ paulo poſt ſubjicit; *ἐὰν οὖν μὴ γένηται ὡς ἄγρωστις ξηρὰ ἡ ἁμαρτία ἡμῶν, οὐ βρωθήσεται ὑπὸ πυρὸς. Peccatum igitur noſtrum, niſi fiat ut gramen aridum, non conſumetur ab igne.* Nimirum à Spiritu ſancto; qui nonniſi pœnitentibus, & vere contritis donatur. Quæ adeo ſunt clara, ut in iis immorari pigeat. Monemus tantum ex his liquere, quam falſo Bellarminus inter apertiſ-

Luc. 24. 18.

ſima

ſima pro *purgatorio* ſuo loca hoc Baſilii teſtimonium numeraverit; in *l. 1. de purg. c. 10. §. Baſilius.*
quo id non modo non aperte ſignificatur, ſed ne obſcure quidem innuitur. Indidemque videre eſt, quam miſere alibi lectoribus ſuis ille idem illuſerit, cum deſcripto eo quem hic Baſilius explicat, Iſaiæ loco, addit, *Baſilius in hunc locum dicit, per confeſſionem peccatum areſieri,* *Ibid. c. 3. §. Septimus.*
ut igne purgatorio poſt hanc vitam abſumi poſſit, & ex hoc loco probat. Primum immane eſt mendacium, quod ait Baſilium dicere, *igne* illo ſuo purgatorio peccatum *poſt hanc vitam* abſumi. Verba enim hæc *poſt hanc vitam* nuſquam inveniuntur apud Baſilium, ut ex ſuperioribus apparet. Secundo falſum itidem eſt, quod vult ab hoc ſcriptore *purgatorium* Romanum intelligi, de quo ne in ſomniis quidem cogitavit. De Spiritu ſancto loquitur; unico igne animarum noſtrarum vere purgatorio. Sequitur mox in Commentario alter eadem fide à Bellarmino objectus locus in hæc Prophetæ verba, *quia propter indignationem iræ Domini ſuccenſa eſt terra omnis;* δείκνυσιν (inquit) ὅτι τὰ γήϊνα τῷ πυρὶ τῷ κολαστικῷ, παραδίδοται ἐπὶ εὐεργεσίᾳ τῆς ψυχῆς, καθὰ καὶ ὁ Κύριος ὑποφαίνει λέγων, πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τί ἤθελον εἰ ἤδη ἐκάη; Καὶ *Luc. 12. 48.*
ἔσται ὁ λαὸς ὡς ὑπὸ πυρὸς κατακεκαυμένος ἄνθρωπος. οὐκ ἀφανισμὸν ἀπειλεῖ, ἀλλὰ τὴν κάθαρσιν ὑποφαίνει, κατὰ τὸ παρὰ τῷ ἀποστόλῳ εἰρημένον, ὅτι εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται. αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός. *Declarat terrena tradi igni punitivo*, ſive *caſtigatorio in* *1. Cor. 3. 15.*
beneficium animæ, quemadmodum & ipſe Dominus ſubindicat, dicens, Ignem veni mittere in terram. Et quid volui, ſi jam accenſus eſt? Et erit populus, ſicut homo ab igne deuſtus. *Non abolitionem, ſive omnimodam conſumptionem minatur, ſed purgationem innuit, juxta Apoſtoli ſententiam, quia* ſi cujus opus arſerit damnum patietur, ipſe autem ſervabitur, ſic tamen quaſi per ignem, &c. Iam quid hæc ad *purgatorium* adverſariorum? Clarum eſt Prophetam de ingentibus afflictionibus loqui, quæ juſto Dei judicio in populum erant incubituræ; quas pro more *igni* terram Iſraelis urenti comparat. Ita accipit hic ſcriptor, monetque *ignem* illum, de quo Iſaias, eſſe κολαστικὸν, *ignem caſtigationis*, ſive *afflictionis*, ad *beneficium animæ miſſum*; nimirum ad Iſraelis correctionem, atque emendationem; quo etiam ille *ignis* pertinet, quem Chriſtus ſe *in* terras *miſſurum* profitetur. Is enim, vel teſte ipſo Maldonato, *res adverſas & afflictionem* ſignificat, non autem illum ſubter- *Maldon. in Luc. 12. 48.*
raneum adverſariorum *ignem*, quo eum nemo ſanus retulerit. Ergo & ſequentia eodem referenda; in quibus cum divinus vates populum his calamitatibus, & afflictionibus caſtigatum homini comparaſſet ab igni deuſto; noſter obſervat eo ſignificari, non plane ac penitus deletum,

conſumptumque iri populum (non enim plane periit homo *κατακεκαυμένος qui igne deuſtus eſt*) ſed eo divinarum caſtigationum igne purgatum, atque emendatum iri. Hic enim eſt proprius ferularum, quibus Dominus ſuos hic verberat, uſus ac finis, ut ſic iis vitiis, quibus laborant, *purgentur* quo hic ſcriptor illa quoque Pauli verba accommodat, *ſervari quaſi per ignem*, hoc eſt per *afflictiones*, & *tribulationes* hujus vitæ, velut per *ignem* aliquem, ad ſalutem eniti. Sic enim hunc Apoſtoli locum interdum interpretari veteres, & conſtat, & fatetur adverſarius, Auguſtinum, & Gregorium Romanum auctores hujus expoſionis laudans. Quamquam Paulinum locum ſcriptor commentarii non tam hic interpretatur, quam obiter & aliud agens inſtituto ſuo accommodat. Hic igitur *ignis* de quo loquitur, cum fideles in terris degentes *purget*, nihil habet cum eo commune, quem non in *terris*, ſed in *inferis* ardere volunt adverſarii. Itaque & in hoc etiam loco Bellarminus nobis impoſuit, quem non eſt veritus inter ſua illa *apertiſſima*, ut loquitur, *Patrum* de purgatorio *teſtimonia* oſtentare. Cæterum lectorem monere non gravabor illum, quiſquis eſt commentarii in Iſaiam auctorem, videri & ipſum ab Origenico de damnatorum per ignem gehennæ purgatione delirio non fuiſſe alienum. Certe vix aliter accipi poſſe videntur quæ in Iſaiæ quartum caput de futuri ſæculi igne philoſophatur, quo eos quoque probari, & purgari facit, qui *poſt acceptam cognitionem ad mortem voluntario peccant*.

Bell. l. 1. de purg. c. 5. §. Quinta &c.

in Iſ. 4. p. 124. b. c. vid. infr. l. 6. c. 4.

CAPUT XII.

Solvitur argumentum VI. ex loco quodam Theodoreto impudenter affictо. VII. ex Boethio; VIII. ex Oecumenio.

EX Theodoreto adverſarii Græcis olim in hac cauſſa objecerant locum neſcio quem, tamquam ex ejus commentario in priorem ad Corinthios deſcriptum. Reſponderat Nilus falſum eſſe, & Theodoreto affictum; apud quem verba ab iſtis laudata nuſquam comparerent, ἔπειτα ἣ ἃ φατε τὸν μακάριον Θεοδώρητον λέγειν, inquit, ἄνδρα σοφόν τε καὶ θεῖον καὶ μέγα ἐπὶ λόγοις ἔχοντα τὸ κλέος, εἰ μὲν καὶ παρ᾽ ἡμῖν οὕτως εὑρίσκετο ἔχοντα, εἴχον ἂν τινα λόγον, καὶ τινος ἴσως ἀπολογίας ἐδέησεν. ἐπεὶ δὲ πολλῶν ὄντων παρ᾽ ἡμῖν ἐκείνου συγγραμμάτων, ἐν οὐδενὶ φαίνεται πώποτε εἰρηκὸς, οὐδὲ λόγου ἡμῖν δεῖ πρὸς τἀκείνου. *Deinde quæ dicitis B. Theodoretum dicere, virum & ſapientem & divinum & magnam eloquentiæ tandem conſecutum, ſiquidem etiam apud nos ſic invenirentur, haberent utique aliquam*

De purg. p. 144. extr.

quam rationem & nonnulla fortaſſis defenſione egerent. Nunc vero cum in multis illius ſcriptis quæ apud nos extant, nihil tale uſpiam dixiſſe comperiatur, ne verbis quidem ad illa, quæ ex eo profertis, opus eſſe cenſemus. Adverſarii vero quaſi iſtorum nihil umquam vel audiviſſent, vel legiſſent ecce de integro locum Theodoreti magna confidentia nobis hic obtrudunt; neque objectum à Græcis falſi crimen purgant, neque ullum omnino verbum de ea accuſatione faciunt; ſed (velut res liquida & apud omnes confeſſa eſſet) *Theodoretus* (inquiunt) *in ſcholiis Græcis in* *Bellarm. l. 1. de purgat. c. 10. §. Theodoret.*
1. Cor. c. 3. Hunc ipſum ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur, & repurgantur, ſicut aurum in conflatorio. Ac ut ſpecioſius eſſet mendacium, non defuit qui Græcanica veſte locum donaret; τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν εἶναι καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ, ὡς χρυσὸς ἐν τῷ χωνευτηρίῳ. Ajunt ſe habere è ſcholiis Theodoreti in Paulum. *Gagn. in 1. Cor. 3* Illa vero ſæpius ipſi ediderunt Latine; nuper etiam Græce, cum reliquis omnibus ejuſdem ſcriptoris operibus in quatuor grandia volumina diſtributis. Evolve omnia à capite ad calcem; hæc, quæ nunc pro *purgatorio* objiciunt, nuſquam reperies in ſcholiis in Paulum; vel in hac Græca editione noviſſima, vel in præcedentibus Latinis. Quæ ergo eſt iſta impudentia ea, quæ ipſi Theodoreti non eſſe ſciunt, ejus nomine objectare, & ea inter apertiſſima pro purgatorio teſtimonia recenſere, quæ non modo dubia ſunt & incerta, ſed etiam liquido ſpuria, & falſa? Unde etiam apparet falſo, & ſophiſtice hoc idem dictum nobis à Bellarmino obſtruſum fuiſſe, quo probaret nobilem Pauli *l. 1. de purg. c. 5. §. Eſt igitur communis.* locum in prioris epiſtolæ ad Corinthios capite tertio Theodoretum de purgatorio ſecum eſſe interpretatum.

Sed Bellarminus hoc quoque Boethii teſtimonium inter apertiſſima *Ib. c. 10. §. Paulinus.* Patrum pro purgatorio loca objecit » *Nulla ne animarum ſupplicia poſt* *de conſ. Phil. l. 4. Proſ. 4.* *defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, inquit; quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto.* Reſpondeo hæc non Boethii ipſius, ſed philoſophiæ, & quidem potiſſimum Platonicæ verba eſſe apud Boethium; quam cum induxiſſet in illo opere loquentem, ut ſerviret hypotheſi facit eam de pœnis ex Platonis dogmate diſſerere, quem notum eſt pœnas *purgatorias* mortuis conſtituiſſe. In toto illo opuſculo omnia ex philoſophia petita ſunt; de Chriſto, ejuſque euangelio verbum fit nullum. Boethium ipſum Chriſtianum fuiſſe fateor. Hunc ejus librum de Chriſtianiſmo, vel ex Chriſti doctrina ſcriptum fuiſſe nego. In eo tantum copioſe, & ſane eleganter exponit, quibus rationibus ſuos in adverſis conſolari, & exigere poſſit, vel etiam ſoleat philoſophia; ut Bellarminus hic quoque inverecunde ſe

 geſſerit

geſſerit qui petitum ex tali opere locum pro apertiſſimo Chriſtianæ Doctrinæ teſtimonio nobis venditare non dubitaverit. Nam ſi quæcumque in iis libris ex philoſophiæ perſona dicuntur totidem fuiſſe cenſenda ſint Chriſtianorum, qui tum vivebant, dogmata; fatendum erit eos credidiſſe à *fortunæ*, cæci numinis, *nutu pendere* partem rerum humanarum aliquam. Sic enim illic philoſophia Boethium alloquens;

l. 2. Proſ. 1. *Tu ſi fortunam putas erga te eſſe mutatam, erras. Hi ſemper ejus mores; hæc natura eſt. Servavit potius circa te propriam in ipſa ſui mutabilitate conſtantiam. Talis erat cum blandiebatur; cum tibi falſæ fœlicitatis illecebris alluderet. Deprehendiſti cæci numinis ambiguos vultus.* & cætera quæ deſcribere nihil neceſſe eſt. Fatendum erit Chriſtianos illius ævi & credidiſſe, & docuiſſe ſcientiam noſtram nihil aliud eſſe, quam *reminiſcentiam*, adeoque animas noſtras, antequam in hæc corpora infunderentur, jam alibi extitiſſe, multaque ſciviſſe; quod unum quoque eſt ex Platonis deliramentis in hoc itidem opuſculo ab eadem magiſtra proditum;

Non omne namque mente depulit lumen
l. 3. metr. 11. *Oblivioſam corpus invehens molem.*
Hæret profecto ſemen introrſum veri
Quod excitatur ventilante doctrina; & cætera.

Ibid. Proſ. 12. Quin & ipſe Boethius, quod mireris, aſſentiri ſe huic dogmati profitetur; *Tum ego, Platoni inquam, vehementer aſſentior. Nam me horum jam ſecundo commemoras.* Vnde quivis intelligere poteſt iſtum, quod ante eum & Origenes, & Syneſius, multique alii fecerant, Chriſtianam religionem ita coluiſſe, ut multa interim ex philoſophia, in cujus ſtudiis florebat, fidei immiſceret; quo fit ut parum idoneus cenſeri debeat, etiam ubi ipſe loquitur, Chriſtianorum dogmatum teſtis. Mitto quod re Chriſtiana jam inclinata ſexto poſt Domini in terris natales ſæculo floruit. Sed hæc de Boethio plus ſatis.

L. 1. de purg. c. 10 §. Theodoretus. §. Paulinus. *De Tertull. locis infr. l. 5. c. 7. 9. 10. de Paulini vero locis Ibid. c. 11.* Iam quæ his Bellarminus infulcit Tertulliani, Paulinique dicta, ea in ſequentem locum de precibus pro defunctorum animabus, quo proprie pertinent, differemus. Gregorium Romanum, Iſidorum, Bedam, Anſelmum, Petrum Damianum, & Bernardum prudens prætereo; quod iis temporibus, quibus iſti vixerunt omnes infra ſextum Chriſtianiſmi ſæculum, fateor jam exortum in Occidente fuiſſe *purgatorii* Romani dogma; neque vero iſtos negem vel præcipuos fuiſſe ejus architectos; qua de re infra ſuo loco dicemus opportunius.

L. 1. de purg. c. 10 §. Theodoretus. Sed iſtis Latinis perperam Oecumenium Græcum immiſcuit Bellarminus; quam gentem purgatorii dogma hactenus neſciviſſe conſtat.

Hæc

Hæc tamen adverſarius ex Oecumenii ſcholiis in tertium caput prioris epiſtolæ ad Corinthios deſcribit; *Salvabitur & ipſe quoque, non tamen citra dolorem, ut par eſt eum, qui tranſit per ignem, & à concretis levioribus maculis expiatur.* Ego, tametſi hujus teſtis auctoritate minime urgear, (quippe quem alii poſt octavum ſæculum, alii etiam poſt decimum vixiſſe volunt) tamen quod inſignem in hoc loco adverſarii hallucinationem coargui ſit operæpretium, reſpondeo hæc Oecumenii verba ad purgatorium Romanum minime referri poſſe; & adverſarium, niſi eum cauſſæ ſtudium penitus excœcaſſet, id facile animadverſurum fuiſſe. Quibus enim purgatorium iſti deſtinant ii proprie ſunt, qui Chriſto fundamento *ligna, fœnum, ſtipulas* ſuperædificarunt; qui vero *aurum argentum, gemmas* ſuperſtruxere, eos iſti docent ſine igne ſervatum iri; ut ſupra audivimus, cum de hoc Pauli loco diſputaremus. Iam vero Oecumenius in allatis à Bellarmino verbis de eo loquitur, qui Chriſtianiſmi fundamento, non (quod iſte immani errore putavit) *fœnum, ligna, ſtipulas*, ſed *aurum, argentum, & gemmas* ſuperædificavit. Hoc ipſe ita clare clamat Oecumenius, ut monſtri ſimile ſit Bellarminum id non intellexiſſe. Totum ejus locum deſcribam, ut res manifeſta ſit. Allata Photii in illum Apoſtoli locum enarratione; ipſe tum Oecumenius; ἆρα μὴ καὶ οὕτως δυνάμεθα νοῆσαι; οἱ μὲν οἰκοδομήσαντες τὴν εὐκατάπρηστον ὕλην τέλεον ἐκβέβληνται. ἐζημίωνται γὰρ πάντα αὐτῶν τὰ σπουδάσματα. αὐτὸς δὲ σωθήσεται. τίς; ὁ ἐποικοδομήσας τὸν χρυσὸν, καὶ τὸν ἄργυρον, καὶ τοὺς τιμίους λίθους. εἰπὼν γὰρ περὶ αὐτοῦ, ὅτι μισθὸν λήψεται, νῦν λέγει ποῖον μισθόν; τουτέστι τὴν σωτηρίαν. σωθήσεται δέ γε ἐπωδύνως, καὶ αὐτὸς, ὡς εἰκὸς τὸν διὰ πυρὸς παρελθόντα, καὶ ἐκκαθαιρόμενον τὸν ἐνόντα αὐτῷ βραχὺν ῥύπον. Θεοῦ γὰρ μόνου τὸ τελέως ἀναμάρτητον, &c. *Anne ita quoque intelligere poſſumus? Illi quidem, qui materiam facile exurendam ædificarunt penitus ejiciuntur, multantur enim omnibus ſuis laboribus.* Ipſe vero ſervabitur. *Quis nam? Qui ſuperædificavit aurum, & argentum, lapideſque pretioſos. Cum enim de ipſo dixerit, quod mercedem accipiet, nunc dicit quam mercedem; nempe ſalutem. Servabitur autem ipſe quoque dolorem paſſus: ſicut eum par eſt, qui per ignem tranſit, ſibique unitas modicas ſordes expurgat. Solius namque Dei eſt perfecte peccato carere; homines vero, etſi quam maxime juſti fuerint, non perfecte puri ſunt.* Atque hæc quidem Oecumenius; quem jam nemo non videt, & lignorum, fœni, ſtipularumque ædificatores cœlo plane, penituſque excludere; in gehennam adeo, non in purgatorium mittere; & contra auri, argenti, gemmarumque ædificatores per Paulinum hunc ignem traducere; quem adeo plane neceſſe eſt alium eſſe ab eo igne, quem adver-

Vid Bellarm. l. de ſcript. eccleſ.

ſarii fingunt. Nihil iſtorum dogmati magis inimicum, atque adverſum dici potuit. Res autem ipſa loquitur intellectum Oecumenio ignem eum ipſum eſſe, quo etiam ſanctiſſimos ultimo die luſtratum iri ſomniarunt plærique veteres. Atque hinc poſtremo liquet quanta ſit Bellarmini vel improbitas, vel certe oſcitantia, qui hunc locum & inter apertiſſima pro purgatorio ſuo teſtimonia recenſere; & inter ſuæ in Paulinæ verba παρερμηνείας præſidia afferre non dubitavit.

l. 2. de purg. c. 5. §. Ex Gr.

CAPUT XIII.

Solvitur Arg. IX. ex variis Auguſtini teſtimoniis deſumptum; ac primum oſtenditur illum non incredibile putaſſe aliquo doloris velut igne affici animas fidelium mortuorum ob amiſſas res impenſius dilectas: cæterum neque hoc definiviſſe, neque ignem ullum elementorum quo torqueantur fidelium animæ agnoviſſe.

ITaque ex omni Patrum à Bellarmino objectorum cenſu, qui quidem primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus vixerit nemo, præter unum Auguſtinum, ſupereſt; quem in hunc locum conſulto ſepoſui, tum quod ejus auctoritate plurimum nitantur, & confidant adverſarii; tum quod illius ſententia aliquid ſingulare, & à reliquorum omnium ſenſu alienum habeat; è quo ducta videntur prima *purgatorii* rudimenta, quæ paulatim variis multorum artibus aucta, atque amplificata in hanc tandem molem, quæ hodie viſitur in Latina Eccleſia excrevere. Cujus rei magnum hoc habeo argumentum, quod apud Orientales, quibus Auguſtini ſcripta minus nota erant nihil hujuſmodi acciderit. Iſti enim ne nunc quidem Scholæ Romanæ *purgatorium* ſciunt, ut infra demonſtrabitur. Sepoſito ergo omni cauſſæ ſtudio, quid Auguſtinus hac de quæſtione ſenſerit ſimpliciter; ac bona fide inveſtigemus. Illud quidem in primis conſtat, quod jam ſupra docuimus, eum cum aliis nonnullis Patribus in hoc errore verſatum eſſe, ut homines ultimi judicii die flamma neſcio qua luſtratum iri exiſtimaverit; qua de re ſatis ſuo loco dictum eſt. Iam quæ ejus propria, ac ſingularia fuerint, videamus. Illa autem tribus, quatuorve inſignibus, celeberrimiſque locis continentur. Primus locus extat in Enchridio ad Laurentium; ubi contra eos diſputat, qui (quod jam ante monuimus) Origenis quidem de dæmonum ac Paganorum, & hæreticorum ſalute delirium repudiabant; ſed tamen quoſcumque homines nulla ab

externa

extrema Eccleſiæ communione tempeſtas abruperat, illos etiamſi ſine ſanctitatę, & pœnitentia vitam omnem traduxiſſent, tandem aliquando ſervatum iri pertendebant poſt datas in *igne gehennæ* diuturnas ſcelerum pœnas. Cum ergo iſti nobili Pauli ad Corinthios loco de quibuſdam *velut per ignem ſervandis* ad erroris ſui patrocinium abuterentur; Auguſtinus primum hanc eorum dementiam claris, certiſque Scripturæ teſtimoniis refellit; tum Paulinum illum locum, quem obſcurum eſſe præfatur, ſic interpretatur, ut iis eripiat; *Ligna quippe, & fœnum, & ſtipula* (inquit) *non abſurde accipi poſſunt rerum ſæcularium, quamvis licite conceſſarum, tales cupiditates, ut amitti ſine animi dolore non poſſint. Cum autem iſte dolor urit, ſi Chriſtus in corde fundamenti locum habet, id eſt ut ei nihil anteponatur, & malit homo qui tali dolore uritur, rebus, quas ita diligit, magis carere, quam Chriſto, per ignem fit ſalvus. Si autem res hujuſmodi temporales, ac ſæculares tempore tentationis maluerit tenere, quam Chriſtum, eum in fundamento non habuit; quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio prius non ſit aliquid fundamento.* Mox oſtendit ſcripturæ familiare eſſe *ignis* nomine *tentationem tribulationis* ſignificare: Tum; *Iſte* (inquit) *ignis* (tribulationes ſcilicet) *in hac interim vita facit, quod Apoſtolus dixit, ſi accedat duobus fidelibus; uni ſcilicet cogitanti quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, hoc eſt ædificanti ſuper Chriſtum fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos; alteri autem cogitanti ea, quæ mundi ſunt, quomodo placeat uxori, id eſt ædificanti ſuper idem fundamentum ligna, fœnum, ſtipulas. Illius enim opus non exuritur, quia non dilexit, quorum amiſſione crucietur; exuritur autem opus hujus, quoniam ſine dolore non pereunt, quæ cum amore poſſeſſa ſunt. Sed quoniam alterutra conditione propoſita, eis potius carere malit, quam Chriſto, nec timore amittendi talia deſerit Chriſtum, quamvis doleat, dum amittit*, ſalvus eſt *quidem*, ſed tamen quaſi per ignem; *quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amiſſarum; ſed non ſubvertit, neque conſumit fundamenti ſtabilitate, atque incorruptione munitum.* His ita explicatis tandem addit Auguſtinus; *Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit, quæri poteſt; & aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minuſve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiuſve ſalvari.* Hæc Auguſtinus; quæ omnia totidem verbis repetivit in libro quem ad Dulcitium de octo quæſtionibus ſcripſit. Alter ejus de hoc argumento locus, ſuperioris geminus, eique per omnia conſimilis, extat in libro de fide, & operibus; quem pariter etiam totum in opuſculum ad Dulcitium tranſcripſit. Pauli locum eodem ſenſu exponit; & alato

Enchirid. c. 67. T. 3. anno circiter 424.

C. 68.

1 Cor. 7. 32.

C. 69.

Q. 1. T. 4. p. 282. c.

Ibid. p. 280. c.

Libr. de fid. & operib. c. 16. T. 4. p. 32. a. anno circiter 415. lato viri conjugem pluſculum amantis eodem exemplo, *Quemcumque* (inquit) *in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis ſuſtinebit, hoc eſt detrimentum, quod patietur; hic eſt ignis per quem fœno ardente ipſe ſalvabitur.* Et his expoſitis pariter quoque dubitans ſubjicit, *Ibid. b.* *Sive ergo in hac tantum vita, ſive etiam poſt hanc vitam alia quædam judicia ſubſequuntur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis intellectus hujus ſententiæ;* Paulinæ nimirum. Iam ex his omnibus primo patet Paulinum, *ignem*, quo fidelium opera probantur, eum de tribulatione, qua pii in hac vita exercentur accepiſſe. Secundo *ignem*, per quem ſervantur *lignorum, fœni, & ſtipulæ ædificatores*, dolorem intellexiſſe, quo iſti uruntur, cum res caras, & ſuaves ob Chriſtum amittere coguntur. Tertio quod de tempore mortem ſequente ſubjicit, id ex occaſione tantum, non autem ex inſtituto addidiſſe; ut iis quibuſcum diſputabat, gratificaretur, largiens, quod iſti pertendebant, illa Pauli verba etiam fortaſſe de mortuis poſſe intelligi. Ex quibus illud quanto neceſſario conficitur *ignem* illum *purgatorium*, per quem *ſalvari* dicit eos, qui pereuntia, dum viverent, dilexerunt, non alium eum intelligere, quam dolorem, quo iſti exuruntur ob amiſſas res illas ſæculares, quarum nonnullo amore tenebantur. *Tale aliquid etiam* (inquit) *poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt.* Verba illa, *Tale aliquid*, ad ſuperiora referuntur, clariſſimeque ſignificant *tale aliquid*, quale in hac vita accidere dixerat. Non aliud autem dixerat, niſi iſtos animi dolore exuri ob amiſſa, quæ diligebant; neque ullum omnino præter hunc, alium *ignem* commemoraverat. Cum igitur nunc ſubjicit, *Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt*, omnino intelligit *non eſſe incredibile eos*, qui res ſæculares quamvis licite conceſſas, pluſculum præter modum amarunt, etiam mortuos aliquo ob eas morte amiſſas dolore exuri; quoque vel intentior, vel remiſſior fuerit illorum in eas amor, eo quoque acerbiorem, mitioremve, diuturniorem vel breviorem mortuorum dolorem fore; ſalutem adeo vel tardiorem, vel maturiorem. Neque eſt, quod quis miretur id Auguſtino de iis animabus, quas cum Chriſto cœleſti fœlicitate frui credimus, in mentem venire potuiſſe. Nam (quod nos poſtea oſtendemus) is de animarum poſt mortem ad ſupremam mundi diem ſtatu longe aliter ſenſit, quam noſtra eſt hodie vel etiam adverſariorum ea de re fides. Exceptis enim Martyribus, de cæteris ita ipſe ſtatuit in eodem illo ad Laurentium opuſculo; *Tempus autem* (inquit) *quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet; ſicut unaquæque* *C. 109. anno circiter 424.* *digna eſt vel requie, vel ærumna pro eo, quod ſortita eſt, in*

carne

carne cum viveret. Animas ergo in iſtis ſuis *receptaculis* aliquo ob res amiſſas dolore exuri, non putavit incredibile. Itaque *ignem* illum, quem appellat *purgatorium*, non flammam infernalem, aut elementarem eſſe liquet; non ullum proprie dictum ſupplicium ex ultricis juſtitiæ præſcripto ab Angelis bonis, maliſve inflictum, ſed ſolum animi dolorem ob res, quas quiſque impenſius dilexerat, adhuc poſt mortem æſtuantis; cum è contra, quæ eos fideles, qui ſine hujuſmodi cupiditatibus vitam egerunt, poſt obitum excipit quies, pura ac tranquilla ſit, nullis hujuſmodi vel deſideriis, vel doloribus turbata. Poſtremo illud quoque apprime obſervandum eſt hoc ipſum quantulumcumque eſt, *purgatorium*, non conſtituere, neque definire Auguſtinum; non ut rem certam, vel (quo loco adverſarii nunc ſuum habent) ut fidei dogma figere; ſed tamquam quæſtionem dubiam, obſcuram, ac ambiguam proponere; *Non eſt* (inquit) *incredibile tale aliquid fieri.* Tum, *quæri poteſt utrum ſit.* Scilicet de fidei capitibus ita loqui ſolemus, ut dicamus verbi gratia, *non eſſe incredibile Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe*; & *quæri poſſe utrum ita ſit*; & *ſive hoc ita ſit, ſive ſecus*; quomodo de hoc ſuo problemate in altero loco loquitur. *Denique id* (inquit) *poteſt aut inveniri, aut latere.* Eventum inquiſitionis incertum facit; ut neque eum certo ſperare audeat, neque de eo tamen plane deſperet. Atqui fidei Chriſtianæ capita clara ſunt, & in aperta ac publica Eccleſiæ luce poſita, ut latere quærentem non poſſint. Hoc ergo quicquid & qualecumque eſt, quod vel *inveniri*, vel *latere poteſt*, dogma certe fidei ex Auguſtino non eſt. Tertius ejus hac de re locus in opere *de Civitate Dei*, ſuperiorum eſt plane ſimilis. Nam & contra eoſdem adverſarios, & eodem modo diſputat, & Pauli quem iſti objiciebant eumdem locum ſic omnino, ut ſupra, èxponit; *ignem probantem* tribulationem intelligens, quo etiam pertinere aît & orbitates, & quaſcumque calamitates, quæ ea auferunt, quibus fidelis aliquis in hac vita impenſius delectabatur; & *ignem, per quem iſte ſervatur*, de dolore, quo ob res hujuſmodi amiſſas, excruciatur, accipiens. *Quod enim* (inquit) *ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Ecce quantum mihi videtur, inventus eſt ignis, qui nullum eorum damnet, ſed unum ditet* (qui *ſuper* Chriſto *fundamento aurum, argentum, & lapides pretioſos ædificavit*) *alterum damnificet*, (qui *ſuper* Chriſto *fundamento lignum, fœnum, & ſtipulam ſuperædificavit*) *ambos probet.* Tum *ignem* illum Paulinum demonſtrat de eo igne accipi (quod volebant ejus adverſarii) non poſſe, in quem Chriſtus in die judicii eos mittet, qui *à ſiniſtris* erunt; *Si autem* (inquit) *ignem illum iſto loco*

L. de fid. & op. c. 16. Anno circiter 415.

L. 21. c. 26. anno circiter 425.

voluerimus accipere, de quo Dominus dicit ſiniſtris, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, *ut in eis etiam iſti eſſe credantur, qui ædificant* ſuper fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam, *eoſque ex illo igne poſt tempus pro malis meritis impertitum liberet boni meritum fundamenti; quid arbitramur dexteros, quibus dicetur*, Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum; *niſi, qui ædificaverunt ſuper fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos? Sed in illum ignem de quo dictum eſt*, ſic tamen quaſi per ignem, *ſi hoc modo eſt intelligendus, utrique mittendi ſunt & dextri ſcilicet & ſiniſtri. Illo quippe igne utrique probandi ſunt, de quo dictum eſt*; Dies enim Domini declarabit, quoniam in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. *Si ergo utrumque probabit ignis, ubi* ſi cujus opus permanſerit *id eſt non fuerit igne conſumptum, quod ſuperædificavit*, mercedem accipiat; ſicujus autem opus arſerit damnum patiatur; *profecto non eſt ipſe æternus ille ignis. In illum enim ſoli ſiniſtri, noviſſima & perpetua damnatione mittentur: iſte autem dextros probat*, & cætera, quæ eodem pertinent; quibus expoſitis itidem, ut in ſuperiori loco dubitans tandem ſubjicit; *Poſt iſtius ſane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis, & remunerationis ultimus dies, ſi hoc temporis intervallo Spiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & ſtipula conſumantur; alii vero ſentiant, qui ejuſmodi ſecum ædificia portaverunt, ſive ibi tantum, ſive & hic, & ibi; ſive ideo hic, ut non ibi, ſecularia quamvis à damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſitan verum eſt.* Vides, ut hic quoque hæreat, remque incertam, ac dubiam, & ſub judice relinquat? Non quidem id evertit; ſed neque conſtituit. Satis habet, non redarguere; *quia forſitan* (inquit) *verum eſt*. Et tamen quæ addit, id potius evertunt, quam firmat. Huc enim referri poſſe ait & mortem ipſam temporalem, & perſecutiones Eccleſiæ, & tribulationem Antichriſti temporibus futuram. Quæ omnia cum in hac vita contingant, quod hic ea commemorat Auguſtinus id ipſum ſatis oſtendit nihil opus eſſe illum, per quem quidam ſervantur, ignem ad eos animi dolores referre, quibus nonnullos poſt mortem ob amiſſa hujus ſæculi dulcia exuſtum iri aliquem *forſitan vere* ſuſpicari poſſe dixerat. Atque ex his quidem, quam nihil cum hac Auguſtini dubitatione commune habeat adverſariorum de *purgatorio* commentum, quivis per ſe poteſt intelligere.. Bellarminus vero, ut hæc tela evitet, reſpondet

Auguſtinum

Auguſtinum his locis non de pœna animarum, ſed de ejus modo & qualitate dubitare. Ac in hoc quidem poſtremo ſolum *ait eum dubitare, an ignis purgatorius ſit idem in ſubſtantia cum igne gehennæ, de quo dicitur Matth. 25. Ite in ignem æternum.* Sed nihil dici potuit impudentius. Locum Auguſtini ſupra deſcripſimus. Oſtende mihi vel unum in eo apicem quo iſta *ignis purgatorii* cum *igne gehennæ* fiat comparatio. Tantum probat Auguſtinus *ignem*, *per* quem aliquos *ſervatum iri* ait Paulus, alium plane eſſe ab eo *igne* de quo Chriſtus, *Diſcedite in ignem æternum*; quod in illum utrique mittendi ſint & dextri & ſiniſtri; in hunc autem ſoli ſiniſtri. Illo quippe *igne* utroſque probandos eſſe; tum qui *aurum & argentum*; tum qui *fœnum, & ſtipulam* Chriſto *fundamento ſuperſtruxerint*; hoc autem eos tantum cruciandos, quos Chriſtus damnaverit. Cum vero poſtea addit ſe *non redarguere, an eo temporis intervallo, quod à morte fidelium ad reſurrectionem ſecuturum eſt, defunctorum ſpiritus ejuſmodi ignem dicantur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum & ſtipula conſumantur*; clarum eſt his eum verbis *ignem* hunc, de quo quærit, non cum damnatorum *igne* comparare, ſed cum eo, quo in præcedentibus dixerat viventium fidelium animos ob amiſſas res impenſius dilectas exuri; plane ut in ſuperiore loco ex Enchiridio deſcripto. De quo bella ſane, & ſuavis eſt Bellarmini reſponſio; *In eo* (inquit) *dubitat Auguſtinus an poſt hanc vitam urentur animæ igne illo doloris de amiſſione temporalium, quo hic uri ſolent, cum rebus valde dilectis carere coguntur.* Omnino ita res habet; neque nos alia de re eum dubitare dicimus. Sed ô bone, ipſe ille animi dolor *ignis* eſt Auguſtini *purgatorius*; ut te liquido delirare neceſſe ſit, qui cum de eo *dubitare* Auguſtinum concedas, negas tamen eum de *purgatorio dubitare*. Ille quidem diſertiſſime, *Quæri poteſt, & aut inveniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minuſve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiuſve ſalvari.* En tibi *ignem* Auguſtini *purgatorium*, *per* quem tardius, citiuſve nonnulli fideles *ſalventur*. Is autem, ut ex præcedentibus liquet, is ipſe animi dolor eſt, quo iſtos rerum temporalium amiſſio exurit. Ergo non alium ille ſcivit *ignem purgatorium*, qui ante diem judicii fidelium animas corporibus ſolutas exurat, quam iſtum; quem ipſum cum dubium, & incertum in medio relinquat, vides quo denique redeat omnis tua de Auguſtini tecum hac in parte conſenſu gloriatio. Tu *ignem* elementarem, *igni* gehennæ parem, in fidelium animas ſævire intelligis. Ille dolore forte aliquo ob amiſſa, quæ in ſæculo dilexerant, exuri poſſe ait. Tu tuum ſomnium

l. 1. c. 10. de purg. ſ. Quare cum.

ibid.

pro fidei capite definis, ac inter κυρίας doctrinæ tuæ δόξας refers. Ille ſuam dubitationem modeſtiſſime proponit nihil in alterutram partem definiens.

CAPUT XIV.

Solvuntur quæ contra ab adverſariis afferuntur ex Auguſtino loca; oſtenditurque ea, vel non eſſe ejus genuina, vel certe nihil ad Romanenſe purgatorium pertinere. obiterque ſolvitur quidam Epiphanii locus huc ab adverſariis detortus.

SEd reſpondebit fortaſſe aliquis aliter alibi ſenſiſſe Auguſtinum, & de quibus hic dubitat, ea alibi conſtituiſſe. Quæ ergo adverſarius ex eodem profert, jam ea quoque inſpiciamus; experiamurque an præter illum doloris *ignem*, quo ex nuper allatis locis conſtat animarum corpore ſolutarum ſiqua eſt ſecundnm Auguſtinum purgatio, alium ille *ignem* memoret, quem non, ut hunc dubitanter proponat, ſed certo definiat, atque conſtituat purgandis ante noviſſimum judicium piorum animabus à Deo adhiberi. Qua ex diſputatione primum expungemus ſpuria & adulterina, quæ peſſima fide pro veris & certis Auguſtini teſtimoniis tum Bellarminus, tum alii venditant. Primum inter ea cenſeo, quod ex libro quinquaginta homiliarum affertur; *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt per ignem quemdam purgatorium tranſibunt*; in quo uno triplex eſt Bellarmini crimen. primo, quod pro certo Auguſtini dicto id objicit, quod an ejus ſit, ambiguum eſſe ipſe ignorare non potuit. Nam cum ex illis L. homiliis Poſſidius ſeptem tantum nimirum I. X. XI. XXVIII. XXXIV. XXXV. & L. in ſuo indiculo recenſuerit; de reliquis ambiguum eſſe Poſſevinus dixerit; apparet hanc, quæ numero XVI. eſt, non poſſe eſſe non incertam. Quo factum, ut eam neque Eraſmus, neque Lovanienſes, neque poſtremo Pariſienſes pro legitimo, & certo hujus ſcriptoris fœtu habuerint. Certe totam hanc homiliam patet centonem eſſe, partim ex Auguſtini commentario in pſalmum 148. partim ex homilia illa tertia de Epiphania, quæ Euſebio Emiſſeno vulgo, tametſi falſo, tribuitur, à neſcio quo contextum, ac conſarcinatum. Tum in eo etiam peccat Bellarminus, quod ipſe paulo poſt pro Pſeudo-Euſebii Emiſſeni verbis affert eadem, quæ nunc pro Auguſtini teſtimonio obtrudit. Cujuſcumque enim illa ſint duorum certe auctorum eſſe non poſſunt. Denique eo etiam gravius, imo omnium graviſſime peccat, quod his verbis conatur

Bell. l. 1. de purg. c. 10. S. h. Auguſt. s. Euſeb. Em.

impe-

imperito lectori imponere; quaſi is, qui ea ſcripſit, Romanæ ſcholæ *purgatorium* crediderit; cum longe alia ſit ejus mens, ut quivis videre poteſt, ſi locum qualem ſupra deſcripſimus, totum legerit. Clarum enim eſt iſtum, quiſquis eſt, non illam, quam adverſarii credunt, *purgationem*, iſtic intelligere, ſed plane aliam, quam ipſe cum aliis Patribus fideles olim è mortuis reſuſcitatus noviſſimo die experturos ſomniat, ut ſupra fuſius demonſtravimus. Secundo librum de falſa & vera pœnitentia, non quidem Bellarminus, ſed Alanus, & Torrenſis in hac cauſſa velut Auguſtinianæ ſententiæ teſtem perperam adducunt; quem ex genuinis Auguſtini operibus proſcripſerunt Trithemius, Eraſmus, Bellarminus, Poſſevinus, & Lovanienſes; quorum cenſura iſtius opuſculi fronti inuſta, etiam in noviſſima Pariſienſi editione his verbis legitur; *Non eſt Auguſtini, ut conſtat tum ex aliis, tum ex eo, quod auctor c. 17. referat ſententiam Auguſtini ex homilia* 41. *inter* 50. *& ab ea diſſentiat.* Eadem illorum fraus eſt, qui multa Auguſtini nomine ex ſermone 41. de Sanctis pro ſuo purgatorio deſcribunt, quem ſermonem incerti parentis eſſe apparet, tum quod idem ſit cum homilia octava Cæſarii Arelatenſis, tum quod neque in Eraſmi, neque in Lovanienſium, neque in noviſſima Pariſienſium editione Auguſtini nomen præfixum habet, quæ eorum nota eſt, quæ vere & certo illius ſunt. Quamquam neque hic locus ad Romanum *purgatorium*, ſed ad veterum quorumdam de ultimi diei luſtratione commentum pertinet; ut in ſuperioribus oſtendimus, in quibus totum hunc locum deſcripſimus. Denique hujus etiam ſunt generis verba illa, quæ tamquam ex libro viceſimo primo de Civitate Dei afferuntur; ubi *loquens* (inquit Bellarminus) *de adultis fidelibus, qui cum* levibus peccatis decedunt; *Tales* (inquit) *conſtat ante judicii diem per pœnas temporales, quas eorum ſpiritus patiuntur, purgatos æterni ignis ſuppliciis non tradendos.* Auguſtinus certè, ſi ita locutus eſſet maniſeſtiſſime ſibi ipſi contradixiſſet, *conſtare* id affirmans, quod alibi eoque quo de Civitate Dei libros ſcribebat tempore ajebat *non eſſe incredibile*, & *quæri poſſe*, atque *vel inveniri, vel latere*, & *forſitan verum* eſſe, neque *ſe coarguere.* Nam de his quæ ſunt hujuſmodi non conſtat nec *conſtare* poteſt. Verum reſpondeo non eſſe illa Auguſtini verba. Inſerta verbis Auguſtini capite 24. libri de Civitate Dei 21. aliquando fuiſſe non nego. Sed jampridem monuerat Vives iſta in antiquis libris Brugenſi, & Colonienſi non legi, neque in exemplaribus Friburgi excuſis. Itaque neque in noviſſimis Auguſtini editionibus Lovanienſi, & Pariſienſi, quæ emendatiſſimæ habentur, ea verba uſquam comparent.

Defenſ. purg. c. 12. confeſſ. Aug. l. 4. c. 1. art. 4.

T. 4. in append.

Torr. confeſſ. Aug. l. 4. c. 1. art. 4. Alan. ub. ſupr. c. 8.

L. 1. de purg. c. 10. § B. Aug. & c. 15. n. Ad quartum.

In eum locum.

Hæc

Hæc ergo, quæ vere Auguſtini non ſunt ex hac diſputatione amolitus, quo ea adverſariorum fraus intruſerat, cætera, quæ ſincera ſunt videamus. Primum hujus generis eſt, quod Bellarminus ex eodem opere & libro objicit. *Auguſtinus* (inquit) *loquens* de infante vel puero post ſuſceptum baptiſmum moriente; *Non ſolum* (inquit) *pœnis non præparatur æternis, ſed ne ulla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patietur.* Certe pueros & infantes ſuſcepto baptiſmo mortuos *purgatoriis tormentis* eximit (fateor;) ſed iiſdem nullos alios fideles ſubjicit. Quorſum (inquis) *tormenta purgatoria* memorat, ſi nulla omnino fidelium eſſe hujuſmodi *tormenta* putavit? Reſpondeo ea ipſum intelligere, quæ non Catholici, ſed Platonici & Origeniſtæ, Platonem ſecuti, ponebant. Cum enim contra iſtos tota hac libri parte diſputet, abſurdum videri non debet, ut quæ illi vel conſtituebant, vel conſtituere poterant ex ſuo dogmate, rejecerit. Nam cum iſti illud prius quod dicit de *æternis pœnis* admitterent, à quibus hanc ætatem multo magis ſummovebant, quam cæteras; noſter, ut totum eorum delirium excluderet, etiam *tormentis purgatoriis* infantes baptizatos exemit; ne quis ex illo errantium grege exciperet ipſam etiam illam ætatem, tametſi *æternarum pœnarum* expertem, non fore tamen à *purgatoriis* immunem, quibus carnalis & animalis eorum natura excoquatur, & refingatur. Itaque ipſe velut hanc exceptionem occupans continuo addit, *Sufficit enim ſola ſpiritalis regeneratio, ne poſt mortem obſit, quod carnalis generatio cum morte contraxit.* Hæc vera eſt mens Auguſtini hoc in loco; Ac nequis miretur eum ex adverſarii hypotheſi hæc loqui (quamquam id nemo paulo eruditior mirabitur) ſciat Cardinalem Peronium plane eodem modo quamdam Auguſtini ſententiam, quam nos infra referemus, expoſuiſſe. Secundo etiam ſi daretur (quod dandum non eſt) hæc ex ſuo ipſius ſenſu locutum eſſe Auguſtinum, non tamen inde effici poteſt eum exiſtimaſſe ullos fideles aliqua ante judicium perpeſſuros *tormenta purgatoria*. Illud enim ſi dedero, reſpondebo, eum per *tormenta purgatoria* intelligere illam fidelium *purgationem*, quam ipſe una cum aliis Patribus non paucis, ut ſupra demonſtravimus, in noviſſimo judicio per ignem factum iri putavit; à qua immunem fore illam ætatulam ideo pronunciavit, quod originali labe per baptiſmum purgata eſſet, neque ullis peccatorum actualium maculis inquinata. Denique hæc *tormenta* etiam referri poſſent ad illum doloris ignem, cui cum adultos forſitan obnoxios fore negare non audeat, certo tamen definit eam ætatulam ab hujuſmodi metu eſſe liberam; quod non ſit nimirum eorum *amorum* capax, ex quibus arcanum illum doloris

Vb. ſupr.

l. 21. de civit. D. c. 16.

Repl. au roi de la G. B. p. 825.
Inf. l. 5. c. 12.

doloris *ignem* exoriri ſciebat, quemque etiam ultra mortem in adultorum animis perſeverare non omnino incredibile putabat. Eadem fere eſt alterius loci ratio, quem adverſarius ex alio Auguſtini opere recitat; *Qui forte* (inquit) *agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnas æternas. Ignem* enim iſtum, ſi is eſt Auguſtini ipſius ſententia hic commemoratus eſt, vel noviſſimi judicii, vel certe doloris ex amiſſione temporalium *ignem* eſſe dicam. Sed ſi verum amamus, difficile eſt explicare, qui cœleſtis gloriæ in futuro ſæculo compos ex Eccleſiæ doctrina futurus ſit is, qui *in hoc maledictionem terræ* (id eſt natura) *ſuæ in omnibus operibus habuerit*; neque *agrum* (id eſt animum ſuum) *coluerit, ſpiniſque eum opprimi permiſerit* cum ex Apoſtolo *reproba ſit, & maledictioni proxima* ea terra, *quæ tribulos & ſpinas profert*, ejuſque *conſummatio ſit in combuſtionem*. Igitur cum quicumque vel priori, vel poſteriori modo *purgati* ſunt, ii ex Auguſtino, etiam conſentientibus adverſariis, partem in æterna Hieruſalem habituri ſint; neque vero ea ſors eſſe poſſit iſtius, quem hoc loco deſcribit; equidem conſultius puto, ut hæc ab Auguſtino adhuc laico minuſque in Theologicis exercitato dicta ex aliena potius, quam ex ſua hypotheſi cenſeantur. Nimirum in toto hoc opere res ei erat cum Manichæis, communibus tum cæterorum Chriſtianorum, tum Origeniſtarum hoſtibus. Itaque utrorumque ſententiam, cum pro utriſque pugnaret, expreſſit, miſſa illa de pœnarum æternitate lite, quæ nihil ad præſens ejus inſtitutum pertinebat, defenditque ex omnium, qui ſe Catholicos, & à Manichæis alienos profitebantur, dogmate veram inveniri Dei ſententiam, *In ſudore vultus tui comedes panem tuum*. Nam & bonos cum labore *agrum ſuum*, id eſt *animum, excolere*, tametſi poſt mortem quieſcant; & reprobos, quibus in luxu, & deſidia per ſummam inertiam ævum traducitur, habituros poſt mortem vel *ignem purgationis*, ut quidam ex Chriſtianis, iique non indocti Origenem ſecuti exiſtimabant, vel, ut cæteri, pœnam æternam. *Ita nemo* (inquit) *evadit iſtam ſententiam. Sed agendum eſt, ut ſaltem in hac tantum vita ſentiatur*. Hic eſt, ut mihi quidem videtur, rectus & ſimplex hujus loci ſenſus. Nam Auguſtinus in duobus iſtis libris Origenem adeo non oppugnat, (neque ſane id poſcebat operis ſcopus, & argumentum) ut nonnumquam eum imitari videatur; allegoriis pro illius viri more liberrime indulgens, eaque arte Geneſeos hiſtoriam ab impiis Manichæorum obtrectationibus, & ſarcaſmis vindicans. Huc accedit, quod hujus contra Manichæos operis exigua, ac pæne

Bell. l. 1. de purg. c. 10. B. Aug. l. 2. de gen contr. man. c. 20. T. 1.

Hebr. 6. 8.

nulla eſt præ iis libris auctoritas, ex quibus quid vere ſenſerit Auguſtinus ſupra demonſtravimus. Nam hoc quidem de Geneſi opus ſcripſit anno circiter 390. laicus, & neophytus, rudis adhuc, & theologiæ ſtudioſus verius, quam theologus; ut indicant loci, quos retractavit, in quibus Pelagianis, Origenis ſectatoribus, faverat. Enchiridion vero, & opus de Civitate Dei ſcripſit jam emeritus, anno 424. & 425.

Quæ deinde affert Bellarminus ex commentario Auguſtini in pſalmum triceſimum ſeptimum, jam ſupra expendimus, oſtendimuſque, non ad *purgatorium* adverſariorum, ſed ad Patrum de ultimi diei luſtratione errorem pertinere; ut hinc probari nequeat, Auguſtinum aliquem agnoviſſe *ignem*, præter illum doloris *ignem*, quem ſupra memoravimus, quo animæ mortuorum ante reſurrectionem purgentur.

Sed præter iſta, quædam etiam alia ex eodem ſupra ex Scripturis diſputans attulit adverſarius, quæ nunc quoque breviter ſolvenda ſunt. Inprimis enim ſcripſit Auguſtinum *ex illu Domini verbis*, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis *purgatorium demonſtrare* libro XXI. de civitate Dei, capite XXVII. Atqui de *purgatorio* ne verbum quidem unum toto eo loco fecit Auguſtinus. Id tamen Bellarminus inde ſic confici putat; *Dicit* (inquit) *eſſe quoſdam tam ſanctos, qui recta ad cælum evolant poſt mortem, & qui non ſolum ipſi ſalvantur, ſed etiam alios juvare poſſunt. Rurſum quoſdam alios tam malos, qui nec ſe ipſos juvare poſſunt, nec ab aliis juvari, ſed ad pœnas æternas ſine remedio deſcendunt. Denique eſſe quoſdam medios, qui ita moriuntur, ut nec digni ſint morte æterna, nec tamen ſufficiant eis propria merita ad ſalutem, nimirum ſtatim recipiendam, & iſti ſunt* (inquit) *qui* recipiuntur in æterna tabernacula *precibus amicorum.* Non jam excutio hæc, quæ iſte Auguſtino tribuit, in quibus multa ſunt ab ejus verbis, & ſenſu aliena; neque expendo, quæ ſit dicti euangelici vis, & an eo duplex ille *ſalvandorum* ordo vel concludi legitime poſſit, vel revera fuerit ab Auguſtino concluſus. Hoc unum obſervo, quod ad rem ſatis eſt, ex iſtis *purgatorium* confici non poſſe. Fateor Auguſtinum tradere *quoſdam juſtos eſſe, qui tanta ſanctitate vixerunt, ut alios quoque* recipiant in tabernacula æterna, *quibus* amici facti ſunt de mammona iniquitatis, *quique ut tales eſſent miſericordia liberati ſunt* ab eo, qui juſtificat impium, imputans mercedem ſecundum gratiam, non ſecundum meritum; *Eſſe* item *quemdam vitæ modum, nec tam malæ, ut his qui ita vivunt nihil proſit ad capeſſendum regnum cœlorum largitas eleemoſynarum, quibus etiam juſtorum ſuſtentatur inopia, &* fiunt amici qui in æterna tabernacula ſuſcipiant; *nec tam bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint,*

Bell. l. 1. de purg. c. 8. §. Adde tertio.

l. 21. de C. D. c. 27. T. 5. p. 1461. c.

fecerint, miſericordiam conſequantur. Iſtos, quos *amicorum meritis miſericordiam conſequi* ait, *dignos non eſſe morte æterna*, quod dicit Bellarminus, nuſquam dicit Auguſtinus. Neque item, quod ille ei pariter tribuit, *ſua iſtis merita non ſufficere ad ſalutem ſtatim recipiendam.* Hæ laciniæ nuſquam apud Auguſtinum comparent. Tantum ait iſtorum *vitam non tam bonam eſſe, ut ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi amicorum meritis miſericordiam conſequantur.* Ex quibus conſequitur iſtos ab amicis juvari; *purgatorio* liberari non ſequitur; multo minus eos in *purgatorio* morari, antequam miſericordiam adipiſcantur. Quæ ergo eſt (inquis) *miſericordia*, quam iſti *amicorum* (ut ait Auguſtinus) *meritis* id eſt (ut recte interpretatus eſt Bellarminus) *precibus* conſequuntur? Quaſi vero nulla alia ſit Dei in nos miſericordia, niſi hæc, ut *purgatorio* liberemur! Sed quæ, qualiſque ea ſit, quam Auguſtinus hic intelligit, ipſe paulo poſt ibidem docet; *Verum* (inquit) *iſta liberatio quæ fit, ſive ſuis cujuſque orationibus, ſive intercedentibus Sanctis, id agit, ut quiſque in ignem non mittatur æternum.* Quæſo te Bellarmine hoccine *purgatorium* tuum eſt? Ergo vult Auguſtinus ſanctos *amicis* id præſtare precum ſuarum auxilio, *ne in gehennam mittantur*; unde iſtos ſequitur, ſi ex jure cum iis actum eſſet, gehenna dignos fuiſſe, quod negavit adverſarius. Hæc eſt *miſericordia*, quam ſanctos *amicis* impetrare putat Auguſtinus. De *purgatorio* ne ſomniavit quidem. *Ibid p.1462.e*

Præterea affert etiam Bellarminus in hac cauſſa duo quædam Auguſtini teſtimonia; quorum prius extat in eodem opere de civitate Dei. Diſputans enim de *pœnis* cum à temporariis quidem neminem eſſe immunem dixiſſet, in ſempiternas vero non omnes eſſe venturos ſubjicit; *Nam quibuſdam* (inquit) *quod in iſto non remittitur, remitti in futuro ſæculo, id eſt ne futuri ſæculi æterno ſupplicio puniantur, jam ſupra diximus.* Alter locus eſt in opere contra Iulianum; cui dicenti reſurrectionem non peccata dimittere aliquorum, ſed *expurgare merita* ſingulorum, Auguſtinus hæc reponit; *Peccata quidem nulla remittuntur in regno; ſed ſi nulla remitterentur in judicio illo noviſſimo, puto quod Dominus non dixiſſet de quodam peccato,* Non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro; *quando ſibi remitti ſperabat latro ille, qui dicebat,* Memento mei, cum veneris in regnum tuum. *De qua re quoniam profundiſſima quæſtio eſt, non eſt modo præcipitanda ſententia.* Hæc Auguſtinus. De duobus illis Euangelii locis, quæ hic attingit, ſatis alibi diximus. Fateor illum ex iis concludere, *quædam peccata poſt mortem remiſſum iri.* Sed quid hoc ad *purgatorium*, in quo *peccata non remitti*, ſed *puniri* dicuntur?

l. 1. de purg. c. 4. ſ. Primus. & c. 8. ſ. ſeptimus.

l. 21. de C. D. c. 13. extr.

l. 6. contr. Iulian. c. 15. T. 7. p. 440. d

cuntur? Profecto mirabilis eſt iſtorum Dialectica, qui quoſdam fidelium pœnas peccatis debitas poſt mortem dare ex eo conficiunt, quod iis peccata poſt mortem condonentur. Ego probabilius inde concluſerim non puniri; adeoque quibus remittuntur, nullum iis paratum eſſe *purgatorium*. Quæſo enim an cuicumque *remittitur peccatum*, eum in pœna eum fuiſſe neceſſe eſt, cum peccatum ei remiſſum eſt? Iis qui Baptizantur, vel pœnitentiam agunt, peccata quotidie hic in terris remittuntur. An tu iſtos ideo in *purgatorio* antehac fuiſſe collegeris? Quid, cum in republica ſontibus Princeps crimina remittit? Inde-ne concluſeris jam iſtos in tormentis fuiſſe? Non ſum adeo ineptus, inquis. Atqui non minus abſurde facis, dum ex eo quod Auguſtinus mortuis quibuſdam *peccata remitti* ait, argumentaris eum ergo putaſſe iſtos mortuos in ignibus *purgatoriis* cruciari. Cum *remitti* alicui *peccatum* dicitur, fateor ſignificari eum, de quo loquimur, aliqua pœna liberari. Sed non eo fit, ut in ea, qua illum liberari intelligimus, pœna jam revera fuerit, cum *peccatum* ei *remittitur*. Liberatur pœna, vel ea ſcilicet in qua jam erat, vel ea certe in qua, niſi *peccatum* ei *remiſſum* eſſet futurus erat. Remittitur baptizato peccatum. Ergo baptizatus liberatur pœna; & quidem æterna. Sane; ſed ea, non in qua jam erat, ſed in qua futurus erat. Ita etiam ſe res habet in pœnitentibus; apud Deum, & in reis apud Principes, ſiquibus impunitas donatur. Itaque neque aliter accipiendum, quod ait Auguſtinus, *quædam peccata in futuro ſæculo remiſſum iri*. Ergo (inquis) peccatores iſti liberabuntur ab aliqua pœna. Fateor, inquam; ſed non ab ea in qua jam eſſent; ſed ab ea, in quam, niſi Deus iis peccata iſta remiſiſſet, certo ac neceſſario venturi erant. Ipſe Auguſtinus ita interpretatur; *Quibuſdam in futuro ſæculo remittetur, id eſt* (inquit) *ne futuri ſæculi* Æ**TERNO** *ſupplicio puniantur*. Sic in eodem libro; *iis impertietur miſericordia, ut in ignem non mittantur æternum*. Ita etiam in loco nuper allato; *Iſta liberatio id agit, ut quiſque in ignem non mittatur æternum*. Quid clarius dici poteſt? pœna, qua fideles per hanc peccati remiſſionem in altero ſæculo conſequendam liberantur, eſt æterni ignis pœna. *Purgatorius* vero ignis non eſt æterni ignis pœna; *Purgatorii* ergo ignis pœna nequaquam ea eſt, qua liberabuntur fideles, quibus peccata poſt hanc vitam remittentur. Itaque (ſi quod res eſt, licet eloqui) ſtulte hæc Auguſtini loca ad probandum Romanum purgatorium afferuntur. Quod etiam animadvertet, quiſquis non oſcitanter ea legerit. Auguſtinus hæc quæcumque tandem ſint peccata, quæ in altero ſæculo remitti vult, ea profecto *in noviſſimo judicio* remiſſum iri diſerte ait. *Peccata quidem*

dem (inquit) *nulla remittuntur in regno ; ſed ſi nulla remitterentur in judicio illo noviſſimo, puto quod Dominus non dixiſſet*,&c. Iam eorum,quos in *purgatorio* detineri fabulantur, peccata omnino ante noviſſimum illum diem remitti neceſſe eſt. Nam cum ex *purgatorio* nemo exeat, niſi cui *peccatum remiſſum eſt* ; nemo autem noviſſimo die ex purgatorio exiturus ſit, quòd ajunt ſcilicet ante illum diem deſiturum eſſe; clarum eſt nulli omnino *purgatorii* incolæ peccatum die noviſſimo remiſſum iri; quod non ante remiſſum jam fuerit. Ergo fruſtra hæc loca trahuntur ad *purgatorium*, quocum nihil commune habent.

Tertio Bellarminus in hac quoque diſputatione non ſemel adhibuit illa Auguſtini ex opere in Geneſin ; *Chriſti quidem* (inquit) *animam veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret à tormentis, quos eſſe ſolvendos occulta nobis ſua juſtitia judicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendum ſit, quod dictum eſt*, Quem Deus ſuſcitavit ex mortuis ſolutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, *non video, niſi ut quorundam dolores apud inferos eum ſolviſſe accipiamus ea poteſtate, qua Dominus eſt, cui omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum ; per quam poteſtatem etiam illis doloribus, quos ſolvit, non potuit teneri.* Hæc Auguſtinus, qui & in epiſtola ad Euodium plurima alia ſcribit in eamdem ſententiam. Nihil jam dico de Petri verbis, quibus ſe iſte cogi putat ad confitendum nonnullos eorum, qui in inferno erant, fuiſſe à Chriſto *doloribus ſolutos*, ut non videat quo alio ſenſu accipi queant ; quod profecto non putaſſet, ſi Græca diligentius inſpexiſſet. Cæteri, etiam adverſariorum, interpretes longe alias nodi hujus ſolvendi rationes viderunt ; & ipſe Auguſtinus in epiſtola ad Euodium aliam hujus loci expoſitionem, ſane ingenioſam, & hac ſua multo meliorem & vidit, & attulit; *Quod ſi movet aliquem* (inquit) *quemadmodum accipiendum ſit inferni ab illo ſolutos dolores* ; *neque enim cœperat in eis eſſe tamquam in vinculis*, ª *& ſic eos ſolvit tamquam ſi catenas ſolviſſet, quibus fuerat alligatus, facile eſt intelligere ſic eos ſolutos, quemadmodum ſolvi poſſunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.* Sed loci ipſius interpretationem nunc quidem omittamus ; de qua fuſe alibi diſputavimus ; & (quod nunc proprie agimus) videamus, quæ iſta ſit Bellarminianæ ratiocinationis conſecutio, ut quia Auguſtinus Chriſtum quorumdam *dolores in inferno ſolviſſe* ſcripſit, neceſſe ſit eum adverſariorum quoque *purgatorium* crediſiſſe. Bellarminus igitur ſic eam demonſtrare conatur; Cum (quod ſenſit Auguſtinus Chriſtum, cum deſcendit ad inferos, multos liberaſſe à cruciatibus inferni) *id non poſſit intelligi de damnatis, neceſſario videtur*

L. 1. de purg. c. 4. §. Nonus. & c. 8. §. Octavus. §. Nonus. de gen. ad litt. l. 12. c. 33. T. 3.

Act. 2. 24.

Epiſt. 99.

T. 2. p. 165. d.

a Fort. nec.

L. 1. de purg. c. 8. in Octavum

videtur accipiendum de iis, qui purgabantur. Ego vero quæro, cur id quod ait Auguſtinus, de *damnatis* intelligi non poſſit? Bellarmino quidem video ſic videri. Sed non puto iſtum tantum ſibi arrogare, ut quæcumque ſibi placent, nobis quoque vel eo ipſo placere debere putet, quod ipſi placent. Qui Falconillæ animam à Thecla, qui Trajani à Gregorio è gehenna extractam fuiſſe ſcripſerunt, ii certe non exiſtimarunt quod Chriſtus quorumdam in inferno ſpirituum dolores *ſolverit*, id de damnatis nequaquam poſſe intelligi; niſi forte vel Theclæ, vel Gregorio plus ſit in Tartara juris quam Domino Chriſto; quod nemo pius dixerit. Itaque donec Bellarminus demonſtraverit Auguſtinum, & *purgatorium*, & cives *purgatorianos* ſciviſſe, & præterea pro abſurdo habuiſſe, ut Chriſtus damnatum aliquem è gehenna eripuerit, nos quidem cum bona ipſius pace, quod hîc Auguſtinus de *doloribus* à Chriſto *in inferno ſolutis* ait, de damnatis potius accipiemus, quos illi cognitos fuiſſe nemo dubitat, quam de *purgatorianæ* reipublicæ civibus, quorum in omnibus ejus operibus nondum volam, aut veſtigium deprehendimus. Sed quid ego hæc, quaſi obſcurum ſit, quid Auguſtinus voluerit? Ipſe enim mentem ſuam ſatis aperuit. Nam præfatus temerarium eſſe definire, quinam iſti ſint, quorum Chriſtus *dolores in* Ep.99. t.166.a. *inferno ſolverit*, continuo hæc ſubjicit; *Si enim omnes omnino dixerimus eſſe liberatos, qui illic inventi ſunt; quis non gratuletur ſi hoc poſſimus oſtendere? præſertim propter quoſdam qui nobis litterario labore ſuo familiariter innotuerunt, quorum eloquium, ingeniumque miramur?* Intelligit autem philoſophos, & oratores de ſæculo; Platonem verbi gratia, Ciceronem, & cæteros præſtanti quidem ingenio, eruditione, atque eloquentia viros; cæterum Paganos. Dic ſodes Bellarmine; Tune iſtos in *purgatorio* arſiſſe putas, quo tempore Chriſtus *ad inferos deſcendiſſe* perhibetur? Non inquis; ſed in gehenna. Ergo & quorumdam, qui in gehenna erant, *dolores* à Chriſto *ſolutos* putavit Auguſtinus; cum ipſe diſerte profiteatur futurum fuiſſe quod iſtis, (quos tu in gehenna fuiſſe fateris) gratulemur; ſi liberati ſunt omnes, qui illic inventi ſunt, quo deſcendit Chriſtus. Nam ſi in *purgatorio* fuerunt; quos Chriſtus *ſolvit*, vides etiamſi daretur omnes liberatos eſſe qui in eo loco inventi ſunt, nihil proprerea futurum, quod de Paganis illis gratulemur; qui ſcilicet non in *purgatorio* ſed in gehenna fuerunt. Tum ſi hoc, quod tu vis, habuiſſet Auguſtinus in animo, ad hanc quæſtionem de liberatis idololatris, omnino ſic reſpondere debuerat, ut diceret ſe de fidelium ſpiritibus in *purgatorio* ardentibus intellexiſſe, non de idololatris in gehenna. Ille verò nihil reſpondet hujuſmodi; ſed

plane

plane alia. Primo enim totam hanc ſententiam, velut incertam, tantum non repudiat, repetens Petri verba non cogere, ut ea admittatur; quæ ſcilicet ita poſſunt accipi, ut ad ipſum Chriſtum pertinere intelligantur, qui eos *dolores* hactenus *ſolverit*, id eſt irritos fecerit, *ne ab eis ipſe teneretur*. Secundo ſi concedatur Chriſtum quorumdam *dolores ſolviſſe, non in omnibus* (inquit) *ſed in quibuſdam accipi poteſt, quos ille dignos iſta liberatione judicabat.* Iſtos quoſdam ex omnibus in quæſtione poſitis, id eſt *damnatis*, à Chriſto doloribus exemptos vult; tales adeo qui & ipſi in damnatorum cenſu fuerint. Aliter iſtos Auguſtinus damnatis haud dubie oppoſuiſſet; quod non fecit. Huc accedit, quod in priori loco quos à tormentis *ſolutos* vult, eos ait Chriſtum *occulta nobis ſua juſtitia ſolvendos judicaſſe*. At ſi eos *purgatorio* exſolvit, nobis occulta non eſt ea juſtitiæ divinæ ratio, qua cum iis agitur, qui iſtic purgantur. Deinde iſtam ſpirituum, quam hic intelligit, à tormentis inferni ſolutionem, rem fuiſſe ſingularem, miram, ac per ſe incredibilem, illud ſatis teſtatur, quod Auguſtinus profitetur ſe ſola Petri auctoritate ad eam admittendam permoveri; cujus verba ſcilicet non aliter commode accipi poſſe putabat. At ſi de *purgatorianis* liberatis intellexiſſet, nihil occurrebat ſimile. Cur enim quod Romani Pontifices auctoritate ſua, quod quivis fideles ſuffragiis quotidie efficiunt, nimirum ut ſpirituum ſubterranea illa purgatione defungentium *dolores ſolvantur*; cur id, inquam, quiſquam Chriſtum Dominum verbo, & nutu ſuo efficere vel non potuiſſe, vel noluiſſe putaverit? Denique in epiſtola ad Evodium quoſdam eo confugiſſe narrat, ut dicerent, hoc beneficium antiquis Sanctis Abel, Noe, Abrahamo, & cæteris ejuſdem generis fuiſſe conceſſum, ut ſcilicet eorum *dolores* in *inferno* à Chriſto illuc deſcendente *ſoluti* fuerint. Addit mox alios id eo retuliſſe, quod morte Chriſti jam talem *reſurrectionem juſtis præſtitam* fuiſſe dicerent, *qualis nobis in fine* promittitur. Vtramque opinionem refellit; ac priorem quidem eo, quod ſanctos illos conſtet, non in *doloribus inferni*, ſed in dulciſſima quiete fuiſſe. Certe ſi fideles in *purgatorio* ardentes habuiſſet in animo, cum quorumdam *dolores* in inferno à Chriſto *ſolutos* fuiſſe dixit, hic erat locus id commemorandi, ac monendi nihil cauſſæ fuiſſe, cur ad iſta tam longe remota, tamque incredibilia confugeretur, cum ex Eccleſiæ fide fideles, & quidem non pauci in *purgatorii* tormentis fuerint, de quibus id Petri dictum commodiſſime intelligi poſſet. Sed nihil hujuſmodi hoc loco reponit Auguſtinus. Ergo ſtatuendum eſt eum, non de ullis fidelibus, qui *purgarentur*, ſed de *damnatis* hoc Petri dictum intellexiſſe. Quod ipſum magno

Ibid. c. 5.

L. 12. in gen. ub. ſupr.

Ep. 99. p. 166. D.

gno argumento eſt, nullos ei cognitos fuiſſe *purgatorianos* homines, quos ſi ſciviſſet ullos, eos, quod obvium, & facile erat, haud dubie hoc loco attuliſſet, eaque ratione quæſtionem illam ſolviſſet; cujus nullum videtur tutum & expeditum vidiſſe exitum; adeo ſe in illa torquet, & implicat; eo tandem confugere coactus, ut (præter omnem Scripturæ auctoritatem, contraque Chriſtianæ doctrinæ rationem) ſtatuerit quoſdam è damnatis à Chriſto tormentis inferni liberatos fuiſſe. Itaque duo hæc Auguſtini loca *purgatorium* adverſariorum, non modo non confirmant, quod vult Bellarminus, ſed (ſi bene expendantur) non obſcure evertunt.

L. 1. de purg. c. 8. §. Octav.

Panar. l. 1. T. 3. hær. 46. p. 394. a.

Iam ut hoc obiter dicam, eodem quoque pertinere videri poſſent, quæ ait Epiphanius, quæque Bellarminus in hac ibidem diſputatione adhibuit, Chriſtum τοῖς μὲν πάλαι αὐτὸν γιγνώσκουσι καὶ μὴ πλανηθεῖσι ἀπὸ τῆς αὐτοῦ θεότητος, ἕνεκεν δὲ σφαλμάτων ἐν ᾅδῃ κατεσχημένοις ἀμνηστίαν χαρίσασθαι. *iis qui ipſum olim cognoverant, nec à divinitate ejus aberraverant, & ob delicta apud inferos detinebantur, injuriarum oblivionem conceſſiſſe.* Sed de Paganis cum dici non poſſit, quod *Chriſtum olim cognoverint, neque à divinitate ejus aberraverint*; malim hæc de piis veteris Teſtamenti hominibus intelligere: quos iſte in inferis, hoc eſt in ſubterraneo illo receſſu, quem limbum vulgo vocant, tantiſper ad Chriſti adventum ideo detentos fuiſſe putat, quod peccatis ſe ſe implicaſſent, ut ea cœleſtis manſionis mora delicta quodammodo luerent; quæ Epiphanii privata, ac ſingularis fuit imaginatio; cum cæteri Patres veteres illos extra cœlum quidem fuiſſe conſenſerint in ſinu Abrahæ; non tamen ob ulla eorum delicta; ſed plane eadem de cauſſa, propter quam animas ipſorum quoque novi Teſtamenti fidelium cœlo ad noviſſimum diem exulare plærique crediderunt; nimirum quod *nondum venerit perfectio*; qua de re nos infra pluribus. Niſi forte aliquis Epiphanium in ea fuiſſe ſententia dicat, quam Iuſtinus alicubi expreſſit; nimirum Philoſophos Gentilium, cæteroſque ex eodem genere emendatioris vitæ homines ad Dei fœdus quodammodo pertinuiſſe; ac de iis proprie intellexiſſe quæ hoc loco ſcripſit; iſtos ſcilicet ad Chriſti mortem in gehenna detentos fuiſſe; cæterum inde tum Domini beneficio extractos. Sed redeo ad Auguſtinum;

l. 1. de purg. c. 8. §. Quarto.

Quem Bellarminus de illo Matthæi loco diſputans, *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio*, refert tria illa, de quibus iſtic Chriſtus, exponere de pœnis animarum poſt hanc vitam; unde ipſe concludit, cum tres illæ pœnæ diverſiſſimæ ſint, priores duas temporales eſſe, adeoque *purgatorium* dari. Reſpondeo neque Auguſtinum eo loco, quem

quem citat Bellarminus, clare diſerteque dicere tres illos pœnarum gradus animarum eſſe poſt hanc vitam; neque ſi hoc dixiſſet, quicquam eo *purgatorii* cauſſam adjutum iri. Nam pœnarum etiam *æternarum*, varios tamen gradus eſſe conſtat, ut & nos docuimus, cum illum Matthæi locum explicaremus, & hic etiam obſervat Auguſtinus, *Quiſquis autem* (inquit) *dixerit, quod graviore ſupplicio in majore juſtitia punitur homicidium; ſi gehennæ ignis punitur convitium, cogit intelligi eſſe differentias gehennarum.* L. 1. de Serm. in monte. c. 19. T. 4. p. 334. Ibid. 4.

Denique hunc etiam Auguſtini locum, non quidem Bellarminus, (quod ſciam) ſed Perronius, Torrenſis, & Coquæus pro *purgatorio* attulerunt; *Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud judicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales.* Hæc iſti verba ſic accipiunt ſcilicet, quaſi dicat Auguſtinus non venturos ultimo judicio in gehennam quicumque poſt mortem *pœnas* dant *temporales*. Vnde conficiunt quoſdam ſalvandos *pœnas* poſt mortem *temporales* ante judicium dare; adeoque medio iſto tempore in *purgatorio* eſſe. Sed illi (nequid dicam gravius) pueriliter hallucinantur. Clarum enim eſt Auguſtinum hoc loco, non quod iſti volunt, dicere, ſed longe aliud; nimirum non omnes homines ſempiternis illis pœnis affectum iri, in quas poſt noviſſimum judicium mittendi ſunt ii, quorum animæ poſt mortem *temporalibus* ſuppliciis cruciatæ fuerint. Vnde plane contra quam iſti volunt, ſequitur paratam iis omnibus poſt judicium eſſe *gehennam*, quorum animæ ante illud tempus *pœnis temporalibus* affectæ fuerint, adeoque nullum eſſe ſalvandarum, ſive fidelium, ante ultimum judicium *purgatorium*; quo nihil dici potuit in adverſariorum dogma potentius. *Temporales* igitur *pœnas* hoc loco clariſſime intelligit Auguſtinus, non quas ulli ſalvandi poſt mortem patiuntur, ſed quibus damnati ad ultimum uſque judicium in gehenna cruciantur; quod ex illo tempore deſituræ ſint, aliæque multo graviores in damnatorum & animas & corpora in æternum ab illa die ſævituræ ſint. Itaque hunc ipſum Auguſtini locum, quo jam iſti perperam & inſcite abutuntur, nos infra Deo dante contra ipſorum ſententiam merito, ac legitime retorquebimus; verumque ac genuinum ejus ſenſum fuſius explicabimus. L. 21. de C. D. c. 13. extr.

Atque ex his ſatis (ni fallor) jam conſtat nihil afferre adverſarios, ex quo confici poſſit illud, quod probandum ſuſceperant, nimirum *de pœna animarum fidelium poſt mortem* non dubitaſſe Auguſtinum; Sed pro certo, ac conſtituto habuiſſe quaſdam earum corpore exutas pœnis quibuſdam cruciari. Maneat igitur hoc firmum, & inconcuſſum, Auguſtinum nullum alium, præter *doloris* ob amiſſa ſæcularia, *ignem* cognoviſſe,

gnoviſſe, quo cruciari poſſint fidelium animæ eo temporis intervallo, quod à cujuſque morte ad beatam reſurrectionem ſequitur; cumque ipſum, non certo conſtituiſſe, ſed, quod ipſe quatuor illis luculentiſſimis à nobis ſupra commemoratis locis diſerte profitetur, velut rem dubiam, non incredibilem, ſed neque neceſſariam, non veram, ſed veriſimilem propoſuiſſe. Quæ cum ita ſint, quivis jam videt, quam inanis, quamque falſa ſit illa Bellarmini gloriatio, jactantis *eſſe apertiſſima loca in Patribus, ubi aſſerunt purgatorium*. Nam ex iis omnibus, quæ ille ſive in eo ipſo capite, ſive in præcedentibus ex Scripturis diſputans attulit, nullum omnino eſſe oſtendimus, quod non dico apertiſſime aſſerat, ſed vel obſcure, atque tenuiter commendet; aut ſignificet adverſariorum *purgatorium*, quale hodie ab iſtis quidem defenditur, à nobis vero rejicitur, & impugnatur.

LIBER QVINTVS.

DE POENIS.

In quo expenditur quam vim ad purgatorium probandum habeant adductæ ex veteribus ſuperſtitum pro mortuis preces.

CAPVT I.

Solvitur primum adverſariorum de precibus pro mortuis argumentum, ex Tob. 4. 18. & 2. Maccab. 12. 39. quæ duo loca explicantur, & vindicantur; nihilque ad purgatorium pertinere demonſtrantur: ultimique occaſione oſtenditur non fuiſſe Chriſti temporibus ſollennes apud Judæos pro mortuis preces; Perroniique fraus quædam inſignis detegitur.

HIs ergo explicatis ad alterum teſtimoniorum genus veniamus; quæ non quidem ipſum *purgatorium*, ſed tamen *preces*, & *oblationes* pro defunctorum animabus ponunt; ex quibus adverſarii *purgatorium* conſequi volunt. Teſtes autem quos laudant, duorum ſunt generum; alii ſynagogæ; alii Eccleſiæ; illi, qui in priſca

Iudæorum religione; hi, qui in Chriſtiana fide floruerunt. Ad priorem ordinem pertinent duo illa ex apocryphis veteris Teſtamenti libris à Bellarmino initio diſputationis allata teſtimonia, & à nobis huc rejecta; quorum alterum eſt ex Tobia, alterum ex poſteriore Maccabaico. Illud quidem ſic habet; *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue; & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus. Hujus loci* (inquit Bellarminus) *non poteſt alius eſſe ſenſus, quam is, quem communiter expoſitores tradunt; videlicet, Inſtrue convivium, & voca fideles pauperes, ut ipſi poſt acceptam eleemoſynam orent pro anima defuncti.* Sed hîc multipliciter peccat adverſarius. Primo ſumit, *non orari pro defunctis, niſi qui ſint in purgatorio*; quod quam falſum ſit, poſtea demonſtrabimus. Secundo & illud non minus inverecunde ſupponit, *ea, quæ Tobiam hîc præcipere vult officia, iis tantum præſtanda intelligi, qui non plene, plèneque purgati, ſed adhuc alicujus pœnæ rei ex hac vita diſcedunt.* Atqui nihil eſt, quod hoc ſuadeat. *Iuſti* enim vocabulum, quo eos Tobias indigitat, quorum ſepulcris hoc quicquid eſt officii vult impendi, non ſolos *purgatorio* deſtinatos fideles ſignificat, ſed multo magis *ſanctos*, & ab omni reatu immunes, quibus iſti nihil eſſe volunt cum *purgatorio* negotii. Cum ergo quæ ipſi vocant pro mortuis *ſuffragia*, non alia intelligant, quam quæ fidelibus in *purgatorio* ardentibus præſtantur; profecto eo pertinere non poteſt præceptum à Tobia in mortuos officium; quod ille omnibus omnino fidelibus, ac præſertim *ſanctiſſimis* quibuſque impendi vult; eos enim *juſti* nomen potiſſimum ſignificat. Sed & hoc tertio non minus temere aſſumit adverſarius Tobiam hîc *de mendicandis pauperum pro defuncti juſti anima precibus præcipere*; quarum apud Tobiam neque vola extat, neque veſtigium. Neque eas in allatis verbis contineri, aut ex iis colligi ullo argumento probavit adverſarius. Tantum affirmat ſic intelligendum locum. Ineptiſſime. Neque enim ignorat apud nos, quibuſcum diſputat, non eſſe tanti ſuam auctoritatem, ut ei aliquid ſimpliciter aſſeveranti fidem habituri ſimus. Iubet Tobias *ſuper juſti ſepultura panem, & vinum poni; pro ejus anima orari* vel à pauperibus, vel ab aliis, neque jubet, neque vel leviter innuit. Et plane alio ſpectant, quæ continenter ſubjicit, *& noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Quid enim iſta ad *preces pro mortui ſalute?* Omnino hoc videtur velle fructus lieberalitatis noſtræ, non hominibus impiis, & ſceleratis, quos iſti ſcriptores *peccatorum* nomine ſignificare ſolent, ſed probis ac piis, ſive viventibus, ſive etiam mortuis eſſe impertiendos. Ergone (inquis) exiſtimavit Tobias juſtos hac vita functos cibo, & potu indigere, ut ideo *panem & vinum*

Tob. 4. 18.

l. 1. de purg. c. 4. §. Secundus

iis apponi præcipiat? Ego vero non puto. Ac tametſi fortaſſe difficile ſit in tanta rerum vetuſtiſſimarum ignoratione verſantibus veram ſcriptoris hoc loco mentem aſſequi; dicam tamen quod mihi longe aptius, atque convenientius videtur, quam illud adverſariorum de *mortuorum ſuffragiis* interpretamentum. Inprimis obſervandum eſt, Græcæ Latinæque editionis, quamquam una eademque mens hoc loco eſſe videatur, non eſſe tamen eadem verba. Nam pro Latinis, quæ ab adverſario deſcripta attulimus, hæc Græci codices habent; ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, καὶ μὴ δῷς τοῖς ἁμαρτωλοῖς. *Effunde panes tuos in monumentum juſtorum, neque des peccatoribus.* Iam iſtis verbis clariſſime, quod diximus præcipitur, benignitatem noſtram ſic eſſe temperandam, ut iis potiſſimum, qui *juſti*, ſunt, benefaciamus; non autem *peccatoribus*. Sed quoniam plærique vulgo ita ſunt animo comparati, ut *juſtos* ſuperſtites quidem foveant fortaſſe, ac colant; mortuos vero negligant, altæque oblivioni tradant, neque eorum vel uxores, vel liberos curent; Tobias etiam in illorum *monumentum* effundi vult humanitatem noſtram; ſignificans noſtrum in viros bonos amorem, noſtra in eos officia etiam ultra mortem, ac tumulum perſeverare debere; ut ſi iis morientibus inops conjux, ſi miſeri ac egentes liberi ſuperſint, eorum nos inopiam ſublevare, miſeriamque ſolari pro virili ſtudeamus. Talia enim beneficia ob defunctorum amorem, atque memoriam præſtita non tantum vere, ſed etiam eleganter dicuntur *in eorum monumentum effuſa*; hoc eſt in *juſtos*, tametſi jam *mortuos*, atque *ſepultos* collata. Nam & ipſi *juſto* quodammodo præſtatur, quicquid poſteris, uxori, vel amicis ejus nomine, & cauſſa præſtatur. Atque eo elegantior eſt hæc locutio, quod homines vetuſtis illis temporibus ſolerent amici, quem dilexerant, mortui liberos, atque hæredes menſæ ſuæ adhibere; quo eorum luctum, & mœrorem modeſto, ac ſobrio convivio conſolarentur; ut ex Hieremia, & Ezechiele diſcimus. Sic enim ille, quo loco Hieroſolymitanorum mortem nullo luctu, aut funere cohoneſtatum iri prædicit;

Hier.16. 6.7. *Morientur* (inquit) *grandes & parvi in terra iſta; non ſepelientur, neque plangentur; & non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandam ſuper patre ſuo, & matre.* Vides non pauperibus à lugente, ſed lugenti ab amicis *fractum* fuiſſe *panem*, datumque *potum*, non ad defuncti animam precibus levandam (quod temere, & inſcite ariolantur adverſarii.) ſed ad conſolandum eum; qui parentibus ſuperfuerat. Ezechiel vero hæc, quæ lugentibus exhiberi

hiberi ſolebant ſolátia apertiſſime ſignificat, quo loco narrat ſibi *uxore mortua*, vetitum à Domino fuiſſe, ne eorum quicquam uſurparet, quæ viris in hujuſmodi caſu ſolennia erant, inter quæ illud etiam commemorat, *ne cibos lugentium comederet; Ingemiſce tacens* (inquit) *Mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis; nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Notavit ad hunc locum Hieronymus *fieri in luctu ſolere, ut operiant caput; & quæ Græci περίδειπνα vocant à conſolatoribus accipiant.* Et paulo poſt; *Non attondebitis*, (inquit) *nec nudis incedetis pedibus, nec plangetis, nec amictu ora velabitis, nec cibos accipietis à conſolantibus.* Dubitandum non eſt, quin Tobias ad hunc morem reſpexerit. Itaque filium jubet, *juſtum*, non autem peccatorem, lugentibus *panem*, ac *cibum*, cæteraque hujus humanitatis officia impertiri; quæ *in ejus monumentum effundi* ait, quod recentes à funere his conviviis, atque officiis levari ſolerent. Hoc itaque convivium proprie quidem, ac proxime ſignificant Tobiæ verba; ſed iſta velut imagine etiam alia omnia caritatis, atque humanitatis officia adumbrant, quæ piorum ac proborum hominum liberis, ac poſteris præſtari debent; quæ omnia quam ſint ab adverſariorum ſuffragiis pro mortuorum ſalute aliena, nemo non videt. Ezech. 24. 17. 21. Comm. 7. extr. in Ezech.

Sequitur alter ex ſecundo Maccabaïco locus; in quo ſcriptor ille narrat Iudam, cum quoſdam è ſuis militibus à Gentilibus in pugna interfectos ad ſepulturam tolleret, & ſub eorum tunicis inveniſſet de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerant, indeque intellexiſſet eos ob admiſſum illud ſcelus in acie corruiſſe; juſtum quidem Dei judicium in eos una cum ſuis agnoviſſe, & ad preces converſum, rogaſſe, *ut id, quod factum fuerat, delictum oblivioni traderetur*; hortatumque ſuperſtitem exercitum, ut tam inſigni exemplo admoniti à peccato ſibi caverent, *facta collatione duodecim* (vel ut græci codices habent, *duo*) *millia drachmas argenti miſiſſe Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum*; vel, ut in græco legitur, *pro peccato ſacrificium.* Quibus ita narratis auctor ille ſubjicit *Iudam bene & religioſe de reſurrectione cogitaſſe. Niſi enim* (inquit) *eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum, & vanum videretur orare pro mortuis; & quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Atque hæc quidem hactenus Maccabaïci voluminis ſcriptor: ex quibus Bellarminus colligit, *primo poſſe mortuos poſt hanc vitam à peccatis ſolvi, & proinde eſſe purgatorium; ſecundo ſacrificia, & orationes vivorum prodeſſe defunctis*; ad quæ duo cætera omnia, quæ his 2. Macc. c. 12. 39. δραχμὰς ἀργυρίου. περὶ ἁμαρτίας θυσίαν. Ibid. vers. 43. 44. 45. 46. L. 1. de purg. c. 3. §. Hinc enim.

his attexit, referuntur. Ego vero reſpondeo hinc quidem apparere ſcriptorem illum, quiſquis eſt, in ea fuiſſe opinione, ut putaret *mortuis prodeſſe orationes, & ſacrificia*, fierique poſſe, ut iis ob hæc ſuperſtitum (ut vocant) ſuffragia peccata à Deo dimittantur: Inde vero confici nego, vel ut eadem fuerit Iudaïcæ gentis eâ de re ſententia, vel ut ipſe ille, qui ſic ſenſit, ſcriptor *purgatorium* aliquod exiſtere crediderit, quale in Romanis ſcholis fingitur. Nam ut à poſteriori hoc ordiar, ait quidem ille (ut habent exemplaria Latina) *ſanctam & ſalubrem eſſe cogitationem pro defunctis exorare*; ait Iudam (ut in græcis codicibus legitur) *pro mortuis expiationem feciſſe, ut à peccato ſolverentur.* Mortuos vel aliquos in genere, vel iſtos proprie quibus de loquitur, ultricibus flammis in ſubterraneo loco uſtulatos fuiſſe, eoque *igne* Iudæ oblatione liberatos, vel ſaltem liberari potuiſſe, neque dicit, neque vel leviter innuit. Romani illius *ignis* nulla plane apud hunc ſcintilla micat. Videamus vero quibus iſti artibus ſuum hinc *ignem* extundere conentur. *Noſtra* (inquit

Vt. ſupr. ſ. Ad ſexturo. Bellarminus) *conſequentia hæc eſt; Orarunt iſti pro quibuſdam mortuis. Ergo exiſtimarunt illi poſſe fieri, ut illi eſſent in purgatorio; Vel iſta, Laudatur in Scriptura oratio pro defunctorum peccatis; Ergo purgatorium eſt in alia vita. Nam alioqui fruſtra oraretur, & Scriptura erraret laudando ejuſmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum, patet tum ex eo quod occaſio hujus orationis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inventa ſub veſtibus eorum, ut hiſtoria dicit; tum ex eo, quod expreſſe dicitur Iudas miſiſſe* 1200 *drachmas offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum, & infra ut à peccato ſolvantur.* Primo reſpondeo fruſtra nobis Bellarminum pro Scripturæ oraculis venditare, quæ unus dicit de plebe recutitorum homuncio. Iſtas non Dei, ſed Iaſonis Cyrenæi, aut certe ejus breviatoris voces eſſe agnoſcimus. Secundo fatemur quidem iſtum ſcriptorem hic ſentire eas, quas commemorat, *preces, atque oblationes* pro *peccati* à mortuis militibus commiſſi *expiatione*, ſive remiſſione factas eſſe. Sed inde conſequi, ut is *purgatorium* aliquod eſſe crediderit, pernegamus; & utramque illam Bellarmini conſequentiam funiculum eſſe ex arena mera contextum dicimus. Nam & Græci *pro mortuis orant*, peccatorumque remiſſionem iis à Deo adpoſtulant; neque tamen *purgatorium* admittunt. At (inquit adverſarius) *niſi ſit in alia vita purgatorium, fruſtra pro mortuis oratur, fruſtraque petitur, ut iis peccata dimittantur.* Græci negant ſequi; & merito. Nam revera non aliud ex ejuſmodi precibus ſequitur, niſi hoc unum, ſcilicet *peccata fidelibus etiam poſt mortem remitti.* Neque enim id à Deo petiturum quemquam credibile eſt, niſi quod interdum à Deo fieri credide-

crediderit. Cæterum ex eo, quod *peccata* nonnullis etiam *mortuis dimittantur*, concludere vel eos ipſos, vel alios fideles peccatorum pœnas in igne *purgatorio* dare, non modo non verum, ſed etiam ineptum ac ridiculum eſt. Quæſo enim nonne mirabiles ſunt iſti, qui peccata eo *puniri* probant, quod *remittuntur*? Atqui quæ *remittuntur*, non *puniuntur*. Optime totam hanc quæſtionem diſtinguunt Græci; πρῶτον μὲν (inquiunt) ἐστὶ ζητητέον, εἰ τινῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσις μετὰ θάνατον ἀνθρώποις παρὰ τοῦ κτίσαντος χορηγεῖται. δεύτερον δὲ εἰ διὰ κολάσεως, ἢ ἁπλῶς τῇ θείᾳ φιλανθρωπίᾳ, καὶ ταῖς τῆς ἐκκλησίας ἐλεούμενος λιταῖς. εἰ δὲ διὰ κολάσεως, πότερον ἄλλης τινὸς καθάρσεως οἷον εἱρκτῆς, ἢ ζόφου τε καὶ ἀνίας, ἢ καὶ ἐξ ἀνάγκης πυρὸς καὶ τούτου σωματικοῦ, ὁποῖον ὑμεῖς διατείνεσθε. *Primum quidem quærendum venit, An quorundam peccatorum remiſſionem poſt obitum hominibus Creator largiatur. Secundo an punitione adhibita, an ſimpliciter divina benignitate, Eccleſiæque precibus placatus. Si autem per punitionem, utrum alia quapiam expiatione, videlicet carceris, vel caliginis, & doloris, vel etiam neceſſario ignis, atque hujus quidem corporei, qualem vos affirmatis.* De primo ajunt tum Græci, tum ſcriptor Maccabaïcus. De ſecundo, utrique pariter eo inclinant, ut hæc dimiſſio, quam poſt mortem dari conſentiunt, per *meram Dei miſericordiam* fiat ad preces Eccleſiæ. Sed tantum abeſt, ut ex his conceſſis ſequatur Romanum *purgatorium*, ut etiamſi datum fuerit remiſſionem iſtam fieri aliqua caſtigatione adhibita, non autem ſola Dei optimi maximi indulgentia, ne ſic quidem Græci putent rem confectam fore; quærendum enim adhuc ſupereſſe, *qualis iſta ſit caſtigatio*, *mœroris* ne, & *doloris* ſimpliciter (quæ fuit Auguſtini ſuſpicio) an *cuſtodiæ* & *caliginis*; an denique *ignis*, quæ Latinorum eſt ſententia. Itaque concedunt & hunc Maccabaïci voluminis locum, & illum alterum *de blaſphemia in Spiritum ſanctum* ex Matthæo ſupra à nobis ſuo ordine explicatum, docere quidem τὴν ἄφεσιν τινῶν ἁμαρτημάτων μετὰ θάνατον χορηγήσεσθαί τισιν. οὕτω δὲ τρόπῳ καὶ εἰ διὰ κολάσεως, καὶ ταύτης διὰ πυρὸς, οὐδὲ ὑπεκφαίνεσθαι ὅλως. ὅτι γε μὴν ταῦτα τὸ καθαρτήριον πῦρ οὐκ εἰσάγουσιν οὐδαμῶς, καὶ ἡλίου φανώτερον. τί γὰρ κοινὸν ἀφέσει καὶ καθάρσει διὰ πυρὸς καὶ κολάσεως; ἢ γὰρ κολάσεως ἢ ἀφέσεως χρεία, καὶ οὐχ ἅμα ἀμφοῖν. *remiſſionem peccatorum quibuſdam vita functis concedi; Quonam vero modo, & an per punitionem, & quidem illam per ignem, ne meminerunt quidem in univerſum. Porro quod hæc purgatorium ignem non inferant, ſole clarius eſt. Quid enim commune eſt remiſſioni cum purgatione? Aut enim punitione, aut remiſſione, ſive condonatione opus eſt, & non ſimul utraque.* Atque hæc ſatis ſunt, ut quivis intelligat, quam inepta ſit, & inefficax illa adverſariorum

Nil. de purg. p. 120.

Ibid. p. 124.

ſariorum conſequentia, qua ſe ex hoc ſcriptore *purgatorium* colligere putant. Enimvero non modo ille nuſquam innuit, ſe ideo *pro mortuis precandum* exiſtimaſſe, quo ii à *purgatorii* flammis liberentur, ſed etiam clamat plane diverſam ſibi fuiſſe mentem, diſertiſſimeque profitetur longe alio pertinere eas *preces*, quas *pro mortuis* fieri probat. Nam & Iudæ *ſacrificium* vult ad *reſurrectionem* ſpectaſſe, & vanum, ac delirum eſſe ait *pro mortuis orare*, niſi *eos reſurrecturos* ſpes ſit. *Miſit* (inquit, de Iuda loquens) *Hieroſolymam offerri pro peccato ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans; niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaſſet, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Itaque, ſi verum amamus, fatendum eſt omnem iſtius cogitationem, ac ſenſum *reſurrectionem* reſpicere; neque eum alium ob finem *pro mortuis precandum* ſciſcere, niſi ut fiant beatæ reſurrectionis compotes. Iam adverſariorum opinio quantum ab hac diſtet, clarum eſt; qui *pro mortuis* non eo animo *precantur*, ut ii tandem aliquando in beatam vitam reſurgant; (quod iis omnibus, quos in *purgatorio* teneri fabulantur, certo, & immutabiliter paratum eſſe docent ſic ut ipſorum nemo æterna ſalute excidere queat;) ſed longe aliud eſt, quod iis adpoſtulant; nimirum ut ocyus fornace illa *purgatoria* dimiſſi in cœlum recipiantur. Vnde ſic colligere promptum eſt; Quas hic ſcriptor *pro mortuis preces* memorat, eæ ad *reſurrectionem* pertinent; Quas vero defendunt adverſarii, vulgoque *pro* ſuis *mortuis* fundunt *preces*, eæ ad *reſurrectionem* minime pertinent; Ergo horum nequaquam ſunt illius preces. Item; Quas iſte laudat *pro mortuis preces* hujuſmodi ſunt, ut niſi ii pro quibus fiunt, reſurrecturi ſint, *vanæ & ſuperfluæ* futuræ ſint (quod eæ nimirum totæ eo ſpectent, ut ii *mortui* pro quibus fiunt, in vitam beatam aliquando reſurgant) Adverſariorum vero preces non ſunt hujuſmodi. Cum enim fiant in eum tantum finem ut animæ *purgatoriana* flamma liberentur, profecto etiamſi nulla umquam foret *mortuorum reſurrectio*, iis nihilo ſecius ſua ratio, atque utilitas conſtaret. Atque hinc tertium argumentum exoritur, quo clariſſime efficitur nihil hujus ſcriptoris ſententiam cum adverſariorum *purgatorio* commune habere. Nam pro quorum ille liberatione oraſſe & ſacrificaſſe Iudam putat, eorum reatus hujuſmodi erat, ut niſi iis à Domino dimitteretur, nulla ipſis ſors in beata reſurrectione futura eſſet. Ideo enim pro iſtis Iudam *oraſſe* ait, ut reſurgerent; & niſi reſurrecturos ſperaſſet, *vanam & deliram* futuram fuiſſe ejus orationem fatetur. Adverſarii vero pro quibus *mortuis orant*, eorum reatum hujuſmodi eſſe docent, qui eos ſi minus remittatur, non beata reſurrectione excluſurus ſit, ſed maturiori tantum cœli ingreſſu ſummo-

ſummotumus. Nam pro quibus *orandum* exiſtimant, hoc eſt qui *purgatorium* inhabitant, eos ſi minus reatus, quo tenentur, remiſſionem per ſuperſtitum ſuffragia accipiant, eum quidem luituros *ad ultimum quadrantem* ſtatuunt, non tamen ideo à beata reſurrectione excluſum iri pronunciant, ſed perſoluto illo reatu ad eam cum cæteris fidelibus ultima tandem die perventuros. Ergo neque illi, pro quibus *oraſſe* Iudam ſcriptor iſte tradit, in *purgatorio* erant; neque Iudæ pro iis *preces* ejuſdem generis ſunt cum iis ſuffragiis, quibus adverſarii *purgatorianorum* civium pœnas vel remitti, vel mitigari credunt. Quod poſtremo confirmat ipſa hujus hiſtorici narratio. Teſtatur enim eos *mortuos*, pro quibus Iudam & oraſſe, & ſacrificaſſe exiſtimat, in *mortali peccato* interfectos fuiſſe. Nimirum iſti contra diſertam divinæ legis prohibitionem idolorum donaria de fanis derepta ſub tunicis abſconderant; letali adeo crimine ſeſe polluerant, moxque ob tantum ſcelus Deo permittente ac decernente, ab hoſtibus in prælio obtruncati fuerant. *Invenerunt* (inquit) *ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifeſtum factum eſt ob hanc cauſſam eos corruiſſe.* Atqui neminem adverſarii, qui in peccato mortali obierit, admittunt in *purgatorium*. Ergo illi ex ipſorum quidem diſciplina, nulli fuerunt in *purgatorio*: Vnde liquet perperam, & inſcite facere adverſarios, qui tali exemplo *purgatorium* ſuum tuentur, quod ab eo plane alienum eſt. Neque vero objici debet aliter de iis ſenſiſſe Maccabaïcum ſcriptorem, quippe qui hos diſerte dicat *cum pietate dormitionem accepiſſe*. Non enim hic ejus ſenſus eſt, ſed latini interpretis error; qui quæ iſte Græce ſcripſerat, minime percepit, eaque in diverſum ab auctoris mente ſenſum detorſit. Autor quidem ſic habet de Iuda loquens; εἶτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον. ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια. ὅθεν περὶ τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι. Ver. 45. 46.

Hæc verba, quæ hyperbaton adeo involvit & implicat, ut vix ad grammaticæ ſyntaxeos amuſſim conſtrui queant, ſiquem habent ſenſum hunc certe habent, ut & ipſe Bellarminus vidit, *Deinde conſiderans iis, qui cum pietate obdormierunt, optimam repoſitam gratiam (quæ ſancta & pia conſideratio, ſive cogitatio eſt) ideo pro mortuis expiationem fecit, ut à peccato ſolverentur.* L. 1. de purg. c. 3. 5. Ad tertium. Nimirum ſignificat, cum iis qui in pietate *moriuntur*, longe optima ac ampliſſima beatæ reſurrectionis merces parata ſit, ac repoſita, Iudam, quod iſtos non in pietate, ſed in impietate potius, letalique ſcelere mortuos ab illa gratia, niſi mature iis conſuleretur, excluſum iri intelligeret, ideo pro iis expiationem feciſſe, ut

crimine, quo obſtricti deceſſerant, ſoluto ac expiato, ipſi etiam una cum cæteris fidelibus in pietate mortuis, ſortem in beata illa reſurrectione habere olim poſſent. Hæc omnino ſcriptoris mens eſt; cum qua pugnant adverſa fronte, quæ Latinus interpres habet, *Quia* (inquit) *conſiderabat*, *quod hi* (nimirum interfecti milites) *qui cum pietate dormitionem acceperant*, *optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Atqui hoc auctoris non verba interpretari eſt, ſed mentem pervertere. Primo quod auctor in genere, & univerſe de omnibus in vera pietate morientibus dixerat, τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιςον ἀποκείμενον χαριςήριον, *iis qui cum pietate obdormierunt*, *optimam repoſitam gratiam*, interpres ad milites in ſcelere interfectos proprie ac peculiariter referre videtur, *conſiderabat* (inquit) *quod his*, *qui cum pietate dormitionem acceperant*, &c. Sed ſi ipſa auctoris verba, quæ nihil hujuſmodi tinniunt, negligenda ſunt, certe ab hoc nos errore communis ſenſus deterrere debet. Quis enim crediderit hunc auctorem, ſi vel communi ſenſu non caruit, quos hoc ipſo in loco gravi ſcelere pollutos in impietate mortuos narraverat, eoſdem nunc *cum pietate obdormiviſſe* affirmare? Delirare, vel certe fungum eſſe neceſſe eſt, qui eodem in loco ſibi ipſi tam turpiter contradixerit. Secundo quæ auctor per hyperbaton de beatæ dixerat reſurrectionis gratia iis repoſita, qui in pietate obdormiſcunt, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια (*ſancta & pia cogitatio*,) ea Latinus ad *precationem pro mortuis* perperam, ac prȩter omnem rationem detorſit, *Sancta* (inquit) *& ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare.* Poſtremo quæ auctor proprie de Iuda, & de oblato ad expiandum interfectorum ſcelus ſacrificio dixerat, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι, *ideo pro mortuis expiationem fecit*, *ut à peccato ſolveretur*; ea, inquam, Latinus præter Græci textus ſyntaxin ad *preces* pro quibuſvis *mortuis* in genere retulit hoc modo: *Sancta & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare*, *ut à peccatis ſolvantur.* Mitto quæ in ſingulis vocibus interpretandis peccavit; ut cum κοιμᾶσθαι quod eſt *obdormiſcere* reddit *dormitionem accipere*; cum εὐσεβὴς id eſt *pia*, & *religioſa ſalubrem* vertit; cum pro ἐξιλασμὸν ποιεῖσθαι id eſt *expiationem facere*, *exorare* dicit. Neque enim id nunc agimus. Concluſum ergo eſto, iſtorum *peccatum*, pro quibus hic ſcriptor & *orationes* & *victimas* oblatas fuiſſe autumat, plane ab iis diverſum fuiſſe, quæ adverſarii in *purgatorio* elui fabulantur. Fuit enim letale; minime adeo ex illorum genere, quibus ex iſtorum placitis, locus aliquis in *purgatorio* eſſe poteſt. Has objectiones Bellarminus vidit, & depellere conatus eſt. Ac prio-

priorem quidem inde ſumptam, quod hujus ſcriptoris *preces pro mortuis* ad *reſurrectionem* ſpectant, ſic ſolvit, ut dicat, *horum verborum*, niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis, *ſenſum hunc eſſe, ſi mortui non reſurgunt, inde ſequi animas eſſe mortales; & proinde ſuperfluum & vanum orare pro mortuis, niſi ſperetur reſurrectio*; itidemque, quod dicitur Iudas precans pro mortuis *de reſurrectione cogitaſſe*, perinde ſumendum eſſe, ac ſi ſcripſiſſet auctor, Iudam ideo pro iſtis precatum eſſe, quod crederet eorum animas eſſe immortales, id enim ex reſurrectionis fide neceſſario conſequi. Miræ ſunt iſtæ ambages; acetabulariorum artibus plane ſimiles, quibus adverſarius efficere ſe poſſe ſperavit, ut quod atrum eſt, id album, quod album, id atrum nobis eſſe videretur. Nam cum laudatus teſtis diſerte dicat Iudam *pro mortuis oraſſe*, & ſacrificaſſe *de reſurrectione cogitantem*, iſte contra pertendit eum dicere Iudam non quidem de reſurrectione recta & primario, atque immediate cogitaſſe, ſed de animarum immortalitate. Item cum idem ait, *niſi reſurrecturi ſint mortui, fruſtra ac ridicule* pro iis orari; hic noſter contra clamat, non eum id velle, quod loquitur, ſed aliud; nimirum niſi mortuorum animæ poſt mortem ſuperſint, fruſtra *pro iis orari*. Lepidum ſane, atque elegans artificium. Atqui hoc non diſputare eſt, ſed ludere; & hæ ſi admittantur præſtigiæ, vix ſupererit in rebus humanis quicquam certum, ac ſtabile. *At* (inquit adverſarius) *apud Iudæos olim uſitatiſſimum erat habere pro eadem quæſtione illam de reſurrectione & illam de animorum immortalitate, etſi revera diſtinctæ ſunt; quod qui horum unum negabant, alterum etiam negarent, ut Sadducæi; qui unum fatebantur, alterum etiam faterentur, ut Phariſæi.* Ego vero primum reſpondeo me non videre, cur duæ hæ quæſtiones, ſi revera diſtinctæ ſunt, pro una, eademque vel habitæ olim fuerint, vel nunc haberi poſſint. Id quidem fateor, quod ait Bellarminus, utramque & negaſſe Sadducæos, & affirmaſſe Phariſeos; neque quod ſubjicit, repudio ſic eas inter ſe connexas, & conſertas eſſe, ut altera ex altera conſequi videatur. Eo vero fieri, ut quæ duæ ſunt pro una habeantur, non poſſum concedere; Tum ut illas quæſtiones mittamus, & adverſario quod cupit, donemus, nimirum *olim uſitatiſſimum fuiſſe, ut pro una eademque quæſtione haberentur*; non ideo tamen obtinebit uſitatum quoque fuiſſe, ut qui reſurrectionem diceret, is non *reſurrectionem*, ſed *animi immortalitatem* ſeorſim à corpore exiſtentis intelligeret. Eſto; horum alterum ex altero ſequatur; non ideo tamen utriuſque vocabula confundenda ſunt. Siquid eſt rationale, id philoſophi riſibile quoque neceſſario futurum ajunt, & contra.

Vt ſupr. ſ. At hoc argumentum.

Ibid. ſ. Ad quartum.

Ibid. ſ. Ad ſecundum.

Non ideo tamen credo, quiſquam ſanus dixerit *riſibile* nihil aliud ſignificare, quam *rationale*; neque ſi *de riſibili Socratem cogitaſſe* dixero, intellexiſſe contendet, non *de riſibili*, ſed *de rationali*, quod ex illo conſequitur, cogitaſſe eum. Neque quicquam hujuſmodi probant ab adverſario allata Chriſti, & Pauli exempla. *Chriſtus* (inquit) *contra Sadducæos diſputans mortuorum reſurrectionem ex eo probavit, quod Dominus viventium Deus ſit, non mortuorum. Atqui non valebit ea ratio, niſi ſupponatur* reſurrecturos omnes, *quorum animæ corpore ſolutæ ſuperſunt. Alioqui enim negari poſſet conſequentia. Nam* Deus erit Deus viventium, *etiamſi* mortui non reſurgant, *quando quidem* animi ipſi vivunt. *Pari ratione* (inquit) *Apoſtolus cum ait*, Quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Comedamus, & bibamus. Cras enim moriemur; *niſi præſupponat* animas eſſe mortales, ſi corpora non reſurgunt, *nihil concludit. Nam ſi animus eſt immortalis, etiamſi corpora non reſurgant, multum proderit jejunare, & bene vivere, quia proderit ad gloriam animæ acquirendam.* Non eſt inſtituti mei in horum locorum interpretationem excurrere; quæ non uſquequaque recte, ut mihi quidem videtur, accepit adverſarius. Eſto; donemus, quod ille contendit; & Chriſtum, & Paulum ſuppoſuiſſe *animas*, ſi corpora non reſurgant, *mortales* fore. Cum adverſarii, quibuſcum iis res erat, id ipſum faterentur, atque concederent, nihil fecerunt, quod in legitima diſputatione facere ſit nefas; in qua nihil magis ſolenne eſt, quam ex adverſarii hypotheſi ratiocinari, eaque ad argumentationis compendium frui. Sed non jam id quæritur liceat ne cum adverſario diſputantem ea ſumere, quæ ille concedit. Longe alia res agitur. Quæritur enim num qui Iudam *pro mortuis precantem, de reſurrectione cogitaſſe* dicit, is Iudam non quidem de ipſa *reſurrectione* primo ac recta, ſed de *immortalitate animi* extra corpus exiſtentis cogitaſſe eum intellexerit. Atqui tam abſurdæ, tamque deliræ elocutionis nullum extat, vel in Chriſti, vel in Pauli verbis exemplum. Vterque enim cum *mortuos reſurrecturos* dicit, eos revera *reſurrecturos*, ita ut dixit, primo, ac recta intelligit, tametſi ut eam ſententiam concludant, ſupponere eos quiddam aliud confitear, quod adverſarii concedebant. Itaque vel ex iſtis exemplis apparet *reſurgendi & reſurrectionis* voces apud Maccabaicum ſcriptorem ſimpliciter in communi, quo vulgo accipiuntur, ſenſu eſſe ſumendas; ſic ut cum ille ait Iudam *pro mortuis ſacrificaſſe de reſurrectione cogitantem*, intelligat ideo ſacrificaſſe, ut iſti pro quibus *ſacrificabat*, beatam aliquando reſurrectionem conſequerentur. Is enim ſimpliciſſimus eſt, ac clariſſimus verborum illorum ſenſus; non autem is, qui à Bellarmino affertur;

Ibid. §. At hoc argumentum.

1. Cor. 15.

tur; adeo impeditus, atque lacinioſus, ut eum recitaſſe confutaſſe ſit: Sic autem habet; *Senſus eſt* (inquit) *Iudam cum religioſe cogitaret reſurrectionem futuram, & proinde animas eſſe immortales; & formidaret, ne animæ interfectorum militum ſuorum propter peccatum aliquod in alio ſæculo punirentur, juſſiſſe pro eis orari & ſacrificari.* Fuitne umquam lepidior, aut venuſtior gloſſa? Alterum, quod de militum interfectorum peccato objecimus, non minus ingenioſe, ſed multo ποικιλότερον ſolvit adverſarius. *Dico* (inquit) *peccatum illorum, aut fuiſſe veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, & non acceperunt ex donariis illis in honorem idolorum, ſed ſolum diteſcendi cupiditate, quæ venialis eſſe poteſt; aut certe ſi mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluiſſe de peccato, & quo ad culpam remiſſum illis fuiſſe; juxta illud Pſal. 77.* Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur; *aut ſaltem Iudam Maccabæum ita exiſtimaſſe. Alioqui non diceret ſcriptura, eum conſideraſſe eos, qui cum pietate obdormiverant, optimam habere repoſitam gratiam. Adde ultimo ſaltem incertum fuiſſe ſtatum illorum, & propterea licuiſſe pro eis orare, etiamſi damnati fuiſſent.* Atque hæc Bellarminus. *Ibid. §. Ad quintum.*

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Iſtorum, inquit, *peccatum, aut veniale fuit aut,* (*ſi mortale*) *pœnitentiæ dolore expiatum*; aut denique *ſi & mortale, neque remiſſum*, apud Iudam tamen & cæteros *ambiguum fuit, & incertum.* Atqui horum primum quidem impudenter; reliqua duo temere dicuntur. Vt enim à primo ordiar, quis ferat graviſſimum iſtorum ſcelus, contra diſertam Domini legem admiſſum, & quidem præſenti morte vindicatum, pro *veniali peccato* haberi? Atqui, ſi bene æſtimes, levius iſto videbitur Acani delictum. Is enim, non, ut iſti, *idoli* donaria, ſed *pallium Babylonicum* ſurripuerat. Sed iſti (inquit) fortaſſe ignoraverant legis prohibitionem. Iudæos homines, & quidem in Iudæ exercitu, ac pæne contubernio eductos, id ignoraſſe non eſt veriſimile. Et ſi ignoraverunt; quid tum poſtea? An publici *juris ignorantia* quemquam *excuſat?* Atqui ipſi etiam ſcholæ Romanæ Theologi ſciſcunt hujus generis ignorantiam *non excuſare, quin ſit mortale peccatum, ſi eſt circa ea, quæ ſunt præcepti divini, aut naturæ.* Peccatum vero iſtorum militum circa ea fuiſſe, quæ præcepti divini erant, & res loquitur, & ſcriptor ipſe teſtatur; *Invenerunt* (inquit) *ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos.* Neque firmius eſt, quod ait adverſarius illos ſola diteſcendi cupiditate donaria iſta ſurripuiſſe. Quaſi vero alia olim Achanum ratio impulerit ad *ſurripiendum interdictum*; vel alia fures, & latrones libido ad expilandos, & deprædandos homines *A. de Clavas. in ſumm. angel. vocab.* Ignorantia. *fol. 408.*

Iam ad alterum venio propoſitæ diſputationis caput; *an ea ſit videlicet hujus teſtimonii auctoritas, quæ hæc, quæ iſte opinatur de precatione pro mortuis, ea cæteros quoque Iudæos ſenſiſſe perſuadere nobis debeat.* Mitto quam adverſarii huic volumini vindicant divinæ, ac canonicæ Scripturæ dignitatem; tametſi eam hîc quoque quæſtionem Bellarminus pertractet, omnia more ſuo, conturbans, ac permiſcens; quo loco præfatur librum Maccabæorum non eſſe *canonicum apud Iudæos, ſed apud Chriſtianos* eſſe. Atqui vel hoc unum totam hanc ejus cauſſam jugulat. Nam Maccabaicum opus, cum res veteris populi contineat, omnino Iudæorum eſt; In eorum autem *canonem*, ad quos proprie pertinet, numquam relatum ab ipſis fuiſſe, fatetur adverſarius. Ergo & ex noſtro expungendum eſſe fatendum eſt, quod niſi à Iudæis, *parentibus* olim, nunc *capſariis*, noſtris accepiſſe, neque poſſumus, neque debemus; cum iis *credita* fuiſſe *à Deo* omnia prioris fœderis *oracula* doceat Paulus. Sed hanc, ut dixi, diſputationem nunc quidem non attingo; ſuo alias loco, atque ordine à ſcriptoribus noſtris & olim & nuper fuſe pertractatam. Verum tametſi hujus hiſtorici auctoritas plurimum infra canonicarum litterarum majeſtatem ſubſidat, eo tamen ſatis valere videtur, ut rerum quas narrat, fidem nobis faciat; non ſecus ac aliorum de ſæculo, vel de Eccleſia ſcriptorum; quorum de rebus ſuæ memoriæ teſtimonium non temere contemni ſolet. Huic ego objectioni ut ſatisfaciam, reſpondeo inprimis, diſtinguendam eſſe hujus auctoris de *Iudæ ſacrificio* narrationem ab ejuſdem judicio, ſive ϑπιχειρ[illegible]. Narrat milites interdicto pollutos in acie cæſos: Iudam cognito eorum ſcelere, & caſu Deum rogaſſe, ut id, quod admiſſum erat delictum oblivioni traderetur; cohortatum milites, ut caſte, ac ſancte ſe ſuaque haberent; denique pecuniam miſiſſe Hieroſolymam, ut *pro peccato ſacrificium offerretur.* Equidem, quo nihil majus etiam optimis hiſtoricis debemus, huic lubens defero, ut iſta quæ narrat, ſic omnia ut narrat, geſta eſſe credam. Iudicii, quod fert de re narrata, alia ratio eſt. Hic enim hiſtorici, ac teſtis perſonam exuit qui nihil niſi certa fide compertum narrat; philoſophi, aut Dialectici aſſumit, qui ex iis quæ opinatur, vel ratiocinando colligit, de rebus judicat; in quo cum falli æque poſſit, ac quivis noſtrum, nullam ei facit injuriam, qui in hæc ipſius judicia modeſte, & ex vero ac bono inquirit. Itaque ſervato huic ſcriptori honore, qui bonis hiſtoricis debetur, ut rei hic ab eo narratę fides integra, atque illibata maneat, nemo mirari, vel indignari debet, quod ab ejus de re narrata judicio diſſentiamus, cum juſtæ ſint, eæque evidentes diſſentiendi cauſſæ. Is enim hoc quod expoſuit, Iudæ *pro peccato ſacrificium* eo pertinere cenſuit,

Vbi ſupr. s. Ad primum.

Rom. 3. 3.

cenſuit, ut mortuis delictum, quod viventes admiſerant, condonaretur, neve iis fraudi eſſet, quominus olim beatæ reſurrectionis cum cæteris fidelibus compotes fierent. Nos non putamus hanc ejus in illa oblatione fuiſſe mentem, quod non ſit credibile religioſiſſimum Principem, juriſque divini conſultiſſimum, qualem fuiſſe Iudam, & hic ſcriptor, & omnes veteres, ac recentiores prædicant, id ſacrificii genus Deo obtuliſſe, quod neque à Moyſe, unico Iudaicæ diſciplinæ legiſlatore, præceptum, neque ab ullo illius gentis pio factitatum ex ſacris litteris didicerat. Nam *ſacra*, vel *preces pro mortuis* fieri, neque Moſes inſtituit, quod ſupra ſuo loco obſervavimus; & nequid in Dei cultu uſurparetur præter ea, quæ à Moſe mandata erant, diſertiſſime, ac ſeveriſſime ab ipſo Domino cautum fuerat. Iudam igitur, qui neutrum horum ignorabat, & vir erat accuratiſſimæ pietatis, ſacra *pro* quoquam *mortuo* feciſſe plane ab omni veri ſpecie abhorret. Quorſum ergo, inquis, ſpectavit *ſacrificium* illud, quod tute ab ipſo oblatum fuiſſe huic ſcriptori credendum putas? Reſpondeo rem non eſſe difficilem, vel obſcuram. Sciebat vir præſtantiſſimus ſingulorum, vel paucorum delicta arcano, ſed juſto Dei judicio in multos nonnumquam effundi; ut olim, cum Achani ſcelus totus Iſrael luit; quod unius ſcilicet vel civis, vel militis peccatum univerſam vel civitates, vel exercitus ſocietatem, ut membri unius labes totum corpus, inficiat, ac polluat. Cum ergo compeririſſet admiſſum à quibuſdam ſui exercitus militibus flagitium, optimus imperator merito veritus ne cæteræ copiæ eodem exitio involverentur, neu paucorum crimen in univerſos redundaret, ad Deum converſus, precatus eſt τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι, ut *id quod factum fuerat delictum penitus deleretur*, vel (ut habet Latinus interpres) *oblivioni traderetur*. hoc eſt ſic dimitteretur, ut ejus pœna intra nocentes morte jam ſublatos conſiſteret, neve in ſuperſtites effuſa latius graſſaretur. Eodem haud dubie ſpectavit miſſa Hieroſolymam oblatio, ut Deus eo ſacrificio rite propitiatus, & ipſi Iudæ, ac exercitui, reique publicæ Iudaicæ deinceps, ut antehac, faveret, neve gravi illo militum interfectorum ſcelere provocatus vultum à populo ſuo averteret. Ideo autem dicitur *ſacrificium pro peccato*, ut habet græcus codex, vel ut Latinus, *pro peccato mortuorum*, quod ejus offerendi cauſa & occaſio fuerat illud *mortuorum delictum*; non autem, quod *pro ipſis mortuis offerretur*, eorumve aut liberatione à *purgatorio*, ut ariolantur adverſarii, aut *reſurrectione*, ut interpretatur hic ſcriptor. Hanc omnino fuiſſe exiſtimamus Maccabaïcæ illius oblationis rationem; ſcriptorem adeo erraſſe, qui

Ioſ. 7.

eam

eam alio, nimirum ad ipſorum *mortuorum reſurrectionem* retulit. Neque mirandum eum in hac parte fuiſſe hallucinatum, qui alibi Raziæ *αὐτοχειρίαν* peſſimo, & piis inaudito exemplo, laudare non dubitavit. Neque ipſe diſſimulat hominem ſe eſſe, errori, & peccatis obnoxium, qui infirmitatis ſuæ veniam modeſtiſſime in operis calce petit à lectoribus. *Siquidem bene* (inquit) *& ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim; ſin autem minus digne, concedendum eſt mihi.* Et eſſe in hoc ejus opere nonnulla incautius dicta apertiſſime faſſus eſt, qui id ſobrie legi, & audiri jampridem præcepit. Sed ad hanc ſcriptoris infirmitatem acceſſiſſe præterea videtur cauſſæ, tametſi optimæ, ſtudium; quod etiam laudatiſſima ingenia à vero, & recto non ſemel tranſverſa egit. Cum enim iſte, ut apparet, à Sadducæorum impietate eſſet alienus, alterius diſciplinæ, quam ſectabatur, ſtudio præpeditus quæ vera fuit ſacrificii Maccabaïci ratio, eam vel non vidit, vel certe prudens omiſit; quæ ſuo dogmati commoda viſa eſt, eam arripuit, avideque contra adverſariorum errorem adhibuit. Nam cum, quod ipſe ait, veriſſimum ſit, *vanum, & delirum eſſe pro mortuis orare, niſi eos reſurrecturos ſperemus*, Iudam *pro mortuis oraſſe* libens ſibi perſuaſit, quo viri tanti auctoritatem Sadducæorum impietati opponeret. Hæc præcipue ratio hominem, ut videtur, in hoc *σφάλμα* impulit. Atque ex his apparet, quantopere hallucinentur, qui ex hoc ejus loco colligi poſſe putant illam, quam commemorat, *pro mortuis precationem* apud veteres Iudæos jam tum uſitatam, ac ſolennem fuiſſe. Plane contra ſe res habet. Si enim publica, & ab omnibus Iudæis recepta tum fuiſſet illa *pro mortuis precandi* conſuetudo, omnino frigida ac inepta foret iſta hujus ſcriptoris de Iudæ oblatione obſervatio. Oportet exemplum fuiſſe ſingulare, neque vulgo apud Iudæos obvium, in quo hic noſter ita ſibi immorandum exiſtimavit, & à propoſitæ narrationis curſu deflectendum, ut lectorem, quid ex eo conſequeretur, moneret. Saltem dixiſſet, non novum, aut nuper inſtitutum fuiſſe, quod apud Iudæos ſua memoria obtinebat, ut *preces pro mortuis* fierent. Id enim ipſum Iudam jampridem uſurpaſſe. Atqui nihil ille hujuſmodi. Vnum Iudæ exemplum conſiderat; in eo uno pedem figit; id unum Sadducæis objicit. Itaque apparet *precari pro mortuis* rem fuiſſe iſtius ſæculo apud Iudæos inuſitatam; cujus exemplum ab hoc unius Iudæ facto repetendum fuerit. Quin & hujus precationis tanta eſt contra Sadducæïſmum lux, atque vis, ut is apud Iudæos numquam exoriturus fuiſſe videatur, ſi hæc *pro mortuis orandi diſciplina* ſemper apud eos jam inde à primis Patriarcharum temporibus in uſu fuiſſet. Cum igitur

2. Maccab. 14.

2. Macc. 15. 39.

Aug. contr. gaud. l. 2. c. 23.

tur conſtet viros neque paucos, neque contemnendos in ea olim gente extitiſſe, diuque floruiſſe, qui *animorum immortalitatem*, futuramque corporum reſurrectionem præfracte negarent; profecto non fit veriſimile jam tum apud Iudæos receptas, ac ſolennes fuiſſe iſtas *pro mortuis precationes*; quæ vel unæ ad iſtorum amentiam aut coercendam, aut certe conterendam ſufficiebant. Quid? quod ne Dominus quidem Ieſus cum Sadducæis pugnans hoc in eos telum contorſiſſe legitur, quo uno, ut optime judicavit Maccabaïcus ſcriptor, tota iſtorum impietas labefactari, atque obrui facillime poterat? Paulus certe contra eos diſputans, qui Sadducæano fermento imbuti reſurrectionem negabant, nullum neque clarius, neque potentius argumentum ad coarguendam iſtorum inſaniam adhibere poterat, quam hoc à fidelium ſuperſtitum *precibus pro mortuorum* vel requie, vel reſurrectione. Atqui çum multa alia ad veritatem, vel probandam, vel illuſtrandam attulerit, hujus, quod cæteris omnibus erat longe evidentius, ne uno quidem verbo meminit. Ex quibus mihi quidem conſtat ne apud infimos quidem, & corruptos illos Iudæos, qui Chriſti & Apoſtolorum temporibus vivebant, receptam adhuc fuiſſe iſtam *pro mortuis orandi conſuetudinem*, quæ poſtea in eadem gente invaluit; ex quodam, ut ego quidem arbitror, Sadducæiſmi odio, atque deteſtatione primum exorta. Vt enim extaret ſuæ de *reſurrectione* fidei publicum aliquod in ipſo cultu contra Sadducæorum impietatem teſtimonium, atque monumentum, videntur primo inſtituiſſe, ut qui in ſua religione mortui eſſent, ii in ſacris commemorarentur; quo ſcilicet omnes intelligerent ſe iſtos, tametſi hac mundi luce carentes, non tamen exſtinctos, penituſque deletos exiſtimare, ſed *Deo vivere* olim ab eo reſuſcitandos; ex quibus initiis facto gradu mox inventum, ut & *preces pro* iſtis *fierent*; quarum (ut ex Maccabaïco hoc loco videre eſt) non alia primo ratio erat, quam ut mortuis ſuam in beata reſurrectione ſortem peterent; mox (ut fit, ubi à verbo Dei ſemel diſceditur) in alia etiam itum eſt.

Quæ vero alia à nonnullis afferuntur, ut hunc *pro mortuis precandi ritum* jam ante Chriſti in terris natales, aut ſaltem ejus temproribus obtinuiſſe, probent; ea inquam, vel infirma, vel falſa ſunt omnia; quæ quidem hactenus vidi. Perronius noſter magna, ut ſolet confidentia jactat, non in eo tantum Maccabaïci ſcriptoris loco, quem nuper excuſſimus, ſed in omnibus etiam monumentis, quæ ſuperſunt de non ſcriptis Iudaicæ legis ritibus, diſerte legi *oblationis pro mortuis* uſum. Cæterum hæc tam magnifice præfatus, non plures tamen, quam

Relig. l. 4. inſt. 3. ob. 10. p. 820. 821.

duos

duos teſtes laudat, Flavium Ioſephum, & Gorionidem. Ac hujus nudum nomen margini illevit; teſtimonium ipſum non recitavit. Illum vero ait in Iotapatenſis obſidii deſcriptione diſerte narrare ſe cum obſeſſos videret de nece ſibi ipſis inferenda cogitare, ne vivi in hoſtium poteſtatem venirent, quo eos ab impio, & immani conſilio deterreret, hoc inter cætera monuiſſe, *in ſuæ gentis lege cautum eſſe, ne pro eorum hominum animabus ullæ preces fierent qui ſibi ipſis mortem conſciviſſent.* Sed hæc Perronius, vel maligne confinxit, vel certe memoria falſus, ſummo, neque in his diſputationibus ferendo errore, imprudens pro veris lectori propinavit. Nam apud Ioſephum quidem, neque illo viceſimo quinto libri tertii de bello Iudaico capite, quod laudat adverſarius, neque uſquam alibi in tota illa caſus Iotapatenſis narratione, quicquam iſtorum apparet. Extat illic Ioſephi elegans ſane, & copioſa ad ſocios oratio, qua variis undique conquiſitis argumentis eos à peſſimo facinore nequicquam dehortatur; memorat eorum, qui naturæ lege è vita diſcedunt, animas in locum cœleſtem ſubvehi: ὅσοις δὲ (inquit) καθ' ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὲν ᾅδης δέχεται τὰς ψυχὰς σκολιώτερος, ὁ δὲ τούτων πατὴρ θεὸς εἰς ἐκγόνους τιμωρεῖται τοὺς θάτερον ὑβρισάς. *Quorum vero manus in ſe ipſos inſanierunt, eorum animas tenebroſior Orcus ſuſcipit; pater autem illorum Deus auctores injuriæ per nepotes ulciſcitur.* Διὰ τοῦτο (inquit) μεμίσηται παρὰ τῷ θεῷ τοῦτο, καὶ παρὰ τῷ σοφωτάτῳ κολάζεται νομοθέτῃ. τοὺς γοῦν ἀνελόντας ἑαυτοὺς παρὰ μὲν ἡμῖν μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους κρύπτειν ἔκριναν, καίτοι πολεμίους θάπτειν θεμιτὸν ἡγούμενοι. παρ' ἑτέροις δὲ τὰς δεξιὰς τούτων τῶν νεκρῶν ἀποκόπτειν ἐκέλευσαν. *Hinc & Deo inviſum eſt, & à ſapientiſſimo legis noſtræ conditore coercetur. Denique ſiqui ſe occiderint, apud nos quidem uſque ad Solis occaſum inſepultos abjici decretum eſt, cum etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe ducamus: apud alios autem & dextræ jubentur abſcindi hujuſmodi mortuorum.* Hæc & alia hujus generis ſunt Ioſephi enthymemata. De *precibus pro mortuis* verbum plane nullum facit. Vnde quivis videt, quam caute excutiendæ ſint Perronii diſputationes, in quibus tam craſſæ occurrunt vel impoſturæ, vel certe hallucinationes.

L. 3. de Bell. Iud. cap. 25. græc. 14. lat. p. 852. d.

Gorionidem vero, quem & ipſe, & Bellarminus quoque adducit, nemo neſcit ſcriptorem eſſe Iudæum, recentem; non adeo auctorem in hac cauſſa idoneum. Quod & de Talmudicis dictum volo; in quorum farragine extare ajunt viri docti earum *precum formulam*, quæ apud Iudæos *pro mortuis* fieri ſolent. Talmudis enim Babylonici opus, etiamſi Gorionidis hiſtoria longe antiquius quarto tamen, & quintò à Chriſti natalibus ſæculo compilatum eſſe conſtat; ut non niſi temere ex

Hug. Grot. in Caſſ. conſult. In. inceptum ab Aſe poſt annum Domini 372. abſolutum anno 500. Hieroſolymitanum a Ioan-

ne qui anno 312 deceſsit anno 232 inchoatum.

ex eo probari poſſit, quid Chriſti & Apoſtolorum temporibus Iudæi in religione uſurpaverint. Sed hæc de Iudæis teſtibus ſatis.

CAPUT II.

Referuntur loca ex Patribus objecta à Bellarmino pro precibus pro mortuis; ac primo ex ipſius Bellarmini placitis omnia diſſolvuntur, ut nihil ex iis purgatorium probet.

L. 1. de purg. c. 9. & 10.

[1] A.D. 397. Auguſt. 28. [2] A.D. 563. [3] A.D. 813. [4] A.D. 868. [5] nuſquam. [6] A.D. 1215. [7] A.D. 1435. [8] A.D. 1563.

SEquitnr, ut ad alterius ordinis teſtes, ſcilicet veteres Chriſtianos, veniamus. Hoc vero magna pompa Bellarminus in hac diſputatione triumphabundus oſtentat. Neque ſingulos tantum Patres Clementem, Dionyſium, Athanaſium, Gregorium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Tertullianum, Ambroſium, Hieronymum, Paulinum, Auguſtinum, & cæteros, quos referre longum eſt, *pro mortuis precantes* inducit; ſed & Synodos totas id in *mortuos* officium vel commemorantes, vel etiam præcipientes, Carthaginenſem, [1] Bracarenſem, [2] Cabilonenſem, [3] Vormatienſem, [4] Romanam ſub [5] Symmacho, nonnullas etiam Græcanicas, ac poſtremo etiam nequas omitteret, Lateranenſem, [6] Florentinam, [7] & Tridentinam. [8] Ego antequam ſingula diſcutio, inprimis reſpondeo neminem in tota hac acie comparere, qui ante tertium à Chriſti Domini incunabulis ſæculum denatus ſit. Clementis enim, & Dionyſii, qui Apoſtolicis temporibus vixere, opera quæ laudantur, ſpuria ſunt, & tantis nominibus indigna, ut eſt apud eruditos pæne omnes confeſſum. Itaque hunc *pro mortuis orandi* morem, qui neque à Moſe, & Prophetis ſub veteri teſtamento, neque à Chriſto, & Apoſtolis ſub novo traditus in Scripturis legitur, ne primo quidem poſt Apoſtolos ſæculo obtinuiſſe veriſimile eſt; cujus nimirum nulla extat apud Iuſtinum, vel Irenæum mentio, qui ſecundo ſæculo floruere; ut credibile ſit ſecundo illo ſæculo exeunte apud Chriſtianos ex iis cauſſis, quæ poſtea commemorabuntur, invectum fuiſſe. Ab illo autem tempore apud omnes paſſim Chriſtianos invaluiſſe confiteor; ut conſtat, tum ex iis, quæ nunc ab adverſario laudantur, tum aliis ejuſdem generis, quæ magno numero in veterum monumentis occurrunt. Sed qui hoc ultro, ac libens concedo, idem nego ex illis veterum *precibus* conſequi, ut qui eas fundebant *mortuos pro* quibus *precabantur*, in adverſariorum *purgatorio* fuiſſe crediderint. Græci certe etiam hodie *pro mortuis precantur*. *Purgatorium* tamen adeo non credunt, ut etiam libris editis oppugnent, ut apud Nilum videre eſt in opuſculo,

quod

quod ejus nomine Græce Latineque de iſto argumento jamdudum publicatum eſt. Quid, quod etiam Bellarminus, quam nunc tam magnifice venditat objectionem, eam ipſe & libro quidem proximo clariſſime diſſolvit? ea certe dicit, ex quibus nullo negotio quivis eam diſſolvere queat? Concedit enim, imo vero affirmat, licere *pro mortuis* Dominum ſic *precari*, ut petamus, *ne in judicio extremo illorum animæ cadant in obſcurum, neve abſorbeantur à Tartaro*, hoc eſt ne ad gehennam damnentur ultima illa ſummi judicis ſententia; *quod etiamſi animæ in ipſo è corpore exitu primam jam ſententiam acceperint in judicio particulari, eaque ſententia liberæ ſint à gehenna; tamen adhuc ſupereſt judicium generale, in quo ſecundam ſententiam accepturæ ſunt. Velle enim Deum nos orare etiam pro iis rebus, quas certo accepturi ſumus.* Jam conſtat neminem omnino eſſe ex *mortuis* fidelibus, ſive is in cœlo ſit, ſive alibi, ſive martyr, ſive confeſſor, ſive ſanctus, ſive beatus, qui non ſit ſecundam ſententiam ultimo die ab eo tribunali accepturus, ante quod omnes homines comparare, ac judicari oportet. Itaque cum ex Bellarmino *pro* fidelibus *mortuis*, qui ſecundam illam ſententiam expectant, *precari* nobis liceat, ne tunc ad gehennam damnentur, patet ex iſtius quidem placitis neminem omnino eſſe; neque in *purgatorio*, neque in *cœlo* fidelem, pro quo precari non liceat: unde neceſſario conficitur iſtum nobis illudere, qui nunc Patres ideo *purgatorium* poſuiſſe confict, quod ii *pro mortuis precati ſint*. L. 2. de purg. c. 5. §. Duo. §. Verum iſta.

Idem quoque ex eo apparet, quod ibidem ait Eccleſiam, dum *orat pro mortuis* ea die, qua ipſorum obitum commemorat, & repræſentat, *ſic loqui quaſi animæ tunc migrarent à corpore, & in periculo eſſent æternæ ſalutis; ideòque ita pro iis precari*, Libera eas de ore leonis, ne cadant in obſcurum, tametſi eæ *quo tempore ſiunt hujuſmodi preces, periculum illud jamdudum evaſerint*. Quæ ſi recta ſunt, profecto ex iis, quæ *pro mortuis* in precibus *petuntur*, licebit quidem colligere, quo in diſcrimine eorum animæ fuerint, cum primum migrarent è corpore; quo vero poſtea in ſtatu vel fuerint, vel nunc ſint, certo haberi non poteſt; ut Bellarminus ex ſua ipſius confeſſione inepte ac ſophiſtice nunc diſputet, qui ex iis *precibus*, quæ *pro mortuis* olim à Patribus fuſæ ſunt, demonſtrare vult putaviſſe illos mortuorum animas, quo tempore eas Domino commendabant, in *purgatorio* fuiſſe. Ibid. §. Alteras ſalutis.

Tum idem ille Bellarminus ex Innocentii III. Pontificis Romani ſententia refert *Eccleſiam*, etiam ipſis Sanctis, qui in cœlo jam regnant, *petere gloriam*; eo ſcilicet ſenſu, primum ut eorum apud nos gloria innoteſcat, & illi ubique magis magiſque glorificentur; ſecun- L. 2. de purg. c. 18. §. Ad reliqua.

 do,

do, ut ipſis etiam detur aliquod gloriæ augmentum, non quidem eſſentialis, ſed tamen accidentalis; ac tertio etiam, ex ipſius Bellarmini ſententia, ut corporis gloria iis detur in die reſurrectionis. *Nam* (inquit) *etiamſi gloriam illam certo conſequentur, quæ debetur eorum meritis, tamen non eſt abſurdum hoc illis deſiderare, & petere, ut pluribus modis debeatur.* Ergo ex Bellarmini confeſſione, & ſententia etiam pro iis fidelibus precari licet; & vero ſæpiſſime precata eſt Eccleſia, qui in cœlo ſunt. Itaque ex eo, quod veteres *pro mortuis precati ſunt*, non modo concludi nequit *mortuos* iſtos, *pro quibus precati ſunt*, in *purgatorio* fuiſſe, ſed ne hoc quidem, quod multo minus eſt, eos extra cœlum fuiſſe. Denique Bellarminus alibi agnoſcit quorumdam *mortuorum* ſic fieri mentionem in precibus Eccleſiæ, ut pro iis non tam aliquid petatur; quam gratiæ Deo reddantur. Vult enim Sanctos eo à Chriſto ſeparari, quod pro illis quidem offerimus ſacrificium gratiarum actionis; pro Chriſto autem non offerimus. Vnde quivis videt, non ſicujus mortui facta dicitur in Eccleſiæ vel ſingulorum fidelium precibus mentio, inde ſequi eum in *purgatorio* uſtulari; à quo longiſſime abſunt Sancti pro quibus tamen orationem euchariſticam Deo offerri nihil vetat.

L. 1. de purg. c. 9. §. Reſpondeo ſ. ſeparamus.

Ergo, ut oſtendamus, qui vir ſit Bellarminus, quamque ſanctus, & verecundus, libet hic ea omnia, quæ ex Patribus pro purgatorio objecit, ex his ipſius placitis breviter diſſolvere. Id enim ſi præſtiterimus, clare ni fallor, apparebit iſtum ſophiſtam eſſe palmarium, qui in Theologica diſputatione iis teſtimoniis dogma ſuum confirmet, quæ ipſe ſibi conſcius eſt nullam ad id demonſtrandum vim habere.

Pro *purgatorio* objecit [1] concilium Bracarenſe primum, [2] vetans *pro illis orari, qui ſe ipſos interimunt*; & jubens *dividi inter clericos oblationes factas, ut oraretur pro defunctis*; Cabilonenſe [3] præcipiens, *ut in omnibus miſſarum ſolennibus pro ſpiritibus defunctorum loco competenti ad Dominum deprecentur*; Romanum ſextum ſub Symmacho, in quo *ſacrilegium* eſſe dicitur *fraudare animas defunctorum orationibus*; Euſebium [4] teſtantem Conſtantinum in celebri templo ſepeliri voluiſſe, ut fieret multarum orationum particeps; Ephræmum in teſtamento fratres rogantem, ut ſui memoriam faciant in orationibus; Epiphanium [5] orationem pro defunctis inter Eccleſiæ dogmata recenſentem; Theodoretum [6] referentem Theodoſium juniorem ad reliquias Chryſoſtomi proſtratum pro animabus parentum ſuorum Arcadii, & Eudoxiæ jam defunctorum oraſſe; Paulinum [7] Pammachio gratulantem, quod uxoris mortuæ & corpori & animæ ſatisfecerit; corpori lacrimis, animæ eleemo-

[1] *Ibid. c. 9. & 10*
[2] *34. 39.*
[3] *Decret. de conſecr. d. 1. can viſum eſt.*
[4] *L. de vita Conſtant.*
[5] *In fine Panar.*
[6] *Hiſt. l. 5. c. 26.*
[7] *Ep. ad Pammach.*

eleemoſynis; Auguſtinum ſciſcentem, [1] *ne prætermittantur ſupplicationes* pro ſpiritibus mortuorum. Hæc adverſarius. Ego vero reſpondeo iſta probare veteribus illis, qui ſive omnes ſi Tertullianum excipias quarto, & quinto ſæculo nonnulli novo vixerunt, ſolenne ac familiare fuiſſe *orare pro mortuis*, quod nemo negat; non probare *purgatorium* ab iis creditum; de quo hic proprie quærimus. Nam ſi eo, quod in his locis dicuntur veteres preces *pro mortuis* fudiſſe, conſequens eſt, ut ii mortuos in *purgatorio* fuiſſe exiſtimaverint, ſtatuendum erit pro quibuſcumque *preces* aut *oblationes* fiunt eos eſſe in *purgatorio*. Atqui hoc ex Bellarmino falſum eſt, qui & *pro iis ſpiritibus, qui in cælo ſunt*, fas eſſe putat precari, tum ut *à gehenna ultimo die liberentur*, tum ut nunc quidem *gloriæ & in terris, & in cælo augmentum aliquod*, & olim in beata reſurrectione *corpus glorioſum* accipiant. Ergo cum ex Bellarmino non omnes pro quibus fiunt preces, ſint in *purgatorio*, clarum eſt illum ex ſuo ipſius judicio perperam veteribus creditum inde concluſiſſe, quod ii *pro mortuis precati* ſint.

[1] De cur. pro mort. c. 2.

Idem quoque objicit Concilium Carthaginenſe tertium, [2] & quartum, [3] in quo commemoratur defunctorum commendatio; Nazianzenum, [3] qui mortuorum animas à ſe, cæteriſque illius temporis Chriſtianis *Deo commendari* ait; Ambroſium, [4] qui mortuam Fauſtini ſororem, *non tam deplorandam, quam orationibus proſequendam*, cenſet, ejuſque animam *non lacrymis mæſtificandam, ſed magis oblationibus Deo commendandam*; Auguſtinum, [5] qui *in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur*, tradit *locum ſuum etiam habere commendationem mortuorum*. Atqui non jam quæritur, iſti-ne Patres mortuorum animas *Deo commendaverint*, aut commendandas putaverint; quod allata loca probant, & nos fatemur. Quæritur an *purgatorium* crediderint; quod eos crediſſe, hæc, ne ipſo quidem Bellarmino judice, probant. Nam qui Deum precatur, ut mortui animam *ex ore leonis* eripiat, nova gloriæ luce exornet, cœleſti corpore olim in reſurrectione veſtiat, eum clarum eſt mortui animam Deo commendare. Iam ex Bellarmino hæc omnia etiam *ſpiritibus in cælo viventibus* optare, atque apud Deum precari licet. Quæ vero *in cælo vivunt* animæ, eæ longiſſime abſunt à *purgatorio*. Ergo non cujuſcumque anima *Deo commendatur*, is ex Bellarmino in *purgatorio* degere cenſendus eſt, ex quo poſtremo conſequitur Bellarminum, ſe ipſo judice, imperitè atque inefficaciter argumentatum eſſe, qui Patres ideo concluſit crediſſe animas mortuorum aliquas in *purgatorio* detineri, quod eas Deo commendaverint.

[2] c. 29.
[3] c. 79.
[3] Orat. in Cæſar.
[4] T 2. Ep. 8.
[5] De cur. pro mort. c. 2.

Tertio,

a l. de monog. Tertio, idem Tertullianum *a* objicit memorantem *oblationes*, quæ à
b l. 1. ep. 9. muliere vidua fiebant *annuis diebus dormitionis* mariti; Cyprianum *b* teſtantem *pro mortuo offerri*, & *ſacrificium pro dormitione ejus fieri* ſolitum. Scio; ſed *purgatorium* illis cognitum fuiſſe, inde confici nego. Aſſentitur enim Bellarminus etiam *pro martyribus*, & *ſanctis* (quos certe non collocat in *purgatorio*) ſacrificium gratiarum actionis offerri. Ergo αὐτοκατάκριτος eſt, qui jam mortuos ideo in purgatorio eſſe concludit, quod *ſacrificium pro eorum dormitione offeratur*.

c c. 10. Quarto, idem etiam objicit Concilium Vormatienſe *c* definiens etiam *pro ſuſpenſis in patibulo eſſe orandum*, & *ſacrificandum*; Epiphanium
d hær. 75. *d* fidelium peccatorum ideo in precibus Eccleſiæ memoriam fieri, ut
e hier. eccl. c. 7. illis à *Deo miſericordia impleretur*; & ex Dionyſio *e* ſacrum antiſtitem precantem divinam clementiam, ut *defuncto dimittat cuncta* per infir-
f de monog. mitatem humanam admiſſa *peccata*; & ex Tertulliano *f* uxorem pro mariti anima orantem, eique *refrigerium*, & *in prima reſurrectione con-*
g ep. ad Pamm. *ſortium* adpoſtulantem; & ex Hieronymo *g* Pammathium *ſanctam* Paulinæ *favillam*, *oſſaque veneranda eleemoſynæ balſamis rigantem*, & *his*
h ep. 5. *pigmentis, atque odoribus foventem cineres quieſcentes*; & Paulinum *h* Delfino epiſcopo fratris animam his verbis commendantem; *Fac ut orationibus tuis condonetur tibi*, & *ut illius animam de minimo ſanctitatis tuæ digito deſtillans refrigerii gutta aſpergat*. Sed neque hæc adverſariorum *purgatorium* probant. Conficiunt quidem veteres *peccatorum remiſſionem* mortuis ſuis à Deo popoſciſſe, & *liberationem* à pœnis, & *refrigerium*; mortuos, dum iſta iis petebantur, in *purgatorio* fuiſſe non conficiunt. Nam *remiſſio peccati*, & *liberatio à pœna* non iis tantum petitur, qui jam nunc puniuntur, ſed iis etiam, de quibus metuimus ne ii in futurum puniantur. Ac ut Græcos nunc mittam, qui hæc omnia *pro mortuis precantur*, etiamſi *purgatorium* non modo negent, ſed etiam oppugnent; Bellarminus certe docuit *licere pro mortuis* fidelibus *precari*, *ne à Tartaro abſorbeantur*, neve *ad gehennam damnentur*; in qua, credo, eos eſſe non dicet, cum hæc illis ſuperſtites fideles apprecantur. Imo ait iſta ad *ſecundam* illam *ſententiam* referri, quam in ultimo judicio accepturi ſunt. Quin & illas veterum nuper laudatas preces eo quoque ſpectare clamat & *reſurrectionis*, quod poſtulant, *conſortium*, & *ſtillans ex* ſancti viri *digito refrigerium*, quo ad hiſtoriam epulonis alluditur, qui non in *purgatorio*, ſed in *Tartaro* fuit. Ex his igitur non magis conficitur mortuos, pro quibus ſic precabantur, in *purgatorio* fuiſſe, quam in *gehenna* eos pro quibus petitur, ne *à Tartaro abſorbeantur*, idque Bellarminum fateri neceſſe eſt, ſi conſtare ſibi velit. Quid, quod idem ob-

ſervavit

ſervavit *precantes pro mortuis* ſic interdum loqui, *quaſi animæ tunc migrarent a corpore, & in periculo eſſent æternæ ſalutis?* Cum ergo Patres iſtos abſurdum non ſit de iis, *pro quibus precantur*, *mortuis* ſic loqui, eoſque, non quo in ſtatu jam ſunt, cum hæc ipſi precantur, conſiderare, ſed *quo in ſtatu erant, cum animam agerent*; ſequitur ex his illorum dictis colligi poſſe, non quid paterentur, cum hæ *pro iis preces* fierent, ſed quid paſſuri fuiſſent, cum ex hac vita migraverant, niſi *morientibus* ſubveniſſet divina indulgentia, fidelium *precibus*, *votis*, & *eleemoſynis* provocata. Itaque cum Bellarminus duplicem hanc iſtorum teſtimoniorum ſolutionem ipſe; & viderit, & idoneam cenſuerit, fraudis, dolique mali manifeſtus eſt, qui nunc eadem, tamquam vera, & ἄλυθα purgatorii ſui argumenta proponit.

Denique idem adfert Auguſtinum α pluribus locis affirmantem iſtas Eccleſiæ, ac fidelium *preces*, & *oblationes mortuis prodeſſe*; Athanaſium β teſtantem animas *ſentire utilitatem ex orationibus viventium*; Cyrillum Hieroſolymitanum γ pronunciantem *maximum eſſe animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius, & tremendi ſacrificii*; & Chryſoſtomum δ admonentem *juvandum* mortuum *non lacrymis*, *ſed precibus*, *ſupplicationibus*, *& oblationibus*; defunctis enim ex eorum commemoratione, quæ fit in myſteriis, *multum contingere lucrum, utilitatem multam*; Theophylactum ε ſimiliter tradentem *oblationes*, *& diſtributiones*, *quæ fiunt pro defunctis*, *non parum conducere etiam iis*, *qui in gravibus delictis mortui ſunt*. Certe *mortuis preces prodeſſe* ajunt; neque ego eos ſic ſenſiſſe inficior. Alioqui cur vel *precati* eſſent, ſi id totum *vanum & inutile* putaſſent? Sed non jam hoc agimus. Quærimus num in igne *purgatorio* animas uſtulari crediderint; quod ut probares, tu hæc attuliſti. Collige ergo; *Preces ſuperſtitum proſunt defunctis*. Ergo *defuncti ſunt in purgatorio*. Itane vero? Tu nullum eſſe putas *precum pro mortuis* uſum, niſi ii ſint in *purgatorio*? Atqui tu ipſe alibi docuiſti hujus generis ſuffragiis mortuos *ab ore leonis*, & *Tartari faucibus eripi*; gloriæ, tum terra, tum in ipſo cœlo *augmentum* iis conciliari, & juris aliquid in beatam reſurrectionem quæri. Quæ hæc talia, tantaque conficiunt patet non fore inutiles, etiamſi nullæ tuo *purgatorio* liberent. Tu ergo vel nos ludis, dum hos etiam eſſe *precum pro mortuis* uſus nobis narras; vel certe tuo ipſius judicio vanus es, qui *purgatorium* veteribus creditum ex eo colligis, quod ii *preces mortuis utiles* eſſe dixerunt; quas tute confiteris, etiam ſepoſito *purgatorio*, multas eaſque inſignes mortuis utilitates afferre. Hæc omnino ſunt, quæ ex veteribus quinque (Imo undecim ſiquidem Theophylactus poſt A. D. 1070. vixit) primorum

α *l. de cur. pro mort. c. 1. & 2.*
β *q. 34. ad Antioch.*
γ *catech. myſt. 5.*
δ *hom. 41. in 1. cor. & al. paſſim.*
ε *in Luc. c. 12.*

Chriſtianiſmi ſæculorum auctoribus deſcripſit Bellarminus, quo etiam illa referuntur, quæ non deſcripſit quidem, ſed annotatis tantum titulis & locis indicavit. Vnde patet nullam eſſe in tota hac diſputationis parte ejus objectionem, quæ non ex iis, quæ ipſe alibi vel docuit vel conceſſit, commodiſſime ſolvi poſſit.

CAPVT III.

Secundo, ut liquido ſuperiora Patrum loca intelligantur, aperiuntur tres fontes precum pro mortuis apud veteres uſurpatarum; Ac primus quidem, quod ii fidelium animas extra cœlum, ad reſurrectionem uſque quieſcere in ſtatu placido quidem illo, & à pœnis immuni putarunt, cæterum nondum ſumma adepto; idque fuſe demonſtratur allatis & à Bellarmini ſophiſtica vindicatis Irenæi, Tertulliani, Origenis, Novatiani, Pſeudo juſtini teſtimoniis.

ATque hæc quidem nobis, ſi ſophiſtæ eſſemus, ſufficere poſſent ad difflandam inanem illam Bellarminianæ ex Patribus diſputationis pompam. Sed cum veritatem, non victoriam quæramus, non putamus ſatis eſſe adverſarii vel ineptiam, vel fraudem patefeciſſe, & ex iis quæ uno loco ponit alia, quæ alibi aſtruit, evertiſſe. In ipſam cauſſæ arcem penetrandum eſt, & aperiendum, quæ qualeſque fuerint iſtæ, quæ ad *purgatorium* torquentur, veterum *pro mortuis preces.* Nam ſic demum intelligetur, quid ſit de illa adverſariorum conſecutione judicandum, ſi quod ſit ipſarum, unde illam nectunt, precum ingenium, perſpectum, atque exploratum habuerimus. Quod ut demonſtrem, inprimis tenendum eſt, quæ Patrum fuerit ſententia *de animarum corpore ſolutarum ſtatu*, deque omni, reſurrectionis, quam illæ exſpectant, divinique judicii, quod reſurrectionem conſecuturum eſt, ratione. Eo enim omnino referri neceſſe eſt, quæcumque illi *pro mortuis precati ſunt.*

Iam conſtat vetuſtiſſimos pæne omnes Chriſtianiſmi ſcriptores, quorum aliqua ad nos monumenta pervenerunt, de *mortuis* fidelibus ſic ſenſiſſe, ut eorum ſpiritus in cœlum admitti ante reſurrectionem negaverint. Stapletonus, non ignobilis inter adverſarios Theologus, ſcribit Tertullianum, Irenæum, Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, Ambroſium, Clementem Romanum,

defenſ. Eccl. auct. c. 3,

manum, Bernardum in eo errore verſatos eſſe. Sixtus Senenſis de Au- *Biblioth. l.6.an-*
guſtino idem tradit; atque iis, quos memoravimus Iuſtinum inſuper, *not.345.*
& Lactantium adjungit, & Victorinum Pictavienſem, & Prudentium,
& Aretam, & Euthymium, & Ioannem Papam, & auctorem Liturgiæ, quæ Iacobi nomine circumfertur, & ſcriptorem *operis imperfecti*,
in Matthæum, quod inter Chryſoſtomi opera circumfertur. Maldo- *In Matth. 27.*
natus auctores quidem non nominat; cæterum *magnum* eorum *numerum* eſſe fatetur. Bellarminus, cui frons fuit durior, de plæriſque, quos *de ſanct. beat. l. 1 c. 5. § Habemus*
nominavimus, negat; de Lactantio, Victorino, & Tertulliano con- *ignur.*
fitetur. Hujus ergo inverecundia nos cogit rem alioqui per ſe ſatis claram, allatis in medium, & vindicatis auctorum locis paulo fuſius confirmare. Primus ergo prodeat Pius, qui ab anno Domini 146. ad 150. Eccleſiæ Romanæ præfuit. Is in epiſtola ad Iuſtum Viennenſem de mortuis in fide, Chriſti miniſtris, ita ſcribit; *Presbyteri illi, qui ab* *Epiſ. ad Iuſt. vien. T. 1. conc. p.*
Apoſtolis educati uſque ad nos pervenerunt, cum quibus ſimul verbum fidei *84. col. 2. b*
partiti ſumus, à Domino vocati in cubilibus æternis clauſi tenentur. Abſurde, & falſo; ſi iſtorum ſpiritus jam in cœlis cum Domino degere putaſſet.

Hermas, ſive Hermes, Pii frater ac σύγχρονος, verus Paſtoris auctor, *Paſt. l. 3. ſim. 9.*
docet pios defunctos nondum eſſe in regno.

His ſuccedat Irenæus, Patrum qui extant, ſi hos & Iuſtinum exce- *l. 5. contr. hær. c.*
peris vetuſtiſſimus; *Cum Dominus* (inquit) *in medio umbræ mortis abie-* *25. Feuard. 31.*
rit, ubi animæ mortuorum erant, poſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt; manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus, pro-
pter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, 13.
definitum eis à Deo, & ibi ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes (id eſt exſpectantes) *reſurrectionem; poſt recipientes corpora, & perfecte reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit; Sic venient ad conſpectum Dei.* Contra apertiſſimum hoc Irenæi teſtimoni-
um fruſtra nititur Bellarminus; clamans eum nihil aliud ſignificare, *niſi* *de ſanct. beat. l. 1. c. 4. §. ſecundo.*
animas non eſſe nunc in perfecta illa beatitudine, in qua eſt Chriſtus, qui animo, & corpore beatus eſt; ac contendens *locum* illum *inviſibilem*, in quem ait Irenæus fidelium animas abire, ibique reſurrectionem exſpectare, eſſe ipſum cœlum, *ubi lux eſt* (inquit) *inacceſſibilis.* Quæ ſi vera ſunt, Irenæus quidem certe non putavit fidelium animos in *purgatorium*, mitti, antequam cœlo recipiantur. Sed Bellarmini gloſſa nihil fingi potuit abſurdius. Primum ipſum eam reſpuit vocabulum, quo uſus eſt Irenæus. Interpres vertit *locum inviſibilem.* Omnino ᾅδην dixiſſe videtur Irenæus; hoc eſt *infernum.* Ἅδης enim, ſi verbum verbo reddas,

 quod

quod hic interpres ſæpe facit, *locus* eſt *inviſibilis*, ut norunt grammaticorum filii; & obſervavit Ambroſius; *ἀΐδης locus, qui non videtur* inquit; *quem locum Latine infernum dicimus*. Vnde liquet, quam inſcita ſit Bellarmini obſervatio; *Cum dixiſſet Chriſtum*, inquit, *deſcendiſſe ad inferos, antequam reſurgeret & ſubjungere deberet diſcipulos imitari magiſtrum ſuum, non tamen auſus eſt dicere diſcipulorum animas deſcendere ad inferos; ſed ait eas duci ad inviſibilem locum*. Atqui ô bone, *inviſibilis ille locus*, quem dicit, ipſiſſimum eſt *inferni* nomen, ᾅδης. Sed præter vocabulum, ipſe etiam loci ſenſus huic interpretamento multo vehementius repugnat. Toto hoc capite Irenæus Gnoſticorum dogma de animæ poſt mortem ſtatu exagitat, quod initio capitis his verbis refert; *Simulatque mortui fuerint, dicunt* (inquit) *ſe ſupergredi cœlos, & Demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum, qui ab ipſis affingitur, Patrem*. Hanc iſte ſententiam reprobat, ac refellit. Atqui is, ſi Bellarmino credimus, ipſe ita quoque ſenſit; qui ſcilicet perinde ut iſti exiſtimavit fidelium animas è corpore egreſſas ſtatim in cœlos evolare. Quid dici poteſt ineptius, quam ut quod ipſe docebat, id rejiciat, & confutet? Irenæus aliud ſenſit, quam iſti hæretici. Iſtorum autem hoc dogma fuit animas, ſimulatque fideles mortui fuerint, *cœlos ſupergredi*. Ergo non hoc ſenſit Irenæus; ſed plane diverſum; nempe animas fidelium reſurrectionem extra cœlum fictitiumque Gnoſticorum πλήρωμα υπηρουράνιον *in loco* illo, ut ait, *inviſibili* exſpectare. Vnde clarum eſt, locum illum *inviſibilem* omnino diverſum eſſe à cœlis & quæ ſupra cœlos animo fingebant hæretici, quo animas à morte ſubvehi volebant, quos oppugnat. Tum hoc eorum dogma allato Chriſti exemplo refellit; *Si hæc* (inquit) *ita eſſent, quemadmodum dicunt, ipſe utique Dominus, in quem dicunt ſe credere, non in tertia die feciſſet reſurrectionem, ſed ſuper cruce expirans confeſtim utique abiiſſet ſurſum, relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus converſatus eſt, ubi erant mortui*; quod allatis aliquot Scripturæ teſtimoniis probare conatur, atque inter cætera illis Domini ad Mariam verbis, *Nondum aſcendi ad Patrem meum*, inde ſcilicet concludens, nondum eo tempore in cælo fuiſſe Chriſti animam. Iam his verbis Irenæus clariſſime ponit ſtatum animæ Chriſti corpore ſolutæ exemplar eſſe ejus ſtatus, quem noſtræ adeunt corporibus egreſſæ; itaque ſi verum foret, quod volebant hæretici, animas noſtras ſtatim ultra cœlum evolare, futurum fuiſſe, ut Chriſti quoque anima è cruce in cœlum extemplo ſubveheretur. Hoc vero factum negat; vultque Chriſti animam toto triduo, quod ejus reſurrectionem præceſſit, extra cœlum fuiſſe. Ergo clarum eſt crediciſſe eum animas quoque ſingulorum

l. de bon. mort. c. 10. T. 1.

Ioan. 20. 17.

ſingulorum fidelium, non ut docebant hæretici, ſtatim ab obitu cœlum tranſcendere, ſed extra cœlum ad corporis quamque ſui reſurrectionem manere. Sed Irenæus ſuam hanc argumentationem ſic in ſequentibus colligit; *Si ergo Dominus legem mortuorum ſervavit, ut fieret primogenitus à mortuis, & commoratus uſque ad tertiam diem in inferioribus terræ, poſt deinde ſurgens in carne, ut etiam figuras clavorum oſtenderet diſcipulis, ſic aſcendit ad Patrem; quomodo non confunduntur, qui dicunt inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundum nos; interiorem autem hominem ipſorum derelinquentem hic corpus in ſupercœleſtem aſcendere locum?* Vides, ut ex Chriſti exemplo iſtos refellat, qui *interiorem hominem*, id eſt animum corpore ſolutum ultra cœlum aſcendere docebant? Quæ major poteſt eſſe impudentia, quam ei id ipſum, quod refellit, affingere? His verbis ea continenter ſubjicit, quæ nos initio deſcripſimus; in quibus poſt confutatam Domini exemplo adverſariorum ſententiam, ſuam ex eodem demonſtrat; Nimirum cum Chriſti anima non ante reſurrectionem in cælum aſcenderit, neque noſtras eodem, niſi poſt reſurrectionem noſtram, ſubvectum iri; totumque tandem locum his verbis concludit; *Nemo enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum; perfectus autem omnis erit, ſicut magiſter ejus. Quoniam ergo Magiſter noſter non ſtatim evolans abiit*, (in cœlum ſcilicet) *ſuſtinens definitum à Patre reſurrectionis ſuæ tempus, (quod & per Ionam manifeſtatum eſt) poſt triduum reſurgens aſſumptus eſt: ſic & nos ſuſtinere debemus definitum à Deo reſurrectionis noſtræ tempus, prænunciatum à Prophetis, & ſic reſurgentes aſſumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.* Nihil potuit dici clarius. Quæ contra affert Bellarminus, ea vero futilia ſunt omnia. *Irenæus* (inquit) *ait hoc ipſe in loco Chriſtum deſcendiſſe ad mortuos*, extrahere eos, & ſalvare eos. *Si extraxit*, inquit, *non ſunt amplius ibi.* Fateor non eſſe ibi, unde eos *extraxit.* (neque de hoc quæritur) Eſſe *in cœlo*, quod tu vis, neque ait Irenæus, neque tu probas. Tertullianus certe, quem tu ipſe fateris omnes animas cœlo ad reſurrectionem excludere, ait & ipſe Chriſtum *deſcendiſſe ad mortuos*, eoſque extraxiſſe è locis, [a] in quibus hactenus fuerant. Ita Irenæus quos à Chriſto mortuos *extractos* dicit, eos ab inferno, non in cœlum (quo nemo præter Chriſtum ex ejus ſententia ante reſurrectionem univerſalem aſcendit) ſed in paradiſum ſi forte, aut alium locum eo, quem inhabitabant, latiorem traductos fuiſſe putat. Sed, (inquit Bellarminus) *ſi eos Chriſtus ſalvavit; ergo vident Deum. Nam hæc eſt animarum ſalus.* Tune Bellarmine, vel *purgatorii* tui cives, vel nos etiam, qui hic in Domini Chriſti fide vivimus, à Chriſto *ſalvatos* negas?

a. A terra ſimi *prout ex apocryph. colligit.*

gas? Atqui neutri *Deum videmus. Salus* (fateor) ſed perfecta, omnibuſque ſuis numeris abſoluta eſt *Deum videre*. Sed hanc Irenæus nulli ante reſurrectionem contingere exiſtimat. Salutis initia, & *primitias*, etiam ante illam diem, nullis fidelibus invidet. Secundam Bellarmini cavillatiunculam de *inviſibilis loci* vocabulo, jam confutavimus. Supereſt tertia; *Irenæus* (inquit) *contendit diſcipulos debere in morte, & requie, & reſurrectione Chriſtum imitari. At Chriſtus ſtatim à morte non fuit quidem beatus corpore; ſed quievit triduo in ſepulcro, interim tamen animo erat beatus, & in paradiſo. Ipſe enim dixit*, Hodie mecum eris in paradiſo. *Ergo etiam Sancti, dum quieſcunt in ſepulcris, quantum ad corpora, animo ſunt in paradiſo.* Hoc vero eſt; non quid Irenæus ſenſerit, indagare, ſed ei, quid ſentire debuerit, præſcribere. Ipſe clare profitetur Chriſtum toto illo tempore, quo ejus corpus quievit in ſepulcro, manſiſſe extra cœlum, *neque confeſtim abiiſſe ſurſum; commoratum uſque ad tertiam diem in inferioribus terræ; in medio umbræ mortis abiiſſe, ubi erant animæ mortuorum*; eandemque eſſe fidelium omnium ſortem. Bellarminus plane alia, quam quæ dicit, ſenſiſſe eum pertendit; noſque adeo fungos putat, ut id ſe nobis perſuaſurum ſperet. At (inquit) *Chriſtus animo in paradiſo illo triduo fuit.* Credo equidem; ſed non eo fit, ut id quoque crediderit Irenæus, quod diſerte negat; ſi *paradiſum* quidem *cœlum* cum Bellarmino intelligamus. Omnino ſiquid efficere velit demonſtrare debet Irenæum, & *paradiſum*, in quo Chriſtus ſe cum latrone fore dicit, *cœlum* intellexiſſe, & in hujuſmodi *paradiſo*, tum ipſius, tum latronis animam eo ipſo die proprie fuiſſe; quorum cum vel hoc, vel illud plurimi Patres negaverint, non eſt incredibile alterutrum negaturum etiam eſſe Irenæum. Denique cum hoc ipſum Bellarminus effecerit, quod numquam profecto efficiet, ne ſic quidem aliud effecerit, niſi quod abſurdam eſſe, & incommodam, & contradictionibus implicatam hanc Irenæi de animæ ſtatu opinionem probaverit; ut ea autem Irenæi ſit, quam ille tam clare aſſeruit, atque expreſſit, ne ſi rumpatur quidem, umquam effectum dabit. Iam quem ex alia hujus operis parte locum objicit, is plane eſt ab hac cauſa alienus. *Iuſtis autem, & æquis, & præcepto ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet.* Loquitur autem de Domino Chriſto ultima die veniente, & ex ſummo tribunali omnes homines bonos maloſque judicante. Quid hæc ad animæ corpore ſolutæ ante reſurrectionem ſtatum? Sed Bellarmino credo, impoſuit Feuardentius, homo nomine ſuo digniſſimus,

L. 1. c. 2. p. 50. c.

ſimus, quem cæci irarum, odiorum, atque furiarum ignes ſic exagitabant, ut raro apud ſe eſſet. Fervidus enim ille Irenæi ſcholiaſtes hæc ejus verba miris modis ad hanc quæſtionem detorſit; ultima ſic accipiens, quaſi Irenæus ſignificet Chriſtum vitam æternam aliis quidem dare ab initio, id eſt ſimul atque è terris migrant, ut infantibus poſt baptiſmum morientibus, & martyribus; aliis vero ex pœnitentia, *id eſt poſt longam ſatisfactionem hic, vel alibi.* Hoc Feuardentii ſomnium, quo nihil umquam fuit, vel erit magis ridiculum, Bellarmino placuit. Atqui Irenæi mens clara eſt; Fidelium enim, qui immortalitatis coronam ſuprema illa die à Domino accepturi ſunt, duos facit ordines; alios in ſuſcepta ſemel pietate ad obitum perſeveraſſe; alios è lapſibus, in quos inciderant, per pœnitentiam reſurrexiſſe; quod utrumque ad hanc vitam pertinet; neutrum ad ea tempora, quæ mortem conſequuntur. Hæc ita plane in Græco expreſſa ſunt, ut negari non poſſint citra ſummam impudentiam; Sic enim Græca habent; τοῖς δὲ δικαίοις καὶ ὁσίοις καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς μὲν ἐξ ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ. Atque ita hæc ut diximus intellexit Iac. Billius S[ti]. Michaelis Abbas, vir earumdem quidem partium, ſed longe majori eruditione, & candore, quam vel Feuardentius, vel Bellarminus. Sic enim ille totum hunc locum Latine reddidit; *Iuſtis contra & pietate præditis, quique ipſius præcepta ſervaverunt, atque in ipſius caritate partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentia perſtiterunt, vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur gloriamque ſempiternam afferat.* Hæc quidem talia ſunt, ut nullum in iis locum Feuardentii cavillatio habere poſſet. Nequis tamen dubitaret, hanc in ea verba annotationem Billius addidit; τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, *partim jam inde ab initio. id eſt* (inquit) *qui de pietatis, & juſtitiæ curriculo numquam deflexerunt. Quibus eos ſubjicit, qui cum prius vitiorum lenociniis, ac voluptatum illecebris ſe ſe dediſſent, poſtea ad meliorem frugem ſe receperunt.* Hactenus Billius.

Iuſtinum idem quoque cum Irenæo ſenſiſſe non obſcure ex eo colligere eſt, quod veros ſuæ communionis, ac fidei Chriſtianos à ſectariis, hæreticis falſo ſibi id nomen aſſumentibus diſcernens, his diſerte inter cætera tribuit, quod blaſphemare audent Deum Abrahami, Deum Iſaaci, & Deum Iacobi, οἳ καὶ λέγουσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλὰ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν, *quique dicunt non eſſe reſurrectionem; verum ſimulatque moriantur, animas ipſorum in cælum recipi.* Clarum eſt eoſdem illos Gnoſticos ſignificari, Dial. cum Tryph. p. 239. l. 35.

quorum

quorum ſententiam refutavit Irenæus. Cum itaque ea iſtorum dogmata recenſeat, quæ ſuæ, & aliorum melioris notæ Chriſtianorum fidei erant oppoſita; apparet neque iſtum, neque alios (ut ipſe quidem rebatur) ejus tempeſtatis id ſenſiſſe quod docebant Gnoſtici, *animas noſtras, ſimulatque morimur, in cœlum aſſumi*; non ſecus ac ex eo, quod dicit, eoſdem hæreticos *blaſphemaſſe Deum Abrahæ, & reſurrectionem negare*, plane conſtat neutrum feciſſe Iuſtinum, & alios orthodoxos; ſed *Deum* quidem *Abrahæ* coluiſſe, & agnoviſſe pro vero Deo; *reſurrectionem* vero *mortuorum* confeſſos eſſe.

Tertullianus, qui proxime Iuſtinum, & Irenæum ſecutus eſt, idem quoque, ſed multo clarius, atque enucleatius docet. Is perinde ut Irenæus, ait Chriſti animam extra cœlum triduo ante reſurrectionem

L. de an. cap. 55. p. 353. a. b. fuiſſe, eoque argumento Gnoſticorum quoque, itidem, ut ille, opinionem confutat, omneſque fideles reſurrectionem extra cœlum expectaturos probat; *Siquidem* (inquit) *Chriſto in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt in receſſu intimo, & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam clauſo, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecundum eaſdem, huic quoque legi ſatisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus, nec ante aſcendit in ſublimiora cœlorum, quam deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret; habes & regionem inferum ſubterraneam credere, & illos cubito pellere qui ſatis ſuperbe non putant animas fidelium inferis dignas; ſervi ſuper dominum, & diſcipuli ſuper magiſtrum; aſpernati ſi forte in Abrahæ ſinu exſpectandæ reſurrectionis ſolatium capere.* Hic Irenæi argumentum, ſenſum, verba pæne ipſa vides; unde liquet & hujus eandem quoque fuiſſe cum Tertulliano ſententiam; quicquid Bellarminus obſtrepat. Tertullianus mox; *Nulli* (inquit) *patet cœlum terra adhuc ſalva, ne dixerim clauſa. Cum tranſactione enim mundi reſerabuntur regna cœlorum.* Tum Martyribus proprium, ac peculiarem locum tribuit, *paradiſum*; ſed quem & ipſum hic quidem *ſubterraneum* facit, alibi forte aliter,

Apolog. c. 47 p. 42. b. ubique certe *ſubcœleſtem* eſſe docet; *locum* (inquit) *divinæ amœnitatis, recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam igneæ illius*

L. de an. c. 35. *zonæ à notitia orbis communis ſegregatum. Nullis* (inquit) *romphæa paradiſi janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint, non autem in Adam*; hoc eſt pro Chriſto mortui fuerint. Hoc enim ſignificat *Tota paradiſi clavis tuus ſanguis eſt.* Memorat & librum quemdam de paradiſo ſuum; *quo* (inquit) *conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.* Poſtea in eodem libro exſequitur *animæ penes inferos ſequeſtratæ*

ſtratæ ſtatum; ei ſua jam *ſupplicia*, ſua *refrigeria* eſſe, epulonis & Lazari exemplo; *Cur non putes* (inquit) *animam & puniri, & foveri in inferis, interim ſub expectatione utriuſque judicii in quadam uſurpatione, & candida ejus?* Sufficere enim ſibi de ſuo animam, ut etiam ſine corpore vel gaudeat, vel doleat. Sic in libro de reſurrectione carnis. *Nemo* (inquit) *peregrinatus à corpore, ſtatim immoratur penes Dominum; niſi ex martyrii prærogativa, paradiſo ſcilicet, non inferis deverſurus.* In opere contra Marcionem *ſinum Abrahæ* ab *inferis* diſterminat, *regionem* (inquit) *& ſi non cœleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat*; moxque ait *eo nomine ſignificari temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo jam delinietur futuri imago, ac candida quædam utriuſque judicii proſpiciatur.* Atque hæc quidem adeo clara ſunt, ut coactus fuerit Bellarminus fateri Tertullianum in ea ſententia fuiſſe. Quod vero, ut ei invidiam conciliet, hæreſiarcham fuiſſe objicit, id & falſum eſt, & ad rem nihil facit. Neque enim hæreſiarcha dicendus eſt, qui nullius hæreſeos auctor fuit, ſed tantum diſciplinas ab Eccleſiæ quidem catholicæ, quæ tum erat, ritibus alienas, cæterum ab alio ſcilicet à Montano, non à ſe inventas probavit, & eas ipſas ita defendit, ut fidem ipſam Eccleſiæ inviolatam ſervaverit. Sed etiamſi hæreſiarcha eſſet quod non eſt, id ad hanc, quam memoravimus, ejus ſententiam, nihil pertineret, quæ & ipſi cum multis aliis catholicis viris communis fuit, neque ab ullo veterum in ejus operibus notata, vel damnata eſt.

Ibid. c. 58. p. 356. d. 357. a.

C. 43. p. 411. a.

L. 4. c. 34. p. 559. d. 560. a.

Tertullianum excipit Origenes. Is ſecundo in epiſtolam ad Romanos commentario ſtatum defunctorum, tum bonorum, tum malorum relinquit quidem in occulto; cæterum illam Irenæi & Tertulliani ſententiam nuſquam damnat. neque ab ea abludunt, quæ ipſe in libris περὶ ἀρχῶν de animarum poſt obitum profectu philoſophatur; plæroſque ſanctorum duci primum ad locum quemdam terreſtrem, ut ibi expolientur, & doceantur multa, quæ neſciebant; deinde duci ad loca aërea, & ibi diſcere quædam ſublimiora; tandem ſupra cœlos ad Chriſtum, ibi jam videre perfecte cauſſas omnium rerum: *Puto* (inquit) *quod Sancti quique diſcedentes ex hac vita, permaneant in loco aliquo in terra poſito, quem paradiſum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, & ut ita dixerim adjutorio,* [a] *vel ſchola animarum, in quo de omnibus his, quæ in terra viderant, doceantur; judicia quoque quædam accipiant de conſequentibus & futuris, ſicut in hac quoque vita poſiti judicia quædam futurorum, licet per ſpeculum in ænigmate, tamen ex ali-*

L. 2. c. ulti.

a Leg. auditorio.

qua parte conceperant; quæ manifeſtius, & lucidius, ſanctis in ſuis locis, & temporibus revelantur. ſiquis ſane mundus corde, & purior mente fue-
L. 4. περὶ ἀρχ. *rit, inde ad aëris locum aſcendet, & ad cœlorum regna perveniet.* Sic etiam alibi in eodem opere; *Qui de hoc mundo ſecundum communem iſtam mortem recedunt, pro actibus ſuis, & meritis diſpenſantur, pro ut digni fuerint judicati; alii quidem in locum, qui dicitur infernus; alii in ſinum Abrahæ per diverſas manſiones.* Sed difficile eſt certo cognoſcere, quis Origenis fuerit de re tota ſenſus; quod ejus opera plurima interciderint, ſive temporum, ſive etiam hominum injuria, & quæ ſuperſunt multifariam immutata, atque interpolata fuerint. Hoc quidem conſtat in præclara illius adverſus Celſum diſputatione, quod unum viri opus ex tam multis integrum, atque incorruptum ad nos pervenit, quædam legi, quæ ab hoc de animarum extra cœlos mora commento aliena videntur, eaque nos infra ſuo loco atque ordine proferemus.

Circiter eadem tempora vixit Novatianus, verus libri *de Trinitate* auctor, qui inter opera Tertulliani circumfertur. Is idem omnino cum Tertulliano de animarum ſtatu ſenſiſſe ex his, pauculis licet, &
L. de Trin. c. 2. obiter inſperſis, verbis deprehenditur. *Nam neque* (inquit) *quæ infra terram jacent, neque ipſa ſunt digeſtis, & ordinatis poteſtatibus vacua. Locus enim eſt quo piorum animæ impiorumque ducuntur futuri judicii præjudicia ſentientes.*

Iam auctor quæſtionum, quæ Iuſtino, ſed falſo tribuuntur, quique
a Q. 82. & 86. Origene, quem citat, [a] neceſſario poſterior fuit, is inquam, quin fuerit in eadem quoque ſententia dubitandum non eſt. Nam Euan-
Q. 60. gelicam de Lazaro, & epulone narrationem ideo hiſtoriam eſſe negat, quod cum hiſtoria rei factæ expoſitionem contineat, illa contra narratio retributionem exponat, quam iſte nondum factam eſſe vult. οὔτε γὰρ (inquit) πρὸ τῆς ἀναστάσεως τῶν ἑκάστῳ βεβιωμένων ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται. *Neque enim ante reſurrectionem vitæ cuique peractæ retributio con-*
L. 1. de Sanct. beat. c. 4. 5. Atque ex his. *tingit.* Neque valet Bellarmini ſolutio reſpondentis iſtum loqui de *retributione perfecta*, quando totus homo animo & corpore gaudebit, vel cruciabitur. Nam ſi ſic intellexit, male ex eo concluſit narrationem non eſſe *hiſtoricam*; quippe quæ vel Lazarum, vel epulonem nuſquam narrat *perfectam retributionem* conſecutos. Quod vero de *lingua* epulonis, & Lazari *digito* ibi dicitur, quo videtur effici iſtos ſua jam recepiſſe corpora, id neque ab illo auctore, neque à Græcis, ad quorum quæſtionem reſpondet, urgetur; neque ſane efficit, ut epulo, & Lazarus jam tum reſurrexiſſe videri poſſint, cum hæc illis accidiſſe narrantur. Parabola enim commemorata utriuſque morte & ſepul-

tura,

tura, ſtatim iſta ſubjungit, quæ adeo videri non poſſunt, niſi eorum animabus contigiſſe, cum corpora ipſa in ſepulcro reliquiſſent. Neque cuiquam parabolam legenti in mentem veniet iſtos, quo tempore hæc vel paſſi eſſe, vel geſſiſſe, narrantur, jam reſurrexiſſe; ſed illud potius defunctorum animas aliqua inter ſe membrorum ſpecię, ac figura diſtinctas eſſe; quod ipſum ſane, quamquam perperam & inſcite, hinc tamen concluſit Tertullianus; *Dolet* (inquit) *apud inferos anima cujuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ fœlicioris implorat ſolatium roris. Imaginem exiſtimas exitum illum pauperis lætantis, & divitis mœrentis. Et quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt? Sed & ſi imago credenda eſt, teſtimonium erit veritatis. Si enim non haberet anima corpus, non caperet imago animæ imaginem corporis, nec mentiretur de corporalibus membris Scriptura, ſi non erant.* L. de anim. c. 7. p. 307. d. Cæterum ſi iſta corporis ſpecies viſa eſſet huic anctori idoneum reſurrectionis argumentum, eam proculdubio attuliſſet ad demonſtrandum hanc narrationem hiſtoricam non eſſe, omninoque dixiſſet, quod ei ſane, ſed falſo affingit Bellarminus, *illam narrationem non eſſe hiſtoricam, quia nondum habent damnati membra corporalia.* Atqui nihil hujuſmodi dixit; neque ego ſatis mirari poſſum Bellarmini frontem, qui hoc ei tribuere non eſt veritus. Sed ut demonſtraret hanc narrationem non eſſe hiſtoricam, nullam omnino rationem aliam attulit, quam hanc; ὕπε γὰρ περὶ τῆς ἀναςάσεως τῶν ἑκάςῳ βεβιωμένων ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται. Iam quem affert Bellarminus alium hujus ſcriptoris locum, is non modo, quod iſte vult, non demonſtrat, ſcilicet animas fidelium ſtatim cœlo excipi, ſed plane contrarium efficit. Sic autem habet; μετὰ δὲ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον εὐθὺς γίνεται τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων ἡ διαςολή. ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους, αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ εἰς τὸν παράδεισον, ἔνθα συντυχία τε καὶ θέα ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων. καὶ ὀπτασίαν δὲ καὶ τοῦ Σωτῆρος Χριςοῦ, κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐκδημοῦντες ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημοῦντες πρὸς τὸν Κύριον. αἱ δὲ τῶν ἀδίκων ψυχαὶ εἰς τοὺς ἐν τῷ ᾅδῃ τόπους. Juſt. l. reſp. q. 75. *Poſt exitum vero animarum è corpore illico juſti ab injuſtis ſegregantur. Abducuntur enim ab Angelis ad condigna ſibi loca. Ac juſtorum quidem animæ in paradiſum, ubi conſuetudo eſt, & aſpectus Angelorum, & Archangelorum: quin & ſervatoris Chriſti, ſed per ὀπτασίαν viſionem,* ſive *contemplationem. pro eo atque dictum eſt* peregre abſentes à corpore, & præſentes ad Dominum. *injuſtorum autem animæ in ipſius inferni loca.* Iam ex his illud quidem conſtat, fateor, iſtum fidelium animas corpore ſolutas, non *in infernum*, ut ſuperiores, ſed in *paradiſum* inducere, quo ſolos martyras admittebat Tertullianus. Sed cum *paradi-*

ſum locum eſſe *terreſtrem*, certe *ſublunarem*, omnes pæne Patres, maxime vetuſtiores, conſentiant, peſſime concluditur iſtum animas in cœlum admittere ex eo, quod eas in *paradiſum* inducat. Plane contra inde ſequitur illum putaſſe omnes extra cœlum ad diem reſurrectionis fore; Subjicit enim ſtatim de paradiſo, & inferno loquens, καὶ εἰσὶν ἐν τοῖς ἀξίοις αὐτῶν τόποις φυλαττόμεναι ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως καὶ ἀνταποδόσεως. *Aſſervantur quæque in locis ſe dignis uſque ad diem reſurrectionis, & retributionis.* Sed (inquit Bellarminus) in iſto *paradiſo*,
Ib. ſupr. ſ. Ternus. quo duci putat fidelium animas, *Angelos & Chriſtum ipſum eſſe ait.* Quid iſti homini facias, qui tam ſecure, tamque audacter ſcriptoribus, quicquid libet, imponit atque affingit? Dicit ſane hic auctor in
Q. 76. illo animarum *paradiſo* eſſe tum συντυχίαν ἀγγέλων, tum ὀπτασίαν χριστοῦ, Chriſtum ibi eſſe non dicit. Stephanus, & Paulus, in terris conſtituti, Chriſtum hoc modo viderunt, ſcilicet κατ᾽ ὀπτασίαν; Non ideo Chriſtum in terris fuiſſe dixeris. Idem quæſtione ſequenti de latrone è cruce in *paradiſum* tranſlato hæc habet; ἠξιώθη (inquit) τοῦ συναθροίσματος τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάττεται ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως τε καὶ ἀνταποδόσεως. ἔχει τε τοῦ παραδείσου αἴσθησιν κατὰ τὴν ἐννοηματικὴν λεγομένην αἴσθησιν, καθ᾽ ἣν ὁρῶσιν αἱ ψυχαὶ ἑαυτάς τε καὶ τὰ ὑπ᾽ αὐτάς. ἔτι τε τοὺς ἀγγέλους τε καὶ τοὺς δαίμονας. *Dignus reputatus eſt qui ſanctorum cœtui adjungeretur, in quo uſque ad diem reſurrectionis, & retributionis reſervatur; paradiſi autem percipit ſenſum per eum qui notionis dicitur ſenſum, quo animæ ſeipſas, & ea quæ ſub* ipſis ſunt, *cernunt; præterea vero & angelos & dæmonas.* Hic clariſſime diſtinguit ἐννοηματικὴν illam, quam vocat, αἴσθησιν ab ὀπτασίᾳ, cujus ſupra meminerat. Illa enim animas percipere ait & ſe ipſas, & ea quæ ſunt ſub ipſis, angeloſque, & dæmones. Moxque addit, quod & angeli, & dæmones, & animi ſoluti eodem modo, id eſt κατὰ τὴν ἐννοηματικὴν αἴσθησιν ὁρῶσιν ἑαυτούς τε καὶ ἀλλήλους, ἔτι δὲ καὶ τὰ σωματικὰ πάντα; *ſecundum notionis ſenſum cernunt & ſe ipſos, & alii alios inter ſe; tum autem & corporea omnia.* Quæ cum ita ſint profecto conſequens eſt, ut hic auctor Chriſtum Dominum, ſi in animarum paradiſo corpore præſentem eſſe putavit, ab iis cerni exiſtimaverit per ſuam illam ἐννοηματικὴν αἴσθησιν; Sic enim ab iis cerni ait, quæ ſunt corporea. Atqui non putaſſe illum Chriſtum ab animabus, quo jam ſunt loco, ea ratione cerni apparet ex eo, quod cum commemoraret quæcumque illæ hac ratione cernunt, Chriſti nullus meminerit, quem minime omnium omiſſurus erat, ſi eum quoque ab animabus ſic cerni exiſtimaſſet. κατὰ τὴν ἐννοηματικὴν λεγομένην αἴσθησιν (inquit) ὁρῶσιν αἱ ψυχαὶ ἑαυτάς τε καὶ τὰ ὑπ᾽ αὐτάς. ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἀγγέλους τε

καὶ

καὶ τοὺς δαίμονας. *Angelos, dæmones, ipſas animas, & quæ ſunt infra ipſas* memorat: de Chriſto, qui ſi ab iis cerneretur, maxime omnium nominandus fuit, verbum nullum fecit. Quo & illud accedit; quod cum in ſuperiori quæſtione dixiſſet in illo animarum *paradiſo* eſſe τὴν συντυχίαν τινὰ καὶ θέαν τῶν ἀγγέλων, καὶ τῶν ἀρχαγγέλων, non ſimpliciter addidit καὶ τοῦ σωτῆρος χριστοῦ quod omnino faciendum erat, ſi Chriſtum perinde ac Angelos, & Archangelos, iſtic quoque præſentem eſſe putavit; ſed cum hac (ut loquuntur) reſtrictione, ſive limitatione ſubjecit, κατ᾽ ὀπτασίαν δὲ καὶ τοῦ σωτῆρος χριστοῦ, *ſecundum viſionem autem & ipſius Servatoris Chriſti.* Concedit nimirum in illo *paradiſo* eſſe etiam ipſius Chriſti τὴν θέαν τι καὶ συντυχίαν *aſpectum & conſuetudinem*, ſed non ſimpliciter, ut Angelorum, qui illic ab animabus cernuntur κατὰ τὴν ἐνοηματικὴν αἴσθησιν; verum κατὰ τὴν ὀπτασίαν *per viſionem*, qualiter res abſentes cernuntur. Qui Chriſti κατ᾽ ὀπτασίαν aſpectus, quod ſit illis animabus familiaris, ac pæne aſſiduus, ſcriptor ille iis in *paradiſo* verſantibus tribuendum exiſtimavit, quod ait Paulus, *corpore abſentes præſentes ad Dominum*; quia nimirum ea Chriſti viſione multo, quam dum in corpore eſſent, crebrius, atque ſuavius fruantur; non autem quod ipſe Chriſtus in eodem cum iis loco corpore conſtitutus verſetur. Sed hæc de iſto ſcriptore ſatis. Ad cæteros veniamus.

CAPUT IV.

Eandem fuiſſe de animæ ſtatu Lactantii, Victorini, Hilarii, Ambroſii ſententiam; fruſtra de his duobus ultimis repugnante Bellarmino.

LActantii, & Victorini, qui ſub initia quarti ſæculi floruerunt, tam clara ſunt in hanc ſententiam teſtimonia, ut ea Bellarminus alio detorquere nequiverit. Ac hujus quidem hæc in Apocalypſin leguntur; *Ara ærea terra* (inquit) *intelligitur, ſub qua eſt infernus, ſemota pœnis, & ignibus regio, & requies ſanctorum, in qua quidem ab impiis videntur, & audiuntur juſti, & neque illuc tranſmeare poſſunt.* Et infra; *In noviſſimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura eſt damnatio.* In apoc. 6. bib. P P. T. 1. pag. 576. b

Lactantius vero non minus diſerte; *Nec quiſquam*, inquit, *putet animas poſt mortem protinus judicari. Nam omnes in una, communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerint probata juſtitia hi præmium immortalitatis* L. 7. c. 21.

 acci-

accipient ; quorum autem peccata & ſcelera detecta fuerint , non reſurgent, ſed cum impiis recondentur in eaſdem tenebras ad certa ſupplicia deſtinati.

De ſanct. beat. l. 2. c. 4. §. Habemus. Quod vero Bellarminus, ut horum auctoritatem elevet, victorino quidem , tametſi martyri , defuiſſe *eruditionem* ex Hieronymo ait , *licet eruditionis voluntas non defuerit* ; Lactantium vero in plurimos errores lapſum eſſe objicit , præſertim circa futurum ſæculum , *cum eſſet magis librorum Ciceronis , quam Scripturarum peritus* ; in utroque fruſtra eſt. Hieron. ep. ad mag. Victorinum enim quidem iis verbis Hieronymus ſignificat , non fidei Chriſtianæ , pro qua martyrium fecit, aut dogmatum Eccleſiæ rudem, & ignarum fuiſſe , quod de epiſcopo non eſt credibile ; ſed doctrinæ, & eloquentiæ ſæcularis,earumque litterarum , quæ humaniores dicuntur , expertem. Lactantio vero ſi fraudi eſſe debet , quod in quibuſdam erraverit , vel quod Ciceronem legerit , equidem pauciſſimi Patres audiendi erunt, quorum vix ullus eſt, qui non & in aliqua re lapſus ſit, & ſcriptores ſæculi legerit. Quid Bellarmino iniquius , qui hunc quod ſit , illum quod non ſit *eruditus* , rejicit ? Quales iſte teſtes probabit , qui neque *doctos* neque *indoctos* ſinit teſtimonium hic dicere ? Cæterum neque in Victorino , neque in Lactantio hanc de animarum poſt mortem ſtatu ſententiam à quoquam veterum notatam, vel hæreſeos inſimulatam fuiſſe certum eſt ; quod abunde ſufficit ad eos ab hac invidioſa iſtius cavillatiuncula tuendos.

In pſ. 2. extr. Sed idem Hilarium, qui proxime eos ſequutus eſt, fruſtra ab eadem hac labe purgare conatus eſt. Diſerta ſunt hæc ejus verba ; *Judicii dies, vel beatitudinis retributio eſt æterna , vel pœnæ. Tempus vero mortis habet unumquemque ſuis legibus , dum ad judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut pœna.* Duos facit hominum ordines, qui utrique à mortis tempore ad judicium ſervantur ; hi in *Abrahæ ſinu* ; alii in *pœnis*. Alludit enim ad hiſtoriam Lazari , & epulonis , quam paulo ante attigerat; *Teſtes* (inquit) *nobis evangelicus dives , & pauper ; quorum unum Angeli in ſedibus beatorum , & in Abrahæ ſinu locaverunt ; alium ſtatim pœnæ regio ſuſcepit.* Itaque cum illum *Abrahæ ſinum* extra cœlum à veteribus poſitum fuiſſe conſtet , clarum eſt hunc exiſtimaſſe juſtorum animas, quas in eo ſinu ad reſurrectionem collocat , extra cœlum ad ſupremam illam diem manſuras.

In pſ. 120. extr. Sed id longe etiam diſertius alibi exſequitur in illa Prophetæ verba, *Dominus cuſtodiat introitum tuum ; & exitum tuum ; Non temporis hujus, & ſæculi eſt illa* (inquit) *cuſtodia , non aduri ſole, & ab omni malo conſervari ; ſed futuri boni expectatio eſt, cum exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœleſtis per cuſtodiam Domini fideles omnes reſervabuntur, in ſinu*

ſcilicet

ſcilicet interim Abrahæ collocati, quo adire impios interjectum chaos inhibet; quo uſque introeundi rurſum in regnum cœlorum tempus adveniat. Cuſtodit ergo Dominus exitum, dum de corpore exeuntes ſecreti ab impiis interjecto chao quieſcunt. Cuſtodit & introitum, dum nos in æternum illud, & beatum regnum introducit. Hæc ille, quibus nihil dici potuit in eum ſenſum luculentius; ut me Bellarmini miſereat, qui invitum, ac repugnantem in alia trahere fruſtra nititur. Atque hæc quidem ille, quæ clariſſima ſunt, prætermittit; Sed alium quemdam ejuſdem auctoris locum ſolvere conatur; *Humanæ iſta lex neceſſitatis eſt* (inquit Hilarius) *ut ſepultis corporibus animæ ad inferos deſcendant; quam deſcenſionem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſavit.* Nimirum ut Irenæus ſupra, ſic nunc hic quoque Chriſti animam in inferis fuiſſe vult toto illo, quo extra corpus manſit, tempore; ſimilemque eſſe cæterorum hominum ſortem; quorum adeo animas extra cœlum manſuras putat ad ſui corporis reſurrectionem. Reſpondet Bellarminus hæc, quæ dicit Hilarius, intelligi pro eo tempore, quo cœlum erat clauſum. *Nam* (inquit) *poſteaquam Chriſtus in cœlum aſcendens aditum ad cœlum reſeravit, non eſt amplius neceſſarium ad inferos deſcendere.* Sed iſtam gloſſam reſpuunt Hilarii verba. Non enim dicit in tempore præterito *hanc neceſſitatem fuiſſe, ut ſepultis corporibus animæ ad inferos deſcenderent*; quomodo loquendum fuit, ſi id voluiſſet, quod ait adverſarius; ſed in præſenti tempore ait; *Humanæ illa neceſſitatis lex* EST, *ut ſepultis corporibus animæ ad inferos* DESCENDANT. qua orationis forma clariſſime ſignificavit legem iſtam adhuc perſeverare, adeoque etiam nunc fidelium morientium animas in *inferos* deſcendere. Quo etiam referendum eſt, quod idem alibi ſcribit *homini debitum videri ad infernas ſedes penetrare.*

In pſ. 138.

de ſanct. beat. l. 1. c. 5. §. Secundo.

In pſ. 53. extr.

Neque quicquam contra hunc Hilarii ſenſum efficiunt allata à Bellarmino verba. *Beati quidem ſunt, qui jam à Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi ſunt. Sed feſtinare nos in conſortium hujus beatitudinis congruum eſt, operat ontbus id, atque orationibus expetentes.* Sanctos enim pie in Domino mortuos jam *à Deo electos* ait *ad habitandum in tabernaculis cœleſtibus*; non quod re ipſa jam in iis *tabernaculis habitarent*, ſed quod eſſent in glorioſiſſimæ illius habitationis *candida*, ut loquitur Tertullianus, ab optimo Domino ad eam deſignati; ut in republica Romana *conſulem* etiam eum vocabant, qui deſignatus erat *Conſul.*

In pſ. 64.

Quod ex eodem in pſalmum 60. objicit *Sanctos eſſe reges, & perpetuo cum Deo habitare*; id neque loco indicato occurrit, neque ſi occurreret quicquam efficeret. Nam cum id ipſum de fidelibus ſancte, & inculpate

culpate in terra viventibus dici poſſit, quos Auguſtinus etiam *cum Chriſto regnare* ait; quanto magis iis tribui debet, quos iſti tametſi nondum cœlum adeptos, credebant tamen Angelorum conſortio, Chriſtique Domini dulciſſima quadam contemplatione, ſive ὀπλασία in perpetua quiete frui?

Eodem pertinet, quod poſtremo Bellarminus Hilarii de Apoſtolis dictum recitat; *Quomodo poſſumus* montes non *eos ſignificatos eſſe intelligere, qui ſupra terrenam glorioſi jam in Dei rebus exſultant?* Iſta enim Apoſtolis, etiam in terra verſantibus conveniunt; nedum ut de iis dici nequeant, quamquam nondum in cœlum, in ſinum jam Abrahæ ſupra omnes metus, ac labores tranſlatis.

In pſ.124.

Cæterum libens confiteor eam de animarum ſtatu opinionem nonnullis abſurdam, ut eſt ſane, viſam fuiſſe videri, paulatimque ex quorumdam mentibus exoleviſſe, qui eam fortaſſe animadvertebant cum Scripturarum luce, ac veritate conſiſtere non poſſe. Sed tamen, quod tantos, ac tam multos auctores haberet, id effecit, ut ea diutius in Eccleſia hæſerit, hæreatque adhuc poſt tam multa ſæcula in Græcorum atque Armeniorum, & Abyſſinorum communione. Ac ut conſtet, quam altas in Chriſtianiſmo radices egiſſet, non pigebit ea etiam tempora, quæ Hilarii mortem conſecuta ſunt, percurrere; quibus tametſi jam fortaſſe nonnullis diſplicere cœperat, plurimos tamen, eoſque præſtantiſſimos viros eam mordicus retinuiſſe clarum eſt.

Quo in numero cenſendus eſt Ambroſius qui paria cum præcedentibus de hoc argumento ſenſit, niſi quod animas, non *in inferis*, ſed *in ſuperis* collocare videtur; neque adeo in ea opinione conſtans eſt, ut non etiam interdum veriora & ſequatur, & loquatur. Hanc enim diſputationem exordiens, *Scriptura Eſdræ habitacula*, inquit, *animarum promptuaria nuncupat, & occurrens querelæ humanæ, eo quod juſti, qui præceſſerunt, videntur uſque ad diem judicii per plurimum ſcilicet temporis debita ſibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait coronæ eſſe ſimilem diem judicii. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem & victi erubeſcant, & victores palmam adipiſcantur victoriæ.* Et paucis interjectis. *Ergo* (inquit) *dum expectatur plenitudo temporis expectant animæ reſurrectionem debitam. Alias manet pœna, alias gloria. & tamen nec illæ interim ſine injuria, nec iſtæ ſine fructu ſunt.* Ex quibus apparet putaſſe Ambroſium neminem ante judicii diem vel *coronam*, vel *gloriam* accepturum; quam cum omnes accipiant, qui cœlum ingrediuntur, cœlo iſte omnes ad diem illam excludit. Reſpondet Bellarminus eum loqui de retributione mercedis, quæ tam animo, quam corpori publice

L. de bon. mort. c. 10.

blice coram toto mundo danda eſt. Illa enim proprie dicitur *corona*, quæ datur victoribus publice, & cum celebritate. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit. Nam inprimis cum Ambroſius ſimpliciter neget *coronam, palmam, gloriam* ante illam diem dari, dilutum eſt, ac frigidum has voces ſic interpretari, ut eam tantum *gloriam*, *coronamque* ſignificent, quæ illa die dabitur. Quis enim tam ineptus eſt, ut dicat *gloriam*, quæ *illa die dabitur*, non *ante illam diem* datum iri? Certe illa lux, atque claritas, qua jam nunc fulgent piorum in cœlo animæ, *corona*, ac *gloria* & eſt, & dicitur. Eam ergo, cœlumque adeo ipſum, non ante judicii diem fidelium animabus concedere videtur Ambroſius; quos *coronam*, & *gloriam* ad id tempus exſpectare ſimpliciter dicit. Præterea dum impiorum pœnam, atque injuriam toto hoc temporis ſpatio, quod ante judicium fluet, mox deſcribit, ait eorum animas videre ſervantibus legem Dei repoſitam eſſe mercedem gloriæ, *& conſervari earum ab Angelis habitacula.* Atqui de cœlo nemo (credo) dixerit id *ab Angelis conſervari*, quod ipſius Dei gloria, ac præſens majeſtas tuetur ab omni vi, atque injuria. Vt mittam difficile eſſe explicatu, qui impii, quos in inferis eſſe nemo dubitat, angelicam illam cœli conſervationem videant. Omnino videtur ſtatuere piarum animarum habitacula alia eſſe, quam cœlum; *ſinum* videlicet *Abrahæ*, aut certe *paradiſum*; talem utrumque, qualis à veteribus plæriſque deſcribitur, id eſt *ſubcœleſtis.* Sed omnem pertinaciam expugnat ea, quæ ſubjicitur ſtatus piarum animarum in illis receptaculis deſcriptio; *Iuſtarum* (inquit) *animarum per ordines quoſdam digeſta lætitia. Primum quod vicerint carnem, nec ejus illecebris inflexæ ſint. Deinde quod pretio ſedulitatis, & innocentiæ ſuæ ſecuritate potientur, nec quibuſdam ſicut impiorum animæ, erroribus, & perturbationibus implicentur; atque vitiorum ſuorum memoria torqueantur, & exagitentur quibuſdam curarum æſtibus. Tertio quod ſervatæ à ſe legis divino teſtimonio fulciantur, ut factorum ſuorum incertum ſupremo judicio non vereantur eventum. Quarto, quia incipiunt intelligere requiem ſuam, & futuram ſui gloriam prævidere; eaque ſe conſolatione mulcentes in habitaculis ſuis cum magna tranquillitate requieſcunt ſtipatæ præſidiis Angelorum.* Hæc certe non eorum ſunt, qui Deum in cœlo vident, & ex ipſo fonte beatitudinem potant. Pergit Ambroſius; *Quintus autem ordo exultationis uberrimæ habet ſuavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem, libertatemque pervenerint, & repromiſſam ſibi poſſideant hæreditatem.* Hoc autem nomine promiſſam piis defunctorum ſpiritibus quietem intelligit, hæreditatis eorum partem. *Eſt enim* (inquit) *ordo quietis, ſicut eſt & reſurrectionis.* Sicut enim in Adam Ibid. c. 11.

omnes moriuntur; ita & in Chriſto (inquit) omnes vivificabuntur. Vnuſquiſque autem in ordine ſuo. Primitiæ Chriſtus; deinde qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt. deinde finis. *Erit igitur ordo diverſus claritatis, & gloriæ; ſicut erit ordo meritorum. Proceſſus quoque ordinum proceſſus erit claritatis. Denique ſexto ordine demonſtrabitur iis, quod vultus earum, ſicut Sol, incipiat refulgere, & ſtellarum luminibus comparari, qui tamen fulgor earum corruptelam ſentire non poſſit. Septimus vero ordo is erit, ut exſultent cum fiducia, & ſine ulla cunctatione confidant, & ſine trepidatione lætentur, feſtinantes vultum ejus videre* (ergo ne tum quidem adhuc viderant) *cui ſedulæ ſervitutis obſequia detulerunt; de quo innoxiæ conſcientiæ recordatione præſumant glorioſam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, cognoverint indignas eſſe hujus temporis paſſiones, quibus remunerationis æternæ gloria tanta refertur.* Atque hęc Ambroſius. Iam hæc ipſa animarum progreſſio per ſeptem diverſos ordines ad ſummum proficientium, à cœlo aliena eſt, in quo quicumque ſunt, *conſummati ſunt.* Tum ipſum illud Ambroſii ſilentium, qui tam operoſe deſcribens omnes lætitiæ gradus, qua juſtorum animæ ante reſurrectionem fruuntur, nihil de Dei, Chriſtique intuitu, cælique claritate dixit, ſatis arguit quas memorat animas extra cœlum adhuc fuiſſe. Illud denique quod ait in ultimo ordine poſitas *feſtinare Dei vultum videre*, clariſſime conficit ne tum quidem eas divinum illum *vultum videre*, quamdiu in eo ordine, qui tamen ſummus eſt, ſtant, nedum ut in ſex anterioribus viderint.

Id. de Ab. & Cain. l. 2. c. 2. extr. T. 4.

Iam quæ idem alibi ait, *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambiguo ſuſpenditur*; fruſtra Bellarminus ſic diluit, quaſi non aliud Ambroſius ſignificet, niſi hoc unum, *animas, etiam beatas, non ſcire quando judicium ſit* futurum. Hæc enim dubitatio in cœlo cum Deo verſantibus nihil affert moleſtiæ. Animabus autem grave & moleſtum eſſe illud ambiguum, quo ſuſpenduntur, tum ex his ipſis verbis patet, tum ex iis, quæ præcedunt, & ſequuntur. Præcedunt autem iſta; *Gubernator cum in portus navim duxerit, vix finem impoſitum labori putat, & ſtatim quærit laboris exordium. Solvitur corpore anima,* &c. Vnde liquet novum *animæ laborem* eſſe, quod hujus vitæ labore ſoluta *judicii ambiguo* ſuſpenditur. Quo etiam pertinet, quod iis, quæ deſcripſimus, ſubjicit; *Ita finis nullus, ubi finis putatur.* Significat nimirum ne in morte quidem finiri noſtras curas; quod poſt eam ſuperſit illud futuri *judicii ambiguum.* Neque mirum videri debet, quod Ambroſius dixerit aliquam eſſe animarum de futuri judicii eventu ſollicitudinem. Etiam longius progreditur Nyſſenus, eorum-

dem

dem temporum Theologus ; qui poſtquam cœleſtem Chriſti ad judicium venientis pompam deſcripſit, in medio ſtare facit omnem hominum naturam, qui à prima creatione uſque ad rerum univerſarum conſumationem nati fuerint, φόβῳ τε καὶ ἐλπίδι τῶν μελλόντων μετέωρον τῇ ἐφ' ἑκάτερα τῶν προσδοκωμένων ἐκβάσει κραδαινομένην πολλάκις. καὶ τῶν ἀγαθῶν συνειδήσει συνεζηκότων ἀπιστούντων τῷ μέλλοντι. *Tum metu, tum ſpe futurorum ſuſpenſam, atque ſollicitam, in utramque partem eventus expectatione ſæpe trementem, atque etiam iis, qui cum bona conſcientia vixerint, futurum rei eventum ſuſpectum habentibus* ; vel ut ſimpliciter habent græca, *futuro diffidentibus*. Hic certe Bellarminiana de judicii tempore cavillatio locum non habet ; cum Nyſſenus in ipſo quoque judicio hominum, etiam optimorum animas, illa dubitatione ſuſpenſum iri dicat. Sed & ipſe etiam alibi hanc fuiſſe teſtatur communem, ac fere publicam opinionem εἰς ᾅδην, καθάπερ δοχεῖον, ἐνθένδε τὰς ψυχὰς μετανίστασθαι *in infernum tamquam in quoddam receptaculum, hinc tranſmigrare animas*. Ac tametſi ipſe quidem paulo ſubtilius hoc accipiat, quaſi animas εἰς ᾅδην *in infernum ire*, vel *recipi* nihil aliud ſignificet, præter *quamdam in id quod obſcurum eſt, & non videtur tranſitionem* ; poſteaque dicat εἰκὸς ᾅδην μὴ τόπον τινὰ οὕτως ὀνομαζόμενον οἴεσθαι, ἀλλά τινα κατάστασιν ζωῆς ἀειδῆ καὶ ἀσώματον, ἣν τὴν ψυχὴν ἐμβιοτεύειν παρὰ τῆς γραφῆς ἐκδιδασκόμεθα, *infernum, non locum, qui ſic nominetur, eſſe putandum, ſed quemdam vitæ ſtatum incorporeum, qui videri non poſſit, in quo animam vitam degere à ſcriptura docemur* ; non diſſimulat tamen alios aliter intelligere, τὸ ὑποχθόνιον χῶρον οἴονταί τινες οὕτω λέγεσθαι, καὶ ἐν αὐτῷ κἀκείνων τὰς ψυχὰς πανδοχεύειν. καθάπερ τι χώρημα τῆς τοιαύτης φύσεως δεκτικόν, τὰς ἀποπτάσας ἤδη τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς πρὸς ἑαυτὸν ἐφελκόμενον. *Subterraneum locum alii ita dici exiſtimant, atque illum in ſe ſe animas, quaſi hoſpitio accipere ; tamquam receptaculum quoddam ad recipiendam ejuſmodi naturam aptum, & idoneas, quod eas, quæ jam ex humana vita evolaverint, ad ſe attrahat.* Ipſe autem paulò poſt profitetur ſe iſtam de animarum loco quæſtionem in medio relinquere ; modo de ejus poſt hominis obitum vita, atque immortalitate conſtet. Cæterum apud hunc, ut apud Ambroſium, de quo jam monuimus, alia etiam occurrunt, vero propiora ; qualia ſunt quæ Bellarminus laudavit, quæque nos una cum cæteris eo pertinentibus alibi opportunius commemorabimus. Iſti ſcilicet homines erant ; quibus interdum accidit, diverſe pro locis, ac temporibus, & rerum, quas tractant, argumentis loqui.

Orat. 5. de beat. T. 1. p. 809. B.

l. de an. & reſurr. p. 209. d. T. 3.

Ibid. 210. d. 211. a

CAPUT V.

Idem quoque de animæ piæ ſtatu ſenſiſſe Prudentium, & (licet multum, ſed nequicquam reclamante Bellarmino) ipſum etiam Chryſoſtomum, & Hieronymum.

Atque idem dictum velim de Prudentio, Chryſoſtomo, Hieronymo, qui tametſi Ambroſio juniores, ejus tamen propemodum æquales fuere. Nam & horum nonnihil diverſi, atque inter ſe pugnantes inveniuntur de ſtatu animæ ſermones.

hym. pro exeq. defunct. Prudentius quidem alicubi ſic canit:

Gremio ſenis abdita ſancti
fo:te * ubi *Recubabit*, ut * *eſt Eleazar*
Quem floribus undique ſeptum
Dives procul aſpicit ardens.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradiſi.
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.

Bellarminus reſpondet eum loqui figurate; *paradiſique* nomine regnum cœleſte intelligere. Nos beaſſet, ſi explicaſſet quod qualeque ſit illud figuræ genus, quo cœlum *nemus* eſſe dicitur ab *angue* nobis *ademptum*; quæ tam clarum eſt Edenis hortum ſignificare, quam meridie lucere.

Chryſoſtomus illam itidem vetuſtiorum de animæ extra cœlum ſtatu opinionem paſſim ſequitur. Nam cum vulgi errorem de impiarum animarum in dæmones mutatione confutaſſet, animaſque hîc poſt mortem in ſepulcris, ac ſimilibus locis minime verſari ex Scriptura *hom. 29. in Matth. T. 1. in n. 6. p. 345. b* probaſſet, ſic concludit; ὅθεν δῆλον, ὅτι μετὰ τὴν ἐνθένδε ἀποδημίαν εἰς χῶρόν τινα ἀπάγονται αἱ ψυχαί. οὐκέτι κυρίαι οὖσαι ἐπανελθεῖν, ἀλλὰ τὴν φοβερὰν ἐκείνην ἡμέραν ἀναμένουσαι. *Quo loco illud aperte patet, quod poſt exitum ex hoc loco id eſt à corpore in regionem quamdam certam animæ deducuntur; unde redire ſponte ſua non poſſunt, ſed terribilem illum judicii diem ibi expectant.*

hom. 2. de Laz. T. 5. p. 35. a. b Alibi dum verſatur in eodem argumento; οὐκ ἐκ τῶν εἰρημένων ᾗ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς προκειμένης παραβολῆς (de Lazaro, & epulone) εὔδηλον, ὅτι τοῦ σώματος αἱ ψυχαὶ ἐξελθοῦσαι, οὐκέτι ἐνταῦθα διατρίβουσιν, ἀλλ' εὐθέως ἀπάγονται. *Non ſolum ex his quæ dicta ſunt, ſed etiam ex propoſita parabola liquet, quod animæ corpore egreſſæ non amplius hîc commorantur, ſed protinus abducuntur*; nimirum εἰς ᾅδην; piorum quidem

in-

in Abrahæ ſinum; cæterorum *in Tartarum*; quod præſcribit parabola.

Sed his diſertius eſt hoc ejuſdem in alio opere teſtimonium; Κἂν μένῃ ἡ ψυχὴ, (inquit) κἂν μυριάκις ἀθάνατος ᾖ, ὥσπερ οὖν καί ἐστι, τῆς σαρκὸς Hom. 39. in 1. ad cor. T. 5. ex T. p. 435. b.
χωρὶς οὐκ ἀπολήψεται τὰ ἀπόρρητα ἀγαθὰ ἐκεῖνα, ὥσπερ οὖν οὐδὲ κολασθήσεται. *Etiamſi maneat anima, etiamſi vel millies ſit immortalis, ut ſane eſt, tamen ſine carne non accipiet ineffabilia illa bona, quemadmodum neque punietur.* Tum; εἰ οὐκ ἀνίσταται τὸ σῶμα, ἀστεφάνωτος ἡ ψυχὴ μένει ἔξω τῆς Ibid. c.
μακαριότητος ἐκείνης τῆς ἐν οὐρανοῖς. *Si corpus non reſurgit* (id eſt quamdiu non reſurgit) *anima incoronata manet, extra beatitudinem illam, quæ in cœlis eſt.* Neque quicquam valet Bellarmini cavillatiuncula, hæc ſic L. 1. de ſanct. beatit. c. 4. §. Quare ad id.
accipientis, quaſi ſimpliciter ac in genere doceat Chryſoſtomus, non fruituram bonis ullis cœleſtibus animam, ſi caro aliquando non reſurgat; quia cum tam animus, quam caro laboraverint, par eſt ut utraque pars ſuam mercedem habeat. Chryſoſtomus enim aliud vult, liquidoque pronunciat, quod ἡ ψυχὴ σαρκὸς χωρὶς οὐκ ἀπολήψεται τὰ ἀπόρρητα ἀγαθὰ, *anima ſine carne minime accipiet bona illa ineffabilia*; id eſt ut ipſe mox explicat, τὴν μακαριότητα τὴν ἐν οὐρανοῖς, *beatitudinem, quæ eſt in cœlis.*

Sed ut omne Bellarmino præcludatur effugium, proferendus eſt alius Chryſoſtomi locus, ubi diſputat contra Manichæos corporis reſurrectionem negantes, & ſingulis ſtatim ab obitu omnem retributionem repræſentari contendentes, ut nulla poſt hanc ſit expectanda. Cum autem illi, ut hoc probarent, Chriſti ad latronem verba objectarent, *Hodie mecum eris in paradiſo*, ille duobus modis reſpondet; prio- Serm. 7. in gen. T. 2. p. 765. a.
ri quidem ſic, ut concedat latronem eo ipſo die *in paradiſum* inductum; neget autem eo expunctam fuiſſe Domini ad ſuos promiſſionem; μὴ γὰρ (inquit) ταῦτά ἐστι τὰ ἀγαθὰ, ἅπερ ὁ Θεὸς ἡμῖν ἐπαγγέλλεται; Ib. p. 766. a.
Num enim hæc illa ſunt bona, quæ Deus pollicetur? Tum non eſſe probat 1. Cor. 2. 9.
ex Paulo, qui bona nobis à Deo parata & promiſſa hujuſmodi eſſe docet, *quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non aſcenderunt*; τὸν γὰρ παράδεισον (inquit) καὶ ὀφθαλμὸς εἶδε τοῦ Ἀδὰμ, καὶ οὖς ἤκουσε, καὶ καρδία ἀνθρώπου ἐδέξατο. *Atqui paradiſum, & oculus vidit Adam, & auris audivit, & cor hominis excepit.* Deinde concludit; πῶς οὖν ἀπέλαβε τὰ ἀγαθὰ ὁ λῃστής; οὐ γὰρ εἰς παράδεισον ἐπαγγέλλεται εἰσάγειν ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν. οὐδὲ βασιλείαν παραδείσου, ἀλλὰ βασιλείαν οὐρανῶν ἐκήρυξεν. *Quomodo igitur bona latro accepit? Non enim ſe in paradiſum nos introducturum promiſit Deus, ſed in ipſum cœlum; neque regnum paradiſi, ſed regnum cœlorum prædicavit.* Et paulo poſt; εἰ τοίνυν βασιλείαν οὐρανῶν ἐπηγ-

Ibid. p. 767. a. γείλατο, εἰς παράδεισον δὲ εἰσήγαγε τὸν λῃστὴν, οὐδέπω ἀπέδωκεν αὐτῷ τὰ ἀγαθά.
*Si igitur regnum cœlorum promiſit, in paradiſum autem introduxit latro-
nem, nondum illi bona retribuit.* Ergo *paradiſus* Chryſoſtomo aliud,
quam *cœlum*; in quem cum ex eodem & latro moriens inductus fue-
rit, noſtraque omnium eadem, quæ illius, ſors poſt mortem futura
ſit, conſequens eſt, ut neque illum, neque nos in cœlum è corpore
migrantes admitti putaverit. Secundo ſic reſpondet, ut concedat qui-
dem *paradiſi* nomine regnum cœlorum metaphorice ſignificari; neget
autem latronem ideo dici eo ipſo die futurum in *paradiſo*, quod re ve-
ra illuc eo ipſo die tranſlatus fuerit, ſed quod eo certiſſime aliquando
ſit ingreſſurus; eamque phraſin pluribus exemplis ſtatuere, ac illuſtra-
Joa. 3. 18. & 5. 28. re ſtudet; primo hoc, quod Chriſtus eum, *qui in ſe non credit*, ait
jam eſſe judicatum; & qui credit jam tranſiviſſe à morte ad vitam; quod
ſcilicet tam illius condemnatio, quam hujus vita & ſalus certa ſit.
Ibid. d. ὥσπερ οὖν ἐκεῖνος κέκριται (inquit) μηδέπω κρινόμενος, κἀκεῖνος μετα-
βέβηκεν εἰς τὴν ζωὴν, μηδέπω μεταβὰς, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀπὸ τοῦ κατορθώ-
ματος, καὶ πρὸς τοῦτον ἀπὸ τοῦ ἁμαρτήματος, ὡς γεγενημένων ἤδη πραγ-
μάτων οὔπω γεγενημένων διαλέγεται. οὕτω καὶ πρὸς τὸν λῃστὴν ἔλεγε. καὶ γὰρ
ἰατροὶ ἐπειδὰν ἴδωσι τινα ἀπεγνωσμένον, λέγουσι ὅτι ἤδη τέθνηκε, καὶ νεκρός
ἐστι, καίτοιγε ἔτι ἐμπνέοντα βλέποντες. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐκεῖνος ἐπειδὴ ἐλπίδα
σωτηρίας οὐκ ἔχει, τέθνηκε παρὰ τοῖς ἰατροῖς, οὕτω καὶ ὁ λῃστὴς, ἐπειδὴ
προσδοκίαν οὐκ ἔτι εἶχεν ὑποστροφῆς εἰς ἀπώλειαν, εἰσελήλυθεν εἰς τὸν οὐρα-
νόν. *Vt igitur unus judicatus eſt, cum nondum fuerit judicatus; alter quo-
que tranſivit ad vitam, cum nondum tranſierit; & tam ad unum ob bonum
opus, quam ad alterum ob peccatum, quaſi jam res acciderint, cum non-
dum acciderint, verba facit; ſic & ad latronem dicebat. Nam & medici poſt-
quam aliquem deſperatum vident, eum periiſſe jam, & mortuum eſſe dicunt,
tametſi ſpirantem adhuc intuentur. Sed ut ille, quoniam nulla ſupereſt ſa-
lutis ſpes apud medicos jam mortuus eſt; ſic etiam latro, quoniam pericu-
lum omne reverſionis ad perditionem jam evaſerat, in cœlum intravit.* Qui-
bus addit illud è Geneſi, *Qua die ederitis ex eo, morte moriemini*; cum
tamen Adam nongentos & plures poſt illum eſum annos vixerit; πῶς
Ibid. p. 768. a. οὖν ἔλεγεν ὁ θεὸς, ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἀποθανεῖσθε, τῇ ἀποφάσει, οὐ τῇ πείρᾳ,
οὕτω καὶ ὁ λῃστὴς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οὐρανόν. *Quomodo igitur dixit Deus, illa ip-
ſa die moriemini? Sententia, non experientia. Sic etiam Latro in cœlum in-
greſſus eſt.* Ex his clarum eſt, quæ Chryſoſtomi fuerit de hac quæſtio-
L. 1. de ſanct. beat. c. 3. §. Euthymius. §. Iam vero. ne ſententia; Et quidem ne id non agnoſcat Bellarminus, utraque hæc
ejus reſponſio eadem Græcorum eſt recentiorum ad locum Lucæ, *Ho-
die mecum eris in paradiſo*, quam ipſe partim ex Theophylacto partim
ex

ex Euthymio deſcriptam ſupra in hoc eodem opere confutavit. Atque ex hac Chryſoſtomi doctrina patet, quæ contra illam ejus opinionem de animarum extra cœlos ſtatu ex aliis, ejuſdem operibus afferuntur, ea fortaſſe non abſurde ſic exponi poſſe, ut de rei non eventu, ſed certitudine, ac ut ipſe ait, περὶ τῆς ȣ πείρας ἀλλ' ἀποφάσεως, ſumantur. Sed quod arduum ſit omnia ſic explicare, malim equidem ea in meliorem partem accipere, tamquam totidem veritatis teſtimonia, quæ ab eo, non tam ipſius ſenſus (aliud enim, ut ex his liquet, ſentiebat) quam ipſa rerum vis, Scripturarumque lux expreſſit.

Hieronymi eadem eſt ratio; apud quem & ipſum occurrunt veteris, tumque vulgaris opinionis non veſtigia tantum, ſed documenta clariſſima, quale illud eſt quod Commentariis in Oſeam, ſane diſertiſſimum, legitur; *Inter mortem, & inferos hoc intereſt.* (inquit) *Mors eſt, qua anima ſeparatur à corpore. Infernus locus eſt, in quo animæ recluduntur, ſive in refrigerio, ſive in pœnis pro qualitate meritorum.* Comm. 3. in ce T.6.p.23.f.

CAPUT VI.

Fuſe contra Bellarm. demonſtratur eandem quoque perpetuo fuiſſe Auguſtini de animarum piarum extra corpus ſtatu ſententiam. Claudianum Vienn. Aretham Cæſarienſem, Moſen Bar Cepha; alios paria quoque ſenſiſſe.

IN Auguſtino vero multo etiam tenacius hæſit hæc veterum deliratio dicam, an perſuaſio. Scilicet virum ſuopte ingenio timidum, ac verecundum tenebat magnum auctorum nomen, conſenſuſque pæne publici reverentia; quæ illi peccandi non ſemel cauſſa fuit. Sed quæcumque fuerit cauſſa, illud quidem certe conſtat, (quicquid Bellarminus obſtrepat) optimum alioqui, ac numquam ſatis laudatum ſcriptorem perpetuo ſic ſenſiſſe. Iam ſupra exhibuimus hunc ex Enchiridio locum diſertiſſimum. *Tempus, quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet.* Idem docet in opere de Civitate Dei; *Pars* (inquit) *civitatis Dei, quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, ſecretis animarum receptaculis, ſedibuſque quieſcit.* Has autem *ſecretas piarum animarum ſedes* alibi profitetur *ſinum* eſſe *Abrahami*, cum de quovis homine mortuo loquens, *Aut* (inquit) *in ſinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ modicum deſiderat.* Quem locum ſic in alio

Enchir. ad Laur. c. 109. T. 3.

L.12. c. 9. T. 5.

Tract. 10. in ep. Joan. T. 9.

alio opere περιφραστικῶς deſignat; *Poſt vitam* (inquit) *iſtam nondum eris, ubi erunt Sancti quibus dicetur*, Venite benedicti patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. *Nondum ibi eris. Quis neſcit? Sed jam poteris ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus in mediis tormentis vidit longe requieſcentem. In illa requie certe ſecurus expectabis judicii diem.* Hæc Auguſtinus; negans fideles ante judicii diem in cœlo fore; affirmans fore *in Abrahæ ſinu*; & illud quidem non ſimpliciter negans, ſed velut rem omnibus notam, quam ſcilicet nemo in Eccleſia vel ignoret, vel in dubium revocet. *Nondum ibi eris. Quis neſcit?* Vnde, (niſi ſponte cæcutiamus) clariſſime perſpicimus illam tum fuiſſe, non Auguſtini tantum, ſed omnium vulgo Chriſtianorum ſententiam. Neque vero audiendus Bellarminus, qui in apertiſſimam veritatem de more recalcitrans, *abdita* illa, vel *ſecreta animarum receptacula* vult eſſe *Patris in cœlo ſecretum*; quo quidem ſomnio nihil illi venire in mentem potuit ineptius. Primum enim quo loco *abdita illa receptacula* nominat Auguſtinus de omnibus in genere animabus loquitur, quas toto tempore, quod à ſingulorum morte ad reſurrectionem intercedet, vult iſtis *receptaculis contineri*. Itaque aut iſta *receptacula* aliud ſunt, quam *Patris in cœlo ſecretum*; aut certe Bellarminus tueri debet cœlo ad reſurrectionem uſque contineri non ſanctorum tantum, ſed etiam & *purgatorianorum* & damnatorum animas. Cum vero Auguſtinus in altero loco *ſecreta piarum animarum receptacula*, *ſecretaſque ſedes* dixit, ſi cœlum habuit in animo, cur non nominavit? Quid opus fuit ſtultiſſima illa periphraſi, ut *ſecreta receptacula* diceret, cum cœlum, rem omnium, quæ in orbe ſunt, apertiſſimam, ac notiſſimam intelligi vellet? Profecto nemo eſt adeo ſtultus, qui ut Angelos Deum jugiter *in cœlis* laudare ſignificet, dicat eos dies nocteſque *in ſecretis receptaculis*, ſedibuſque Deum laudare; vel *omne ævum Angelos in abditis receptaculis continere*; vel denique *Chriſtum fideles ſuos glorioſiſſima virtute è mortuis olim reſuſcitatos in abdita, & ſecreta receptacula inducturum.* Siquis ſic loquatur, nemo erit audientium uſque adeo ſeverus, qui riſum teneat. Iam ſi quis ex iſto Bellarmini grege, cui *locus inviſibilis* cœlum eſt, *cui abdita, ſecretaque receptacula* pariter cœli ſunt, ſiquis inquam ex ejus confectaneis pro concione apud plebem prædicet *Chriſtum Dominum ſuos ultima die de monumentis in vitam eductos in locum inviſibilem, abditaque, & ſecreta receptacula inducturum*; quis dubitat, quin tam terrifica eloquentia miſeros auditores omnes conturbatura ſit; ac ſi novum, etiam poſt reſurrectionem, *purgatorium*, vel certe novum limbum, minetur?

L.1. de Sanct. beat. c. 5. §. Rurſum.

tur? Sed mittamus verba. Rem ipſam putemus. Auguſtinus credo, melius novit, quam Bellarminus, quis ille ſit locus, quo ipſe piorum animas poſt mortem concedere exiſtimavit. Atqui dicit eas *in ſinu Abrahæ gaudere*; negat eſſe, ubi poſt reſurrectionem erimus; ait ibi eſſe, *ubi quieſcentem Lazarum de tormentis vidit epulo.* Quid clarius? Huc & illud poſtremo accedit, quod cum omnem Eccleſiam, vel *in terris mortalem vitam agitare*, vel *in ſecretis illis ſedibus quieſcere* dixerit; ſi cœli ſunt *ſecretæ* illæ ſedes (quod ſomniat Bellarminus) neceſſario confitendum erit *inviſibiles purgatorii* incolas, vel nullam eſſe Eccleſiæ partem, vel certe apud cœlum in *Patris ſecreto* ſcilicet uſtulari, ac in *igne* ibi *quieſcere.* Sed audi hominis aſtutiam. *Auguſtinus* (inquit) *aliquando dubitavit de loco, ubi ſint animæ fidelium; ſed tamen poſtea*, inquit *re diligenter conſiderata, id aſſeruit quod nos aſſerimus.* Hæc dicit tanta confidentia, ut nemo ſit, qui iſta audiens non eum putet certam ex veris rei geſtæ hiſtoriam narrare. Atqui iſte ſua nobis ſomnia, non ullas hiſtorias narrat. De hac enim Auguſtini dubitatione, conſideratione, retractatione, mutatione non ipſe Auguſtinus, non ullus veterum vel unum verbum fecit. Omnia ex uno Bellarmini cerebro prodiere; qui veteres dubitaſſe, ſententias mutaſſe, atque retractaſſe, quoties id ipſi expedit, tam facile fingit, atque comminiſcitur, quam ſuas Pœtæ fabulas. Sed locum tamen ex Auguſtino adfert, ex quo ſomnium ſuum aſtruere ſe poſſe ſperat; *Nunc* (inquit ille in Confeſſionibus) *vivit Nebridius in ſinu Abrahæ; quicquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu. Ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine, adoptivus ex liberto factus. Ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus. Ibi vivit. Unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum, jam non ponit aurem ad eos meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua, ſine fine fœlix. Ecce* (inquit Bellarminus) *hic aſſerit viſionem, & fruitionem; & tamen ambigit de loco.* Imo inquam, neque *de loco ambigit.* Affirmat enim Nebridium eſſe *in ſinu Abrahæ*; in eodem illo ſinu, in quo unumquemque fidelem poſt hanc vitam futurum dixerat in pſalmi 36. enarratione. *Ambigit*, fateor, quid *illo ſinu ſignificetur*; id eſt, quod ſit rei ipſius ingenium, quæ natura, & conditio. An *ſinus* ille *in cœlo* ſit, neque hic, neque alibi dubitat. Conſtanter negat *in cœlo* eſſe; neque negat ipſe tantum, ſed &, quod nuper obſervavimus, omnes vulgo Chriſtianos id ſecum negare docet; *Poſt vitam iſtam nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti* &c. id eſt *in cœlo. Nondum ibi eris. Quis neſcit?* Stulte hoc rogat, ſi tum Chriſtiani paſſim credebant fidelium animas

Vt. ſupr. 5. jam pro.

L. 9. c. 3 T. 1.

poſt hanc vitam in cœlum ſtatim admitti. Itaque de hujus *ſinus* natura dubitavit; imo qualis ea ſit, neſcire ſe ſatis aperte teſtatur. Cæterum id, quicquid eſt, & animarum fidelium poſt mortem receptaculum, eſſe, & infra cœlum eſſe, certo definit; neque de his duobus umquam vel leviter dubitaſſe deprehenditur. Quod vero ait Nebridium in illo Abrahæ ſinu *ſpirituale os ad fontem Dei ponere*, *& bibere quantum poteſt ſapientiam pro aviditate ſua*, id inquam minime efficit, Nebridium in

Bell. ub. ſupr. ſ. jam pro.

cœlo fuiſſe; neque ſane à Bellarmino urgetur. Merito; cum ipſe fateatur *numquam dubitaſſe Auguſtinum de viſione & beatitudine animarum*, ne tum quidem cum de earum loco (ex Bellarmini ſcilicet ſomnio) dubitavit. Ex quo videre eſt, Auguſtinum eas animas in cœlo non continuo collocaſſe, quas Dei viſione frui dixit. Sed de his mox plura.

Sed ecce loca duo affert adverſarius, in quibus contendit Auguſtinum priorem illam ſuam opinionem de *ſinus* Abrahamici extra cœlum ſitu retractaſſe, ac ſine ulla dubitatione affirmaſſe *ſinum* illum eſſe *in cœlis*. Quæ ſi vera ſunt, mirum eſt, quod Auguſtinus nihil hujuſmodi in Retractationum ſuarum libris profeſſus ſit. Sed videamus tamen, qualia ſint iſta, quæ à Bellarmino allata ſunt. Prior locus hic

Quæſt. evang. l. 2. q. 38.

eſt; *Sinus Abrahæ* (inquit) *requies eſt beatorum pauperum*, *quorum eſt regnum cœlorum*, *in quo* (ſcilicet ſinu) *poſt hanc vitam recipiuntur*. Mirabilis ſane retractatio, in qua id ipſum ponit, quod retractaſſe fingitur. Nam hæc ipſa verba indicant *ſinum* illum Auguſtino locum eſſe à *regno cœlorum* diverſum. Si enim eumdem putaſſet, rotunde dixiſſet *ſinum illum eſſe regnum cœlorum*, *in quo poſt hanc vitam beati pauperes recipiuntur*. Nunc cum alterum ab altero diſtinguat, & *Abrahæ ſinu* eos poſt hanc vitam recipi dicat, *quorum eſt regnum cœlorum*, aperte ſignificat ſibi aliud eſſe *cœlorum regnum*; aliud *Abrahæ ſinum*. Quod ipſum etiam confirmat, ea quæ ſubjicit, *impios in gehenna videre de longinquo*, *atque ſentire beatorum in illo ſinu requiem*; quod non poteſt conſiſtere, ſi *patris* in cœlo *ſecretum* ſit ille ſinus. Tum paucis interjectis id ipſum, quod vult Bellarminus hic ab eo definitum eſſe, ipſe clariſſime profitetur ſe hoc loco minime definire. Cum enim de iis quædam dixiſſet, qui ob præſtita egentibus miſericordiæ opera ab ipſis, vel potius à Chriſto *in æterna tabernacula* recipientur, *Quamquam illa receptio* (inquit) *utrum ſtatim poſt vitam iſtam fiet*, *an in fine ſæculi in reſurrectione mortuorum*, *atque ultimi retributione judicii*, *non minima quæſtio eſt* (volebant enim Manichæi eam ſtatim poſt hanc vitam fieri, quod ſupra à Chryſoſtomo didicimus) *ſed quando libet fiat* (iſta nimirum receptio)

de

de talibus qualis ille dives inſinuatur, nulla Scriptura fieri pollicetur. Vides ut eam quæſtionem de fidelium in cœlos receptione, ſtatim ne ea fiat, ut volebant Manichæi, an in diem judicii differatur, ut exiſtimabant plærique Catholici; Auguſtinum hic in medio indefinitam relinquere.

Sed videamus ſequentia, quæ Bellarminus in rem ſuam torſit; *Sinus Abrahæ* (inquit Auguſtinus) *intelligitur ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus; quo eum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipſam receptionem, qua in ſecretum patris abſceſſit, Angeli annunciaverunt diſcipulis intuentibus; Dicendo enim,* Quid ſtatis aſpicientes in cœlum, *quid aliud dixerunt niſi nullo modo poſſe oculos hominum uſque in illud penetrare ſecretum, quo ibat Dominus, cum in conſpectu diſcipulorum ferretur in cœlum? Iam cætera ſecundum ſuperiorum expoſitionem accipi poſſunt, quia ſecretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante reſurrectionem juſtorum animæ vivunt cum Deo.* His Auguſtini deſcriptis noſter diſputator, quaſi re bene geſta lætus exclamat; *Quid clarius?* Ego vero me brevi facturum confido, ut ejus in hoc loco vel impoſtura vel certe ignorantia nihil futurum ſit clarius. Vult enim his poſtremis verbis *ſecretum Patris* intelligi eum ipſum locum, in quem Chriſti corpus poſt reſurrectionem diſcipulis inſpectantibus ſubvectum eſt; quaſi etiam piorum animas ibidem cum Chriſto vivere, & verſari ſtatuat Auguſtinus. Atqui plane contra eſt. Quod ut intelligatur, inprimis animadvertendum Auguſtinum in hoc capite Euangelicæ de Lazaro, & epulone parabolæ duas afferre expoſitiones; utramque allegoricam. Prior eſt, ut in *divite* ſuperbi intelligantur Iudæi, *juſtitiam Dei ignorantes, & ſuam conſtituere volentes*: in Lazaro, gentiles, aut publicani, qui tanto magis adjuvantur, quanto minus de ſuarum copia facultatum præſumunt; in *ſinu Abrahæ*, horum poſt mortem requies; in *ſepultura inferni*, profundæ illorum pœnæ, cæteraque parabolæ iſtis duobus hominum generibus accommodentur: ut apud eum legere eſt. Hanc expoſitionem fuſe ſuo more exſecutus, alteram ſubjicit *Aliter etiam* (inquit) *intelligi poteſt iſta narratio; ut Lazarum ſignificare Dominum accipiamus, jacentem ad januam illius divitis, quia ſe ad aures ſuperbiſſimas Iudæorum incarnationis humilitate dejecit*; & cætera. Quod vero Lazarus, moriens in ſinum Abrahæ tranſlatus dicitur, id de *ſecreto Patris*, accipit, quo Chriſtus reſurgens aſſumptus eſt, ut habetur in verbis à Bellarmino deſcriptis. Ac cum eo uſque ſecundum hanc allegoricam parabolæ interpretationem, perduxiſſet, ſubjungit; *Iam cætera ſecundum ſuperiorem expoſitionem accipi poſſunt*; id

id eſt, ut patet, ſecundum illam priorem, quam in ſuperioribus totam pertexuerat;ſic nimirum ut in hac quoque ſecunda expoſitione,itidem ut in illa priore, ſuperbi Iudæi è tormentis perſpecta ſanctorum requie ab Abrahamo ſubſidium primo ſibi, mox ſuis petiverint. Sed quia illud *Patris ſecretum*, in quo Chriſtus corpore verſatur, & ſummam gloriam, qua illic fruitur, Iudæi è tormentis videre, ac ſentire non videntur commode poſſe dici; occurrit Auguſtinus, ac reſpondet, cum locum, in quo ante reſurrectionem quieſcunt piorum animæ, iſti videant, non incommode etiam dici poſſe *ſecretum patris videre*; *quia* (inquit) *ſecretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante reſurrectionem juſtorum animæ vivunt cum Deo*, hoc eſt nihil vetat, quin etiam ille, juſtarum animarum locus *ſecretum Patris* dicatur. Quo clariſſime oſtendit ſe piarum animarum locum alium à cœlo in quo Chriſti corpus eſt, exiſtimare. Nam ſi eum cœlum ipſum eſſe putaviſſet, omnino inepte ac frigide diceret illum locum etiam *ſecretum Patris* bene intelligi. Quod enim ipſum *Patris ſecretum* eſt, quid opus eſt monere *ſecretum patris* bene dici? Iam ſi piarum animarum locum cœlum eſſe putavit Auguſtinus, apparet eum locum ipſiſſimum illud *Patris ſecretum* eſſe, de quo paulo ante dixerat. Omnino ergo ſuperfluum erat & ridiculum eum ſi ita ſenſit, monere illum locum *bene etiam ipſum dici ſecretum patris*. Itaque qui hoc diſerte adjecit Auguſtinus, eum apparet illud *animarum receptaculum*, non de *cœlo*, ſed de aliquo *extra cœlum* loco intellexiſſe. Sed & hoc ipſum multo etiam clarius confirmat ea hujus appellationis ratio, quam ſubjicit; inde ducta, quod in eo loco ſit & Pater, & quadamtenus ipſe etiam Filius, nimirum qua Deus eſt; *Tanto enim verius* (inquit) *ubique eſt Deus, quanto nullo continetur loco, ſicut & latroni dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo, unde numquam receſſit Dei Filius, quamvis ab hominibus per ſuſceptam carnem in civitate Iudæorum tanta pateretur*: quod idem alibi affirmat, ad Euodium ſcribens, dum ait *Chriſtum à juſtis in ſinu Abrahæ quieſcentibus ſecundum beatificam præſentiam ſuæ divinitatis numquam receſſiſſe*; & mox, *eum in paradiſo, atque ſinu Abrahæ fuiſſe beatificante ſapientia*. Atque hinc itidem patet, hæc verba non modo non probare in *cœlo*, eodem quo Chriſti corpus, loco, vivere ex Auguſtini ſententia, piorum ante reſurrectionem animas; quo nihil clarius eſſe putabat Bellarminus; ſed plane contra confirmare eas ex illius mente alibi eſſe, quam ubi Chriſti caro eſt; adeoque extra cœlum eſſe. Evidentiſſime enim diſtinguit locum, in quem Chriſtus ſubvectus eſt, ab eo in quo juſtorum animæ cum Deo vivunt; etiam hunc *ſecretum Patris* ideo *dici*

Ep. 99. T. 2. p. 366. b. c.

dici poſſe affirmans, quod qui Deus ubique eſt, ibi quoque ſit, adeoque & Chriſtus qua Deus eſt. Nam ſi animarum locum *cœlum* eſſe intellexiſſet, quivis videt nihil opus futurum fuiſſe, ut ad hanc rationem confugeret, cum nemo dubitet, quin & Pater, & Chriſti natura, non modo divina, ſed etiam humana, in cœlo verſentur.

Non eſt firmior alter à Bellarmino allatus locus; *Si non abſurde* (inquit Auguſtinus) *credi videtur antiquos, etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret; profecto deinceps boni fideles effuſo illo pretio jam redempti, prorſus inferos neſciunt.* *Clariſſime dicit* (inquit adverſarius) *beatos non eſſe apud inferos, ubi prius erat Lazarus; proinde correxit, quod dixerat in pſalmum* 36. Ego vero fateor, dicere eum beatos jam *inferos neſcire*. Ex eo ſequi, ut eos in cœlo eſſe crediderit, nego. Nimirum iſte *ſinum Abrahæ*, in quem nunc etiam, ſub novo Teſtamento fidelium animas recipi conſtanter docet, non in *ſubterraneis*, ut plærique vulgo, ſed apud *ſuperos*, ut Ambroſius, collocaſſe videtur. Ideo nos *inferos ſcire* negat. Quod apud *inferos* non eſt, id ut in cœlo continuo ſit, mihi quidem non videtur neceſſarium; Nec ſi Bellarminus, dum iſta ſcriberet, apud *inferos* non erat, ex eo ſequi putaverim, ut apud cœlites fuerit. Non magis, quam ut illæ animæ, quas Origenes ipſo narrante Bellarmino, in *diverſis aëris regionibus* verſari volebat, in cœlo ipſo fuerint, eo quod apud *inferos* non erant. Ac ut iſte intelligat, quantopere hallucinatus ſit in hoc argumento, meminerit Auguſtinum etiam piorum ſub veteri Teſtamento mortuorum ſpiritus, etiam ipſius illius Lazari, quem hîc commemorat, animam, alibi ab *inferis* clariſſime ſummovere. Præfatus enim ſe nuſquam in Scripturis *inferos* in bonum uſurpatos repeeriſſe. *Quod ſi nuſquam* (inquit) *in divinis auctoritatibus legitur, non utique ſinus ille Abrahæ, id eſt ſecretæ cujuſdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum eſſe credenda eſt; quamquam in his ipſis tanti Magiſtri verbis, ubi ait dixiſſe Abraham,* Inter vos & nos chaos magnum firmatum eſt, *ſatis, ut opinor, appareat, non eſſe quamdam partem, & quaſi membrum inferorum, tantæ illius fœlicitatis ſinum. Chaos enim magnum, quid eſt niſi quidam hiatus multum ea ſeparans inter quæ non ſolum eſt, verum etiam firmatus eſt?* Alibi idem pariter negat ſe hactenus inveniſſe in Scripturis *inferos appellatos, ubi juſtorum animæ requieſcunt.* Itaque obſervat neque Abrahamum, neque pauperem, *in ſinu* ejus quieſcentem dixiſſe Scripturam *apud inferos fuiſſe; inferorumque mentionem* factam eſſe, non *in requie pauperis, ſed in ſupplicio divitis. Proinde ut dixi*, inquit, *non-dum*

l. 20. de civ. Dei c. 15.

ep. 99. ad evod.

de gen. ad litter. l. 12. c. 33. T. 3.

dum inveni, & adhuc quæro, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono poſuiſſe Scripturam duntaxat canonicam. Non autem in bono accipiendum ſinum Abrahæ, & illam requiem, quo ab Angelis pius pauper ablatus eſt, neſcio utrum quiſquam poſſit audire; & ideo quomodo eum apud inferos credamus eſſe non video. Pæne eadem etiam repetit in epiſtola ad Dardanum. Ex quibus liquet ex iſtius quidem ſententia, neque Abrahamum, neque Lazarum apud *inferos* fuiſſe. Atqui hos in cœlo non fuiſſe ex Auguſtini ſententia, non negat adverſarius. Ergo ex eo quod fideles novi teſtamenti *inferos* poſt mortem neſcire idem ait, peſſime iſte colligit fidelium nunc morientium animas cœlo excipi. Tum Lazarum in *inferno* fuiſſe diſerte negat; Ergo iſte peſſime quoque colligit quod jam piorum ſpiritus *inferos neſciunt*, non eos illuc recipi, ubi erat Lazarus; Denique peſſime atque ineptiſſime idem ex his concludit retractaſſe Auguſtinum in libro de civitate Dei quod olim ſenſerat in pſalmi 36. enarratione. Nam neque illic negat, quod hîc affirmaverat, animas piorum in *Abrahæ ſinu* eſſe ante reſurrectionem; neque viciſſim hîc affirmaverat, quod illic negat, animas piorum eſſe apud *inferos.* Nulla hactenus inter hæc Auguſtini dicta contradictio apparet. In eo tantum parum ſibi conſtare videri poſſit, quod qui, non in illa quidem pſalmi 36. enarratione, quam obtrudit adverſarius, ſed tamen in aliis locis, negaverat *piorum* ſub veteri teſtamento *morientium ſpiritus apud inferos verſatos eſſe*, idem nunc hoc ipſum concedit. Sed ſi rem paulo attentius expendemus, ne hîc quidem ulla reperietur vera contrarietas. Non enim hic ipſe conſtituit ex animi ſui ſententia ſanctorum animas *apud inferos* fuiſſe; ſed id velut ab aliis non abſurde fortaſſe creditum ſupponit; ut loquimur; miſſaque ea de re in præſens diſputatione hoc unum ſtatuit, ſi de veteribus hoc admittatur, nullum certe id apud nos, qui poſt Chriſti mortem vivimus, habere locum. Hanc eſſe veriſſimam ejus mentem, ipſa verba præ ſe ferunt; *Si non abſurde* (inquit) *credi videtur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe* &c. *profecto deinceps boni fideles* &c. *prorſus inferos neſciunt.* Non enim hîc ex inſtituto ea de re diſputat; ſed eam obiter, & aliud agens attingit. Nam cum illum ex Apocalypſi locum explicans, *mors & infernus reddiderunt mortuos ſuos*, obſervaſſet *non fruſtra ſatis fuiſſe Apoſtolo, ut diceret mortem, aut infernum, ſed utrumque dixiſſe; mortem quidem propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non & infernum; infernum autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt;* cum hæc inquam, ſcripſiſſet, nequis etiam bonos *infernum* red-

Marginal notes: ep. 57. T. 2. p. 104. b (beside "mus eſſe non video"); Apoc. 20. (beside "mors & infernus reddiderunt")

redditurum contenderet, objectans omnium hominum animas ad reſurrectionem uſque apud inferos ſequeſtrari; noſter ad tuendam ab hac objectione expoſitionem ſuam, addit, ſiqui ſint Chriſtiani, qui exiſtiment *non abſurde credi* fideles ſub Veteri Teſtamento morientes *ad inferos* deſcendiſſe; hoc certe omnes concedere debere ex quo fuſus Chriſti ſanguis, ejuſque ad ea loca deſcenſus etiam eos, qui ibi detinebantur, inde eruit, nullos deinceps ab iſto tempore fideles apud *inferos* verſari: unde conſequitur Ioannem, qui hîc de die reſurrectionis loquitur, bene & *infernum* & *mortem* diſtinxiſſe, quod *infernus* nullos fideles (utpote jam omnes extra *inferos* indubitate verſantes) tunc temporis *redditurus* ſit. Itaque quod ait Auguſtinus, *Si enim non abſurde credi videtur antiquos etiam ſanctos apud inferos fuiſſe*; id inquam, nequaquam ex ſua ſententia dicit, qui hoc, ut ex aliis ſupra memoratis locis patet, *abſurde* & credi & dici putavit, ſed ex aliorum hypotheſi, qui paſſim hoc docebant; idque ipſe quod hoc minime poſtularet hic locus, refellere in præſentia ſuperſedet; ſatis habens monere, ne hoc quidem ſuppoſito, labefactari ſuam in Ioannis verba obſervationem. Atque hic verus eſt (ut mihi quidem videtur) hujus loci ſenſus; unde apparet nullam eſſe inter hoc, & alia Auguſtini de hoc argumento dicta veram contradictionem. Sed, ut obiter hoc addam, ipſe hic locus luculentum nobis argumentum præbet contra adverſariorum *purgatorium*. Cum enim his Ioannis verbis, *mors & infernus reddiderunt mortuos ſuos*, omnium omnino *mortuorum* reſurrectionem ita contineri velit Auguſtinus, ut *infernus* ſolos malos exhibiturus ſit, non autem ullos fideles; cum *bonos tantummodo mortem perpeti* poſſe dicat, *non autem & infernum*; cum denique diſerte teſtetur bonos fidelium prorſus inferos, jam neſcire; profecto apparet eum nullum *purgatorium* agnoviſſe; nullas in purgatorio fidelium animas; in quo ſi ulli eſſent fideles, ii apud *inferos* eſſent, ut ex adverſariorum placitis conſtat.

Sed venio ad cætera, quæ cum iis pugnare videri poſſunt, quæ ſupra de animarum ſtatu docuit Auguſtinus. Tale eſt inprimis, quod & Martyrum, & cæterorum fidelium animas *cum Chriſto* ad reſurrectionem uſque *regnare* ait; *Quamvis* (inquit) *cum ſuis corporibus nondum, ita tamen eorum animæ regnant cum Chriſto, dum iſti mille anni decurrunt.* de civ. D. l. 20. c. 9 p. 1353. 4
Tum monet ſolas Martyrum animas Ioannem in Apocalypſi commemoraſſe, *quia ipſi* (inquit) *præcipue regnant mortui, qui uſque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti.* Hæc tametſi à Ibid. e

Bellar-

Bellarmino minime prætermiſſa, nullam tamen habent difficultatem. Auguſtinus enim eos *cum Chriſto regnare* intelligit, qui ejus membra ſunt, & in Eccleſiæ Chriſtianæ communione vivunt, ſive in terris, ſive alibi. Itaque ait *ſanctos etiam nunc* (id eſt hoc ipſo tempore, quo in *Ibid. A* terra degunt) *cum Chriſto regnare*; unde nemo (credo) concluſerit fideles ſive ſanctos jam nunc eſſe in cœlis. Atque ibidem cur pii mortui *cum Chriſto regnare* dicantur hanc unam rationem affert; *Neque enim* *Ibid. A* (inquit) *piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti.* Ergo ex eo, quod Auguſtinus pios mortuos *cum Chriſto regnare* dicit, ſequitur quidem eorum animas ex ejus ſententia eſſe in Eccleſia; eſſe in cœlo, non ſequitur.

Neque illud alterum difficilius eſt, quod alibi ait Auguſtinus *ſanctos,* *in pſ. 119. ſ. T. 8. p. 581. c* *& juſtos frui verbo Dei ſine lectione, ſine litteris; & quod nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei cernere.* Nam piorum ſpiritus, licet extra cœlum conſtituat, Dei tamen præſentia, ac viſione ſuo quodam mo- *de ſanct. beat. l. 1. c. 5. 8. lam pro.* do frui docet; fatente ipſo Bellarmino; qui ait eum *aliquando* quidem *dubitaſſe de loco animarum:* (id eſt an eæ ſint in cœlo) nunquam *dubitaſſe de earum beatitudine*, Deique viſione. Unde liquet putaſſe eum, etiam quæ extra cœlum ſunt, Deo Deique viſione frui poſſe. Tum concedunt adverſarii certo ſenſiſſe Auguſtinum piorum ſub veteri Teſtamento animas extra cœlum in *ſinu Abrahæ* fuiſſe. Atqui etiam his *ep. 99 ad euod.* beatificam Dei præſentiam concedit; affirmans *ab iis Chriſtum ſecundum beatificam præſentiam ſuæ divinitatis nunquam receſſiſſe.* Ergo cum has animas & extra cœlum fuiſſe, & Dominum præſentem vidiſſe ſtatuat; omnes ſatis intelligunt, non ex eo quod ſanctos *Dei faciem cernere* dicat, conſequens eſſe, ut eoſdem in cœlo quoque verſari exiſtimaverit.

Denique illum etiam Auguſtini locum attulit adverſarius, in quo ait *de gen. ad litt. l. 12. c. 34. T. 3. p. 285. b* Dominum Chriſtum credenti latroni *præſtitiſſe, non utique inferos, ubi pœnæ ſunt peccatorum, ſed aut requiem ſinus Abrahæ, aut illum paradiſum, ſive in tertio cœlo, ſive ubicumque alibi, quo poſt tertium cœlum eſt raptus Apoſtolus, ſi tamen* (inquit) *non aliquid unum eſt diverſis nominibus appellatum, ubi ſunt animæ beatorum.* Nimirum Bellarminus pro confeſſo ſumit Paulum *in cœlum*, ubi Chriſtus corpore præſens eſt, *raptum fuiſſe*; unde conficit Auguſtinum in eodem illo cœlo beatorum animas collocare; quas ſcilicet ibi eſſe vult, quo *raptus fuit* Paulus. Sed dum ille ſic diſputat miſere vel fallit, vel fallitur. Toto enim illo libro Au- *c. 7. 26. & paſſim.* guſtinus hunc Pauli *raptum* allegorice interpretatur de puriſſima, atque liquidiſſima rerum divinarum perceptione. Tria enim ſtatuit viſionis genera;

genera; *corporalem*, cum corporis ſenſibus aliquid exhibetur; *ſpiritalem*, qua rem per ſui imaginem intuemur, non quidem ab ipſa re, cujus ſimilitudo eſt, profluentem, ſed tamen à nobis ipſis ſpiritaliter effictam.; qualis eſt perſonæ, vel urbis abſentis cogitatio; *intellectualem* denique qua ſine ulla corporis ſimilitudine perſpicua rei veritas cernitur; quæ ille de more verboſiſſime toto illo volumine exſecutus *primum cœlum* accipit *hoc omne corporeum generali nomine, quicquid eſt ſuper aquas, & terram; ſecundum autem in ſimilitudine corporali, quod ſpiritu cernitur; ſicut illud unde animalibus plenus in ecſtaſi Petro diſcus ille ſubmiſſus eſt; tertium vero, quod mente conſpicitur ita ſecreta, & remota, & omnino abrepta à ſenſibus carnis, atque mundata, ut ea, quæ in illo cœlo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam, verbumque Dei per quod facta ſunt omnia, in caritate ſpiritus ſancti ineffabiliter valeat videre, & audire.* Itaque ex eo *rapitur in ſecundum cœlum* qui omnino à *ſenſibus corporis adverſus, amplius quam in ſomno, minus quam in morte*, verſatur in iis viſis, quæ corporalibus ſimilia ſpiritu cernuntur; quale quid & Petro in viſione diſci, & Ioanni in apocalypſi & Prophetis in ecſtaſi accidiſſe vult. *Rapitur* vero *in tertium cœlum*, qui non modo à ſenſibus corporis, ſed & ab ipſis illis ſpiritualibus corporum ſimilitudinibus *raptus, in illam quaſi regionem intellectualium, vel intelligibilium ſubvehitur*; ubi nudam, & liquidam veritatem per ſe ſine ulla ſimilitudine intuetur. Id eſſe putat, quod Paulus ſibi in hac vita contigiſſe ſignificat, cum ait *ſe raptum eſſe in tertium cœlum*, eamque viſionis ſpeciem *paradiſum* etiam dici vult, ſed metaphorice. *Si enim* (inquit) *proprie paradiſus eſt nemoroſus locus, tranſlato autem verbo omnis etiam ſpiritalis quaſi regio, ubi animæ bene eſt, merito paradiſus dici poteſt; non ſolum tertium cœlum; quicquid illud eſt. quod profecto magnum, ſublimiterque præclarum eſt; verum etiam in ipſo homine lætitia quædam bonæ conſcientiæ paradiſus eſt.* Vnde colligit multo magis poſt hanc vitam *ſinum illum Abrahæ paradiſum dici poſſe, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies poſt omnes dolores vitæ hujus.* Atque ex his apparet cum Auguſtinus Pauli *raptum in tertium cœlum*, non localiter, ſed allegorice acceperit pro certo quodam ſublimi, & beato mentis ſtatu, in quem evecta ipſam Dei, futuræque vitæ veritatem ſine umbris, aut corporum ſimilitudinibus cernit; fruſtra & perperam colligi piorum poſt mortem animas localiter in cœlo verſari ex eo, quod ille dixit eas ibi eſſe, quo poſt *tertium cœlum raptus eſt* Apoſtolus, id eſt *in paradiſo.* His enim verbis nihil aliud ſignificat, niſi eas ab omnibus corporis ſenſibus, totoque carnis commercio averſas, & abreptas res divinas clariſſime videre, menteque intueri, non *ſpatiis localibus*, (ut in

c.34.
c.26.
c.28. in. & 34. extr.
c.33.

c.31.extr.

in hoc eodem argumento loquitur) ſed modo quodam ſuo in illam viſionem evectas ; quam unam , & eandem beatiſſimam animarum in Domino quieſcentium conditionem diverſis *paradiſi* , & *ſinus Abrahæ* nominibus appellari obſervat.

vid. Coc. cenſur. p.190.

de ſcript. eccl.in Auguſt.T.9. obſerv.3.

Illa vero , quæ Bellarminus ex Anſelmi Cantuarienſis libro *Meditationum* deſcripſit , *Fœlix anima , quæ terreno reſoluta corpore libera cœlum petit* , &c. illa inquam , prudens omitto. Nam cum ipſe Bellarminus una cum cæteris fere omnibus,illud *Meditationum* opuſculum inter eos libros cenſuerit , quos non aſtruit certo eſſe Auguſtini , quod eos neque Poſſidius in indiculo commemoraverit,neque Beda citaverit; profecto is non abſurde tantum , ſed & plane ridicule ſe gerit , qui nunc ex eo ipſo volumine , quod an Auguſtini vere ſit , ipſe dubitat , quodque 664. ab Auguſtini deceſſu annis primum prodiit quid vere certoque ſenſerit Auguſtinus probare ac demonſtrare aggreditur.

Obſer. ad p.112. libri Tertull. de idol. p. obſer.24.

Concluſum ergo eſto perpetuam , conſtantemque hanc fuiſſe Auguſtini opinionem (quatenus id ex ejus ſcriptis ſciri poteſt) ut exiſtimaverit piorum animas *in ſinu Abrahæ vivere* , ac *quieſcere* ; cœlo non ante carnis reſurrectionem , receptum iri ; idque & Sixtus Senenſis antehac , ut ſupra obſervavimus , & nuper clariſſimus Rigaltius ad Tertullianum annotavit. Paulinus Nolæ Epiſcopus, Auguſtini σύγχρονος , idem quoque ſenſiſſe videtur. Nam etiamſi Martyras , aut inſignes ſanctos , cœlo adſcribere non ſemel videatur , tamen eos etiam ipſos non raro in Abrahæ ſinu vivere ait : verbi gratia cum Clarum alloquens ſic canit.

Ep.12. ad ſever. p.146.

Sive Patrum finibus recubas , Dominive ſub ARA
Conderis , aut ſacro paſceris in nemore ;
Qualibet in regione Poli ſitus , aut Paradiſi,
Clare, ſub æterna pace beatus agis.

Sic etiam alibi , de Celſo puero ante nonum annum rapto,

Carm.35.de Celſo.p.532.

Nam quem ſancta fides, & neſcia criminis ætas,
Et pia mens caſto corpore continuit,
Certa fides illa ſuperum regione potiri
Ignea qua ſanctos protegit Ara Dei.

Ibid.p.533.

Mox ,

Et pignus commune ſuperno in lumine Celſum
Credite vivorum lacte, faviſque frui,
Aut illum gremio exceptum fovet Abramio,
Et blandus digiti rore Eleazar alit :

Aut

Aut cum Bethlæis infantibus in Paradiſo,
Quos malus Herodes perculit invidia,
Inter odoratum ludit nemus, atque coronas
Texit honorandis præmia Martyribus.

Eodem pertinet quod puerum illum *caſtæ incolam terræ* vocat, *eique in* *Ibid.* *æternis viretis lætitiæ & vitæ participem colludere* filiolum ſuum ait, eodem nomine olim Compluti à ſe tumulatum. Sic in eodem poëmate ait ſe Lazari ſqualorem & miſerias epulonis fœlicitati prætuliſſe,

Vt placida (inquit) *triſtem poſt vitam morte ſolutos,* *Ibid. p. 529.*
Mitis ad occurſus Angelus excipiat,
Et Patriarcharum ſinibus deponat ovantes,
Vnde gehenna procul ſævit hiante Chao.

Claudianum quoque Mamerti Viennenſis fratrem, non ignobilem *de ſtat. an. l. 2. bibl. PP. T. 4. p. 648. a* quinti ſæculi ſcriptorem, idem opinatum fuiſſe, itidemque eum, contra quem diſputat, Fauſtum Rhegii in Provincia ſecunda Narbonenſi epiſcopum, ex his ejus ad Fauſtum verbis docemur; *Animas* (nimirum ſanctorum) *in intimus paradiſi ſedibus non uſquequaque improbabili ſententia dicis habitare.*

Ex Græcis Arethas Cæſarienſis in eandem ſententiam hæc ſcribit; *Donec impii* (inquit) *condemnationis ſententia, in quam ſua culpa inciderunt, feriantur, ſancti ſupremæ metropolis habitatione non donabuntur.* *in apoc. bibl. PP. T. 1. p. 1583 d* Supra de iiſdem ſanctis loquens; *Horum* (inquit) *ſpe, quæ per intellectum, velut in ſpeculo contemplantur, omni craſſitie liberati merito lætantur, quieſcentes in ſinibus Abrahæ. Nam id multis Sanctis dictum eſt unumquemque virtutis cultorem ſortitum eſſe dignum locum; unde etiam de futura ſua gloria certam quamdam aſſequatur conjecturam.* *Ibid. in c. 6. pag. 1551. c. d*

Ex Syris Moſes Bar Cepha; *Ex illo* (inquit) *tempore* (poſtquam *l. de parad. p. 1. c. 18. bibl. PP. T. 1.* Adam peccavit) *uſque ad Chriſti adventum verſati ſunt in paradiſo Enoch, atque Helias. At vero poſt Chriſti Regis adventum huic præterea ſervit* (nimirum paradiſus) *ut in ipſo habitent animæ juſtorum, piorumque, atque eorum, qui per corporis ſui cruciatus Chriſti fidem comprobarunt, quique fideles Deum amarunt, exutæ corporibus uſque ad reſurrectionis diem.* Et hic enim, & cæteri plærique *paradiſum* intelligunt, non, ut nos, *cælum*, ſed ipſum illum Edenis hortum, in quo Adam ante peccatum à Deo collocatus fuerat, ut notum eſt.

Sed iſtos quidem, & cæteros ejuſdem generis Theophylactum, Oecumenium, Euthymium, Bernardum, nunc mittamus, qui ſequioribus Chriſtianiſmi ſæculis vixerunt. Neque enim illi inſtituto noſtro inſerviunt: quod jampridem ante eorum tempora *precandi pro mortuis*

 uſus

uſus apud Chriſtianos invaluerat. Satis eſt, quod ex iis, quæ hactenus diſputavimus, conſtat vetuſtiores, à quibus hoc precationum genus ad poſteros manavit, ſic de animarum corpore ſolutarum ſtatu ſenſiſſe, ut eas plærique omnes, maxime antiquiſſimi, exiſtimaverint ante ultimam diem cœlo excludi, certiſque locis interea quieſcere, quæ illi ᾅδου, *inferni*, *ſinus Abrahæ*, & *paradiſi* nominibus ſignificari voluerunt.

CAPUT VII.

Alter fons precum olim apud Chriſtianos pro mortuis fuſarum; nimirum plærorumque vetuſtiſſimorum Patrum de millenario Chriſti in terris regno, diverſaque ſingulorum fidelium per illud ſpatium reſurrectione delirium; atque ita ſenſiſſe Papiam, Iuſtinum, Irenæum, Tertullianum, Ambroſium, Lactantium, Victorinum; alios: Tertius fons precum veterum pro mortuis de ignis noviſſimi luſtratione opinio.

IAm ad alterum veterum de *reſurrectione* commentum veniamus; quod non minus craſſum & abſurdum, quam iſta eſt à nobis nuper explicata de piarum animarum extra cœlum ſtatu deliratio. Putarunt enim plærique, & quidem vetuſtiſſimi, Chriſtum in terras iterum ante judicium deſcenſurum, probatiſſimoſque fideles, & quorum accuratiſſima pietas fuit, è mortuis ſuſcitaturum, ac una cum iis mille annos ante ſupremam mundi diem Hieroſolymis in omni rerum copia maximo cum ſplendore regnaturum; eamque *primam reſurrectionem* vocant alteram univerſalem, poſtquam id temporis in terris actum fuerit, tum demum conſecuturam.

euſ. hiſt. eccl. l. 3. c. 39 in. ibid. Papiam Hierapolitanum, virum Apoſtolicis temporibus proximum, (quem Irenæus Ioannis auditorem, Polycarpi ſodalem vocat) hujus opinionis auctorem fuiſſe Euſebius prodidit.

contr. Tryph. pag. 239. verſ. 47. Iuſtinus ſcriptorum omnium Chriſtianorum, quos certos & indubitatos habemus, antiquiſſimus, eam diſerte docet. ἐγὼ δὲ (inquit) καὶ εἴ τινες εἰσὶν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα, καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ καὶ πλατυνθείσῃ. *Ego autem, & ſiqui rectæ per omnia ſententiæ Chriſtiani ſunt, & carnis reſurrectionem futuram ſcimus, & mille annos in Hieruſalem inſtaurata, & exornata, & dilatata.*
Ib. p. 240. l. 37. Paulo poſt idem, velut ex Ioannis Apocalypſi confirmans, repetit χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ χριστῷ πιστεύσαντας, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν, καὶ συνελόντι φάναι, αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα

μα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν. *Chriſti noſtri fideles annos mille Hieroſolymis peracturos eſſe, ac poſtea univerſalem, ac, (ut ſemel dicam) æternam omnium unanimiter ſimul reſurrectionem, & judicium fore.* Quibus locis obſervandum eſt hanc iſtum opinionem teſtari, non ſuam unius, vel paucorum aliorum eſſe, ſed omnium recte de Chriſtiana religione ſentientium communem. Nam à Gnoſticis, de quibus verba fecerat, ſeque & cæteros vere Chriſtianos diſtinguens, ἐγὼ δὲ (inquit) καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα χριστιανοί. *Ego vero, & ſiqui rectæ ſententiæ per omnia Chriſtiani ſunt* ita ſcilicet ſentimus; quo à Chriſtiano nomine, & ab orthodoxorum cenſu clariſſime excluſit, qui Chiliaſmum non admittebant. Eoque, (ut quod ſentio libere eloquar) vehementer de mendo ſuſpectum habeo, quod paulo ante apud hunc legitur, πολλοὺς δ' αὖ καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης τοῦτο μὴ γνωρίζειν ἐσήμανά σοι. *Multos vero etiam, qui puræ piæque Chriſtianorum ſententiæ ſunt hoc* (intelligit autem Chiliaſtarum dogma) *non agnoſcere tibi ſignificavi.* Hæc enim verba, ſiquidem ita legantur, adverſa fronte cum iis pugnant, quæ ex mox ſequentibus paulo ante deſcripſi, ubi plane contra affirmat omnes id ipſum agnoſcere, qui ſunt ὀρθογνώμονες, καὶ πάντα χριστιανοί. *rectæ ſententiæ, & per omnia Chriſtiani.* Ut de mendacio nihil dicam, quod eadem illa verba manifeſte continere videntur. De hoc enim, quod ſe Tryphoni jam ſignificaſſe dicit, nullum in ſuperioribus verbum fecit. Quo denique & illud accedit, quod quæ hæc continenter ſequuntur verba, difficile eſt videre quomodo cum ipſis cohæreant. Loquuntur enim, non, (quod omnino exigebat talis orationis ſeries,) de aliis Chriſtianis, qui tametſi à Iuſtino hac in parte diſſentirent, eſſent tamen vere Chriſtiani; ſed de Gnoſticis, nefandis hæreticis, Chriſtianorum nomine indigniſſimis; τοὺς γὰρ λεγομένους μὲν χριστιανοὺς, ὄντας δὲ ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς αἱρεσιώτας, ὅτι κατὰ πάντα βλάσφημα καὶ ἄθεα καὶ ἀνόητα διδάσκουσιν, ἐδήλωσά σοι. *Eos enim, qui dicuntur quidem Chriſtiani; ſunt vero athei, & impii hæretici, omnino blaſphema, & impia. & inſana docere tibi declaravi.* His rationibus adducor, ut ſuſpicer Iuſtinum in illo loco omnino ſcripſiſſe, πολλοὺς δ' αὖ καὶ τῶν μὴ τῆς καθαρᾶς, καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης, *Multos vero etiam qui non puræ piæque Chriſtianorum ſententiæ ſunt, hoc non agnoſcere tibi ſignificavi.* Quod ſi locus ita cum negandi particula legatur, omnia erunt plana. Nam & ſententia ad amuſſim congruet cum illa, quam nuper deſcripſimus; & cum antecedentibus, atque conſequentibus aptiſſime cohærebit. Neque quiſquam mirari debet, quod negandi particula ex hoc Iuſtini loco expuncta fuerit.

rit. Cum enim abrogato ſequutis temporibus veteri illo Chiliaſtarum dogmate, is ſenſus quem illa oratio continet, abſurdus, & ſcandalo obnoxius videretur, quippe qui omnes orthodoxos in eo quondam errore fuiſſe conficit; facile fieri potuit, ut exſcriptores orationis filum, ſublata vocula μὴ *non* mutandum eſſe putaverint; quo ſui ſæculi hominibus perſuaderent, tametſi Iuſtinus, & alii præſtantes viri eum errorem ſequuti ſint, fuiſſe tamen eorum memoria & alios orthodoxos à Chiliaſtarum labe immunes. Sed hæc obiter. Ad reliquos pergamus.

Hiſt. eccl. l. 3. c. 39. Comm. 18. in Iſai. in præf.

Irenæum, qui Iuſtino proximus fuit, in eodem quoque errore verſatum teſtatur & Euſebius, & Hieronymus; memoratque Dionyſium Alexandrinum de hoc argumento adverſus eum elegantem librum ſcripſiſſe; neque tacet Apollinarium Dionyſii opuſculo duobus voluminibus reſpondiſſe, neque ſuos modo, ſed etiam catholicos plurimos hac in parte conſentientes habuiſſe.

L. 3. contr. marc. c. 24 p. 499. b. c. d.

Tertulliano vero nemo diſertius, vel fuſius eamdem hanc ſententiam explicavit. *Nam & confitemur* (inquit) *in terra nobis regnum repromiſſum; ſed ante cœlum, ſed alio ſtatu; utpote poſt reſurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hieruſalem cœlo delata, quam & Apoſtolus* matrem noſtram ſurſum *deſignat.* &c. *Hanc dicimus excipiendis reſurrectione ſanctis, & refovendis omnium bonorum, utique ſpiritualium, copia, in compenſationem eorum, quæ in ſæculo vel deſpeximus, vel amiſimus, à Deo proſpectam. Hæc ratio regni terreni, poſt cujus mille annos, intra quam ætatem concluditur ſanctorum reſurrectio pro meritis maturius, vel tardius reſurgentium, tunc & mundi deſtructione, & judicii conflagratione commiſſa, demutati in atomo in Angelicam ſubſtantiam, ſcilicet per illud incorruptelæ ſuper indumentum transferemur in cœleſte regnum.* Hæc Tertullianus; in quibus illud diligenter obſervandum eſt, quod in *prima* illa ad mille annorum delicias *reſurrectione* vult Sanctos cum Chriſto Hieroſolymis regnaturos non ſimul & ſemel univerſos *reſurgere*; ſed ſuo ſingulos ordine, alios *maturius*, alios *ſerius pro meritorum* ratione; ut qui ſanctiſſime vixerint initio ſtatim millenarii illius ſpatii, qui minus perfecte ſerius, tertio ſcilicet, aut quarto ejus ſæculo, qui imperfectiſſime, circa finem illius ævi, nono puta aut decimo ſive ultimo tantum ſæculo reſurrecturi ſint; diutius adeo, vel contra, terreni illius regni deliciis fruituri pro vitæ anteactæ qualitate; Hac enim *reſurrectionis mora* luituros ſuam quemque in pietate, atque caritate

L. de an. c. 58. p. 357. e.

ſegnitiem, atque tarditatem. Eo Chriſti dictum refert, *Amen dico tibi, non inde exibis donec ſolveris noviſſimum quadrantem; Cum*, inquit,

carcerem

carcerem illum quem Euangelium demonſtrat, inferos intelligamus, (penes quos omnem etiam ſanctiſſimi cujuſque animam ſequeſtrari alibi docet) *& noviſſimum quadrantem modicum quodque delictum mora reſurrectionis illic luendum, nemo dubitabit animam aliquid penſare penes inferos, ſalva reſurrectionis plenitudine per carnem quoque.* Quorum gemina ſunt quæ in eodem *de Anima* opere habet contra Carpocratem de illo itidem Euangelii loco diſputans; *Iudex te* (inquit) *in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, niſi modico quoque delicto* MORA RESURRECTIONIS *expenſo.* Eodem reſpicit in libro *de reſurrectione carnis*, dum ait *inferos uſque noviſſimum quadrantem exacturos*; hoc eſt non ante fidelium animas dimiſſuros ad reſurrectionem primam, donec iis, quæ peccaverint, congruam ac convenientem moram in illis locis paſſi fuerint; in quibus *quieſcere* quidem *fidelium* ſpiritus arbitratur, citra moleſtiam, aut cruciatum; minori tamen cum fœlicitate, ac gloria quam ea erit, qua cum Christo Hieroſolymis regnante fruituri ſunt, qui mature reſurrexerint.

Ibid. c. 35. p. 338. d.

C. 42. p. 410. b.

Vnde videre eſt, quam fruſtra hæc Tertulliani loca & Pamelius,[a] & Bellarminus[b] ad ſuum *purgatorium* torqueant; quod in illius ſcriptis non magis ullum occurrit, quam Mahamedis hegira, vel Alcoranus. Ille *inferos* intelligit *commune illud omnium animarum receptaculum*; non, ut adverſarii, proprium earum *carcerem*, quæ cum delicto veniali, vel cum pœnæ alicujus reatu de ſæculo diſceſſerunt. Neque *igne ullo*, ſed una *reſurrectionis mora* delicta iſtic luituras ait. Nimirum ſerius reſurrecturas ſignificat, quam eas, quæ puriorem, & integriorem vitam in terris egerint, ut ex verbis ex opere *contra Marcionem* nuper deſcriptis conſtat; in quibus diſerte ait *ſanctos pro meritis tardius, vel maturius, intra illam*, quam ſomniat, *mille annorum ætatem reſurrecturos.*

a *In loc. ipſa.*
b *L. 1. de purg. c. 10. ſ. Theodoretus. &c. 8. ſ. Tertia haec*

Huic paria ſenſiſſe de illo reſurrecturorum diverſo ordine videtur Ambroſius. *Adverte* (inquit) *juxta typum legis, ordinem gratiæ. Cum tuba prima cecinerit, orientales congregat, quaſi præcipuos, & electos. Cum ſecunda, ſuppares meritis; qui ſecundum Libanum ſiti dereliquerint ludibria nationum. Cum tertia, eos qui tamquam in mari exagitati iſtius flatu mundi, ſæculi hujus flatibus vacillarint. Cum quarta, illos qui dura mentium nequaquam ſatis potuerint eloquii ſpiritualis mollire præcepto, & ideo ſecundum Boream vocati ſunt. Boreas enim ſecundum Salomonem durus eſt ventus. Itaque licet in momento reſuſcitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine ſuſcitantur. Et ideo primi reſurgent, qui maturo devotionis occurſu, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntis Solis æterni radios receperunt.*

L. de fid. reſurr. T. 3. p. 483. e.

ceperunt. Quod vel de Patriarchis juxta ſeriem veteris Teſtamenti, vel de Apoſtolis juxta Evangelium, jure memoraverim. Secundi autem, qui ritum gentium relinquentes ab errore ſacrilego tranſierunt in Eccleſiæ diſciplinam. Et ideo illi primi ex patribus; iſti ſecundi ex gentibus. Ab illis enim lux fidei cœpit; in iſtis uſque ad mundi occaſum ſuſcepta duravit. Tertii ſuſcitantur, & qui ab Auſtro, & qui ab Aquilone ſunt. Hactenus Ambroſius. Neque quemquam moveat, quod *omnes in momento* reſuſcitatum iri fateatur. Clarum enim eſt eum hoc velle, ſingulos ordines ſuo quemque loco ac tempore *momento* omnes ſuſcitatum iri; non autem ſimul, ac ſemel eodem temporis puncto univerſos; quod cum iis conſiſtere nequit, quæ continenter adjicit *omnes meritorum ordine ſuſcitatum iri*; ad ſuam ſcilicet ſingulos *tubam*. Nam ſi ſunt reſuſcitandorum diverſi, quod ille ſtatuit, ordines, ſic ut alii primi, alii ſecundi, alii tertii, alii denique quarti reſurgant; fieri nequit, ut univerſi eodem *momento* reſurgant.

L. de bon. mort. c. 10. *T.* 1. Eo quoque pertinere videntur illa, quæ ſupra jam deſcripſimus Ambroſii ex alio opere verba; *Eſt ordo quietis; ſicut eſt & reſurrectionis.* Eodem etiam referenda eſſent, quæ idem alibi in pſalmum primum *In pſ.* 1. *extr.* de *prima*, & *ſecunda reſurrectione* philoſophatur; niſi ea aliquid Origenicum ſpirarent.

Siquis vero objiciat ſic videri piorum animas pœnæ alicui ſubjici; reſpondebo iſtam *reſurrectionis moram* non eſſe proprie *pœnam*. Nullum enim proprie cruciatum, nullum tormentum piis admovet, ex iſtorum qui eam poſuère, ſententia. Tantum erit paterna quædam caſtigatio; quam piis profuturam innuit Ambroſius, dum eos quarto, ſive ultimo loco reſurrecturos dicit, qui *dura mentium nequaquam ſatis potuerint eloqui ſpiritualis mollire præcepto*; ſignificans *moram* illam præſtituram quod Dei verbum non præſtitit; hoc eſt eos *mollituram.* Alioqui ſi *moram reſurrectionis* proprie, ac per ſe pœnam eſſe dicas, conſequetur nullum eſſe ſanctorum mortuorum, qui non proprie poſt hanc vitam puniatur; cum omnes quos mors ex hoc ſæculo rapuit, reſurrectionem expectent; nemo eam morientium ſtatim obtineat. Itaque illa Tertulliani verba *modicum quodque delictum mora reſurrectionis expendi*, vel *lui*, de pœna hujuſmodi intelligenda ſunt, quæ ita dicitur non proprie, ſed figurate, quod aliquam habeat cum vera *pœna* ſimilitudinem; nimirum quod, ut ſontibus proprie dicta pœna, ita hæc quoque mortuis mora gravis futura ſit.

Iam illud de millenaria in terris fœlicitate delirium Lactantium quoque ſecutum eſſe, præter Hieronymum, qui id affirmat, ipſius etiam

ſuperſtites

ſuperſtites libri fatentur. Hæc enim ejus verba ſunt in *divinarum inſtitutionum* opere; *Cum ſummi, & maximi Dei Filius*, inquit, *deleverit injuſtitiam, judiciumque maximum fecerit, ac juſtos qui à principio fuerunt, ad vitam reſtauraverit, mille annis inter homines verſabitur eoſque juſtiſſimo imperio reget.* Mox: *Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, ſed per eoſdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit ſoboles eorum ſancta, & Deo cara. Qui autem ab inferis ſuſcitabuntur, ii præerunt viventibus, velut judices. Gentes vero non extinguentur omnino, ſed quædam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur à juſtis, ac ſubjugentur perpetuæ ſervituti.* Tum principem dæmonum vinctum iri, & in cuſtodia mille annis fore nequid moliatur adverſus Dei populum. Iuſtos ex omni terra congregatum iri; ipſoſque in civitate *in medio terræ conſtituta* regnaturos. Solem & ſidera, multiplicata luce, elementa, maria, montes, flumina, longa lætaque pace gaviſura; totum orbem ſanctis famulaturum; & cætera, in quorum deſcriptione juveniliter, ac pæne poetice exſultat Lactantii noſtri oratio. *L. 7. c. 24.*

Victorini eamdem quoque fuiſſe ſententiam teſtatur & Hieronymus. Vnde conſtat, (ut obiter hoc dicam) vel ejus non eſſe, vel certe interpolatum fuiſſe illum in Apocalypſin commentarium, in quo negantur *audiendi, qui mille annorum regnum eſſe* confirmant. *Præf. comm. 18. in Is.* *Bibl. pp. T. 1. p. 582. e.*

Fateor hunc iſtorum errorem maturius in Eccleſia repreſſum fuiſſe, quam ſuperiorem de *animarum ſtatu*. Nam eum ex ipſis vetuſtiſſimis ſtrenue confutavit Dionyſius Alexandrinus, qui tertii ſæculi anno quinguageſimo quinto floruit, ſcriptis non ſolum contra Irenæum, quod teſtatur Hieronymus, ſed & contra Nepotem editis, verum iis temporibus tum ſanctitatis, tum eruditionis nomine celebrem, ut auctor eſt Euſebius. Sequenti vero ſæculo τὴν χιλιοέτιν ἐν παραδείσῳ τρυφὴν, *delicias mille annorum in paradiſo*, & Gregorius Nazianzenus, ut deliras, ridet, & Hieronymus plurimis paſſim locis fortiter inſectatur, & Auguſtinus quòque caſtigat. Sed errorem, tametſi is multis, iiſque excellentiſſimis viris diſplicuit, non paucos tamen etiam tum ſectatos fuiſſe non diſſimulat ille idem Hieronymus; *Apollinarium, qui Chiliaſta fuit, non ſolum* (inquit) *ſuæ ſectæ homines* (is enim alia de cauſſa ab Eccleſia ſeceſſerat) *ſed & noſtrorum in hac parte duntaxat plurima ſequitur multitudo; ut præſaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda ſit.* Palam eſt eum vereri ne ſua in hoc refellendo delirio libertas, multorum, qui tum quoque id mordicus retinebant, offenſam, & iras in ſe provocet. Alibi quoque de eodem dogmate loquens, *Quæ* (inquit) *licet non ſequamur, tamen damnare non* *Hiſt. eccl. l. 7. c. 24.* *Ep. 1. ad. cled.* *Com. 18. in Is. Præf.*

 poſſumus,

Com. 4. in Hier. *poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & Martyres iſta dixerunt. Et unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini judicio cuncta reſerventur.* Ipſe quoque, qui hanc ſententiam rejicit, Auguſtinus fatetur ſe ab ea non fuiſſe alienum; ſed itant *delitias*, non *carnales & mundanas*, ſed *ſpirituales* in illo ſabbato affuturas Sanctis per Domini præſentiam crederet. Præter eos, de quibus diximus, Serenum id quoque ſenſiſſe refert Hieronymus; neque ab ea ſententia abludere videtur apud Epiphanium Methodius. Neque eſt quod in re clara, & apud omnes confeſſa diutius immoremur.

L. 20. de civ. D. 5. 7.

Hæres. Origeniſt.

Supereſt tertium de ultimo judicio caput; de quo jam antea ſatis diximus. Demonſtravimus enim plæroſque Patres, maxime vetuſtiſſimos, exiſtimaviſſe omnes ſuprema illa die in vitam revocatos *igne* quodam δοκιμαςικῷ, id eſt ad examinandum comparato, *probatum* ac *purgatum* iri, defluentibus in illo incendio *ſcoriis*, ſiquæ forte ex anteacta vita eorum naturæ inolitæ, ac concretæ ſuperfuerint; eamque fuiſſe Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, aliorumque ſententiam. Maldonatus fatetur Origenis fuiſſe, & fere antiquiſſimi cujuſque ſcriptoris.

In Luc. 11. 35.

Quod ſiquis miretur tres illos ſupra memoratos errores à tam multis, tamque eruditis Patribus tanto conſenſu fuiſſe ſuſceptos, ac defenſos, is velim animo ſuo reputet, quanta ſit humanæ mentis infirmitas. Ac tametſi non ſit facile dicere, unde primi illi ac vetuſtiſſimi de quibus diximus, ſcriptores triplex iſtud delirium hauſerint; videtur tamen mihi veriſimillimum, quod accepi à reverendo, doctiſſimoque viro, Davide Blondello, quem honoris cauſſa nomino; omnis iſtius erroris anſam ab auctore Sibyllinorum verſuum datam fuiſſe; qui tria iſta commenta paſſim ſuis lectoribus propinat. Nam de animarum etiam piarum apud inferos mora ſic in primis ſentit; Omnes homines in ᾅδῃ id eſt infernum deſcendere & ᾅδην ideo dictum, quod illuc primus Adam deſcenderit;

L. 1. p. 7. b. Bibl. Patr. T. 8.

Ἄδην δ' ἄυτε κάλεσαν, ἐπεὶ πρῶτος μόλεν Ἀδὰμ
Γευσάμενος θανάτου, γαῖα δὲ μὶν ἀμφεκάλυψε.
Τοὔνεκα δὴ οἱ πάντες ἐπιχθόνιοι γεγαῶτες
Ἀνέρες εἰν ἀΐδαο δόμοις ἰέναι καλέονται.

Ἄδην autem vocarunt, quod eo Adam primus venerit, guſtata morte, cum terra eum operuit. Ideo omnes terreni viri dicuntur in Adæ id eſt inferni domos ire. Eodem libro de piis loquens,

Ibid. p. 11. d. 7.

Θνήξονται ὕπνῳ βεβολημένοι. ἐς δ' ἀχέροντας
Εἰν ἀΐδαο δόμοις ἀπελεύσονται, κἀκεῖσε
Τιμὴν ἕξουσιν, ἐπεὶ μακάρων γένος ἦσαν.
Ὄλβιοι ἀνέρες, οἷς Σαβαὼθ νόον ἐσθλὸν ἔδωκεν.

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ καὶ τούτοισιν ἀεὶ συμφράσσατο βουλάς.
Ἀλλ' ἤτοι μάκαρες, καὶ εἰν ἀΐδαο μολόντες
Ἔσσονται.
Oppreſſi ſomno decedent, inque profunda
Devenient Acheruntis, ubi neq; honore carebunt;
Quippe beatorum fœlix genus; optima quorum
Mens fuerit, dono Sabaoth, qui ſemper in omni
Illis conſilio dederit facienda ſecundus.
Atque hi fœlices, etiam cum ceperit illos
Orcus, erunt.

Iam de terrena piorum reſuſcitatorum vita, ac fœlicitate multa quoque paſſim habet. Ait enim pios ab Angelis ſublatos vitam placidam, & curarum expertem in locis acturos, ubi tres eſſe ait *fontes vini, mellis, & lactis,*

Γαῖα δ' ἴση πάντων, οὐ τείχεσιν, οὐ περιφραγμοῖς,
Ἐχμεριζομένη, καρποὺς τότε πλείονας οἴσει
Αὐτομάτη. L. 2. p. 18. c. &c.
Terraque par cunctis, non ullis invia muris
Aut interſeptis, fructus feret uberiores
Sponte ſua.

Sic etiam libro ſequenti:

Υἱοὶ δ' αὖ μεγάλοιο θεοῦ περὶ ναὸν ἅπαντες L. 3. p. 34. & p. 35.
Ἡσυχίως ζήσοντ' εὐφραινόμενοι ἐπὶ τούτοις.
Interea magni proles ſecura Tonantis
Circum ædem vivent, & lætabuntur in illis;

& quæ ſequuntur, in quibus omnem beatæ iſtorum vitæ apparatum, plane terreſtrem, iiſque ſimilem, quæ de Saturni ſæculo canunt poetæ, fuſe deſcribit. Idem libro quarto:

Εὐσεβέες δὲ μενοῦσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν, P. 37. d. & p. 40. c. & l. 5. p. 48. a.
Πνεῦμα θεοῦ δόντος, ζωὴν θ' ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς.
Terra piis autem nutrix habitanda manebit
Dante Deo flatum, vitam, victumque. ——

Vrbem item beatam, id eſt novam Tertulliani Hieroſolymam, fœlicitates illius ſedem memorat, *φαιδροτέραν ἄστρων τε καὶ ἡλίου*, *& Sole & ſtellis ſplendidiorem*; & alias millenarii regni delicias, quas longum eſt deſcribere. L. 5. p. 49. d. item l. 7. p. 56. a. l. 8. p. 59. c. 60. c.

Denique ultimam illam rerum omnium, ſanctorumque adeo ipſorum luſtrationem per ignem, haud obſcurius ponit. Omnia ait Deum *ſimul conflaturum, & in puram quamdam maſſam converſurum.* L. 2. p. 16. c. & l. 3. 21. b.

 Mox:

Mox: *καὶ τότε δὴ πάντες διὰ αἰθομένου ποταμοῖο*
καὶ φλογὸς ἀσβέστου διελεύσοντ᾽. οἱ τε δίκαιοι Πάντες σωθήσονται.
P. 17. b. ------ *Igitur per flumen agentur*
Ignis inextincti cuncti; juſtique ſalutem Omnes conſequentur.

L. 8. p. 65. a. Sic alibi, de Deo loquens, *πυρὶ* (inquit) *πάντας ἐλέγξει igne omnes arguet.* Quo etiam pertinet, quod nuper diximus, cum ait *Angelos* pios L. 2. p. 18. homines in lucem ducturos *διὰ αἰθομένου ποταμοῖο tollentes eos per fluvium ardentem.* Cum hæc igitur ille Sibyllinorum auctor de tribus iſtis doctrinæ capitibus ſcripſerit, non eſt mirandum quod ea quoque ſecuti ſint vetuſtiſſimi Patres, quorum ſummam fuiſſe conſtat de illo libro opinionem. Nam & Iuſtinus Sibyllam in Apologia, velut diviL. 2. ad nat. p. 76. a. nam mulierem laudat, & Tertullianus *veri veram vatem* vocat & Athenagoras, & Theophilus Antiochenus, & Clemens Alexandrinus, plurimi eam faciunt; Lactantius vero ad ipſa hæc deliria confirmanda, ejus auctoritate diſerte utitur, nonnullaque ex iis ipſis, quæ deſcripſimus, recitat. Sibyllæ vero eadem illa carmina, quæ nunc ejus nomine circumferuntur, eos tribuiſſe vel ex iis, quæ illi citant, conſtat, quæ ſunt eadem cum noſtris. Ac in eo quidem graviter hallucinatos fuiſſe viros optimos & cætera præſtantiſſimos non nego; (hæc enim Sibyllæ nomine edita, fictitia eſſe omnia, & imperante Hadriano, circiter a. D. 138. conſarcinata & edita, tum per ſe clarum eſt, tum & à claLibr. de Sibyll. orac. gal. riſſ. D. Blondello noſtro demonſtratum) Cæterum ſemel deceptos, & iſta qualiacumque ſint pro vere Sibyllinis, ac divinis habentes, non eſt mirandum tribus illis de animæ ſtatu, deque mundi ſupremis, & terrena fœlicitate erroribus aſſenſum præbuiſſe, qui ſcilicet in pſeudoſibyllinis libris leguntur, eoſque porro nominis ſui auctoritate cæteris commendaſſe, atque ita longe lateque ſparſiſſe, ut nonniſi ægre multiſque poſt ſæculis ex hominum Chriſtianorum animis revelli potuerint.

CAPUT VIII.

Ad ſuperiora illa tria veterum deliria pertinere eorum pro mortuis preces; probatur primo ex eo quod pro omnibus omnino piis fato functis etiam ſanctiſſimis, veteres precati fuerint; quod fuſe contra Cabaſilæ, Bellarmini, & Perronii cavillationes demonſtratur.

IAm his expoſitis patent *precum*, & *oblationum*, quæ à veteribus pro mortuis factæ ſunt, origines; reſeratique ſunt fontes, à quibus ille ritus profluxit; ut nunc facilis ſit & expedita eorum omnium ſolutio,

ſolutio, quæ Bellarminus, & alii pro purgatorii ſui dogmate ex his Patrum *precibus* objiciunt. Nego enim eorum quicquam ad *purgatorium* pertinere. Ajo omnia vel ad unam aliquam ex his tribus ſententiis, vel ad aliud aliquid à *purgatorio* alienum referri. Quod tametſi quivis per ſe poſſit intelligere, ſi modo aliqua cum attentione objecta loca inſpiciat, & cum his, quæ explicavimus, comparet, non pigebit tamen id ipſum jam accurratius demonſtrare, eoque allata ab adverſariis teſtimonia ſigillatim ad hanc regulam exigere.

Ac principio quidem veterum *pro mortuis preces* & *oblationes*, non ad *purgatorium*, ſed ad has quas explicavimus, opiniones, aliaque pertinere ex eo liquido probatur, quod eæ non tantum pro certo aliquo fidelium genere, ſed pro omnibus omnino fidelibus factæ fuerint. Nam cum in *purgatorium*, non omnes pii, ſed quidam tantum deſcendere fingantur, quibus ſcilicet aut venialis culpæ, aut certæ pœnæ alicujus reatus morientibus ſupereſt; clarum eſt veteres, ſi ideo *pro mortuis precandum* putaſſent, quod eos in hujuſmodi *purgatorio* degere credidiſſent, non pro omnibus in genere *preces*, & *oblationes* apud Deum facturos fuiſſe, ſed pro iis tantum, quos in illa fornace excoqui veriſimile erat. Idque præter hanc rei ipſius rationem, abunde comprobat adverſariorum uſus. Illi enim pro iis tantum ſibi precandum putant, quos ob vitam minus pure in terris exactam, illis flammis poſt mortem *purgari* non abſurde ſibi videntur opinari. Pro cæteris, quos ſancte & culpate vixiſſe ſcire ſe putant vel certe accuratiſſima pœnitentia vitæ labes in terris ante mortem abſterſiſſe, quales ſunt Apoſtoli, Prophetæ, Martyres, ac in genere ii omnes, quos vel *Sanctorum*, vel *Beatorum* nomine donant, non modo non precantur; ſed & gravem iis, qui ſunt hujuſmodi, fieri injuriam arbitrantur, ſiquis pro iis Deo ſupplicet; ac in ore perpetuo habeat vulgare illud Auguſtini, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; tantumque abeſt, ut iis à Domino aliquid poſtulent, ut contra eos ipſos enixe precandos ſciſcant, quo pro nobis ſuperſtitibus apud Deum intercedere, & nobis ab eo omnis generis bona impetrare velint. Veteres vero, plane aliter. Pro omnibus enim piis, quicumque ac qualeſcumque de cætero fuerint, modo pii fuerint, ac in Dei fide, & cultu obierint, *orationes, & oblationes* faciunt. Quod quidem, ut cum *purgatorii* rationibus vehementer pugnat, ita cum iis cauſſis, quas explicavimus, ad amuſſim congruit. Nam cum omnes omnino in fide mortuos vetuſtiſſimi illi, à quibus profecta eſt hæc *pro mortuis orandi* conſuetudo, vel in illo *Abrahæ ſinu*, vel certe in *paradiſo* ſub Angelorum cuſtodia degere, & ſuam

Serm. 17. de verb. Ap.

ſuam *in prima reſurrectione partem* habituras, ac denique *ignem* illum ultimi judicii experturos crederent; merito quoque, & iis quæ credebant, conſentanee *pro omnibus precandum* exiſtimarunt; quod quibus unum aliquod ex his tribus convenit, iis noſtram orationem utilem fore non ſit incredibile, ad eos vel in loco illo, ſi non *ſubterraneo*, certe *ſubcœleſti* conſolandos, vel mature in principiis *millenarii* regni *reſuſcitandos*, vel denique contra ultimam illam *purgatoriam* flammam muniendos. Quæ cum ita ſint, dubitandum non videtur, quin eos hæ tres cauſſæ ad precandum impulerint *pro mortuis*; non autem ullus Romani purgatorii metus.

Scio adverſarios ſic diſtinguere, ut veteres dicant, *in fide mortuorum* ita feciſſe in precibus mentionem, ut pro peccatoribus quidem miſericordiam peterent; pro juſtis autem gratias Deo agerent; eoque af-
Ench. ad Laur. c. 110. T. 3. ferre illud Auguſtini; *Cum ſacrificia* (inquit) *ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt; pro valde malis, etſi nulla ſint adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum*
Tract. 84. in Ioa. T. 9. *conſolationes ſunt.* Item illud ejuſdem ex alio opere; *Ideo ad ipſam menſam martyres non ſic commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus, quia impleverunt ipſi caritatem.* Scio
Expoſ. lit. gr. c. 9. & 49. Bibl. PP. gr. lat. T. 2. pag. 263. d. 265. c ex Græcis Nicolaum Cabaſilam, acutum, & eruditum ſcriptorem, in eadem eſſe ſententia, ac refellere τοὺς λέγοντας τὴν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τῶν ἁγίων μνήμην ἱκεσίαν ἱερέως πρὸς τὸν θεὸν ὑπὲρ αὐτῶν εἶναι; *eos qui dicunt ſanctorum in liturgia commemorationem eſſe ſacerdotis pro iis apud Deum deprecationem*; omnemque pro mortuis ἱκεσίαν precationem eo referre, ut vel iis ἄφεσιν ἁμαρτιῶν remiſſionem peccatorum petat; vel βασιλείας κληρονομίαν regni hæreditatem vel ἀνάπαυσιν ἐν τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ μετὰ τῶν τετελειωμένων ἁγίων, *vel quietem in ſinu Abrahæ cum ſanctis conſummatis*; quorum aliquid pro ſanctis petere, cum ille exiſtimet & in Deum, & in ſanctos ipſos blaſphemum eſſe, eo confugit, ut dicat dictionem ὑπὲρ quæ in Liturgiis ſæpe ſic uſurpatur, ut dicatur etiam *pro ſanctis* ὑπὲρ ἁγίων *oblatio* vel *commemoratio fieri*, οὐ πανταχοῦ δεόμενον δεικνῦναι, *non ubique precantem demonſtrare*, ſed ſæpe etiam *gratiarum* pro aliquo *actionem* ſignificare. Ego vero primum fateor eam mortuorum mentionem, quam veteres in orationibus faciebant, fuiſſe hujuſmodi, quæ non *petitionem*, aut *precationem* ſimpliciter, ſed etiam *gratiarum actionem* complecteretur; ſic autem alteram ab altera diſtinxiſſe veteres, ut hanc ſolam pro quibuſdam mortuis, illam ſimiliter ſolam pro aliis uſurpari

pari

pari fas putarent, ac non utramque pro quibuſvis, nego. Nam & pro iis mortuis, pro quibus *precationes* fiebant, *gratias* quoque actas eſſe liquet ex Dionyſio illo, qui (tametſi falſo) pro Areopagita circumfertur; Is enim in funere cujuſvis mortui Chriſtiani tradit propinquos ipſum quidem mortuum *μακαρίζειν πρὸς τὸ νικηφόρον δικαίως ἀφικόμενον τέλος, καὶ τῷ τῆς νίκης αἰτίῳ χαριστηρίους ᾠδὰς ἀναπέμπειν, προσέτι καὶ αὐτοὺς ἀφικέσθαι πρὸς τὴν ὁμοίαν εὐχομένους λῆξιν; beatum eſſe ducunt, quod ad victoriæ finem peroptato pervenerit, & victoriæ auctori gratias cum cantu agunt; & præterea ſe ad ſimilem finem pervenire optant.* Hier. eccl. c. 7. p. 141. a Quo etiam pertinent illa, quæ infra ſuis locis commodius referentur, Chryſoſtomi, & Origenis teſtimonia, quæ gratiarum actiones pro mortuis Deo oblatas fuiſſe diſerte ſignificant. Auguſtinus quidem uno eodemque loco pro matre mortua & gratias agit, & precatur; *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, (ſepoſitis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago) nunc pro peccatis matris meæ deprecor te.* Confeſſ. l. 9. c. 13. Sane cauſſa, cur ſic facerent, evidens erat. Nam cum pro ſolis Chriſtianis baptizatis, *in fide mortuis orarent*, patet pro nemine eos *oraſſe*, de quo non eſſent *gratiæ Deo agendæ*; cum nemo ſit hujuſmodi, cui non ſit gratulandum, quod de ſæculi tentationibus ereptus ad ſalutem, & reſurrectionem æternam propius acceſſerit. Sed & iis, quos *juſtos* vocant adverſarii, id eſt *ſanctioribus*, & *purioribus*, quales martyres fuerunt, & alii ad eorum pietatem proxime accedentes, non ſic proprie *gratiarum actionem* tribuiſſe veteres, ut non etiam aliquid pro iis *à Deo peterent*, clarum eſt. Primo enim ex ipſorum hypotheſi petendi cauſſa ſuberat. Cum enim eos, quantumvis perfectos, nondum tamen cœlum, & ultima conſecutos exiſtimarent, omnino erat, cur hæc, in quæ nondum erant evecti, iis apprecarentur. Tum ſic ſe factitaſſe teſtantur ipſi, dum *pro omnibus in Domino mortuis* ſe preces ad Deum fudiſſe tradunt. Extat Epiphanii luculentus in eam rem locus, quo mentionem mortuorum ab Eccleſia in precibus fieri ſolitam contra Aërium, qui eam impugnabat, ac *inutilem* eſſe diſputabat, ex profeſſo tuetur, atque explicat. Nam poſtquam mortuos ideo ab Eccleſia commemorari dixit, ut teſtetur ſuperſtites credere, ὅτι οἱ ἀπελθόντες ζῶσι, καὶ ἐν ἀνυπαρξίᾳ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ εἰσὶ καὶ ζῶσι παρὰ τῷ δεσπότῃ, *mortuos vivere, nec in nihilum redactos eſſe, ſed exiſtere adhuc, atque apud Dominum vivere*; Hær. 75. ſ. 7. pag. 911. a (quæ ratio, ut liquet, omnibus omnino Chriſtianis ex æquo convenit;) paulo poſt ſubjicit; καὶ γὰρ δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν. ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους θεοῦ δεόμενοι. ὑπὲρ δὲ δικαίων, καὶ πατέρων, καὶ πατριαρχῶν, προφητῶν καὶ ἀποστόλων, καὶ εὐαγγελιστῶν, καὶ

μαρτύρων, καὶ ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων τε, καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ παντὸς τοῦ τάγματος, ἵνα τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀφορίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν τιμῆς, καὶ σέβας αὐτῷ ἀποδῶμεν, ἐν ἐννοίᾳ ὄντες, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐξισούμενος ὁ Κύριος τινὶ τῶν ἀνθρώπων, κἂν τε μυρία, καὶ ἐπέκεινα ἐν δικαιοσύνῃ ὑπάρχῃ ἕκαστος ἀνθρώπων. *Nam & juſtorum* (inquit) *pariter & peccatorum mentionem facimus; peccatorum quidem ut iis à Domino miſericordiam imploremus; Iuſtorum autem & Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & Martyrum, & confeſſorum, Epiſcoporumque & Anachoretarum, ac cœtus illius univerſi, ut Dominum Ieſum Chriſtum ſingulari quodam honore proſequentes ab cæterorum hominum ordine ſegregemus, debitumque cultum illius majeſtati tribuamus; dum illud cum animo noſtro reputamus non eſſe Dominum ullis mortalibus adæquandum; quamvis ſinguli infinita quadam aut etiam ampliore juſtitia præditi ſint.* Profitetur Eccleſiam *omnium mentionem facere*; neque inter eos, quorum mentio in precibus fiebat, ullum in eo diſcrimen ponit, quaſi pro aliis tantum *ſupplicaretur*, pro aliis tantum *agerentur gratiæ*. Dicit ποιεῖσθαι μνήμην ὑπὲρ δικαίων, perinde ac dixerat ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν; & quod fit eorum mentio eo *Chriſtum ab hominibus ſeparari* ait; quo dicto nihil aliud velle videtur, niſi inter Chriſtum, & fideles mortuos immenſum eo diſcrimen poni, quod pro his quidem Deo ſupplicetur, velut bono aliquo adhuc indigentibus, pro illo vero nequaquam, quippe qui bonorum omnium fons eſt αὐταρκέστατος. Atque eo pertinent quæ apud Auguſtinum leguntur; *Quis eſt pro quo nullus orat, niſi ille qui pro omnibus interpellat?* id eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ut paulo poſt ibidem habet, *unus ſacerdos unus Mediator Dei & hominum?* Bellarminus quidem illa Epiphanii alio torquet, ac ſi intelligeret, *ſanctos à Chriſto* eo Eccleſiam *ſeparare*, quod *pro ſanctis* quidem *offert ſacrificium gratiarum actionis*; pro Chriſto autem non offert, ſed ipſi potius Chriſto cum Patre, & Spiritu ſancto offert. Sed primo hoc quicquid eſt, ille habet ab ingenio; non autem ab Epiphanio, de cujus ſenſu quæritur. Is enim neque *ſacrificii*, neque *gratiarum actionis* in toto hoc loco meminit. Ait ὀνόματα λέγεσθαι τῶν τελευτησάντων *nomina mortuorum dici*; ait Eccleſiam ὑπὲρ ἀδελφῶν εὔχεσθαι *pro fratribus precari*, ait eorum, & pro iis ποιεῖσθαι τὴν μνήμην, *fieri mentionem*, vel *memoriam*; tam de *juſtis* quam de *peccatoribus* loquens; ut ſi iſta de his precationem ſignificent, cauſſa dici non poſſit, cur de illis, de quibus pariter, eodemque modo dicuntur, aliud quam precationem ſignificent. De *gratiarum actione* omnino nihil Epiphanius; neque ſane ea ad ejus inſtitutum pertinebat. Neque enim videtur Aërius,

In Pſ. 36. conc. 2. T. 8. p. 120. b

l. 1. de purg. c. 9. §. Neq; videtur. §. Separamus.

rius, quem iſtic oppugnat, hujuſmodi *gratiarum actionem* pro fœlici mortuorum exitu repudiaſſe, ſed *preces* tantum, quæ pro iis fiebant, tanquam *inutiles*, rejeciſſe, ut ex ipſo Epiphanio in ſuperioribus patet. Itaque hic omnino videtur, non illas *gratiarum actiones*, quas Bellarminus obtrudit, ſed *preces pro mortuorum ſolatio* intelligere; ideoque eas etiam *pro juſtis* fieri ſolitas ſignificare. Tum iſtis *gratiarum actionibus Chriſtus à Sanctis ſeparari* non videtur. Quæſo enim nefas ne eſt *gratias agere Deo*, quod *Chriſtus pro nobis & natus, & mortuus ſit?* quod *pro nobis reſurrexerit*, fractaque omni Sathanæ poteſtate in cœlum ſubvectus, ſempiternaque gloria à Patre donatus ſit? Atqui nemo eſt Sanctorum pro cujus certaminibus, ac morte, proque gloria eam conſecuta tantum gratiarum Deo debeamus, quod nullum aliud à Patre divinius donum, quam Chriſtum acceperimus; qui ſua nobis morte, ac vita beatam immortalitatem unus peperit. Vnde clarum fit Epiphanium eo *Chriſtum à Sanctis ſeparari* intellexiſſe, non quod pro his *gratiarum actiones* fiant, pro illo nullæ fiant; ſed quod pro illis quidem, utpote *miſericordia, ac beneficentia divina indigentibus*, *preces* apud Deum fundantur; pro hoc vero, qui omnis ipſe fœlicitatis fons eſt inexhauſtus, atque unus *æternitatis pater*, neque *preces* ullæ fiant, neque vero fieri ſine blaſphemia poſſint. Quo & illud pertinet, quod ſubjicit *neminem mortalem*, (quantacumque ſit ejus juſtitia, atque ſanctitas) *Chriſto eſſe æquiparandum.* Eo enim ſignificat Chriſtum unum ſine peccato eſſe; cæteros omnes aliqua infirmitate laboraſſe; quod & paulo ante dixerat; *preces pro mortuis* prodeſſe διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως, *quod plærumque dum adhuc in terra ſumus, ſponte aut inviti titubemus.* Quæ omnia eſſent ab inſtituto Epiphanii aliena, ſi is de *gratiarum actionibus* loqueretur. Nam ex eo quod Chriſtus *omnino purus* ſit, & *peccati expers*, Sancti non item, ſequitur quidem *pro his precandum eſſe, Deique miſericordiam implorandam*, *pro illo minime*; non ſequitur autem ullo modo, ut *pro illis gratiæ agendæ ſint*, pro hoc non item. Denique quod *ſacrificium* pronunciat adverſarius, Chriſto unaque Patri, & Spiritui ſancto *pro ſanctis* offerri, de eo nihil penitus habet Epiphanius. Et ſi iſte de miſſali ſuo ſacrificio, ut videtur, intelligit, Perronius, ipſius olim ſodalis, ac collega, id *Chriſto offerri* exſerte negat; contenditque *invocationem in actu ſacrificii ad Patrem ſolum dirigi; non autem ad Chriſtum*; ad quem in hujuſmodi officio dirigi eam nefas putat. Poſtremo quod ait Epiphanius quod *pro Chriſto* in Eccleſiæ precibus *mentio nulla fiat*, id fieri ad ejus honorem, id non videtur poſſe conſiſtere, niſi *preces* hujuſmodi intel- *repliq p. 880.*

ligantur quæ ſint ad eorum, *pro quibus* fiunt, uſum. Nam *gratias pro aliquo agere* non eſt ejus *honorem imminuere*; ſed plane contra. *Precari* vero *pro aliquo* eſt eum in egentium cenſu habere; quod de Chriſto, qui & *Deus* eſt, & *gloriæ dominus*, citra impietatem, honoriſque ei debiti imminutionem fieri nequit. Itaque ex hoc Epiphanii loco habemus *preces* à veteribus *pro omnibus omnino in fide mortuis fieri* olim ſolitas; etiam *pro Apoſtolis, Patriarchis, Prophetis*, & cæteris ſanctis, quos in hoc numero diſerte recenſet.

Idem teſtatur Cyrillus Hieroſolymitanus, qui liturgiam in Catecheſibus explicans, ubi ad hunc locum ventum eſt; εἶτα (inquit) καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων πατέρων καὶ ἐπισκόπων, καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων (ſupple ex præcedentibus, δεόμεθά σου πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν) μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι τῶν ψυχαῖς ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. *Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis, denique pro omnibus oramus te omnes, & hoc ſacrificium tibi offerimus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, ſancto illo, & tremendo ſacrificio propoſito.* Nihil potuit dici diſertius. Quo loco aperte refellitur Nicolai cavillatio, qui has *pro ſanctis preces euchariſtiam eſſe* concedit; ἱκεσίαν *precationem* negat; aitque præpoſitionem ὑπὲρ, οὐ πανταχοῦ δεόμενον δεικνῦναι. Hoc ſane fateor. Nam cum dicimus εὐχαριστεῖν ὑπὲρ τοῦ δεῖνα, illic profecto τὸ ὑπὲρ οὐ δεόμενον ἀλλ' εὐχαριστοῦντα δείκνυσι. Sed cum dicimus δεῖσθαι ὑπὲρ τοῦ δεῖνα, *orare vel precari pro aliquo*, nemo non videt τὸ ὑπὲρ in hujuſmodi exemplo δεόμενον δεικνῦναι *precantem ſignificare*. Iam vero in Liturgia Cyrillus teſtatur Eccleſiam non tantum προσφέρειν τὴν θυσίαν, *ſacrificium offere*, ſed etiam δεῖσθαι *orare, precari* ὑπὲρ πάντων ἁπλῶς προκεκοιμημένων χριστιανῶν *pro omnibus ſimpliciter Chriſtianis, qui vita functi ſunt; etiam ſanctis patribus & epiſcopis*; & eam ipſorum memoriam, quæ fit in liturgia, diſerte vocat δέησιν τὴν ὑπὲρ αὐτῶν ἀναφερομένην *precationem quæ pro iis offertur*. Ergo ea ex Cyrillo quidem, etiam ἱκεσία fuit, non autem εὐχαριστία tantum ut præter omnem rationem contendit Nicolaus.

Ad teſtimonia autem Auguſtini reſpondeo prius, ut patet, de *ſacrificiis*, ſive *altaris*, ſive *eleemoſynarum*, loqui; non autem de *precibus*. Illa enim cum quorſum fiant, ad *deprecationem*-ne, an ad *gratiarum actionem*, ex ipſis ſolis conſtare nequeat; (poſſunt enim ad hanc, vel ad illam ex eorum, pro quibus fiunt diverſitate referri.) *Precum* alia ratio eſt; in quibus cum diſerte eloquamur *gratias* ne *agamus*, an aliquid

Catech. myſt. 5. p. 241. c. d.

quid

quid *petamus*, patet unam eamdemque *orationem* non poſſe ſic ſumi, ut pro uno quidem *propitiatio* ſit, pro altero vero *gratiarum actio*. Quod cum animadverteret Perronius ait veteres *martyrum* quidem mentionem in ſacris feciſſe, proque iis *obtuliſſe ſacrificia*; non autem pro iis *precatos* umquam eſſe, ſed pro cæteris duntaxat mortuis; quod quam temere, quamque falſo ab eo dictum ſit, & ex ſuperioribus liquet, & multo etiam clarius ex iis quæ adjecturi ſumus, liquebit. repl. p. 826.

Ad ſecundum locum reſpondeo Auguſtinum diſerte hic dicere pro aliis fidelibus, quos à martyribus diſtinguit, *orare* ſolitos ſuæ memoriæ Chriſtianos. Ergo ſolis Martyribus exceptis, pro cæteris ſaltem omnibus etiam tunc orabatur. Secundo ajo Auguſtinum ideo Martyres ab iis, *pro quibus orabatur*, diſtinxiſſe, quod abſurdum ipſi videretur (ut eſt ſane) *pro iis orare* nos, quos ipſi *oramus*; eademque ratio Caſſilam deterruit, ne *pro ſanctis precari nobis licere* concederet. Eſt enim ab omni ratione alienum, ut quorum opem, atque auxilium ipſi precibus noſtris imploramus, eos Domino Deo precibus quoque noſtris commendemus. Atque hinc etiam factum eſt, ut (in Eccleſiam inducto Sanctorum invocandorum uſu) illæ *pro* ipſis *orationes* paulatim antiquatæ, tandemque penitus abrogatæ ſint. Cum is igitur uſus inter Chriſtianos jam Auguſtini ætate invaleſceret, non eſt mirandum, quod vir acutus, cernens cum ea conſuetudine *orationem pro martyribus* conſiſtere non poſſe; quæ iſtorum fiebat in publicis Eccleſiæ *precibus* commemoratio, eam ille dextre, ut erat ingenii ſolertiſſimi, alio detorſerit; quaſi eos apud Dominum, non ideo commemoraret Eccleſia, ut *pro ipſis precaretur*, ſed contra, ut ipſorum *pro ſe preces expoſceret*. Quo etiam illud pertinet, quod jam ſupra commemoravimus ejus dictum, *Injuria eſt pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* de verb. Apoſt. Vetuſtiores vero, qui *Sanctorum* neminem *invocabant*, nulla hujuſmodi religio tenuit, quo minus etiam *pro iis*, non ſecus ac *pro* cæteris *in fide defunctis orandum* putarent; idque ex veteri more diu etiam poſt Auguſtinum, manſit in Eccleſiæ uſu. Quod uſque adeo clarum eſt, ut ipſe Bellarminus non fuerit auſus id penitus negare. Recitat enim ex Innocentio III. in antiquis miſſalibus in die ſancti Leonis hanc precationem fuiſſe, *Annue, quæſumus, Domine, ut hæc animæ B. Leonis proſit oblatio.* Quid ſit *pro Leone precari*, ſi hoc non eſt, non equidem video. Quam orationem *mutatam* eſſe ait Bellarminus; cauſſam cur tanti antiquarii rem antiquam mutaverint non dicit. Ego vero dicam; Nimirum viſa non eſt ſatis congruere cum iſtorum *de ſanctorum invocatione* placitis. Quæſo enim quale iſtud eſt, ut tu pro eodem illo Leone, ſerm. 17. l. 2. de purg. c. 18. §. Præterea.

ne, ad quem preces tuas ſumma cum veneratione, religioſaque animi demiſſione dirigis, Deum preceris? Refert ibidem Bellarminus adhuc hodie in ſecreta oratione ejuſdem feſti dici; *Sancti Leonis confeſſoris tui, atque Pontificis, annua ſolennitas nos tibi reddat acceptos; ut per hæc piæ placationis officia illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet.* Bene eſt, quod iſtis, qui antequam illam orationem pro Leone olim fieri ſolitam mutarunt, hujus quoque particulam iſtam mutare non venit in mentem; in qua precantur, ut *per* hæc ſua *officia* Leonem *beata retributio comitetur.* Denique idem Bellarminus obſervat Eccleſiam in orationibus de Sanctis ſæpe legere, *Sumpſimus, Domine, ſancta myſteria, quæ ſicut ſanctis tuis proſunt ad gloriam, ita nobis quæſumus proficiant ad medelam.* Myſteria, ſi *proſunt Sanctis, pro Sanctis offerri* nihil vetat. Et cum *precum* ſimilis ſit ratio, quæ *oblationum* (*prece* enim alicui optare & adpoſtulare, quæ ei *profutura* ſunt, licet) non magis *pro iis precari* nefas olim fuit, quam *pro iis offerre.* Itaque Bellarminus ſuperius illud Auguſtini dictum ſic interpretatur, non quaſi univerſe ab iis omnibus *martyri injuriam fieri* velit, qui *pro eo quacumque ratione orant*; ſed ab iis tantum, qui *Martyri precantur remiſſionem peccati*, vel *gloriam eſſentialem*, ac ſi ea careret.

ibi ſup. ſ. Ad reliquas.

Sed quid opus eſt tempus in expendendis Epiphanii, Cyrilli, & Auguſtini dictis terere? Ecce preſto ſunt ipſæ illæ vetuſtiſſimorum Patrum *pro mortuis preces*, de quibus jam quærimus: ut ex iis certo diſcere poſſimus, quinam ſint illi *mortui*, quorum *mentionem faciendam* putabant, qualeſque ſint illæ *preces*, quas *pro iis fundebant.* Nam etſi Liturgias, in quibus ex exſtant, variis modis immutatas fuiſſe confitear, multis reſectis, plurimis adjectis, pro ut ſingulorum ſæculorum ratio tulit; tamen etiam in ipſis, quales hodie habentur, non pauca, & quidem ſatis expreſſa remanent antiquæ opinionis, priſcique uſus veſtigia.

Bibl. PP. gr. lat. p. 17. a. b

Ac primo quidem ex iis apparet veteres *pro omnibus omnino fidelibus oraſſe.* Liturgia Iacobi; Μνήσθητι Κύριε ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων, καὶ πάσης σαρκὸς, ὧν ἐμνήσθημεν, καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν ὀρθοδόξων ἀπὸ Ἀβὲλ τοῦ δικαίου, μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας. ἐκεῖ αὐτοὺς ἀνάπαυσον, ἐν χώρᾳ ζώντων, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου, ἐν τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν. *Memento, Domine* Deus, ſpirituum, & univerſæ carnis, *quorum memoriam egimus, & non egimus, orthodoxorum ab Abel juſto uſque ad hodiernum diem. Fac eos requieſcere in regione viventium, in regno tuo, & deliciis paradiſi, in ſinu Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi.* Non potuit diſertius ἱκεσία, ſive *precatio* concipi *pro omnibus omnino piis à mundi initio ad ſua tempora mortuis.* Deum enim rogat,

rogat, ut eorum meminerit, id eſt ut eos curet, ac ſuo tempore vitæ iis cœleſtis fœlicitatem largiatur.

Sic etiam Liturgia Marci: *τῶν ἐν πίστει Χριστοῦ προκεκοιμημένων πατέ-
ρων τε καὶ ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον. Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, μνησθεὶς τῶν* Ibid. p. 34. d.
*ἀπ' αἰῶνος προπατέρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων,
μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων, ὁσίων, δικαίων, παντὸς πνεύματος ἐν πίστει
Χριστοῦ τετελειωμένων. Animas patrum, & fratrum noſtrorum, qui antea in
Chriſti fide obdormierunt, fac requieſcere, memor majorum noſtrorum qui
à ſæculo ſunt patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apòſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum, ſanctorum, juſtorum, omnis ſpiritus in
Chriſti fide conſummatorum.* Tum pauculis interjectis: *Καὶ τούτων* Ibid. p. 35. a.
*πάντων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον ὦ δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν ταῖς τῶν ἁγίων
σου σκηναῖς, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου χαριζόμενος αὐτοῖς τὰ τῶν ἐπαγγελιῶν σου
ἀγαθὰ, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη ἃ ἡτοίμασας ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Αὐτῶν μὲν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, καὶ βασιλείας οὐρανῶν καταξίωσον. Et horum omnium animas fac requieſcere, dominator Domine Deus noſter in Sanctorum tuorum tabernaculis, in regno tuo largiens ipſis promiſſionum tuarum bona*, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominum non aſcenderunt, quæ paraſti *Deus*, diligentibus *nomen tuum ſanctum. Eorum animas requieſcere fac, & regno cælorum dignare.* Eat nunc Cabaſilas, & has eſſe neget *pro Sanctis ἱκεσίας*, quæ iis *requiem*, & *regnum* cœleſte adpoſtulant.

Pæne ſimilia leguntur in Liturgia Baſilii: *Μνήσθητι πάντων τῶν προ-
κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου. Memento omnium, qui* Ibid. p. 53. c.
prædormierunt in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ. Mox: *ἀνάπαυσον αὐτοὺς* Ibid. d.
ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. Fac eos quieſcere, ubi viſitat lumen vultus tui.

Sic quoque Liturgia Chryſoſtomi: *Μνήσθητι* &c. *καὶ πάντων τῶν
προαπελθόντων πατέρων καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν. Memento*, &c. *& omnium Pa-* Chryſ. T. 4.
trum, & fratrum noſtrorum, qui prædeceſſerunt. Mox: *ὑπὲρ πάντων τῶν* p. 523. d. Ibid. 531. c.
προηγησαμένων, καὶ ἀφιερωσάντων τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Pro omnibus, qui antehac laborarunt, & ſacerdotio functi ſunt Dominum oremus. Tum;
ὑπὲρ μνήμης καὶ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν τῶν ἀειμνήστων κτιτόρων τῆς ἁγίας Bibl. Patr. gr.
μονῆς ταύτης (ἐνταῦθα καὶ ζώντων καὶ τεθνεώτων ὧν θέλει μνημονεύει ὁ ἱερεύς) lat. T. 2. p. 62. a.
καὶ πάντων τῶν ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως, καὶ ζωῆς αἰωνίου τῇ σῇ κοινωνίᾳ κεκοιμημένων ὀρθοδόξων πατέρων, καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν, φιλάνθρωπε Κύριε συγχώρησον. Pro memoria, & remiſſione peccatorum æterna dignorum memoria conditorum ſanctæ hujus manſionis eorum hic & qui vixerunt, & qui mortui ſunt,

ſunt, quorum vult ſacerdos commemorationem facit) & *omnium eorum, qui in ſpe reſurrectionis, & vitæ æternæ in tua communione dormierunt orthodoxorum Patrum, & fratrum noſtrorum; clementiſſime Domine ignoſce.* Denique; ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, καὶ ἀποστόλων κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν &c. ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου &c. Μαρίας &c. Μνήσθητι πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου, καὶ ἀνάπαυσον αὐτοὺς ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. *Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide requieſcentibus majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis, præconibus, evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus* &c. *præcipue pro ſanctiſſima, immaculata* &c. *Maria* &c. *Memento omnium, qui dormierunt in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ & requieſcere eos facito ubi præſidet lumen vultus tui.*

Chryſ. T.4. 539. b.
Ibid. c.

Quibus refellitur Cabaſilæ cavillatio contendentis hanc eſſe non ἱκεσίαν, ſed εὐχαριστίαν tantum *pro Sanctis.* Nam & profitentur ſe ὑπὲρ πάντων τῶν προκοιμηθέντων καὶ ἀφιερωσάντων τοῦ Κυρίου δεῖσθαι *pro omnibus Dominum precari, qui antehac laborarunt, & ſacris initiati ſunt;* & Deum rogant, *ut omnium meminerit, eoſque quieſcere faciat;* ut illa mittam ex altera hujus Liturgiæ editione *pro memoria & remiſſione peccatorum omnium in communione Dei mortuorum.* &, *Domine ignoſce;* quibus nulla poteſt eſſe precatio diſertior.

Bibl. PP. T.6. p.95. c.

Iſtis ſuccinit Cyrilli Hieroſolymitani Liturgia: *Domine, miſerere Patrum noſtrorum, & Fratrum noſtrorum, qui dormierunt; quorum animæ tibi acceptæ ſunt. Da illis requiem. Memento etiam omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio, & Patrum noſtrorum, Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, euangelizantium, Euangeliſtarum, & omnium ſpirituum juſtorum, qui requieverunt in fide, maximeque ſanctæ, & glorioſæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ.*

Bibl. PP.T.2. gr. lat.p.129.c.

Superiorum gemina habet Gregorii Dialogi, id eſt Romani, Liturgia; μνήσθητι καὶ τῶν δούλων σου πάντων καὶ πασῶν οἱ μετὰ τοῦ σημείου τῆς πίστεως προαπῆλθον ἡμῶν, καὶ ὕπνου εἰρήνης κεκοίμηνται. καὶ δεόμεθά σου ἵνα πᾶσι τοῖς ἐν Χριστῷ ἀναπαυσαμένοις χώραν ἀναψύξεως καὶ φωτὸς καὶ εἰρήνης παράσχῃς διὰ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Memento etiam Domine famulorum tuorum cunctorum, atque cunctarum, qui nos præceſſerunt vel præmortui ſunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, & lucis & pacis ut indulgeas deprecamur per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.* Quę in miſſa Romana etiam hodie leguntur integra, niſi quod extrita vocula univerſali

verſali *πάντων καὶ πασῶν cunctorum , & cunctarum* indefinite ajunt, *Memento Domine , famulorum, famularumque tuarum.* Nimirum quod nunc pro quibuſdam tantum precantur, veriti ſunt ne lectores offenderet univerſale illud ſignum.

Syri in orationibus oblationis, commemoratis omnibus Sanctis ab Adamo ad ſua tempora; *Memento etiam Domine*, inquiunt, *eorum, qui communicarunt in ædificium hujus templi, & in erectione manſionis hujus, atque omnium, qui nobiſcum ſive parum, ſive multum conſociationis habent. Deus præſta eis requiem, bonamque memoriam; potiſſimum ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ.* Fruſtra ſunt, qui in margine ad hunc locum annotarunt iſtos *requiem precari defunctis peccatoribus, fidelibus tamen; bonam vero memoriam ſanctis.* Vtramque omnibus exoptant; neque uſpiam in eorum verbis apparet iſtud *peccatorum & ſanctorum* diſcrimen; quod totum eſt ab adverſariorum ingenio, & officina. Iidem Syri in aliis orationibus; *Recordare animarum noſtrarum, & animarum Patrum, & fratrum, & præceptorum noſtrorum, & defunctorum noſtrorum, omnium denique defunctorum fidelium, filiorum Eccleſiæ ſanctæ, & glorioſæ. Tribue requiem, Domine Deus, animabus eorum, & eorum ſpiritibus, eorumque* CORPORIBUS, *& aſperge rorem miſerationum tuarum ſuper oſſa eorum.* *Bibl. PP. T. 6. p. 36. a.* *Ibid. p. 39. c. d.*

Æthiopum idem quoque ritus eſt. *Rogamus te, & quæſumus*, inquiunt, *o immortalis, apud quem eſt theſaurus vitæ, pro iis, qui dormierunt, & quieverunt in fide, patres primi, principes archiepiſcoporum, archiepiſcopi, epiſcopi, ſacerdotes, diaconi, anagnoſtæ, virgines, monachi, doctores, conjugati, orbati conjuge, infantes, pupilli, & pro anima famuli tui N. & pro animabus omnium, quos ipſe vocaſti de populo juſte, & recte; quieſcere fac eorum animas in loco amœno apud aquam quietis, in ſinu Abrahæ ſimul cum Iſaac, & Iacob, tu in quo poteſtas quietis, Domine Deus noſter.* Tum in ſequenti oratione Deum rogant, ut *animas eorum, qui dormierunt, & in fide quieverunt ſuſcipiat, & omnium animas, qui iſtic mortui, aut moribundi ſunt, nutriat in loco amœno apud aquam quietis*, ut ſupra. *Ibid. p. 67. b. c.*

Ex his tam multis, tam variarum gentium, atque ætatum monumentis clariſſime apparet veteres Chriſtianos, à quibus ille orandi ritus exortus eſt, *pro omnibus omnino fidelibus mortuis precatos* eſſe. Quo illa quoque, tametſi indefinite dicta; referenda ſunt, quæ apud auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementi falſo inſcriptarum leguntur: ὑπὲρ τῶν ἀναπαυσαμένων ἐν Χριστῷ ἀδελφῶν ἡμῶν δεηθῶμεν. *Pro quieſcentibus in Chriſto fratribus noſtris oremus*; & hæc quoque Gregorii, pariter indefinite quidem expreſſa; ſed univerſaliter ex ſuperioribus *Orat. funeb. in Cæſar.*

rioribus intelligenda; *αὐτῷ* (Κυρίῳ) *παρακαταθέμενοι τὰς ἡμετέρας ψυχὰς, τάς τε τῶν προκαταλυόντων, ὥσπερ ἐν ὁδῷ κοινῇ τῶν ἑτοιμοτέρων. Noſtras, & eorum, qui ut in communi via paratiores ad hoſpitium primi pervenerunt, animas ipſi* (Domino) *commendantes.*

De or. pro. mort. c. 4. T. 4. Ipſe quinetiam Auguſtinus, qui Martyrum commemorationem alio trahere alibi conatur, tradit *pro omnibus in Chriſti fide mortuis* oraſſe Eccleſiam. *Non ſunt* (inquit) *prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro* OMNIBUS *in Chriſtiana & catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, & filii, aut quicumque cognati, vel amici ab una eis exhibeantur pia matre communi.*

Itaque, ut hoc tandem caput abſolvam, ex his concluſum eſto veteres *pro omnibus omnino in Domini fide mortuis precatos eſſe*; eorumque adeo *pro mortuis preces* nihil habere cum adverſariorum *purgatorio* commune, ſed plane ad alias cauſſas pertinere, tres nimirum iſtas, quas ſupra demonſtravimus, aliaſque conſimiles; id eſt omnium fidelium communes.

CAPUT IX.

Id ipſum demonſtratur ex ipſis veterum pro mortuis precum formulis, quæ ſive in eorum Liturgiis, ſive alibi reperiuntur. Alia quædam, ſed plane à purgatorio aliena, precatos eſſe; ut bonam memoriam, corporis ultima die beatam reſurrectionem, à peccatis in ſupremo judicio abſolutionem.

QVod & ex iis ipſis apparet, quæ *pro mortuis precantur.* Primum quidem illud generaliſſime, & ſæpiſſime iis adpoſtulant, ut *Deus eorum omnium meminerit*; vixque ulla eſt eorum *pro mortuis oratio*, in qua non hæc particula occurrat; ut ſatis ex ſuperiobus liquet. Nimirum putabant eos adhuc extra cœlos, vel *in inferis*, vel *in ſinu Abrahæ*, vel certe *in paradiſo*, loco etiam *ſubcœleſti*, commorari. Quis enim non videt abſurdum, & ineptum fore, qui ex hac terrarum valle Deum roget, *ut eorum* quos apud ipſum in cœlo eſſe credit, ipſoque præſentiſſimo frui, *meminerit?* hoc eſt, ut de iis cogitet, eorumque curam ſuſcipiat? Ea enim eſt hujus verbi vis, cum Deo tribuitur, tum in divinis, tum in Eccleſiaſticis litteris. Eodem quoque pertinet, quod Deum tam anxie obſecrant, ut *iis quietem donet in terra viventium, in regno ſuo, ubi lucet ejus facies; eos conſtituat in*

loco amœno propter aquam quietis. Nam his videntur *cæleſtes manſiones* deſcribi, ubi ſi jam habitare mortuorum amicorum animas iſti exiſtimaviſſent, non videntur tam ſæpe, tamque ſollicite rogaturi fuiſſe, ut ii iſtuc admitterentur. Quamquam etiam aliter, neque fortaſſis abſurde exponi poſſint hæc, & ſimilia; in quibus fere ſemper aliqua fit *ſinus Abrahamici* mentio; ut nimirum, qui hæc loquuntur, precari intelligantur, ut *Deus mortuorum ſpiritibus in ipſo illo Abrahæ ſinu*, in quo jam eos eſſe arbitrabantur, *quietem, ac pacem, & lucem donet, augeatque in dies.* Eodem quoque referuntur illa fere omnia, quæ adverſarii pro ſuo *purgatorio*, ſed fruſtra & inſcite, objiciunt, ut mox oſtendemus.

Iam ad alterum vetuſtiſſimorum Patrum de prima ad terrenas delicias reſurrectione delirium manifeſte pertinet, quod ſcribit Tertullianus viduam viro *primæ reſurrectionis conſortium* à Domino petere; *Enimvero* (inquit) *& pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium.* Quæ ſupra ex ejus tertio contra Marcionem libro deſcripſimus, clariſſime oſtendunt hoc eum velle; iſtam precari, ut *in prima* illa *reſurrectione*, quam intra *mille annorum* ætatem factum iri ſomniabat, aliis ſerius, aliis maturius reſurgentibus, vir ejus reſurgat, ipſaque una cum eo ſimul & ſemel, quo ambo beati illius regni participes ſint. Vt plane ridiculus ſit Perronius qui hæc de neſcio qua *animæ in vitam* (ut ille loquitur) *reſurrectione*, Tertulliano nuſquam memorata, ac ne per ſomnium quidem cogitata, accipit. Eadem Ambroſio mens in illa prece, qua Gratianum & Valentinianum mortuos Deo commendat, *Te quæſo* (inquit) *ſumme Deus, ut cariſſimos juvenes matura reſurrectione ſuſcites, & reſuſcites, & immaturum vitæ iſtius curſum matura reſurrectione compenſes. Amen.* Nimirum veteres, inter quos & iſtum fuiſſe ſupra demonſtravimus, fideles alios aliis maturius, ſeriuſve pro pietatis, & ſanctimoniæ diverſitate, in prima illa reſurrectione reſurrecturos credebant. Itaque Ambroſius Deum rogat, ut duo illi Auguſti, præmatura morte prærepti, mature, ac inter primos *in prima* illa *reſurrectione* ſuſcitentur, ac in beato illo ævo olim cum fœnore eos annos recipiant, quos hic eos implere non ſiverat acerba mors parricidarum ſcelere properata. Sic etiam accipienda eſt illa ex Gotthico Miſſali manuſcripto excerpta pro mortuis ad Deum precatio; *ut quieſcentium animas in ſinu Abrahæ collocare dignetur, & in partem primæ reſurrectionis admittat*; illa item alterius *pro ſpiritibus pauſantium* (id eſt *quieſcentium*, ſive mortuorum) orationis præfatio; *Deum judicem univerſitatis, Deum cæleſtium, terreſtrium,*

De monogam. c. 10.

Repl. p. 823.

Orat. de obit. Valent. T. 3.

Biblioth. P. T. 6. p. 155. c.

Ibid.

reſtrium, & infernorum, Fratres dilectiſſimi, deprecemur pro ſpiritibus carorum noſtrorum, qui nos in Dominica pace præceſſerunt, ut eos Dominus in requie collocet, & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitet.

Ad tertiam vero veterum de *igne* in ultimo die *omnium probatorio* opinionem ea videntur referri, in quibus peccatorum remiſſionem, miſericordiam, ac clementiam Dei *mortuis* apprecantur; ut eos ſcilicet Domini bonitas deletis omnibus ipſorum peccatis terribili illa die tutos præſtet; ſic, ut eos *ignis* tum in omnes ſuſcitatos exarſurus non conſumat, aut tabefaciat, ſed innoxius lambat, illæſoſque tranſmittat.

Fateor & alia eos precari, quæ nihil quidem cum tribus iſtis ſupra à nobis explicatis cauſſis commune habent, ſed neque ullo modo ad *purgatorium* Romanum pertinent; Quale eſt verbi gratia, quod Syri *mortuis bonam memoriam* precantur; id eſt *præclarum* apud homines *famam*, nomenque in mundo, ac in Eccleſia glorioſum; quo fortaſſe
L. 2. de purg. c. 18. §. Ad reliqua. reſpexit Innocentius, dum ſcripſit (ut eſt apud Bellarminum) *Eccleſiam, cum petit gloriam ſanctis, id petere, ut apud nos eorum gloria creſcat, totique mundo innoteſcat.*

L. 1. tit. 15. Quale etiam illud eſt, quod defunctis *beatam illam reſurrectionem precantur*, quam vetuſtiſſimi *ſecundam*, nos unam futuram credimus; quo pertinet illa vetus formula, quæ in Cæremoniali Romano etiam nunc legitur, titulo de morte & exſequiis Cardinalium; *Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius; te ſupplices deprecamur, ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui N. per manus ſanctorum Angelorum deducendam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, reſuſcitandam in noviſſimo judicii magni die.* Eo etiam referri poteſt, quod Syri defunctorum non modo *animabus & ſpiritibus*,
Bibl. p. T. 6. p. 39. c. d. ſed etiam *corporibus tribui à Domino requiem* optant; *eorumque oſſa rore miſerationum ejus conſpergi* poſtulant, ut nuper recitavimus. Iſtis enim nihil aliud ſignificari patet, niſi ut disjecta corpuſculi noſtri (ut ita dicam) rudera propitius ſervet, miſericordique intuitu ſic foveat, ut ipſius olim benedictione, ac juſſu, velut *cœleſti* quodam *rore*, vegetata, ac vivificata in æternam gloriam reſurgant. Nam omnino videntur iſti ad hæc Iſaiæ verba, ſane non inſcite, neque ineleganter al-
Iſai. 26. 19. ludere; *Vivent mortui tui; interfecti mei reſurgent; Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus*; vel ut alii ex Hebræo reddunt, *ros olerus, ros tuus.*

Denique hoc etiam ordine cenſendæ ſunt illæ preces in quibus fœlicem, ac exoptatum defunctis ultimi judicii exitum precantur; qua-

lis

lis illa oratio eſt, quæ etiam nunc apud Latinos extat; *Non ergo eum quæſumus, tua judicialis ſententia premat, quem vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis.* *In form. prec. pro mort.* Item in alterius orationis præfatione; *Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu fratris noſtri*, &c. *ut cum judicii dies advenerit, inter ſanctos & electos ſuos eum in parte dextera collocandum reſuſcitari faciat.* Alibi; *Dum veneris judicare noli me condemnare.* &; *Libera me Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt, & terra; dum veneris judicare ſæculum per ignem.*

Atque hæc quidem omnino ſunt, quæ veteres in ſuis *pro mortuis precibus* ſequuti videntur; quæ quam ſint & univerſa, & ſingula à Romano *purgatorio* aliena, clarius eſt, quam ut monere neceſſe ſit.

CAPUT X.

Ex ſuperioribus ſolvuntur & explanantur veterum pro mortuis objectæ ab adverſariis preces; primi & ſecundi ordinis.

IAm ne quid deſit, objecta ab adverſariis Patrum loca, ex iis, quæ hactenus diſputavimus, breviter ſolvenda ſunt.

Ac primo quidem ex his concidunt illa, quæ ſimpliciter probant veteres *pro mortuis precatos* eſſe; qualia ſunt omnia à Bellarmino ex Conciliis citata, & ex ipſis Patribus non pauca. Supervacaneam iſtius *L. 1. de purg. c. 9. & 10.* fuiſſe in iis conquirendis diligentiam nunc quidem conſtat. Non enim jam quærimus, *an veteres Chriſtiani Deum pro mortuis precati ſint*; ſed *an ex eo, quod precati ſint, ſequatur eos purgatorium credidiſſe.* Precatos concedimus; ſed *pro omnibus*; non, ut adverſarios, *pro quibuſdam* tantum; neque *ut mortuos purgatorio liberarent*; ſed alio plane animo; *ut* iis ſcilicet vel *in inferis*, & *in ſinu Abrahæ ſolatium*, vel *in prima reſurrectione ſortem*, vel ut *adverſus ultimi diei flammam præſidium*, vel *in terris honeſtam famam*, vel ad *beatiſſimam* atque *ultimam reſurrectionem jus*, vel denique *in judicio ſupremo miſericordiam, atque clementiam divinam* quærerent, ac impetrarent. De *purgatorii* civibus, neque cogitarunt umquam, neque vero cogitare potuerunt; qui ante Gregorii Romani, & Bedæ Angli, aliorumque poſteriorum deliria ac viſiones, orbi Chriſtiano non magis noti fuere, quam vel ante Mori litteras *Vtopiæ*, vel ante Galilæi teleſcopia, & Keppleri ſomnia, Levaniæ, id eſt *Lunæ incolæ*; æque omnes fabuloſi, & ex hominum vel ludentium, vel certe μελαγχολώντων deliciis nati.

Neque vero Bellarminum juvant veteribus memoratæ *pro defunctis oblationes*. Demonſtravimus enim veteres ita ſenſiſſe de iis, pro quibus fiebant, ut eos vel *in ſinu Abrahæ*, vel *in paradiſo*, loco utroque *ſubcœleſti* quidem, ſed longe à *purgatorii* regionibus diſſito habitare exiſtimarent. Neque ut eos ullis *purgatorianis* flammis liberarent, obtuliſſe inde liquet, quod hæc ipſa ſive *altaris*, ſive *eleemoſynarum* (ut ait Auguſtinus) *ſacrificia*, *oblationes pro mortuorum dormitione* dicebantur.

L. 1. ep. 9. Cyprianus; *Ne pro dormitione ejus ſacrificium offeratur.* Ibidem: *Non eſt quo pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.* Quo illud quoque per-

De monog. c. 10. tinet, quod Tertullianus jubet mulierem viduam *offerre annuis diebus pro dormitione mariti*; & quod idem alibi traditiones non ſcriptas re-

De cor. mil. c. 3. p. 121. d. cenſens ait, *oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus*; *pro natalitiis*, id eſt *pro morte*, vel, ut ex Scriptura loquebantur, *pro dormitione*; quam *natales*, vel *natalitia* fidelium dici Chriſtianis notum eſt, quod ſcilicet pii quo die ſæculo *denaſcuntur* eodem Domino *naſcuntur*. Quod enim nunc id nominis iis tantum diebus datur, quibus Sancti *mortui ſunt*, id eſt vel *Martyres* vel *confeſſores*, vel quorum ſingularis fuit pietas, id inquam recentiorum fuit inventum, poſtquam *purgatorii* fabula admiſſa eſt. Veteres, (ut vel ex hoc Tertulliani loco liquet) in genere diem quo quivis fidelis moritur, ejus *natalem* vocabant. Quæro igitur cur ſolennes iſtæ in Chriſtianorum mortibus oblationes *ſacrificia pro eorum dormitione* dicerentur? An quod ideo offerrentur, *ut obdormiſcerent mortui?* Nemo dixerit. Sed ita vocatæ ſunt, quod *ob dormitionem*, id eſt *mortem* eorum, *offerrentur*. Nimirum *eucharistiæ* erant *gratiarum actiones*, quod *mortuus fidelis* ex ſæculi malis fœliciter, & in Domini fide peracto curſu deceſſiſſet. Auctor

L. 3. in Job. commentariorum in Iobum, qui vulgo Origeni, ſed falſo, tribuuntur, luculentiſſime id docet; *Priores diem nativitatis* (inquit) *celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum, & tentationum introitus: ſed mortis diem celebramus, ut pote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus; tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes. Sic itaque non diem nativitatis celebramus; quia in perpetuo vivent ii, qui moriuntur. Celebramus nimirum religioſos cum ſacerdotibus convocantes fideles una cum clero: invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas*

viduas ſaturantes, ut fiat feſtivitas noſtra in memoriam REQVIEI *defunctis animabus, quarum memoriam celebramus; nobis autem efficiatur in odorem ſuavitatis in conſpectu æterni Dei.* Hæc ille de oblationibus *pro mortuorum fidelium dormitione.* Quo hæc quoque Ambroſii pertinent; *Nos quoque ipſi* (inquit) *natales dies defunctorum obliviſcimur, & eum, quo obierint diem, celebri ſolennitate renovamus.* (*Orat. de fide reſurr. T. 3. p. 466. d.*) Quid hæc ad *purgatorium*? Quid iis à *purgatorio* magis alienum? Priſci pios *dolorem in morte deponere* putabant; adverſarii eos morte in cruciatum mitti exiſtimant. Illi mortui *refrigerio* gaudebant; hi ejuſdem ſuppliciis illacrymant. Illi lætantes *gratias de mortui requie agebant*: hi triſtes, ac ſolliciti ejus *pœnam deprecantur.* Horum denique oblatio, *luctus* eſt; illorum, *feſtivitas* ac triumphus.

Sed (inquit adverſarius) veteres *refrigerium* mortuis petebant. Tertullianus de vidua, virum lugente; (*De monog. c. 10.*) *Pro anima ejus oret* (inquit) *& refrigerium interim adpoſtulet ei.* Scio; ſed quod *refrigerium* intelligat, ipſe alibi explicat; non ſane *purgatorii ardoris*, cujus nuſquam ille meminit, aliquam remiſſionem, vel ab eo liberationem, & in cœli gaudia introductionem; Sed *in ſinu Abrahæ ſolatium*, dum reſurrectio expectatur. (*l. de an. c. 35.*) *Dedignantur* (inquit de Gnoſticis) *in Abrahæ ſinu exſpectandæ reſurrectionis ſolatium capere.* Alibi: *Sinus Abrahæ* (inquit) *interim* (id eſt dum expectatur reſurrectio) *refrigerium præbiturus eſt animabus juſtorum.* (*l. 4. contr. marc. c. 34.*) Ex his clarum eſt, quid hic velit viduam à Deo precibus expoſcere, ut marito ſcilicet dum is *in ſinu Abrahæ* reſurrectionem exſpectat, digna eo loco ſolatia, ac *refrigeria* præbeat. Nam cum *ſpes, quæ differtur, affligat animam*; (*Prov. 3.*) nulla vero ſit major, aut ardentior expectatio, quam beatæ reſurrectionis; veteres exiſtimabant illis fidelium animabus ſæculo dimiſſis, necdum cœlo receptis, in ſolum futurum præmium intentis, neque in ulla alia cogitatione occupatis gravem fuiſſe tanti boni moram. Itaque ad levandam hanc curam, mitigandumque diſiderium, quo in tali ſtatu vehementer affici, ac ut cùm Ennio loquar, *coqui* illas credebant, Dei *ſolatium, ac refrigerium* iis poſtulabant; nimirum illam τῶν ἀγγέλων, καὶ ἀρχαγγέλων συντυχίαν, *Angelorum, & Archangelorum conſuetudinem*, Chriſtique ipſius, non quidem ἐννοηματικὴν αἴσθησιν. *Senſum ſecundum notionem*, qui rerum præſentium eſt, ſed tamen ὀπτασίαν *viſionem* qua ipſi animas in ſuis *receptaculis* frui aiunt, & illa divinæ lucis, ac lætitiæ incrementa, quæ ſupra deſcripſit Ambroſius. Hoc omnino eſt *refrigerium*, quod *mortuis* fidelibus *precabantur.*

Sed fortaſſe inſtabit aliquis; Cum *ſinus ille Abrahæ* hujuſmodi *refrige-*

frigerium animabus ibi verſantibus præbeat, videri Tertullianum putaſſe mortuum illum, cui *refrigerium adpoſtulari* jubet, non *in Abrahæ ſinu*, ſed in alio aliquo loco fuiſſe, *ardentem & æſtuantem*. Non enim ei *refrigerium adpoſtularet*, niſi quo eum carere crederet. Non autem

l.2.de purg.c.5. §.Altera. carere credidit, ſi *in ſinu Abrahæ* habitare putavit. Ad hæc ego duo reſpondeo; Vnum eſt, quod ab ipſo Bellarmino ſolerter ſane, ac vere eſt obſervatum; veteres in hujuſmodi precibus *pro mortuorum dormitione* uti eo modo loquendi, quaſi animæ tunc migrarent à corpore; quia commemorabant, & repræſentabant diem depoſitionis, ſive obitus; Hanc itaque viduam de qua Tertullianus, cum maritum quaſi tum primum de corpore migrantem ſpectaret, merito *adpoſtulare ei refrigerium*; hoc eſt *precari*, ut *in ſinum Abrahæ* admittatur, divinoque ſolatio, quo iſtic cæterorum fidelium animæ fruebantur, ipſe quoque refrige-

Ibid. retur. Ac ut teſte Bellarmino, non eſt abſurdum nunc poſt mille & ſexcentos annos, die adventus Domini dicere, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, & alia multa id genus; quia tunc repræſentatur illud dominici adventus myſterium, velut præſens, tametſi revera jampridem præteritum; ita non eſt abſurdum *die dormitionis fidelium* dicere, *Domine da illis refrigerium;* quia tum repræſentatur ac commemoratur mors ipſorum, velut præſens, licet re vera præterita ſit. Secundo reſpondeo etiamſi illa vidua virum, ut jam *ſinu Abrahæ* exceptum, atque in eo verſantem conſideraverit, non ideo tamen abſurdum eſſe ex veterum hypotheſi, ut *refrigerium* illi *adpoſtulaverit*; neque inde ſequi ut maritum ardere, aut æſtuare putaverit. Primum enim cum multi eſſent illius refrigerii gradus, lætitiæque qua animæ fruebantur, diverſi, ut ex Ambroſio audivimus, ordines; abſurdum non eſt, ut ejus *incrementa* ſuis mortuis veteres exoptaverint. Iam vero vulgare eſt, ut *fidem*, *ſpem*, *pacem*, *ſpiritum* à Domino etiam ii petant, qui donis iſtis non omnino carent. Cupiunt ſcilicet iſta ſibi augeri, *fideique* ac *ſpiritus* nomine majorem, & uberiorem iſtorum bonorum copiam intelligunt. Itaque & veteres, dum *refrigerium* ſuis mortuis precabantur, non id petebant iis dari, quo omnino carerent; ſed augeri, largiuſque affundi ea ipſa ſolatia, quibus jam, ſed parcius fruebantur. Atque hunc fuiſſe eorum ſenſum

Hom. 32. in Matth. T. 1. in n.s.p. 373. d clariſſime demonſtrat Chryſoſtomus, dum *eleemoſynas & oblationes* memorans, quæ fiebant *pro mortuis*, ait earum hunc eſſe uſum, ἵνα πλείονα τούτῳ περιβάλῃ δόξαν, *ut huic* (ſcilicet mortuo) *majorem gloriam circumdent;* καὶ εἰ μὲν ἁμαρτωλὸς ἀπῆλθεν, ἵνα τὰ ἁμαρτήματα λύσῃ. εἰ δὲ δίκαιος, ἵνα προσθήκη γένηται μισθοῦ καὶ ἀντιδόσεως; *Et ſiquidem peccator deceſſit,*

deceſſit, ut ejus peccata ſolvat; ſi vero juſtus, ut mercedis, & retributionis adjectio, ſive augmentum fiat. Vnde liquet iſtum, & *pro juſtis* ipſis (quod ſupra demonſtravimus fuſius) precandum putaſſe, & iis aliquid *gratiæ* precibus conciliatum fuiſſe exiſtimaſſe. Quo & illud accedit, quod hæc à Tertulliano commemorata precatio futurum potius, quam præſens reſpicit; *refrigerium* (inquit) *interim adpoſtulet ei; interim*, hoc eſt dum reſurrectionem expectabit; quamdiu cœlo excluſus *in* illo *Abrahæ ſinu* detinebitur, ne juſtum ei ſolatium deſit toto illo ſuæ à Domino abſentiæ tempore. Fateor quidem cum Bellarmino *non videri ullo modo convenire, ut quis petat quod jam habet*; ſed abſurdum tamen non puto, *quod jam habes petere ut id quoque in poſterum habeas, quamdiu opus erit.* Cum enim eadem Dei bonitas nobis, quæ ſunt ad conſolationem neceſſaria, & nunc indulgeat, & in futurum tueatur, ac conſervet; apparet merito nos de iis, quæ jam habemus, & *gratias* ipſi *agere*, & ut ea ipſa in poſterum ſemper habeamus, ab eodem petere. Iam cum piorum animas nondum in fonte eſſe crederent veteres, ſed mediis atque adminiculis quibuſdam adhuc indigere, verbi gratia, *Angelorum conſortio, cuſtodia, luce*, continuoque divinæ providentiæ auxilio; non eſt mirandum, quod ea ſuis mortuis à Deo large præſtari, ac in finem uſque conſtanter apud eos perſeverare exoptaverint. Iam ſi dicas fruſtra hæc eos mortuis petiviſſe, quos ſciebant in eo ſtatu eſſe, ut deflectere, aut deſciſcere amplius non poſſent; quibuſque adeo illa omnia certo, ac immutabiliter à Deo ad reſurrectionem uſque ſuppeditatum iri norant; Vt veteres ſic ſenſiſſe, neque quicquam de his dubitaſſe nunc donem; Reſpondeo cum Bellarmino *velle Deum nos orare etiam pro iis rebus, quas certo accepturi ſumus.* Neque enim quod *regnum Dei* certo *venturum* ſcimus, ideo non petimus, *ut veniat*; neque Chriſtus non *oravit* pro Lazari ſuſcitatione, quod eam certo ſe accepturum ſciret. Itaque nihil vetat, quo-minus veteres ſuis mortuis illud ipſum *refrigerium*, quo *in Abrahæ ſinu* frui eos putabant, iis deinceps ad reſurrectionem uſque continenter affundi peterent, etiamſi id ipſis numquam alioqui defuturum ſcirent. Nimirum Deo gratum eſſe arbitrabantur, ut quæ ipſe ſponte nobis donare conſtituit, ab eo tamen *acriter*, ac *indeſinenter* petamus; quamdiu quidem in eo ſtatu res noſtræ ſunt, ut ſit adhuc precibus locus.

l.1.de purg.c.9. §. Neque videtur.

l.2.de purg.c.5. §. Dua.

CAPUT XI.

Solvuntur adverſariorum ex veterum pro mortuis precatione tertii, & quarti ordinis objectiones.

SEd adverſarii illud etiam tertio objiciunt, quod veteres mortuis miſericordiam peterent; ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν ἐλέους δεόμενοι, inquit Epiphanius, *pro peccatoribus miſericordiam implorantes*; quod non videntur facturi fuiſſe, niſi eos, pro quibus ſic orabant, aliquid *pati* exiſtimaſſent: Ego vero nego conſequentiam. Nam etiam ſanctiſſimis, ac beatiſſimis divina miſericordia opus eſt; non quidem, ut miſeriis & *pœnis*, quibus carent, eripiantur; ſed ne in miſerias, & pœnas, quibus per ſe digni erant, incidant. Certe cum pii ex mortuis ad beatam vitam reſuſcitati *coram Chriſto ſiſtentur*, nemo, credo, tum eos dixerit vel *igne*, vel alia aliqua pœna laboraturos. Erunt enim ab omnibus hujuſmodi malis immunes. Et tamen etiam tum divina iis miſericordia opus erit; neque quiſquam eorum eſt, qui non illam tum quoque à Domino ſit flagitaturus coram tremendo ejus tribunali con-
2.Tim. 1.16. ſiſtens. Certe Paulus eam Oneſiphoro iſtic quoque precatur; *Det Dominus Oneſiphoro miſericordiam invenire apud Dominum in die illa*; non ut ab aliquo malo, in quo tum ſit futurus, liberetur; ſed ne in ſempiternum exitium, quo ſi ſummo jure cum eo agatur, dignus eſſet, mittatur. Eadem eſt precum iſtarum apud veteres pro mortuis ratio. Quod mortuis poſcunt *miſericordiam*, eo fit quidem, ut *mortuos* ſupplicia, ac *pœnas* commeritos eſſe crediderint, quibus eripi non aliter, quam ſumma Dei clementia, atque miſericordia poſſint: quod ſane veriſſimum eſſe fatemur; non fit tamen, ut eos in aliquo cruciatu fuiſſe putaverint; quod neque hic, neque uſquam alibi ſibi in animo fuiſſe teſtantur.

Huc pertinet illa Auguſtini pro mortua matre à Bellarmino allata, à
repliq. pag. 824. confeſſ. l. 9. cap. 13. T. 1. Perronio noſtro toties decantata oratio; *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei (ſepoſitis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago) nunc pro peccatis matris meæ deprecor te; exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam te interpellas pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & corde dimiſiſſe debitoribus ſuis*; Dimitte *illi & tu* debita *ſua, ſi qua etiam contraxit per tot annos poſt aquam ſalutis. Dimitte Domine; dimitte obſecro; Ne intres cum ea in judicium.* Superexaltet miſericordia judicium,

quoniam

quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus. Quod ut eſſent, tu dediſti eis, qui miſereberis cui miſertus eris, & miſericordiam tuam præſtabis, cui miſericors fueris. Hæc Auguſtinus. Nimirum cupit non ex jure, ſed ex gratia cum Monica agi; & pœnas, quas ejus peccata merebantur, eas deprecatur; non quas ipſa jam patiebatur, ſed quas ne pateretur, metuebat. Mox explicat, quid illud ſit, quod metuebat; *Nemo* (inquit) *à protectione tua dirumpat eam. Non ſe interponat nec vi, nec inſidiis leo & draco.* Iſta vero, quæ deprecatur, non *purgatorii*, ſed gehennæ ſunt mala, ut quivis videt. Hoc enim vult ne illa Diaboli, *leonis* & *draconis* myſtici, vi vel fraude in *gehennam* abripiatur. Vnde patet, quam ſit inanis Perronii cavillatio, qui hic nos jubet obſervare non expectaſſe Auguſtinum, *ut precum pro Monica ſuarum effectum in die demum judicii impleatur*; idque probat ex ſequentibus ejus verbis. *Et credo jam feceris, quod te rogo; ſed voluntaria oris mei approba, Domine.* Quid hoc ad rem? Quaſi vero quiſquam ſit adeo ſtultus, ut putet Auguſtinum ante judicium quidem matrem Diaboli inſidiis, aut truculentiæ expoſitam voluiſſe; tantum caviſſe, ne die illo tremendo ei dederetur. Fatemur eum exoptaſſe & *nunc* & *in æternum* matris animam in tuto collocari, & ab omnibus peccatorum pœnis liberari. Quæritur an ea mala, quæ deprecatur, *purgatorii* cruciatus fuiſſe ex eo ſequatur, quod has pro illa preces apud Dominum fudit. Hoc vero tantum abeſt ut in animo habuerit; ut ipſe diſerte ſignificet ſe per illa mala *leonis* & *draconis* vim, atque inſidias, id eſt *gehennam* ſignificare, non adeo *purgatorium*. Verba vero à Perronio allata oſtendunt eum certam jam animo ſpem præcepiſſe de Matris ſalute; neque tamen ideo ab ea commendanda abſtinere; quod Deus ſuorum pietatem, etiamſi minus alioqui neceſſariam, gratam acceptamque habeat. Certe ea fuerat ſanctæ illius mulieris pietas, & fides, ut non ſit dubitandum, quin de ea Auguſtinus id quod alibi de Nebridio, & ſentiret & diceret; *Quicquid illud eſt, quod illo Abrahæ ſignificatur ſinu ibi mater mea vivit; ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus?* Neque item dubitandum eſt, quin pro Nebridio, de cujus ſalute tam certo confidit, eaſdem tamen, quas pro matre, preces Deo obtulerit; neutras adeo conficere ullam in ejus animo vel de matris, vel de Nebridii in *purgatorianis* flammis cruciatu opinionem hæſiſſe. Nihil aliud utrique ſuis illis precibus petebat, niſi ut à gehenna tuti, atque incolumes & nunc, & perpetuo ad regni cœleſtis æternam fœlicitatem ſervarentur.

Ibid.

repl. p. 824.

l. 9. conf. cap. 3. T. 1.

Eadem mens eſt veteris illius pro mortuis orationis, quæ à Bellarmi-

no recitatur; *Domine Ieſu Chriſte, rex gloriæ, libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; Libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus; ne cadant in obſcurum.* Qualis item illa eſt de quodam mortuo; *Et quia in te ſperavit, & credidit, non pœnas æternas ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſſideat.* Tune ex his colliges animas fidelium fuiſſe in *pœnis inferni*, æternis, in *Tartaro*, & in *ore leonis*? Abſit. Ergo vides, non ex eo quod veteres mortuos *miſericordia perfundi, malis liberari, refrigerari*, &c. petiverint, conſequens eſſe, ut eos aliqua mala jam tum paſſos eſſe crediderint. Mala deprecabantur, non in quibus eos jam tum fuiſſe putabant, ſed in quæ ne ii inciderent ex ſollicito caritatis ingenio metuebant.

B bl. P. T. 6. pag. 161. a. In hæc etiam diſerta eſt illa Gotthici Miſſalis vetus formula; *Siqui ex his* (mortuis ſcilicet fidelibus) *dæmonum fraude decepti errorum ſe multis maculis polluerunt, tu Domine, qui ſolus potens es peccata eorum concede, ut quos damnationis ſuæ participes diabolus gloriabatur, effectos eſſe per miſericordiam ſocios tuæ beatitudinis ingemiſcat.* Vides ut eos *gehenna*, & *damnatione*, non autem *purgatorio*, eripi velint, inque æternam beatitudinem vindicari?

ep. 5. ad Delfin. Atque ita accipienda eſt illa Paulini mirifica ſane ad Delfinum pro mortuo fratre deprecatio; *Fac* (inquit) *ut orationibus tuis illius animam de minimo ſanctitatis tuæ digito deſtillans refrigerii gutta reſpergat.* Alludit ad *epulonem*, qui non in *purgatorio*, ſed in media gehennæ flamma fuit. Ergo & fratrem deſcribit velut in *æternis* illis *ignibus* ardentem, & æſtuantem; Delfinumque ei, quam à Lazaro fruſtra ſuperbus ille dives expetivit, *refrigerii guttam digito* aſpergentem. Siquis hæc verba ſevere, & ex ſummo jure expendat, difficile eſt ea ad verum aliquem ſenſum revocare; ut de iſtis non immerito dici poſſe videatur, quod Ieſuita Salmero de multis hujus generis dixit, *deprecantes ea ſæpe verba fundere, quæ quorſum tendant, & quid poſtulent ipſi prorſus ignorent.* Sed ſi rhetoricis, & poeticis ſchematis, quibus Paulinus qua Poeta fuit, paſſim gaudet, nonnihil indulgendum putes, eaque benignius interpreteris, Paulinus non aliud intellexit, niſi Delfini precibus fratrem gehenna ereptum iri; Deum ſcilicet ſanctiſſimi viri orationibus commotum, & ad miſericordiam flexum fratri, quæ peccatis meruerat, æterna gehennæ ſupplicia remiſſurum; eumque, qua per ſe indignus erat, conſolatione ac *refrigerio* ad beatam uſque reſurrectionem donaturum, ac (ut ſic dicam) ſuſtentaturum. Quid enim iſta aliud volunt? *illum de minimo ſanctitatis tuæ digito deſtillans refrigerii gutta reſpergat?* Hoc enim quod è Delfini precibus, ad fratrem manare credebat *refrigerium*

gerium de ejus digito deſtillare ad epulonis de Lazaro verba alludens, ideo dixiſſe videtur, quod *digitos*, ac manus precantes ad Deum tollerent. Ergo confitendum eſt Paulinum, vel ne hunc quidem credidiſſe in ea, è qua eripi illum cupit, pœna fuiſſe; vel certe putaſſe etiam qui ſunt in gehenna, eos ſuperſtitum precibus juvari poſſe; quod quamvis nonnullis patribus placuerit, ab adverſariis tamen, & merito quidem, rejicitur. *Bellarm. l. 2. de purg. cap. 18.*

Ex his etiam facile ſolvitur, quod iſti quarto loco objiciunt, veteres mortuis remiſſionem peccatorum petiviſſe. Chryſoſtomus enim ait *ſacerdotem precari Deum* τῶν ἁπάντων ἁμαρτίαις ἵλεων γενέσθαι, οὐ τῶν ζώντων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπελθόντων, *ut univerſorum peccatis ſit propitius, non viventium tantum, ſed & mortuorum.* *l. 6. de ſacerd. c. 4.* Et alibi idem ait *defunctis* τὴν συγγνώμην *veniam impetrari poſſe Eccleſiæ precibus.* *in 1. Cor. homil. 49.* Et alio loco non ita pridem à nobis laudato, *ſi peccator fuit, qui mortuus eſt*, ſuperſtitum *eleemoſynas* ait *ejus peccata ſolvere.* *Hom. 32. in Matth.* Sic Auguſtinus in iis, quæ nuperrime attulimus, Deum pro matris peccatis deprecabatur; & Gotthi pro defunctis orantes, *Domine* (inquiunt) *qui ſolus potens es, peccata eorum concede.* Dionyſius vero ait antiſtitem precari divinam clementiam, ut mortuo concedat πάντων τῶν δι᾽ ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἡμαρτημένων ἄφεσιν, *remiſſionem omnium quæ per humanam infirmitatem peccavit.* *Hier. eccl. c. 7.* Reſpondeo cum *remittere peccatum* ſit id, cujus puniendi jus & poteſtatem habes, *non punire* (quod ſupra jam diximus) qui mortuis *peccata dimitti* petunt, nihil aliud eos ſignificare, niſi ut quæ peccata Deus, ſi ſummo jure, & ex lege agere vellet, merito *punire* poſſet, ea *dimittat impunita*, neque ullas à fidelibus, qui ea commiſerunt, *pœnas* repoſcat. Itaque ex his precibus recte quidem colligitur iſtos mortuos, pro quibus fiunt hujuſmodi preces, peccaſſe dum eſſent in vivis, pœniſque ſi ſevere cum iis agatur, dignos eſſe, ac ne in eas incidant, divina ipſis gratia, ac miſericordia opus eſſe; quæ omnia ultro confitemur; In pœnis eſſe, uſtulari, aut cruciari, quo tempore hæc pro ipſis petuntur, (quod unum nunc quæritur) ex his confici non poteſt. Quin & ipſa Dionyſii verba huic adverſariorum dogmati repugnant. Petit enim non (ut iſti) *pœnas aut cruciatum mortuo remitti*, ſed τὰ ἡμαρτημένα, id eſt *ipſa peccata.* Tum petit *omnia dimitti*; Et in conſtitutionibus Apoſtolorum petunt à Deo, ut mortuo omne peccatum remittat ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον *voluntarium, & non voluntarium*; *l. 8. c. 41.* Mox; συγχώρησον αὐτῷ (inquiunt) εἴτι ἑκὼν ἢ ἄκων ἐξήμαρτε. *Condona ei, ſiquid tum volens, tum nolens peccavit.* Atqui nulli, ex adverſariorum ſententia, *omnia* poſt mortem *dimittuntur*, ſed quædam tantum. Vnde & hoc

neceſſario conficitur neque Dionyſium, neque cæteros veteres abſurdum putaſſe, ut idem peccatum *ſæpius à Deo remittatur.* Nam iſtorum, quæ nunc omnia mortuo dimitti poſtulant, fieri non poteſt, quin aliqua viventi jam dimiſſa eſſent. Nimirum toties peccata nobis remittere Deus intelligitur, quoties ea ex miſericordia non punit. Ergo nobis illa, & in hac vita *dimittit*, cum poſtquam peccavimus reſipiſcentes neque ſalutari gratia ſpoliat, neque iis *pœnis* afficit, quas eramus commeriti; & poſt mortem condonat, cum animas corpore ſolutas non in ſupplicium, ſed in quietem mittit; & in ipſo denique ultimo judicio ea etiam nobis ignoſcit, cum reſuſcitatos, non in *gehennam* cum damnatis præcipitat, ſed in gloriam cum Sanctis evehit.

Act. 3. Ideo Petrus illis quoque *refrigerii*, ut appellat, *temporibus*, id eſt ultima die, *peccata noſtra deletum iri* docet; & Paulus Deum rogat, ut *det*

2.Tim.1.16. *Oneſiphoro miſericordiam apud Dominum illa die invenire.*

l. 1. de purg. c. 10.§.B. Ambroſius. Vnde liquet, quam ſit inepta illa Bellarmini objectio, qui Ambroſium, quod pro Theodoſio, Valentiniano, & Satyro mortuis Deo ſupplicaverit, exiſtimaſſe colligit iſtorum animas fuiſſe in *purgatorio.* In quo quidem eo gravior eſt ſive fraus, ſive imprudentia, quod Ambroſius clariſſime teſtatus ſit, quid de iſtorum, pro quibus precatur,

Orat. de obit. Theodoſ. ſtatu ſenſerit. Nam de Theodoſio quidem ſic loquitur; *Et ille quidem abiit ſibi, regnumque non depoſuit, ſed mutavit; in tabernacula Chriſti jure pietatis aſcitus, in illam Hieruſalem ſupernam;* multaque alia hujuſ-

de ob. Valent. modi paſſim in illa oratione aſpergit. De ſecundo vero ſic; *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani; ſed jam credamus vel teſtimoniis Angelorum quod deterſa labe peccati ablutus aſcendit, quem ſua fides lavit,*

de obit. Satyr. *& petitio conſecravit.* Denique de Satyro fratre; *De iſtius beatitudine nequaquam utique dubitare debemus.* Plura alia ſunt ejuſdem generis in tribus illis orationibus, quibus iſtos tamquam ſuaviſſima quiete, maximaque lætitia, ac gloria jam fruentes deſcribit, quæ alibi opportunius afferemus. Ex his Ambroſium crediſſe apparet iſtos, ſi nondum in cœleſti beatitudine, certe in exoptatiſſima requie jam fuiſſe, planeque extra omnem cruciatum, quo tempore Deum pro iis precabatur. De Fauſtini ſorore, cujus item *animam orationibus proſequendam, oblationibuſque Deo commendandam* ait, idem quoque ſenſiſſe eum clarum eſt ex his verbis, quæ in eadem epiſtola habentur; *Hæc* (inquit) *ad*

l. 2. ep. 8. *tempus erepta nobis, meliorem illic vitam exigit.* Non ergo eam in *purgatorio* fuiſſe putavit; in quo (ſiquid iſtis credimus) miſerrime, inque perpetuis, noſtriſque omnibus malis longe gravioribus cruciatibus vi-

repliq. p. 824. vitur. Sed hic inſtat Perronius; ac fatetur quidem Ambroſium ſperaſſe

Theo-

Theodoſium propter excellentem pietatem jam in cœleſtem gloriam receptum eſſe, ſæpeque & paſſim de eo in hunc ſenſum loqui; ſed tamen, quod uni Deo, qui arcanos hominum nævos, defectuſque ſolus novit, hæc certo perſpecta eſſent, ejus animam Domino bis verbis commendare ait; *Da requiem perfecto ſervo tuo Theodoſio; requiem, quam præparaſti ſanctis tuis. Illo convertatur anima ejus, unde deſcendit; ubi mortis aculeum ſentire non poſſit, ubi cognoſcat mortem hanc non hominis finem eſſe, ſed culpæ. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt, ut jam peccato locus eſſe non poſſit. Reſurget autem, ut perfectior (renovato munere) vita reparetur. Dilexi; & ideo proſequor eum uſque ad regionem vivorum, nec deſeram donec fletu, precibus inducam virum, quo ſua merita vocant, in montem Domini ſanctum, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor; nulla conſortia mortuorum, viva regio viventium, ubi mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem.* Fateor hæc eſſe Ambroſii de Theodoſio verba; Inde ſequi, ut ejus animam in *purgatorio* eſſe crediderit, nego. *Requiem* (inquis) *ei exoptat.* Quid tum? Syri (quod ſupra obſervavimus) Deum rogant, ut mortuorum ſuorum *corporibus requiem* donet. Dic bona fide Perroni; an tu inde ſequi exiſtimas, ut iſti corpora, quæ ſic Deo commendant, *purgatorii* tui flammis uſtulata fuiſſe crediderint? Non, inquis. Solis enim animabus locum in purgatorio eſſe ſcio. Ergo & tu fateri debes non ex eo quod Ambroſius requiem Theodoſio à Domino petit, conſequens eſſe, ut eum in *purgatorio* fuiſſe crediderit. Sed quid argumentis opus eſt? Ipſe clamat, ſexcentiſque locis diſertiſſime profitetur Theodoſium apud ſanctos *in pace*, *& requie* verſari; pauloque poſt eadem illa, quæ deſcripſiſti, verba hæc ſubjicit; *Manet ergo in lumine Theodoſius; & ſanctorum cœtibus gloriatur. Illic nunc complectitur Gratianum, jam ſua vulnera non mœrentem, quia invenit ultorem; qui licet indigna morte præventus, ac præreptus ſit, requiem animæ ſuæ poſſidet. Ille bonus uterque, & pietatis interpres largius miſericordiæ ſua conſortio delectatur.* Profecto nihil iſtorum *purgatorianis* civibus convenit. *Quid ergo*, inquis, *ſibi vult* Ambroſius, *qui quiete fruenti quietem optat?* Iam ſupra pluribus dixi. Non *quietem*, qua careat; ſed ejus, qua fruitur, continuam poſſeſſionem, & à primis ejus gradibus profectum, & progreſſum ad ſuperiores, & ad ipſa faſtigia aſcenſum, intelligit; donec tandem ad beatæ reſurrectionis ſummum præmium perventum ſit. Quod ipſum poſtremis loci objecti verbis clariſſime ſignificavit, cum dixit, *ubi mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem*; quæ (ut omnes

De ob. Theod. p. 497. A.

Orat. de ob. Theod. p. 497. C.

 nes

nes vident) ad *reſurrectionem* pertinent. Ait igitur *ſe virum proſequi ad regionem vivorum*, *neque deſe. turum donec fletu*, *ac precibus eum inducat in ſanctum illum montem*; id eſt in cœleſtem poſt beatam reſurrectionem patriam; quæ non ita ſunt accipienda, quaſi Ambroſius eo uſque lacrymaturus, & precaturus ſit, donec Theodoſius reapſe ex mortuis reſuſcitatus, ac in cœlum corpore animaque tranſlatus fuerit; quod quam ſit abſurdum, nemo non videt. Sed familiare eſt ſcriptoribus ſacris de iis quæ à Domino votis, ac precibus impetravimus ſic loqui, quaſi de rebus jam peractis, & impletis; quod ea ſcilicet certo, ac immutabiliter futura ſint; Quo modo, ut alibi jam obſervavimus,

Gen. 27. 37. Iſaacus ait *ſe Iacobum filium dominum Eſavi conſtituiſſe*, *omneſque fratres ſervituti illius ſubjugaviſſe*; *frumentoque*, *& vino ſtabiliviſſe*; cum iſtorum nihil quo tempore hæc ajebat, adhuc contigiſſet; ſed quod hæc, ut certo aliquando fierent, voto ſuo ac benedictione à Domino impetraverat, non dubitat de iis ſic loqui, quaſi jam completa eſſent omnia. Ita noſter Ambroſius dum ſe Theodoſium ante deſerturum negat, quam eum in ſanctum montem induxerit, ubi eſt reſurrectio; ſignificat ſe nullum flendi, precandique finem facturum, donec à Domino impetraverit, ut ille aliquando ſuo tempore ac loco in æternam vitam ſuſcitatus una cum Chriſto & Angelis in cœleſte regnum transferatur.

Vbi ſupr. ſ. B. Hierony. Iam Bellarmini in Hieronymo non eſt fœlicius, quam Perronii in Ambroſio, acumen. Is enim conficit putaſſe Hieronymum Paulinam in *purgatorio* fuiſſe, quod Pammachium dicat pro ejus *mortuæ anima preces*, *& eleemoſynas obtuliſſe*. Nam & iſtam Hieronymus in eodem libro *cum Blæſilla ſorore apud Dominum eſſe*, *dulcique ſomno frui* affirmat; ex quo conſtat eam ex iſtius quidem ſententia, ubivis potius fuiſſe, quam in *purgatorio*; in quo qui ſunt, ii neque apud Dominum ſunt, neque ſane dulci ſomno fruuntur. Quod Bellarminus ex illis ipſis Hieronymi verbis, quæ deſcribit, diſcere potuit. *Cæteri mariti* (inquit)

Ad Pamm. de obit. Paul. *ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas*, *roſas*, *lilia*, *floreſque purpureos. Pammachius noſter ſanctam favillam*, *oſſaque veneranda eleemoſynæ balſamis rigat*; *his pigmentis*, *atque odoribus fovet cineres quieſcentes*, *ſciens ſcriptum*, Sicut aqua exitinguit ignem; ita eleemoſyna peccatum. *Sanctos* adverſarii non vocant, quos in *purgatorio* eſſe putant; neque eorum *oſſa veneranda* cenſent; neque denique *quieſcere* dixerint, qui *in flamma* habitant. Quis ergo eſt Hieronymi in iſtis ſenſus? Duo ſignificat; ut mihi quidem videtur; unum, ſanctæ mulieri gratiſſimam, ac jucundiſſimam eſſe viri in pauperes benignitatem; iiſque caritatis

Chriſtianæ officiis ipſius animam, non ſecus ac ſuaviſſimis quibuſdam floribus conſperſam, fragrantiſſimove balſamo delibutam gaudere. Alterum eſt, quod hæc Pammachii officia mortuæ conjugi proderunt; quatenus optimus Dominus iis ad miſericordiam provocatus ſuam clementiam magis, magiſque in Paulinam, cujus nomine iſta fiebant, exerturus eſt, condonatiſque peccatis, quæcumque olim admiſerat, corpus ejus paterna cura complexurus, ac tandem ſuo tempore in beatam immortalitatem ſuſcitaturus ſit. Hoc enim Hieronymus eleganter, ut ſolet, expreſſit, dum Pammachii *eleemoſynas balſamis* comparat, quibus *mortuæ favillæ*, *oſſaque rigentur*, & *odoribus*, *quibus cineres quieſcentes foveantur*. A quo dicendi genere non abludunt illa, quæ ſupra ex quadam Syrorum oratione, recitavimus Deum precantium, *ut mortuorum oſſa rore miſerationum ſuarum conſpergat*. (*Bibl. P. t. 6. p. 39. c.*) Et hæc, & illa Hieronymi utraque ad beatam corporum reſurrectionem ſpectant, cum qua *purgatorium* nihil commune habet.

CAPUT XII.

Solvitur quinta ex veterum pro mortuis precatione objectio, ex ea quam ei Patres tribuunt utilitate deſumpta. Duo obſervanda. I. quoſdam veterum etiam damnatos precibus ſuperſtitum juvari exiſtimaſſe. II. precum pro mortuis utilitatem multos in dubium revocaſſe.

DEnique ex his omnibus nullo negotio ſolvuntur quæcumque adverſarii de *precum* & *oblationum pro mortuis* utilitate ex veteribus magno numero afferunt. (*De cur. pro mort. c. 4. tract. 32. de verb. Ap. enchir. c. 110.*) Auguſtinus non uno in loco *utiliſſimas* eſſe docet; *neque dubium eſſe, quin proſint*; iiſque *mortuos adjuvari, ac relevari*. Auctor Quæſtionum ad Antiochum, [a] quæ Athanaſii Magni nomine falſo circumferuntur, quærit *num animæ ſentiant utilitatem ex orationibus vivorum*; reſpondetque omnino ſentire. Chryſoſtomus vero in hoc multus eſt; ut dum ex *eo quod mortuorum in myſteriis fiat commemoratio multum illis lucrum* ait *contingere*, *multam utilitatem*; eoſque ſuperſtitum precibus βοηθεῖσθαι *juvari* ſæpe ait, auditoreſque ad id officium ipſis præſtandum haud ſegniter hortatur. (*Hom. 69. ad pop. Ant. hom. 41. in 1. Cor. & 32. in Matth. & 84. in Ioan. & 3. in Ep. ad Phil. & 21. in Act.*) Theophylactus [b] itidem ſcribit non parum conducere has preces etiam *iis, qui in gravibus delictis mortui ſunt*. Reſpondeo me hæc omnia concedere; *purgatorium* ut veteres crediderint, inde confici, negare. Nam alios, & quidem multos uſus habere exiſtimaverunt illas pro defun-

[a] Q. 34.

[b] In Luc. 12.

ctis

ctis preces, ad eorum animas *in ſinus Abrahæ* pace, ac *quiete* fovendas, atque conſervandas, ad partem iis aliquam in *terreno* Chriſti *regno* olim obtinendam, ad *mercedis*, & *retributionis augmentum* illis quærendum, ad *ipſa eorum corpora è pulvere*, & *ſitu* in vitam *ſuſcitanda*, ad eos denique ab *ultimæ flammæ ſævitia*, *ultimique judicii rigore liberandos*. Qui ergo ad hæc tot, tantaque preces *pro mortuis* conferre putarunt, mirandum non eſt, quod eas *utiles* eſſe crebro dicant; neque ut hæc eorum dicta intelligantur, neceſſe eſt ad *purgatorium* adverſariorum confugere; de quo ne in ſomnis quidem quicquam eos cogitaſſe umquam puto.

Quo loco duo quædam obiter ſunt obſervanda. Vnum eſt, præter iſtos à nobis nuper commemoratos *precum pro mortuis* uſus, qui omnes fidelium duntaxat ſunt, quoſdam Patrum tam effuſæ eſſe benignitatis, ut eas etiam *damnatis*, qui in gehenna torquentur, prodeſſe voluerint. Quo in numero eſt Chryſoſtomus, cujus plurima teſtimonia huc congeſſerunt adverſarii. Nam is in Ioannem ſcribens, cum
Hom. 62. in Ioan. gaudendum potius, quam lugendum de viri pii obitu dixiſſet, addit ſi qui deceſſit peccator fuit, tum *illacrymandum* eſſe; neque id tantum, ſed etiam ποιεῖν τὰ δυνάμενά τινα παραμυθίαν αὐτῷ περιποιῆσαι, ἐλεημοσύνας, καὶ προσφορὰς, *faciendas eleemoſynas*, & *oblationes*, *quæ ei poſſunt aliquid ſolatii conciliare*. Ac nequis dubitet, quin peccatoris nomine *impium* intellexerit, in uno ex iis locis, qui à Bellarmino citati
Hom. 21. in Act. T. 3. in N. T. p. 202. c ſunt, de eo peccatore loquitur, qui οὐδεμίαν ἡμέραν ἔζησεν ἑαυτῷ, ἀλλὰ τῇ τρυφῇ, τῇ ἀσελγείᾳ, τῇ πλεονεξίᾳ, τῇ ἁμαρτίᾳ, τῷ διαβόλῳ; *nullum diem ſibi vixit*, *ſed luxui*, *intemperantiæ*, *avaritiæ*, *peccato*, *diabolo*. De iſto loquens, ſi eum (inquit) mori contigerit τοῦτον οὖν οὐ θρηνήσομεν εἰπέ μοι; οὐ πειρασόμεθα τῶν κινδύνων ἐξαρπάσαι; ἔστι γὰρ ἐστὶν ἐὰν θέλωμεν κούφην αὐτῷ γενέσθαι τὴν κόλασιν. ἂν οὖν εὐχὰς ὑπὲρ αὐτοῦ ποιῶμεν συνεχεῖς, ἂν ἐλεημοσύνην διδῶμεν, κἂν ἐκεῖνος ἀνάξιος ᾖ ἡμᾶς ὁ θεὸς δυσωπηθήσεται. *Dic mihi quæſo, non hunc plorabimus? non conabimur periculis eripere? Eſt enim ſi voluerimus, eſt leve illi fieri ſupplicium. Itaque ſi preces pro illo faciamus continuas, ſi eleemoſynam damus, etſi ille indignus ſit, Deus à nobis exorabitur*. Mox; ἐπίσταξον ἔλαιον; μᾶλλον δὲ ὕδωρ; *Inſtilla oleum, imo aquam*. Eleemoſynam ſcilicet *aquam* eſſe vult, qua affuſa mitigetur iſtius in gehenna incendium. Iam illius pœnam non diceret *leviorem* factum iri, ſed plane expiatum iri, ſi hominem non in tartaro, ſed ut adverſarii volunt, in *purgatorio* eſſe intellexiſſet. Idem oſtendunt, quæ mox adjicit *multos ex iis eleemoſynis*, *quæ ab aliis propter ipſos fiunt*, *lucrum*
Ibid. p. 203. a *percepiſſe*, εἰ γὰρ (inquit) καὶ μὴ τέλεον, ἀλλ' ὅμως παραμυθίαν εὗρόν τινα

nam

nam licet non perfectam (inquit) *attamen conſolationem aliquam nacti ſunt.* De iis nimirum loquitur quos aliena ſuffragia plane penituſque pœna omni liberare numquam queunt, quales etiam ex adverſariorum hypotheſi, ſunt ſoli *damnati.* Sed omnem pertinaciam franget ſequens locus, qui & ipſe à Bellarmino pro ſuo dogmate eſt allatus; κλαῦσον (inquit) τοὺς χωρὶς φωτίσματος ἀπερχομένους, τοὺς χωρὶς σφραγῖδος. οὗτοι ὄντως θρήνων ἄξιοι. οὗτοι ὀδυρμῶν. ἔξω τῶν βασιλείων εἰσὶ μετὰ τῶν καταδίκων, μετὰ τῶν κατεγνωσμένων &c. κλαῦσον τοὺς ἐν πλούτῳ τετελευτηκότας, καὶ μηδεμίαν ἀπὸ τοῦ πλούτου παραμυθίαν τῆς ἑαυτῶν ψυχαῖς ἐπινοήσαντας. τοὺς λαβόντας ἐξουσίαν ἀπολύσασθαι αὐτῶν τὰ ἁμαρτήματα, καὶ μὴ βουληθέντας. τούτους κλαίωμεν καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πάντες. *Luge eos, qui ſine baptiſmo, ſine ſignaculo deceſſerunt. Hi vere lacrymis; vere lamentis digni. Extra regiam ſunt una cum nocentibus, & damnatis* &c. *Luge eos qui in divitiis ſunt mortui, cum ex divitiis ſuis nullum animabus ſuis ſolatium comparaſſent; eos quibus abluendi peccata ſua poteſtas facta erat, & noluerunt. Hos quidem nos omnes & publice & privatim lugeamus.* idque à nobis tota vita continuari vult. Iam ut ſcias qualem ille luctum intelligat pauculis interjectis addit; Κλαίωμεν οὖν τούτους, βοηθῶμεν αὐτοῖς κατὰ δύναμιν, ἐπινοήσωμεν αὐτοῖς τινα βοήθειαν, μικρὰν μὲν, βοηθεῖν δὲ ὅμως δυναμένην. πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; αὐτοί τε εὐχόμενοι, καὶ ἑτέρους παρακαλοῦντες εὐχὰς ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖσθαι, πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόντες συνεχῶς. ἔχει τινα τὸ πρᾶγμα παραμυθίαν. Hos *igitur lugeamus; opem pro viribus feramus: aliquod ipſis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, ſed quod tamen juvare poſſit. Quomodo, quave ratione? Tum ipſi precantes, tum alios ad precandum pro iis hortantes, ac pro ipſis perpetuo dantes eleemoſynas pauperibus. Affert hæc res aliquid ſolatii.* Tum commemorata, atque amplificata earum *precum*, quæ in publicis ſacris *pro mortuis* fiebant, utilitate, hæc continenter ſubjicit: Ἀλλὰ τοῦτο μὲν περὶ τῶν ἐν πίστει παρελθόντων. οἱ δὲ κατηχούμενοι οὐδὲ ταύτης καταξιοῦνται τῆς παραμυθίας. ἀλλ' ἀπεστέρηνται πάσης τῆς τοιαύτης βοηθείας, πλὴν μιᾶς τινος. ποίας δὴ ταύτης; ἔνεστι πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόναι. ποιεῖ τινα αὐτοῖς παραψυχὴν τὸ πρᾶγμα. *Atque id quidem de iis, qui in fide deceſſerunt. Catechumeni vero neque hac digni habentur conſolatione; ſed omni auxilio ſunt deſtituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc eſt? Licet pauperibus pro ipſis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.* Chryſoſtomus (inquit Bellarminus) *ſolum videtur negare orandum eſſe publice, vel ſacrificandum pro Catechumenis.* Itane vero? Atqui ille non modo videtur definire, ſed clariſſime definit, primo pro *baptizatis* etiam *damnatis*, quales iſtos *mortuos* deſcribit, Eccleſiam publice orare in ſolennibus ſacris, eorumque

Hom. 3. in Ep. ad Phil. T. 6. in N. T. p. 32. b.

Ibid. d.

Ibid. p. 33. a.

L. 2. de purg. c. 18. §. Ad tertium.

rumque ſalutem Deo commendare; ſecundo ipſis *has* Eccleſiæ *preces prodeſſe*. & afferre fructum, exiguum quidem illum, ſed tamen aliquem: Tertio catechumenos iſto quidem ſubſidio carere, ſi in eo ſtatu diſceſſerint; (nam pro iis tantum mortuis orabatur olim publice, qui in Eccleſiæ communione deceſſerant, extra quam cenſebantur catechumeni;) ſed eos tamen juvari poſſe privatis ſuorum eleemoſynis, atque orationibus.

Neque mirum videri debet, quod Chryſoſtomus ſic ſenſerit. Auguſtinus id ipſum confirmat, dum ait *quibus proſunt ſuffragia, aut ad hoc prodeſſe, ut plena fiat remiſſio, aut tolerabilior ſit ipſa damnatio*. Quod vero ait Bellarminus eum ſignificare *mitigationem pœnarum purgatorii*, id inquam ineptum eſt. Nam ne ipſi quidem adverſarii ſalvandorum in *purgatorio* cruciatum, *damnationem* appellare ſolent; quo vocabulo ita ſimpliciter, ut hic ponitur, poſito omnes Chriſtiani miſeram eorum qui in gehenna cruciantur, conditionem intelligere ſolent. Deinde cum omnium, qui in *purgatorio* detinentur, plenam remiſſionem factum iri ipſi tradant, certe qui in *purgatorio* tenentur non ſunt iſti, quorum *tolerabiliorem damnationem ſuffragiorum* vi fieri ait Auguſtinus; quippe quos iis opponit, quibus *ſuffragia ad hoc proſunt, ut plena fiat remiſſio*; id eſt, ut quidem accipiunt adverſarii, *purgatorii* incolis. Majorem habet ſpeciem Perronii ſolutio; qui ait hoc ſecundum (nimirum *ſuffragia ad hoc prodeſſe, ut tolerabilior ſit ipſa damnatio*) dicere Auguſtinum non ex proprio judicio, ſed ex eorum ſententia, qui exiſtimabant homines, quantumvis impie, ac ſcelerate vixiſſent, ſi tamen in externa Eccleſiæ catholicæ communione manſiſſent, ac deceſſiſſent, *ſervatum iri* poſt aliquot *gehennæ* tormenta. Non jam inquiro in hanc Perronii ſolutionem, quæ ſi ſerio expendatur, vix ſtare poteſt, cum ii ex quorum hypotheſi vult Auguſtinum loqui, iſtorum *damnationem* non *tolerabiliorem* fore, ſed plane *deſituram* aliquando dicerent; eoſque non tantum parte aliqua cruciatuum levatum iri, ſed plene penituſque liberatum iri contenderent; ita ut multo ſatius eſſe videatur hæc tamquam ex ipſius Auguſtini ſenſu dicta accipere; qui contra iſtos alibi diſputans eo propendet, ut concedantur quorumdam, etiam *damnatorum*, pœnæ nonnulla Dei miſeratione *mitiores*, levioreſque futuræ, quam merita erant eorum. Nam ſi hoc, (cui ſe *non reſiſtere* profitetur Auguſtinus) admittatur, conſentaneum erit etiam illud, quod hic ait, ponere preces ſuperſtitum etiam ad hoc iſtis *damnatis prodeſſe* poſſe, *ut eorum tolerabilior ſit damnatio*. Sed nihil opus eſt iſta nunc quidem ſubtilius perſequi. Nam ſatis nobis eſt ad præſentem

Enchir. c. 110.

Vb. ſup. ſ. Reſpondeo.

Repliq. l. 5. inſ. 3. ch. 11. p. 825.

L. 21. de civ. D. c. 24.

ſentem quæſtionem, quod Perronius concedit; iſtos (nempe quorum hic ſententiam non probat, ſed ſupponit Auguſtinus) exiſtimaſſe hujuſmodi hominibus, tametſi *damnati*, & in gehennæ cruciatu ardentibus, *prodeſſe* ſuperſtitum *ſuffragia*. Nam cum hujus ſententiæ ſectatores catholicos etiam aliquos fuiſſe alibi teſtetur; profecto conſtat non unum Chryſoſtomum, ſed alios etiam Chriſtianos ſenſiſſe ipſis *damnatis prodeſſe* hæc quæ vocant *ſuffragia*. Quin & fuiſſe clarum eſt, qui ultra progreſſi ſunt; putaruntque ſuperſtitum precibus *damnatorum* ſupplicia, non mitigari tantum poſſe, quod ajunt Chryſoſtomus & Auguſtinus, ſed etiam penitus exſtingui, ac remitti. Baſilius quidem Seleucienſis non ignobilis quinti ſæculi auctor, narrat Theclam, cujus vitam proprio opere deſcripſit, Falconillæ in Paganiſmo mortuæ animam precibus ſuis à Deo impetraſſe, à Tryphæna puellæ matre rogatam; idemque refert Damaſcenus; qui huic hiſtoriæ aliam etiam adjungit ejuſdem omnino farinæ, de Gregorio primo Romæ eſpiſcopo, quem ait Trajani Romani Imperatoris in Paganiſmo mortui animam precibus ſuis de inferno liberaſſe. Magna de his lis eſt inter adverſariorum Theologos; aliis ea vera defendentibus, aliis falſa contendentibus, ut apud Bellarminum videre eſt. Dauſquejus quidem ex Ieſuitarum grege iſta, ut vera tuetur, & cum ſuorum Theologorum placitis conciliare ſtudet. Quin & inter ipſos Romanæ ſcholæ viros inveniuntur non pauci, qui hæc quæ vocant, ſuperſtitum *ſuffragia damnatis prodeſſe* putant; alii quidem, ut Præpoſitivus, eo uſque, ut *progreſſu temporis omnibus exuantur pœnis, non tamen in perpetuum, ſed uſque ad reſurrectionem*; alii, ut Gilbertus, ſic ut *pœnæ reproborum adimantur, ſine earum abſumptione*; alii, ut Gulielmus Antiſiodorenſis, *ſic ut non quidem ipſæ pœnæ imminuantur, ſed ſic tamen, ut patiens ad eas tolerandas confirmetur, & corroboretur*; alii denique aliter; ut refert Sixtus Senenſis, qui adeundus eſt, ſiquis has penitius intelligere cupit Scholaſticæ ſubtilitatis minutias. Nobis quidem ad inſtitutum ſatis eſt, quod qui hæc de Thecla & Gregorio narrarunt Baſilius, & Damaſcenus, aliique ut Metaphraſtes, & ſcriptor vitæ Gregorii, exiſtimarunt *preces etiam pro damnatis* utiles eſſe. Quo & illud pertinet, quod Damaſcenus in illa *de mortuis adjuvandis* homilia ex Lauſiaca Palladii hiſtoria adjicit, Macario Magno aſſidue pro mortuis oranti, anxieque perquirenti, *an orationes ſuæ defunctis prodeſſent*, cranium quoddam aridum hominis idololatræ, forte in via jacens, divino juſſu ſubito in vocem prorumpens reſpondiſſe, *Quando ô Macari, pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti ſentimus*; ut

L. 1. de vit. S. Thecl. p. 260. B C

Orat. de iis qui cum fide de vita exceſſer.

L. 2. de purg. c. 8.

Notis in Baſſel. p. 384. A

Bibl. l. 6. annot. 47.

ut habetur, tum apud Sixtum, [a] tum apud ipſum etiam Bellarminum. [b]

a *Vb. ſupr.*
b *L.2.de purg. c.18. §. Praeterea.*

Prudentius certe ipſe in eadem ſententia fuiſſe videtur. Vult enim perditas noxiorum animas in pervigilio Paſchæ, quod olim totum Chriſtiani precibus & ſacrificiis traducere ſolebant, à tormentis quieſcere; ut ait Sixtus. Ille autem ſic canit;

Prud. hym. de nov. lum. paſch. ſabb.

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub Styge feriæ
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheruntiis.
Marcent ſuppliciis Tartara mitibus,
Exſultatque ſui carceris otio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec fervent ſolito flumina ſulphure.

Vb. ſup. §. Ad quintum.

Quod vero ait Bellarminus *nihil aliud dicendum, niſi poëtico more luſiſſe Prudentium*; reſpondeo ipſum nihil aliud, quam ſophiſtico more Prudentii dictum eluſiſſe. Quis enim crediderit Prudentium in opere metrico quidem illo, ſed tamen gravi, & ſacro ad oblectandum lectorem mentiri voluiſſe, fabellamque quam ipſe falſam & inanem eſſe crederet, pro re vera nobis propinare? Atque ex his abunde patet, quam ſit fallax & inefficax illud adverſariorum argumentum, quo Patres *purgatorium* ſuum ſciviſſe ex eo colligunt, quod *preces pro mortuis utiles eſſe* ſcripſerint; quas illi non tantum *ſanctis* & *juſtis*, ut ſupra demonſtravimus, ſed & ipſis *damnatis*, ut jam liquet, *prodeſſe* putaverunt.

Alterum hic obſervandum illud eſt, quod etiamſi ſupra laudati Patres *preces pro mortuis utiles* eſſe ſenſerint, non videtur tamen id extra controverſiam apud veteres Chriſtianos fuiſſe. Nam (ut Aërium, & ejus ſectatores mittam, quos Epiphanius eo nomine inter hæreticos cenſuit, quod totum hoc inſtitutum, tamquam *inutile*, ac *ſupervacaneum* exploderent) certe Cyrillus Hieroſolymitanus multos fuiſſe ſua memoria teſtatur, qui de harum *precum utilitate* dubitarent; οἶδα γὰρ πολλοὺς (inquit) τοῦτο λέγοντας, τί ὠφελεῖται ψυχὴ μετὰ ἁμαρτημάτων ἀπαλλασσομένη τοῦδε τοῦ κόσμου; ἢ οὐ μεθ' ἁμαρτημάτων, ἐὰν ἐπὶ τῆς προσευχῆς μνημονεύεται; *Scio enim multos dicere, Quid juvat animam ſive cum peccatis, ſive abſque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamſi in hac oratione mentio illius fiat?* Ac ille quidem huic iſtorum dubitationi ſic reſpondet, ut videatur ſtatuere etiam ipſos *damnatos* aliquid ſolatii ex ſuperſtitum orationibus percipere. Eo etiam ſpectabat ille Chryſippi Hieroſolymitani tractatus, cujus hoc lemma extat apud Photium; ὅτι

Catech. myſt. 5. p.241. d

Bibl. cod. 171.

πάντως

πάντως αἱ ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει τελευτησάντων τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιτελούμεναι θυσίαι, καὶ προσφοραὶ, ἢ ἄλλως δεήσεις, καὶ ἐλεημόσυναι ὑπὲρ αὐτῶν, περὶ τῶν πιστῶν ἐλευθερίαν, καὶ πταισμάτων ἄφεσιν καταπραγματεύονται τοῖς ὑπὲρ ὧν ἐπιτελεῖται ταῦτα. Non enim iſte videtur de hoc argumento librum ex inſtituto confecturus ac editurus fuiſſe, niſi ea res à nonnullis in dubium vocata fuiſſet. Quid ? quod apud eumdem Photium cujuſdam Stephani Gobari volumen memoratur, in quo inter multa, quæ inſtar problematum, in utramque partem ex contrariis Patrum ſententiis diſputabantur, hoc etiam inerat, *An mortuis proſint preces, & oblationes pro ipſis factæ?* Hoc certe argumento eſt, contraria etiam apud Patres extitiſſe ea de re judicia. In ipſa quinetiam ſæculorum fæce apparet fuiſſe, qui totum hunc ritum contemnerent. Extat enim (ne quid de Petro Bruſio, Henrico diſcipulo, Valdenſibus, Albigenſibus &c. dicam) Cleri Piſani ad Hugonem Etherianum, quem ſub Alexandro tertio Pontifice Romano vixiſſe tradunt, epiſtola, in qua iſti teſtantur fuiſſe apud ſe, *qui cum ſupra memoratis dicerent mortuis fidelibus neque orationes, neque denique ſacrificia conferre.* Ipſe vero Hugo in libro, quem ex ea occaſione ſcripſit, *Scio* (inquit) *pleroſque vanis opinionibus deformari, putantes non eſſe orandum pro mortuis, eo quod neque Chriſtus, neque Apoſtoli ejus ſucceſſores hæc ſcriptis intimaverint.*

cod. 232.

Bibl. PP. T. 9. p. 388.

l. de an. corp. ſol. c. 13. p. 410. c

Imo ne ipſi quidem illi, qui *purgatorium* conſtituunt, videntur uſquequaque de *ſuffragiorum pro mortuis efficacia* perſuaſi fuiſſe. Vnde illa Gregorii; *Inter hæc* (inquit) *penſandum eſt, quod tutior ſit via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe, dum vivit per ſe.* Quo & illa Gerſonis, plane ſimilia pertinent, quem refert clariſſimus Grotius, *vita manente preces & pro ſe, & pro aliis fieri maluiſſe, & allaborari, ut anima hinc quam purgatiſſima decedat.*

Dial. l. 4. c. 58.

Annot. in conſult. Caſſ. tit. de ſacr. corp. & ſang. Chr.

CAPVT XIII.

Depulſio invidiæ, quam nobis adverſarii ob abrogatas preces pro mortuis, conflare ſtudent. Concluſio.

ATque hæc quidem de veterum *precibus pro mortuis* dicta ſunto; ex quibus patet, quam falſa ſit, & iniqua omnis illa invidia, quam nobis eo nomine conciliare ſtudent adverſarii, quod ille *pro mortuis orandi* vetus ſane uſus apud nos abrogatus ſit. Mitto, quod cum nihil ea de re Dominus in Scripturis præceperit, merito putamus nefas *ultra Magiſtri regulam ſapere.* Mitto ipſam rei totius incertitudinem, atque infirmitatem, quæ tanta eſt, ut vix explicari queat,

Neque enim nunc quidem de eo argumento diſputare propoſitum eſt, quod eo tantum hîc attigimus, ut demonſtraremus ex iſtis *precibus*, qualeſcunque de cætero ſint, *purgatorium*, quod volunt adverſarii, minime ſequi. Hoc unum in præſentia dicam; Si veterum *pro mortuis preces* omittere crimen eſt, totum hoc crimen adverſariorum nobiſcum commune eſſe. Nam iſti jam pridem eas *pro mortuis preces* fundere deſierunt, quales fundebant vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, idque ſuperiori diſputatione abunde comprobatum eſt. Neque eſt, quod ſe ipſa etiam veterum verba retinere reſpondeant. Primum plurima ſunt ab iis immutata; Non pauca interpolata; & ſi germana, ac genuina veterum liturgia extaret, clarius appareret inverſa, ac transformata eſſe omnia. Nunc cum veteribus vel abolitis, vel immutatis, & incruſtatis recentia, pro ut emergunt, ſola fere obtineant; difficile eſt inde judicare, quid inter utraque interſit. Opiniones, & ſententiæ multo tutius, ac certius demonſtrant, quid ſit inter vetera, & hodierna diſcriminis. Et ſane non ex verbis, ſed ex ſenſibus & ex ipſa hominum mente æſtimanda eſt eorum religio, omniſque in religione ritus. Nam ſi Paganus aliquis iiſdem verbis, quibus utuntur adverſarii, aut certe ſimilibus, *pro mortuis* precaretur; non ideo tamen ejus *preces* eædem cum iſtorum *precibus* eſſent exiſtimandæ; quod verba, quamquam eadem, longe alio quam hi animo uſurparet. Ita etſi detur (quod non eſt tamen omnino, & uſquequaque verum) iiſdem verbis iſtos *pro mortuis precari*, quibus olim precati ſunt veteres; non ideo ſequetur eaſdem eſſe utrorumque *preces*; quod ſenſus nimirum, atque animi plane diverſi, & in multis contrarii ſint. Primum enim cum veteres *pro omnibus omnino* fidelibus *mortuis*, & orarent, & orandum putarent, iſti id abſurdiſſimum exiſtimant, & *pro quibuſdam* duntaxat precandum eſſe ſciſcunt. Tum tria illa veterum *precum* fundamenta everterunt omnia. Nam & illam vetuſtiſſimorum omnium communem ſententiam de animæ extra cœlum ſtatu, tamquam falſam, & erroris plenam jampridem repudiarunt, ac poſtremo ante ducentos annos in concilio Florentino *damnarunt*, ac proſcripſerunt. Illud vero multorum, præſertim antiquiſſimorum, de *prima reſurrectione*, Chriſtique regno in terris eam conſecuturo dogma, tamquam delirum exploſerunt; Ac illam denique plærorumque veterum de *igne omnes omnino homines*, etiam ſanctiſſimos, ultima die *probaturo* ac *purgaturo* opinionem merito à poſterioribus Theologis rejectam eſſe judicant. Atqui veterum *pro mortuis preces* ad illa tria omnes fere pertinebant, ut in ſuperioribus demonſtratum eſt. Illi eo ſpectabant; ibi animos defigebant

Maldon. in Luc. 23.35.

bant & horum aliquid in animo habebant, cum *pro mortuis precabantur.* Qui ergo iſta tria, unde omnis veterum profluebat *pro mortuis oratio*, penitus non convulſerunt modo, ſed etiam rejecerunt, atque amoliti ſunt; ipſas profecto veterum *preces* retinuiſſe cenſeri non poſſunt. Si *verba precum* ſervarunt cum iis mentem, quæ inerat, eripuerint, non minus abſurde, ac ridicule *preces* ipſas ſervare ſe glorientur, quam ſiquis ſe hoſtem, cujus à ſe interempti cadaver apud ſe habet, ſervaſſe jactaret, qualis olim fuit Phariſæorum gloriatio, qui *Prophetarum* à ſe, & patribus occiſorum cadavera ſtudioſiſſime aſſervabant, *monumentaque* magna cura ornabant, & colebant. Itaque ſi hæreſis eſt illas veterum *pro mortuis preces* abrogaſſe, iſti ſane ſunt hæretici; ſi Aëriani ſunt, qui veteres in hoc ſequendos non putant, iſti quoque Aëriani ſunt. Neque enim veteres Aërium damnarunt, quod novitias iſtas pro *purgatorii* incolis antiquo orbi ignotis, preces ſpernerent, ſed quod ſuas, hoc eſt eaſdem illas, quas adverſarii antiquarunt, triplici illi opinioni, de qua diximus, innixas contemnerent. Sed, inquis *tria illa dogmata merito rejecit, quæ falſa ſunt, & ab omni Scripturarum veritate aliena.* Fateor & laudo; idemque ipſe de illis ſentio. Malignitatem, vel certe inconſtantiam reprehendo, qui quod ipſe facis, id mihi vitio vertere non vereris. Si tres illi veterum errores recte, ac merito convulſi ſunt, iis ſuperſtructæ *pro mortuis preces* una quoque corruerunt. Neque enim ſublato fundamento, ſtare poteſt quod ei innitebatur. Ergo cum tu non modo me, quod iſta veterum commenta exploſi, non damnes, ſed etiam ipſe eadem ante me multo acrius, atque violentius dejeceris; quæ tua iſta eſt, vel inverecundia, vel cæcitas ejus facti invidia me premere, quod tibi mecum commune eſt? *Ego vero*, inquis *pro mortuis etiam nunc precor.* Non certe inquam, *pro dormientibus*, ut veteres; Neque enim iſti, pro quibus precaris, in flammis illis tuis *dormiunt.* Preces hæ tuæ *novitiæ* ſunt; à veterum ſenſu, argumento, ſcopo toto alienæ. Has nullos veterum uſurpaſſe invenio; nullum earum nomine Aërium damnatum lego. Neque vel Epiphanius, vel alius quiſquam ex antiquioribus Aërium de *purgatorio* pulſavit, aut convenit. Vis dicam quid ſit? Veteres *pro mortuis oraſſe* cum ſcires; cauſſas propter quas orabant, *vanas & futiles*, non probares; non habuiſti ſatis animi ad veritatem, plane, ut decebat, confitendam, atque aſſerendam. Non auſus es contemptę pro veritate vetuſtatis invidiam totam ſubire. Itaque veterum opiniones quidem, quod eæ minus paterent, atque manaſſent in vulgus, fortiter objeciſti, quia ſine periculo; uſum, & *ritum precandi*, vulgi animis ipſa conſuetudine infixum, quod is ſine offen-

offenſione tolli non poſſit, retinendum putas; ac ne fruſtra retinere videaris, novum pro veteri errorem ex fabuloſis viſionum narrationibus natum avide ſubſtruis; tuam illam de *purgatorio* fabulam. Ego in Domino, & ex Domini litteris, utrumque juxta aſpernor. Veterum alienas à Dei ſcriptura traditiones, preceſque tecum quidem rejicio; Tuum vero errorem, quaſque ei inædificaſti *pro mortuis preces*, minime admitto. Neque ſane par eſt me, qui opinionem abjeci, quæ licet à Scripturis aliena, vetuſtatis tamen auctoritate commendabatur, eam nunc ſententiam amplecti, quæ & *falſa*, & *novitia* eſt, Scripturæque & veterum teſtimonio ex æquo caret.

Sed redeo ad inſtitutum. Ex illis igitur veterum *pro mortuis precibus* non magis, quam ex priori teſtimoniorum genere, *purgatorium* probari poſſe ſatis, niſi fallor, hactenus demonſtravimus. Unde poſtremo apparet quam temere, quamque inverecunde Calvinum noſtrum Bellarminus vel impudentiæ, vel ignorantiæ intolerandæ accuſaverit, quod is ſcilicet ſcribere non dubitaverit Patres adeo nihil aſſeruiſſe de *purgatorio*, ut illud pro re incerta haberent. Nam ex iis, quæ diſputavimus, liquet Patres, quotquot ad annum 600. vixerunt, non modo nuſquam adverſariorum *purgatorium* aſſeruiſſe, quod negat Calvinus; ſed de eo ne dubitaſſe quidem, quod ille concedit. De iis enim dubitamus, quorum aliquam ſaltem, licet tenuem, & obſcuram, parumque certam cognitionem vel reipſa, vel opinione noſtra habemus. *Purgatorium* vero, quale hodie à Romanarum partium Theologis fingitur, Patres vel fando audiviſſe, vel cogitando, aut etiam ſomniando ejus imaginem in animum admiſiſſe, ex eorum ſcriptis, quæ quidem ad nos pervenerunt, neque hactenus probarunt adverſarii, neque in poſterum, (ut ſpero) probare poterunt. Itaque illa Calvini vox, quam tanta cum petulantia reprehendendam putavit Bellarminus; non modo non *impudens*, ſed etiam *modeſtiſſima* eſſe cenſenda eſt; quippe quæ aliquanto minus dicit, quam quod merito, vereque hac de re dici poſſet.

l. 1. de purg. c. 10. §. Quarto dicit.

DE

DE POENIS.

LIBER SEXTVS.

Quo purgatorii figmentum ex veteribus refellitur.

CAPVT I.

Probatur purgatorium nullum in veteris Eccleſiæ fide locum habuiſſe. Arg. I. ex eo, quod neque in Symbolis, neque in Conſiliis veterum appatet. II. Arg. quod id à Græcis ſemper fuit oppugnatum.

SEd ut noſtræ hujus concluſionis veritas magis eluceſcat, jam afferenda ſunt, quæ eam confirmant, tum ex Patrum fide, ac diſputationibus petita argumenta; tum etiam diſerta, ſiqua eorum ſunt, hac de re teſtimonia.

Ac primo quidem illud occurrit, quod *purgatorium* Romanum nuſquam in vetuſtiorum Patrum, qui primis ſex ſæculis à Domino in terris nato floruerunt, vel ſymbolis, vel fidei expoſitionibus, vel denique Conciliis comparet. Non eſt enim veriſimile tam inſigne, tamque mirabile dogma in hujusmodi locis prætermiſſuros fuiſſe, ſi id cognitum, & ab Apoſtolis traditum, atque acceptum habuiſſent. Nam cætera omnia doctrinæ Chriſtianæ capita, quæ ſunt ad ſalutem creditu neceſſaria, illi diligenter in hujuſmodi ſcriptis exſequuntur; ut videre eſt & in publicis ſymbolis, quæ illius memoriæ plurima extant, & in Synodorum actis, ſive univerſalium, quales illis temporibus habitæ ſunt quinque, ſive localium, & particularium, quarum multo major eſt numerus, ac denique in ſingulorum epiſcoporum *fidei*, ut appellant, *expoſitionibus*; quales aliquot ſatis prolixæ ad nos pervenerunt. Atqui in veterum monumentis, quæ ſunt hujus generis, nihil omnino de purgatorio reperies, quantumvis omnia diligenter excutias; ut vel ex eo patet, quod adverſarii, qui tanta cura, tantoque ſtudio apud Patres conquiſiverunt, quæcumque huic ipſorum opinioni vel minimum favere videri poſſint, nihil tale

hactenus attulerunt; quod ex iis, quæ in ſuperioribus diſputata ſunt, ſatis intelligitur. Vt cæteras mittam, habemus apud Epiphanium in l. 3. tom. 2 expoſ. fid. p. 1101. Panario extremo fidei Chriſtianæ prolixam ſane expoſitionem; quam ille velut Eccleſiæ peculium hæreticorum omnium deliriis, atque erroribus opponit; quam *ἡμετέρας ζωῆς πραγματείαν vitæ noſtræ opus*, quam *ἔρεισμα τῆς ἀληθείας, ζωὴν, ἐλπίδα, βεβαίωσιν ἀφθαρσίας, veritatis munimentum vitam, ſpem, & firmamentum immortalitatis* vocat. Quis putet iſtum tali loco *purgatorii* mentionem omiſſurum fuiſſe, ſi id ſciviſſet? Atqui nullus ejus meminit. Sequitur apud eumdem diſciplinæ quoque Eccleſiaſticæ, inſtitutorumque quæ apud Chriſtianos in uſu erant, fuſa explicatio. Atqui ne ibi quidem quicquam de *purgatorio* Ibid. p. 1106. occurrit. *Preces pro mortuis* fieri ſolitas memorat, fateor; ſed eas plane alio, quam ad *purgatorium* pertinuiſſe ex ipſis veteribus jam oſtendimus.

Quid de Conciliis dicam, quorum cum tam ſpiſſa ſint volumina, nihil tamen ea iſtius de *purgatorio* doctrinæ continent? Idque eo magis mirandum eſt, quod in Concilio œcumenico quinto, cujus acta Latine fuſe deſcripta extant, res ipſa non tantum invitabat, ſed etiam poſcebat, ac flagitabat, ut de *purgatorio* ſermo fieret, ſi id tum temporis in Eccleſiæ fide fuiſſet. Nam in ea Synodo & ipſe Origenes in canonibus damnatus eſt, & privatum ejus de infernalium pœnarum can. 11. coll. 8. ingenio dogma in Iuſtiniani tractatu, qui à Vigilio Papa, & à Synodo probatus, quique una cum Synodi Actis habetur, proprie exploſum ac confutatum eſt; Iam cum Origenes, ut ſupra fuſius docuimus, *omnes omnino pœnas purgatorias* eſſe ſtatueret, ſic ut per eas aliquando ex- t. 4. Conc. p. 316. 317. cap. 332. f. 333. & 341. f. piatis, ac deletis omnium *damnatorum*, etiam *dæmonum*, peccatis ac maculis gehennam olim deſituram affirmaret; nemo non videt vel Synodum, vel Iuſtinianum in hoc argumento verſantem *purgatorias* piarum animarum poſt mortem pœnas, ſiquas agnoviſſet, debuiſſe hoc loco profiteri, & ab Origenicis ſedulo diſtinguere; monereque *eſſe quidem ignem in inferis aliquem* purgatorium, *ſed qui ſolas fidelium animas excoquat*; & ſi eum tantum poſuiſſet Origenes, non habituram fuiſſe Eccleſiam, quod de ejus fide conquereretur: Sed cum longius profectus non tantum eum *ignem*, quo *in fide* Chriſtiana *mortui* apud *inferos* uſtulantur, ſed etiam eum, quo dæmones & damnati in tartaro cruciantur, utrumque purgatorium eſſe velit, non eſſe ferendam hominis inſaniam. Profecto quiſquis rem totam ſedato, & à cauſſæ ſtudiis libero animo perſpexerit, non dubito quin ſit confeſſurus ſic omnino ab iſtis cum Origene agendum fuiſſe, ſiquidem illi idem cum adverſariis de *purgatorio* ſentiebant; ne una cum lolio frumentum evellere,

lere, hoc eſt una cum Origenis de gehenna delirio rectam Eccleſiæ de *purgatorio* fidem damnare viderentur. Atqui horum apud iſtos omnino nihil. De *purgatorio*, de fidelium in illo poſt mortem pœnis, atque *purgatione* altiſſimum ſilentium. Origenis proprium dogma ſine ulla exceptione totum ſimpliciter, & abſolute damnant. Ergo ſtatuendum eſt ne tum quidem, hoc eſt ſexto Chriſtianiſmi ſæculo jam adulto publice in Eccleſia cognitum fuiſſe *purgatorium*, vel pro vera atque Apoſtolica doctrina habitum. *A.D.553.*

Certe ſub finem ſexti ſæculi Gregorius, primus apud Latinos *purgatorii*, ut videtur, artifex Petrum Diaconum, quem ſecum in Dialogis facit colloquentem, ſic inducit rogantem; *Doceri vellem, ſi poſt mortem purgatorius ignis eſſe credendus eſt*; quod magno argumento eſt eo tempore ne apud Latinos quidem adhuc publice receptum fuiſſe purgatorium. Nam de publico, ac univerſali fidei articulo ſic loquentem induci Diaconum, abſurdum & indecorum eſſet. Quis eum verbi gratia de *Filii divinitate*, vel de *reſurrectione*, vel de aliquo alio certo, & apud omnes Chriſtianos recepto doctrinæ capite ſic rogantem ferret, *Doceri vellem, ſi Filium Patri conſubſtantialem eſſe*, vel *corpora ultimo die reſurrectura credendum eſt?* *A.D.593. menſe Maio.* *l.4.dial.c.39.*

Eo etiam pertinet, quod poſt A.D. 681. Iulianus Toletanus, dum *de ſtatu animæ ante judicium diſputat*, ait ſe cognoviſſe purgatorium ignem *multorum* tractatorum *ſententiis* definitum eſſe; neque alios, quam Auguſtinum, & Gregorium laudat; Profecto diceret non *à multis conſtitutum*; ſed *ab Apoſtolis traditum*, ſed *ab Eccleſia* tota creditum, ſi jam tum fuiſſet in publica, & univerſali Chriſtianorum fide. Quid, quod ne in ſequentibus quidem Synodis, quæ multæ tum à Græcis, tum à Latinis habitæ ſunt, ulla extat *purgatorii* mentio? Neque ullum ea de re publicum, ac generale decretum invenitur ante Concilium Florentinum, quod in ultima ſæculorum fæce ante ducentos annos jam adulto quinto decimo Chriſtianiſmi ſæculo ſub Eugenio IV. habitum eſt. *l.2.progn.c.19. Bibl.P P. T.9.p. 358.D.*

Secundo ex eo quoque patet non fuiſſe hoc *purgatorii* dogma in veteri Chriſtianorum fide, quod etiam hodie præter Romanæ communionis homines nulli alii Chriſtiani id publice profitentur. De Græcis quidem res clara eſt. Nam Thomas in opuſculo, quod contra eos ſcripſit, probat eſſe *purgatorium*, & refellit id negantes; ſtulte, ſi tum à Græcis receptum fuit. Cardinalis vero Aureolus refert dicere Græcos *purgatorium* à Latinis inventum fuiſſe ob lucrum. Guido Carmelita, teſte Bellarmino, Armenis, & Græcis hunc errorem tribuit, *quod negant purgatorium*; & in Concilio Florentino, in quo ſoli Græcorum *in.4.d.21.art.1. p.151.d* *ſum. de heret. Bell. de purg. l. 1.c.2.* *Seſſ.ult.*

errores damnati ſunt, eadem ſententia, quæ ſcilicet *purgatorium* negat, diſerte rejicitur, contrariaque (ut diximus) decernitur. Sebaſtianus Medices eandem ſententiam Græcis & Armenis tribuit; itidemque

Sum. hæreſ. voce purgat. contr. hær. voce purgatorium.

Alphonſus à Caſtro; *Vnus eſt* (inquit) *ex notiſſimis erroribus Græcorum, & Armenorum, quo docent nullum eſſe purgatorium locum, in quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à ſordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.* Sed quid opus eſt teſtibus, cum Nili Theſſalonicenſis epiſcopi libellus extet de hoc ipſo argumento, in quo tum ipſe, tum cæteri Græci acerrime contra *purgatorium* diſputant, & quæ pro eo vel ex Scripturis, vel ex Patribus afferuntur, ſigillatim refellunt; tandemque *purgatorium* ex Eccleſia exterminandum concludunt? Præfati enim dogma περὶ τοῦ τέλους τῆς αἰωνίου κολάσεως *de fine æternæ pœnæ*, tametſi à nonnullis Eccleſiæ viris probatum, ὅμως ἀποκηρυχθῆναι καὶ ἀναθεματισθῆναι παρὰ τῆς ἁγίας πέμπτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, ὡς ἔκλυσιν ταῖς ψυχαῖς ἐμποιοῦν, καὶ τοὺς ῥαθύμους ἔτι ῥαθυμοτέρους ἀπεργαζόμενον, ἐκδεχομένους ποτὲ τὴν τῶν βασάνων λύτρωσιν, καὶ τὴν ἐπηγγελμένην ἀποκατάστασιν, *exploſum nihilominus, damnatumque fuiſſe à ſancta quinta, & univerſali Synodo, tamquam ſupinitatem animis inferens, & negligentes negligentiores efficiens expectantes aliquando à tormentis liberationem, & promiſſam inſtaurationem*; hæc inquam præfati, Διὰ ταῦτα (inquiunt) νῦν καὶ τὸ προκείμενον δόγμα τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς ἀποβλητέον ἂν εἴη τῆς ἐκκλησίας, ὡς ῥαθυμίαν ἐμποιοῦν τοῖς σπουδαίοις, ἐπιπείθον αὐτοὺς μὴ πᾶσι τρόποις ἀγωνίζεσθαι κατὰ τὸν παρόντα βίον ἑαυτοὺς ἐκκαθαίρειν, ὡς προσδοκωμένης ἑτέρας καθάρσεως; *Has ob cauſſas etiam nunc propoſitum purgatorii ignis dogma exterminandum eſſet ab Eccleſia, ut negligentiam ſedulorum animis inducens, ac perſuadens ipſis ne omnibus viribus adnitantur, ut in hac vita ſe ipſos expurgent, cum alia poſt hanc vitam purgatio expectetur.* Tota Græcorum gens id adeo univerſe, atque unanimiter ſentit, ut ex iis, quamquam ſane rudibus, ac omnium pæne litterarum ignaris, quemquam haud facile reperias, qui de ſuæ Eccleſiæ à Latina diſſidiis interrogatus non ſtatim inter cætera *purgatorii* dogma afferat. Quæ paulo fuſius perſequi placuit, ut appareat quanta ſit Bellarmini

p. 167.

l. 1. de purg. c. 15. ✝ Ad ſecundum.

inverecundia, qui ſcribere auſus eſt *Eccleſiam Græcam numquam dubitaſſe de purgatorio.* De veteri quidem quæ garrit, abunde ſupra confutavimus, nullumque eorum Patrum, quos jactat, *purgatorium* Romanum cognoviſſe oſtendimus. De recentiori Græcorum Eccleſia, de qua ſola nunc quærimus, non eſt quod Acta Concilii Florentini nobis obtrudat; cum & à Græcis domi repudiata fuerit illius Synodi auctoritas, & ipſa illa, quæ ejus vulgata ſunt Acta, multipliciter interpolata

fuiſſe

fuiſſe ſciant, qui manuſcripta, quæ iſti occulta ſervant, viderunt. Itaque plane frivolum eſt, quod tandem ſubjicit Bellarminus, *quod de Græcis jactatur, quod purgatorium negent, de particularibus hominibus intelligendum eſſe.* Cedo ergo aliquam publicam & univerſalem recentioris illius Græcorum Eccleſiæ definitionem, quæ *purgatorianum* dogma conſtituat ac confiteatur? Atqui nulla eſt hujuſmodi. Neque ſane de *privatis hominibus* accipi poſſunt, aut aliter quam de univerſa gente, ii quos nuper teſtantes audiebamus Græcos *purgatorium* negare; ut de Nilo nihil dicam, qui totius gentis nomine loquitur.

De Armenis Guido, Alfonſus à Caſtro, & Sebaſtianus Medices idem teſtabantur.

Iam cum iſti omnes traditarum à priſcis Patribus opinionum obſervantiſſimi, & ad ultimam ſuperſtitionem tenaces ſint, cauſſa dici non poteſt, cur hanc, ſi ea apud veteres extitiſſet, repudiaturi fuerint. Neque vero reſpondendum eſt Græcos Latinorum odio diverſum dogma maluiſſe. Non enim effecit illud odium, ut non plurima alia, æque cum Latinis, retinuerint. Quo & illud accedit, quod non ſoli Græci, ſed etiam Armeni quibus nulla fuit odii in Latinos cauſſa, Græcorum hac in parte ſententiam ſequuntur. Ex quo iſtorum conſenſu clariſſime, ut mihi quidem videtur, patet non fuiſſe hoc de purgatorio dogma in veteri priorum ſæculorum fide; cum iſti, qui hoc neſciunt, cætera antiquioris illius Eccleſiæ, non tantum dogmata, ſed etiam σφάλματα, traditiones, ac ritus haud paulo, quam Latini, accuratius retinuerint.

CAPVT II.

Arg. III. inde ſumptum, quod purgatorii nullam veteres iis locis mentionem faciant quibus omnino commemorandum veniebat, ſi & creditum fuiſſet.

TErtio, illud etiam obſervandum eſt, ſi *purgatorium* olim in Eccleſia, ut nunc apud Latinos, creditum fuiſſet, Patres haud dubie id dogma adhibituros fuiſſe in iis diſputationibus, in quibus hujus aliquis uſus eſſe poterat. Atqui numquam id faciunt, cum tamen extent in eorum libris aliquæ diſputationes, in quibus partim utilis, partim etiam neceſſaria erat hujus commemoratio.

Verbi gratia Euſebius in *præparatione Euangelica* philoſophorum placita cum ſcripturæ dogmatis comparans prolixum locum ex Platone laudat, in quo divinum in mortuos judicium fuſe deſcribitur, tum L. 11.

in eos, qui vitam honeſtam duxerunt, tum in eos, qui ſceleratam, eorumque in *igne infernali purgatio*, quorum mores mediocriter vel boni, vel mali fuerint. Hæc Platonis cum noſtris contendens Euſebius, quæ ille docet tum de fœliciſſimis beatorum manſionibus, tum de tartareo impiorum carcere, obſervat, pariaque ex ſacris litteris apponit;

Titulo ult.

priori quidem parti, Chriſti in Euangelio dictum, τὸ πολλὰς μονὰς εἶναι παρὰ τῷ πατρὶ τοῖς θεοφιλέσιν ἐπηγγελμένας, *quod multæ ſunt manſiones apud Patrem piis & Deo caris promiſſæ*, & illud Pauli, ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, *oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus ipſum*; poſteriori vero parti iſta Prophetæ, τίς ἀναγγελεῖ ὑμῖν ὅτι πῦρ καίεται; τίς ἀναγγελεῖ ὑμῖν τόπον τὸν αἰώνιον; καὶ πάλιν, ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβεσθήσεται. *Quis annunciabit vobis, quod ignis ardet? quis annuntiabit vobis locum æternum? & rurſum, vermis eorum non morietur, & ignis non exſtinguetur.* De eorum *per ignem purgatione*, quorum ſors media eſt, quam Plato loco allato ponit, quamque Bellarminus ipſe ad ſuum *purgatorium* accommodavit, plane nihil. Atqui ſi tum eadem fuiſſet apud Chriſtianos, quæ nunc eſt apud Latinos, *de animarum per ignem purgatione* fides, omnino poſtulabat hic locus, ut ea hic memoraretur, & cum illa Platonici dogmatis particula compararetur; quod cum factum non ſit, non alia de cauſſa id omiſſum videtur, quam quod & Euſebio, & cæteris illius ævi Chriſtianis incognitum eſſet hoc dogma.

l. 1. de purg. c. 11.

Har. 75.

Sic ubi Epiphanius contra Aërium diſputat, omnino flagitabat id argumentum, ut *purgatorii* mentionem faceret. Aërius enim à Catholicis quærebat, τίνι τῷ λόγῳ μετὰ θάνατον ὀνομάζετε φησὶ ὀνόματα τεθνεώτων; εὔχεται γὰρ φησὶ ὁ ζῶν, ἢ οἰκονομίαν ἐποίησε, τί ὠφεληθήσεται ὁ τεθνεώς; *Quæ ratio eſt, inquit, poſt obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona ſua diſpenſet, quid ex ea re tandem ad mortuum redit?* Ad hanc Aërii interrogationem una erat, eaque prompta, ac expedita reſponſio, (ſi quidem tum *purgatorium* in Eccleſia creditum eſſet,) ideo *mortuos commemorari*, ac *pro iis preces fieri, ut pœnæ quas in purgatorio luunt, mitigentur, ac remittantur*; impudenterque facere Aërium, qui hoc quærat; quaſi neſciat hanc eſſe ab Apoſtolis traditam, & ab Eccleſia acceptam, publiceque confeſſam fidem, animas plærorumque fidelium corpore dimiſſas in fornacem quamdam ſubterraneam conjici, ibique ob reliquum vel peccatorum, vel pœnarum reatum *igne* cruciari, adeoque noſtris pro eorum liberatione

P. 908. a

ne precibus indigere. Nemo eſt eorum, qui *purgatorium* tuentur, qui ſic quærenti Aërio non ſit in hunc ſenſum reſponſurus. Epiphanius vero *purgatorii* quidem in tota hac diſputatione nullus meminit; omnia autem plane alia reſpondet, ideo commemorari mortuos, ut etiam nunc, quamquam hujus vitæ exſortes, *vivere* tamen *apud Deum* intelligantur; neque *inutilem* eſſe eam precationem, quæ pro iis fiebat; *εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτει. ἀλλ' οὖν γε διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως, ἵνα τὸ ἐντελέστερον σημανθῇ tametſi non omnes culpas abrumpat. verum propterea quod plærumque dum in mundo ſumus, titubemus tum inviti, tum etiam ſponte, ut id quod eſt perfectius ſignificetur*; quæ obſcuriſſima ſunt; & (ſi quam *peccatorum remiſſionem* mortuis per *preces* conciliari ſignificant) eam intelligunt de qua nos ſupra; qua nimirum fit, ut ne is, cui *peccatum remittitur*, in pœnam ipſo dignam incidat, non autem ut ab ea, quam jam perpeti incepit, liberetur. Denique illud etiam poſtremo affert, de quo nos ſupra pluribus, ideo in Eccleſia commemorationem fieri pro mortuis, *ut ita Chriſtum ab omni hominum ordine ſeparemus.* Vbi erat iſtius, dum hæc ſcriberet, animus, *ſi purgatorium* credidit? Vnde iſta tam longa petita arceſſit, cum quæſtio uno verbo (allata in medium *purgatorii* hypotheſi) ſolvi atque expediri potuerit? Profecto neceſſe eſt iſtum, qui ſic ſcribit, ſicque diſputat, vel ſenſu communi caruiſſe (quod nemo dixerit) vel *purgatorium* certe neſciviſſe; quod ego verum eſſe & puto & contendo. Huc & illud accedit, quod cum Aërius *preces pro mortuis* abrogans *purgatorii* dogma vel tolleret, vel certe tollere videretur; ſi id tum in Eccleſiæ fide fuiſſet, ejus temerati crimen Aërio procul dubio Epiphanius impegiſſet, idque inter cæteros Aërianæ hæreſeos errores commemoraſſet; vel etiam adhibuiſſet, dum eam refellit; exprobraſſetque homini quod Chriſtianorum de *purgatorio* fidem, precum pro mortuis uſum repudians, labefactaret. Atqui nihil horum apud Epiphanium occurrit. Neque Auguſtinus Aërii errores recenſens, quicquam habet de purgatorio.

P.911. b

De hær. ad Quodv. c.53.

Similia iſtis in Dionyſio, quem falſo Areopagitam vocant, obſervare licet. Is enim cum preces, quæ pro mortuo ab antiſtite fieri ſolebant, recitaſſet, hanc dubitationem proponit, *cur ei à domino peccatorum remiſſionem petat, ac ut det ei parem iis, qui Deum imitati ſunt, hæreditatem.* Hic bonus ille, (ſi adverſariis credimus) Areopagita hierophantes multa longiſſime petita affert, quæ more ſuo inanibus grandium verborum ampullis, ac ſpumis ſic diffundit, ut vix quid velit, ipſe ſciviſſe videatur. De *purgatorio* vero omnino nihil; quod ſi ſci-

Hier. Eccl. c.7. p.146. a

vit,

vit, nodum profecto in ſcirpo quæſivit. Quis enim non intelligit ex ejus hypotheſi, facilem ac planam eſſe rei totius rationem? nimirum antiſtitem ideo iſta mortuis fidelibus precari, quod ii antequam cœlo recipiantur, admiſſorum in vita peccatorum pœnas in igne luant? Itaque dubitandum non eſt, quin iſti Dionyſio *purgatorium* ignotum fuerit; quod loco adeo opportuno omittit, ſeque & miſeros lectores fruſtra torquet, atque enecat in ea dubitatione ſolvenda, quæ ne oboritura quidem cuiquam fuiſſe videtur, ſi tunc temporis *purgatorium* vulgo à Chriſtianis creditum fuiſſet. Miratur tamen Bellarminus noſtros homines hæc objicere; *Nam* (inquit) *etſi Dionyſius non nominat purgatorium, tamen expreſſe dicit orari pro defunctis.* Acutum hominem! Quaſi vero id quiſquam neget. Atqui ex eo ipſo *purgatorium* Dionyſium neſciviſſe conficimus, quod is quærenti *cur mortuis peccatorum remiſſio petatur*, reſpondens, *purgatorii*, ex quo uno ſecundum adverſarios, hæc quæſtio ſolvenda erat, mentionem nullam facit. Ita vero, quod ſubjicit adverſarius, *qui pro mortuis orat, eundem quoque purgatorium neceſſe ſit, niſi ſecum ipſe pugnare velit, confiteri*, id neque eſt hujus loci quærere, & ſupra non ſemel quam falſum ſit, oſtendimus; cum & Græci, qui *pro mortuis precantur*, iidem *purgatorium* negent; & vero res ipſa loquatur qui *pro* alicujus *peccatis orat*, id tantum neceſſario ſupponere iſtum, niſi ei *peccatum remittatur*, pœnas daturum ex quo *purgatorium nullum ſequitur.* Denique ſi purgatorium à priſcis Chriſtianis pro *Apoſtolicæ traditionis* dogmate publice habitum fuit, neque videtur cauſſa ulla fuiſſe, cur quiſquam de *precum*, quæ *pro mortuis fiunt*, *utilitate* dubitaret; & ſiquis dubitaret, ratio cur *utiles* eſſent, in promptu fuiſſet, nimirum ab animarum in *purgatorio* ſtatu petita. Atqui & multos de precum iſtarum *utilitate* dubitaſſe ſupra demonſtravimus, & Patres conſtat, quoties cum iſtis dubitantibus agunt, nuſquam *purgatorii* meminiſſe; ut videre eſt apud Epiphanium, [a] Dionyſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, [b] & alios ſiqui ſunt, qui de his diſputant. Ergo non videtur Eccleſia illorum temporum *purgatorium* vel crediddiſſe, vel docuiſſe.

L. 1. de purg. c. 15. §. in tertio.

a Vi. ſupr.
b Catech. myſt. 5.

Idem obſervari poteſt, ac debet in auctoribus, qui contra Origenem tuentur *non eſſe purgatorias damnatorum pœnas.* Eo enim loco ſiquæ agnitæ eſſent à Catholicis fidelium poſt hanc vitam *purgatoriæ* pœnæ, de eo lectorem haud dubie monuiſſent; quod eorum nemo feciſſe comperitur. Auguſtinus quidem cum adverſus eos fuſiſſime diſputaret, qui vel *omnium*, vel *aliquorum* ſaltem *damnatorum purgatorias fore pœnas* dictitabant, ut ab iſtorum deliramentis Eccleſiæ fidem ſecerneret, om-

nino

nino debebat hoc loco plane, ac perſpicue explicare, quid ipſe, quid cæteri Catholici de quorumdam fidelium in *igne* poſt mortem *purgatione* ſentirent ſiquid hujuſmodi ſenſiſſent. Atqui nihil tale apud illum in tota hac diſputatione occurrit. Tantum (quod ſupra obſervavimus,) in penultima diſputationis parte, cum *ignem*, per quem Paulus quoſdam *ſervatum iri* ait, ab adverſariis objectum, de *dolore* accepiſſet, qui pios in hac vita exurit, quoties ob Chriſtum aliquid eorum, quæ impenſius amaverant, abjicere vel amittere coguntur; adjecit quæri poſſe, *an aliquid ſimile piorum animabus etiam poſt mortem contingat*; id eſt an ex aliquo dolore, nonnulloque rerum amiſſarum deſiderio tum quoque afficiantur; idque ſe *non redarguere* dicit, quia *forſitan verum ſit*. Vnde certiſſime conficitur non fuiſſe iſtud de *purgatorio* dogma Auguſtini tempore pro *Apoſtolica traditione* habitum. Neque enim vel Auguſtinus, vel quiſquam vere Chriſtianus *ea* in ambiguo relinquit, aut *forſitan vera* eſſe dicit, quæ & ab *Apoſtolis tradita*, & *ab Eccleſia* credita novit.

T. c. 19. 20. 21. 13. 14 15 16. 17 18 19. 20 21 22 23 24. 25 26 27.

Pelagiani, cum *peccatum originale* tollerent, infantes ſine baptiſmo mortuos, in *tertium* neſcio quem *locum* mittebant, ibique vitam beatam acturos, *extra infernum* quidem, ſed & *extra regnum cælorum* docebant. Hoc eorum commentum paſſim refellunt & Auguſtinus, & alii Patres, qui poſt eum vixere. Quis non videt in tali argumento, ut Catholicorum de animæ poſt mortem ſtatu ſententiam ab iſtorum delirio liquido ſecernerent debuiſſe eos aliquam *purgatorii*, (ſiquidem id crediderunt) facere mentionem? ac lectores ſuos monere *tertium quidem nonnullorum mediam aliquandiu inter beatos, & damnatos ſortem fore in purgatorio, ſed ad aliquod duntaxat tempus?* cæterum loca in quibus homines *æternum* manſuri ſunt, non alia eſſe, quam duo, cœlum ſcilicet, ac infernum? Atqui numquam in hac cauſſa ſic agunt vel Auguſtinus, vel alii. Contra, nulla omnino facta *purgatorianorum* exceptione, ſimpliciter & abſolute paſſim pronunciant duplicem tantum eſſe omnium mortuorum ſortem; beatam unam, in cœleſti regno; infœlicem alteram, in Tartaro. Quin & iis interdum in hoc argumento verbis utuntur, quæ *purgatorii* hypotheſin ſic evertunt, ut cum ea non videantur poſſe conſiſtere. *Nec eſt* (inquit Auguſtinus) *ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum Diabolo, qui non eſt cum Chriſto.* L. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 28. T. 7. Quis *purgatorii* dogma credens, ſic loquatur? Hæc enim verba *cum Diabolo eſſe* conficiunt quoſcumque iſti *purgatorium* incolere volunt. Idem alibi non minus diſerte: *Quiſquis ad regnum non pertinet eum ad damnationem ſine dubio pertinere.* Serm. 14 de verb. Apſt. c. 3. T. 10. Alibi; *Non eſt locus medius, ubi non*

 ſit

ſit in ſupplicio, qui illo conſtitutus non fuerit in regno. Item; *Nemo ſe decipiat, fratres; Duo enim loca ſunt, & tertius non eſt ullus. Qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum Diabolo abſque dubitatione ulla peribit.*

L. 21. de civ. c. 25. Serm. 2. 21. de temp. T. 1. L. 1. de cont. m. id. 17. B. P. T. 5. p. 496. e

Iſaac Syrus, quem ante Gregorium Magnum vixiſſe tradunt adverſarii; *Evitare gehennam* (inquit) *nihil aliud eſt, quam intrare regnum; ſicut & a regno excidere eſt intrare gehennam. Non enim nos docuit Scriptura tres regiones.*

L. 5. ultr. med.

Auctor *Hypognoſtici*, quod vulgo inter Auguſtini opera, ſed falſo, circumfertur; *Primum* (inquit) *locum fides Catholicorum divina auctoritate credit regnum eſſe cœlorum, ſecundum gehennam, ubi omnis apoſtata, vel a fide Chriſti alienus æterna ſupplicia experietur. Tertium penitus ignoramus; imo nec eſſe in Scripturis ſanctis invenimus.* Reſpondent adverſarii loqui illum ſcriptorem de *locis æternis.* Fateor *æterna* eſſe loca illa, de quibus iſte loquitur. Sed eo ipſo, quod præter duo illa *æterna loca*, nullum alium locum ſciri ait, ſatis ſignificat nullum alium locum ſive *temporalem*, ſive *æternum* agnoſci. Agit enim iſtic in genere *de locis, in quæ animæ poſt hanc vitam recipiuntur.* Itaque ſiquem locum præter *cœlum*, & *infernum* ſciviſſet, in quo tametſi *non in æternum, ad tempus* tamen retineri aliquas morientium animas putaſſet, eum haud dubie excepiſſet. Neque umquam adverſarii, qui *tertium* illum *locum* admittunt, ita, ut iſte, abſolute, & citra exceptionem negant alium ullum eſſe locum præter *infernum*, ac *cœlum*. Quod vero affert Bellarminus tertium *locum temporalem* præter duo illa *æterna*, veteribus agnitum fuiſſe ex eo intelligi, quod illi agnoſcant fuiſſe ante Chriſti paſſionem *ſinum Abrahæ*, in quo animæ Patrum degebant; reſpondeo id inepte, ac præter rem objici. Hic enim loquitur ille ſcriptor *de animarum conditione ſub novo teſtamento*, cujus temporibus ipſe ſcilicet vivebat. Iam cum ſub novo fœdere vacuum & inanem eſſe tertium illum temporalem locum ipſi adverſarii fateantur, quem ſub veteri frequentatum fuiſſe volunt; apparet nullam cauſſam fuiſſe, cur eum locum, quo nullæ nunc animæ deſcendunt, hic auctor exciperet, vel memoraret, de iis ſedibus verba faciens, in quas morientium animæ recipiuntur. Sed aliquis forte objiciet ipſos etiam novi teſtamenti fideles loco ſubcœleſti ad reſurrectionis tempora concluſos fuiſſe ex plærorumque veterum ſententia, ut eſt a nobis ſupra probatum. Itaque reſpondeo primo hunc Hypognoſtici auctorem fortaſſe [illegible] ſenſiſſe, & deſerto veterum ſomnio exiſtimaſſe, quod verum eſt, piorum animas ſtatim a morte in cœlum ſubvehi. Nam ex iis, quæ infra dicentur, apparet priſcam illam de animarum in ſubcœleſtibus receptaculis

B. ll. de purg. l. 1. c. 13. ad o. j. 6.

Ibid.

ceptaculis mora opinionem, quinto jam ſæculo exoleſcere cœpiſſe, quo jam adulto, aut fortaſſe etiam præcipiti ille ſcriptor vixiſſe videtur. Secundo, reſpondeo illa Auguſtini dicta à nobis nuper allata non tam de phyſicis animarum locis, quam de duplici earum conditione eſſe intelligenda. Omnes ait vel *cum diabolo eſſe*, vel *cum Chriſto*; omnes vel *ad regnum*, vel *ad damnationem pertinere*; omnes vel *in ſupplicio*, vel *in regno eſſe*; omnes denique vel *cum Chriſto regnare*, vel *cum Diabolo perire*. Sic etiam Iſaac Syrus omnes vel *in regnum*, vel *in gehennam intrare*. His vero nihil aliud ſignificatur, niſi hoc unum, quicumque non damnantur ad gehennam, eos mortuos parta per Chriſtum quiete, ac fœlicitate frui; quod iis quidem etiam convenit, qui in *ſecretis illis, abditiſque ſedibus* ex veterum hypotheſi, beatam reſurrectionem exſpectant: (eos enim ipſos cum Chriſto jam *regnare*, *beatificaque ejus præſentia* frui, adeoque cœleſtis regni primitias conſecutos eſſe, non ſemel, ut ſupra diximus, ſcribit Auguſtinus) cæterum id neque infantibus ex Pelagii commento, nullo per Chriſtum quæſito bono in loco illo fictitio fruentibus; neque ſpiritibus in purgatorio ardentibus ulla ratione convenit, quos adverſarii neque cum Chriſto vel eſſe, vel regnare, neque parta ab eo quiete frui volunt, ſed miſere torqueri, atque cruciari. Vnde poſtremo conſequitur nullos hujuſmodi Auguſtino fuiſſe cognitos; qui quotquot cum diabolo non damnantur, eos omnes ſine ulla exceptione cum *Chriſto eſſe ac regnare* pronuntiat.

CAPVT III.

Arg. IV. inde ſumptum, quod quæ purgatorii hypotheſin neceſſario vel comitantur, vel ſequuntur, ea nuſquam apud veteres Patres occurrunt.

QVarto ſi *purgatorii* traditionem agnoviſſent veteres, eamque pro vera atq; Apoſtolica, ut adverſarii habuiſſent, haud dubie in ea tractanda, quæ nunc iſtis ſalebræ, ac difficultates occurrunt, illis quoque occurriſſent, eædemque, vel ſaltem ſimiles ad eas explanandas diſtinctiones. Neque enim Tertullianus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique priorum ſæculorum doctores, iis qui (apud adverſarios) in denſiſſimis ultimorum temporum ſpinis floruerunt, minus habuiſſe cenſendi ſunt vel acuminis ad deprehendenda, quæ ex *purgatorii* hypotheſi fluunt incommoda, vel ſolertiæ ad ſolvenda. Moviſſent eos cuncta hujus doctrinæ mirabilia;

quale iſtud eſt, quod Deus ſic fingitur graviſſimas etiam ab iis *pœnas* exigere, quibus *peccata remiſit*; quod ſuos *igne*, *nihil* ad ipſorum emendationem *profuturo*, in altera vita uſtulare; quod *criminum*, cruce Chriſti Domini *expiatorum*, *pœnas repoſcere*; & alia ſexcenta, quorum nonnulla ſupra attigimus. Quid illa dicam præclara *de purgatorii* circumſtantiis, id eſt perſonis, loco, tempore, pœnis, ſuffragiis, quæ alterum Bellarmini de hoc argumento volumen totum implent? omnes-ne, an quidam tantum, & quinam in illa fornace *purgandi* ſint? & an qui iſtic ſunt *peccare*, vel certe *mereri* queant? & an de ſalute ſua certi ſint? Item ubi ſint, in terræ-ne viſceribus defoſſi, an in aëre penduli? Tum inde-ne continuo in cœlum traducantur, an de igne digreſſi aliquamdiu in florentiſſimo, lucidiſſimo, ac amœniſſimo prato deſideant, ſic ſapientiſſime, providente Deo, ne eorum acies ad nimium cœli fulgorem hebeſcat, ſi eo ſubito ex fumis, & fuligine corripiantur? Sed & de tempore, quo ſinguli in eo igne victuri ſunt, quam alta, quam abſtruſa? quam magno omni ingenio digna quæſtio eſt? brevi-ne, an ſero dimittendi? paucos-ne, an multos annos, an etiam tota ſæcula, & quidem plura, torreantur? an etiam nonnulli ad ultimam mundi diem in horrendis illis alveis pice, ſulfureque ardentibus, ſane neque belle, neque commode, habitaturi ſint? Tum pandit ſe immenſa circa *pœnam* ipſam ſubtilitas; qualis ea ſit? excludat-ne à Dei intuitu? an à noſtri generis *igne* efficiatur? unde ille tam multorum tormentis, ac tamdiu ſufficere poſſit? & nudas animas ipſe *corporeus*, & materialis afficere? & à quibus miniſtretur, ab Angeli-ne, an à dæmonibus? & ſit-ne noſtro gravior, & intolerabilior, an ſecus? denique an non potius metaphorice ſic dicatur, quam proprie, quod ſcilicet curis, horrore, ac metu miſeros manes, non aliter urat ac excruciet, quam noſter *ignis* corpora? Huc enim propendere videtur Perronii animus; quem nondum ſcio an cæteri pariter ferant nimiæ ſubtilitatis frigore ignem iſtum cariſſimum propemodum exſtinguentem. De *ſuffragiis* ſunt etiam difficultates non paucæ: quas ſiquis ſcire deſiderat, à Bellarmino diſcat. Hæc materies ſcholæ Romanæ ingenia quatuor retro ſæculis exercuit; neque dum hodie, tot diſputationibus agitata, reſedit. Itaque *purgatorii* fundus, qui illis, licet *igneus*, tam ferax fuit, eamdem rerum, diſtinctionum, ac quæſtionum ſylvam veteribus, (ſi apud illos exſtitiſſet) haud dubie proditurus erat. Atqui nihil hujuſmodi in eorum monumentis, quæ plurima, ac pæne innumerabilia ſuperſunt, cernimus, neque de iſtis illi magis diſputant, quam de Peruvianorum aurifodinis, vel de Franciſci,

Rep. p. 2

ciſci, aut Loyolæ familiis. Et quæ in hanc partem ex ipſis adverſarii afferunt, eorum nihil in fontibus eſt de *purgatorio*, ſed omnino de aliis argumentis, à quibus varia arte detorta horum ſubtilitas ad ſua ſomnia ſolertiſſime traduxit.

Quin & interdum ea veteres opinantur, definiunt, & loquuntur, quæ iſta *purgatorii* fundamenta convellunt; ut cum diſerte, quod ſupra demonſtravimus, tam multis locis affirmant *una cum culpa pœnam quoque remitti*. Vnde ergo iſta eſt tantorum, ac tam multorum virorum, vel inertia, vel oblivio, ut præclaras de purgatorio quæſtiones prætermiſerint? diſtinctiones, ac ſubtilitates, quibus ea cauſſa defenditur, neſciverint? dubitationes, quibus implicatur, non ſenſerint? multa, quæ ei apertiſſime repugnant, ſecuri dixerint? Profecto non alia vel afferri, vel fingi poteſt rei tam miræ, tamque ſtupendæ idonea ratio, niſi hæc una, quod illi nimirum *purgatorium*, unde iſta manant omnia, ipſum penitus ignorarunt.

CAPUT IV.

Arg. V. inde ductum, quod ea Scripturæ loca, quibus purgatorium ſuum niti volunt adverſarii, veteres Patres numquam eo, ſed alio plane retuliſſe cernantur; & quædam quibus eam opinionem oppugnamus, nobiſcum interpretentur. Referuntur veterum ad 13. præcipua ſcripturæ pro purgatorio objecta loca, expoſitiones, & commentationes; & quæ ab adverſariis pro ſuo dogmate afferuntur, ea alio pertinere obiter oſtenduntur.

SEd & hinc apparet purgatorium veteri Eccleſiæ ignotum fuiſſe, quod ea Scripturæ loca, quibus id dogma conſtitui volunt adverſarii, Patres eo nunquam retuliſſe, ſed longe aliter interpretati eſſe cernuntur. Non eſt neceſſe omnia illa loca afferre; cum ſint ejus generis non pauca, quæ ipſi adverſarii, vel levia eſſe & commode aliter, quam de purgatorio intelligi poſſe fateantur; neque à Patribus de eo accepta fuiſſe contendant. Ea tantum percenſebimus, quæ ipſi gravioris eſſe in hac cauſſa momenti arbitrantur. Nam quæ ſunt hujus generis Patres haud dubie de purgatorio, æque ac nunc adverſarios, accepturos olim fuiſſe palam eſt, ſi perinde, ut iſti, purgatorium inter fidei ſuæ capita habuiſſent. Atqui res aliter habet. Quod ut planum

fiat, ea percurremus loca, prius quæ ex Veteri, tum quæ ex novo Teſtamento pro purgatorio ab adverſariis afferri ſolent; quodque veterum fuerit de eorum ſenſu judicium, quam breviſſime fieri poterit, oſtendemus.

Primus prioris ordinis locus eſt è pſalmo ſexto, *Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.* Atqui neque Theodoretus, neque Hieronymi nomine vulgatus Pſalterii interpres ullum hic viderunt purgatorium. Sic enim ille locum enarrans; οὐ παρακαλεῖ (inquit) μὴ ἐλεγχθῆναι ἀλλὰ μὴ θυμῷ ἐλεγχθῆναι· οὐδὲ ἱκετεύει μὴ παιδευθῆναι, ἀλλὰ μὴ μετ' ὀργῆς τοῦτο παθεῖν. πατρικῶς μέ φησι παίδευσον, μὴ δικαστικῶς. ἰατρικῶς, μὴ κολαστικῶς. μὴ μετρήσῃς τῇ ἁμαρτίᾳ τὴν τιμωρίαν, ἀλλὰ τῇ φιλανθρωπίᾳ τὸ δίκαιον κέρασον. *Non precatur, ut non reprehendatur; ſed ne cum furore reprehendatur; neque petit, ut non caſtigetur, ſed ne cum ira hoc patiatur. Paterne me, inquit, corripias, non judicis ritu, medici more, non tortoris. Ne metiaris vindictam peccato; ſed benignitate juſtitiam tempera.* Commentator vero Hieronymi nomen præferens; *Pœnitentiæ*, inquit, *pſalmus eſt, & non emendari refutat & corripi, ſed in furore, & in ira, quia infirmus ſit, & turbata ſint oſſa ejus. Et aliquando prius furor eſt, & poſtea ira; ſed maxime unum eſt. Tamen furor in præſenti; ira in futuro.* Quæ vero ex Auguſtino attulit Bellarminus, ea nos ſupra, non ad Romanum purgatorium, ſed ad ignem illum pertinere demonſtravimus, quem communi cum cæteris fere Patribus delirio reſuſcitatos olim omnes fideles, etiam ſanctiſſimos, luſtraturum ſibi perſuaſerat.

In pſ. T. 1. pag. 418. c

T. 8. fol. 4. c

l. 4. c. 9.

Iam neque ſecundum, quem ex pſalmo ſexageſimo quinto (Hebræis 66.) adverſarii obtrudunt locum, *Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*, quiſquam veterum de iſtorum purgatorio accepit. Theodoretus iſta vult à Propheta ex perſona Danielis, Ananiæ, Azariæ, & Miſaelis dicta fuiſſe; *ignemque* intelligit Babylonicæ fornacis, in quam illi conjecti ſunt; τοιαύτη (inquit) ἡ κάμινος, ἐν ᾗ τὸ πνεῦμα διανεῖζον ἐψυχαγώγει τοὺς ἀθλητάς. *Talis fuit fornax, in qua ſpiritus flans refrigerabat athletas.* Methodius antiquiſſimus ſæculi tertii ſcriptor, ad omnes utriuſque Teſtamenti Martyras apud Epiphanium refert, quorum iſtis verbis deſcripta fuiſſe vult à Pſalte certamina; eamque interpretationem ſecutus eſt commentarii in Pſalmos apud Hieronymum auctor. *Martyrum hic* (inquit) *oſtendit victorias, quas in diverſis paſſionibus meruerunt; & ad unum eos dicit refrigerium, id eſt Chriſtum Dominum, per laqueos, per cruces, per verbera, per ignes, æſtuſque, & alia diverſa ſupplicia, per quæ & holocauſtum acceptum effecti ſunt, perveniſſe. Ignis vorat; aqua abſorbet. Ignis, tentatio: aqua, proſperitas. Vel ignem Spiritus*

T. 1 p. 647. a b

hær. 64. Origen. p. 571. d 574. a b c

T. 8. fol. 41. c

Spiritus ſancti. Induxiſti nos in refrigerium ; id eſt in beatitudinem æternam. Ita & ante iſtum Hilarius interpretatus fuerat ; *Glorioſius videlicet* (inquit) *Martyrum mortes commemorat, gladii, ignis, profundi. Sed* In pſ.65.p.782. e f *qui tranſit per ignem, & aquam, non in his aboletur, ſed in aliud per illa tranſducitur. Et quo tranſducatur Propheta non neſcit dicens ; Et eduxiſti nos in refrigerium* ; quæ verba de beatæ reſurrectionis requie accipit. Quod vero Bellarminus Origenem, & Ambroſium in pſal. 36. hæc l.4.c.6.& 9. ad purgatorium retuliſſe vult id ſupra ſuo à nobis loco confutatum eſt; demonſtratumque Origenicam hujus loci interpretationem ad illius viri de gehennæ fine delirium; Ambroſianam vero ad illum ultimi diei luſtralem ignem pertinere, quem plærique veteres ſomniaverunt.

Tertium ex Iſaia locum, *Si Dominus ſanguinem Ieruſalem laverit de* Iſ. 4. 4. *medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis*, ne ipſe quidem Bel- l.1.de purg.c.3. larminus ab ullo veterum de purgatorio ſuo acceptum fuiſſe dicit, niſi 5.Sextus. ab Auguſtino. Sed aliam fuiſſe Auguſtini mentem nos ſupra demonſtravimus ; qui Prophetæ verba ad illum ſuum noviſſimi diei ignem, l.4. c.9. ab adverſariorum purgatorio plane alienum, accommodari poſſe obiter quidem monet ; ſed ita ut ea aliter etiam explicari poſſe ſtatim ſubjiciat; *Niſi forte* (inquit) *ſic eos* (fideles reſuſcitatos intelligit) *dicendum* l.20. de civ. D. *eſt emundari à ſordibus, & eliquari quodam modo, cum ab eis mali per pœ-* c.25. *nale judicium ſeparantur, ut illorum ſegregatio, atque damnatio purgatio ſit iſtorum, quia ſine talium de cætero commixtione victuri ſunt.* Cæteri Patres ſimplicius hoc Iſaiæ vaticinium ad priorem Chriſti adventum referunt. Irenæus: *In noviſſimis autem temporibus, cum venit plenitudo* l.4.c.29 *temporis libertatis, ipſum verbum per ſe ipſum ſordes abluit filiarum Sion, manibus ſuis lavans pedes diſcipulorum.* Hieronymus *ſpiritum judicii, & combuſtionis* de Sancto Spiritu accipit, qui nobis à Chriſto in baptiſmo datur ; *Tunc* (inquit) *ſalvabuntur reliquiæ de Iſrael, quando in baptiſma-* l.2.in Iſ. T.5.fol. 10. b *te Salvatoris eis fuerint peccata dimiſſa, & ille ſanguis ablutus, quem ſuper ſe errans populus imprecatus eſt*, Sanguis ejus ſuper nos, &c. *Et nota, quod ſordes filiarum Sion laverit ſpiritu judicii ; ſanguinem autem Hieruſalem, ſpiritu combuſtionis. Quod enim leve eſt, lavatur ; quod gravius, exuritur. De quo judicii Spiritu, & ſpiritu combuſtionis, Ioannes Baptiſta in evangelio loquebatur* ; Ego baptizo vos in aqua ; qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igne. *Ex quo diſcimus, quod homo tantum aquam tribuat ; Deus autem Spiritum Sanctum, quo & ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.* Cyrillus Alexandrinus; l.1.in Iſ.orat. 3. T. 2. pag. 75. & 76. a *Abluet ſordes eorum, qui peccarunt, & è medio illorum purgabit ſanguinem, ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis.* Καὶ τὸ μὲν τῆς κρίσεως πνεῦμα φα-

μὲν

ſubjicit *tres eſſe baptiſmi acceptiones*, τὸν περὶ τοῦ ῥύπου καθαρισμὸν, καὶ τὴν διὰ τοῦ πνεύματος ἀναγέννησιν, καὶ τὴν ἐν τῷ πυρὶ τῆς κρίσεως βάσανον, *expurgationem ſordium*, *regenerationem per ſpiritum*, *& examen ſive probationem in igne judicii*; Itaque priora quidem Prophetæ verba ad primum baptiſmum pertinere; poſteriora vero *in ſpiritu judicii*, *& ſpiritu ardoris* πρὸς τὴν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι διὰ τοῦ πυρὸς δοκιμασίαν, *ad eam probationem referri*, *quæ per ignem fiet in futuro ſæculo.* Hæc vero *cum in die judicii*, *& in futuro ſæculo*, *& quidem ad probationem* factum iri dicat, nullo modo ad purgatorium Romanum trahi poſſe palam eſt, quod neque judicii die, neque ad probationem fideles exurere volunt; ſed vel ad ignem illum ſuprema mundi die omnes, etiam ſanctiſſimos, ex Patrum errore luſtraturum pertinent; vel fortaſſe ad Origenicam ipſorum damnatorum purgationem.quo non obſcure ſpectant,quæ mox Baſilius ibidem ſubjicit de peccatis ad mortem, quæ ab iis committuntur qui poſt acceptam cognitionem certa animi deſtinatione peccant,ac poſt acceptam vitam ſe ipſos perditum eunt, ſuique ſe ſanguinis reos conſtituunt. Cum enim qui ſunt hujuſmodi eos ſolos profiteatur τοῦ ἐκ τοῦ πυρὸς δεῖσθαι καθαρισμοῦ *purgatione illa per ignem indigere*; hæc autem, quæ iſtis adſcribit, nemini vere fideli conveniant; profecto videtur exiſtimaſſe, *ſpiritu combuſtionis* non fideles ullos, ſed impios & apoſtatas ſolos purgatum iri; quod vix, niſi admiſſa Origenica de gehennæ fine hypotheſi, conſtitui, aut defendi poteſt. Scio græcos Pauli Scholiaſtas hæc Baſiliana ſic accipere, quaſi hoc tantum ſignificent, qui damnati in gehenna ardebunt, eos nunquam conſumptum iri, neque in nihilum abituros, ſed in æternum ad ſupplicia victuros, atque manſuros; non autem è pœnis ullo umquam tempore liberatum iri. Sed fateor mihi difficile videri τὸν διὰ τοῦ πυρὸς καθαρισμὸν ſic interpretari: His enim verbis omnino videtur ſignificari qui hujuſmodi igne cruciantur, eos tandem aliquando purgatum iri; adeoque in igne illo eſſe deſituros. Vtcumque ſit, clarum eſt neque Baſilium, neque alium quemquam veterum hunc Iſaiæ locum ad purgatorium Romanum retuliſſe. 1. Cor. 3.

Sequitur quartus ex eodem Iſaia locus, *Succenſa eſt, quaſi ignis, impietas, & ſpinas devorabit.* Ne hunc quidem Bellarminus alium ullum Patrem de purgatorio accepiſſe contendit,præter unum Baſilium;quod ipſum falſiſſimum eſſe nos ſupra luculente docuimus. Nam & ipſe Baſilius, & cæteri omnes hæc ad res adverſas referunt, quibus olim ob peccata juſto Domini judicio afflictus fuit Iudæorum populus. Hieronymus; *Omnes*, inquit, *impietates eorum*, *quaſi ſpinas*, *vorax flamma con-* Iſ. 9. 18. ſupr. l. 4. c. 11. ad obj. 5. l. 4 in Iſ. c. 9. T. 5. fol. 29. m

 ſumet.

In Iſ.l.1.orat.6. T.2.p.168.a b *ſumet. Et verba abſque virtutibus, quæ infructuoſo ſaltui comparantur, involventur fumi ſuperbia.* Cyrillus Alexandrinus *impietatem* pro hominibus impiis accipit, qui toti ſic ex ſceleribus conflati ſunt ut non tam ſcelerati, quam ipſum ſcelus eſſe videantur; οὗτοι τοιγαροῦν (inquit) ὡς πῦρ καυθήσονται, φησὶ, τουτέστιν, αὐτοὶ καθ' ἑαυτῶν γενήσονται πῦρ. οὐ γὰρ ἕτερός τις ἐποίσει τὴν φλόγα αὐτοῖς, ἀλλ' ἀρκέσουσιν ἀλλήλοις εἰς τοῦτο αὐτοί. καυθήσονται δὲ ὡς ἄγρωστις ξηρὰ, καὶ ὡς δάση δρυμῶν. *Hi igitur, quaſi ignis ardebunt, inquit, id eſt, ipſi ignis erunt. Nemo enim alius flammam illis inferet, ſed ipſi ad hoc ſibi inter ſe ſufficient. Succendentur autem quaſi gramen aridum, & ut denſitas ſylvarum.* Mox hæc ad Iudæorum ſub Veſpaſiano cladem refert; quod cum Titus Hieroſolymam oppugnaret, plura obſeſſi alii ab aliis mutuis in ſe ſe odiis, cædibuſque graſſando, quam ab hoſte mala paſſi ſint. Theodoretus; ἐδίδαξεν ἀκριβῶς (inquit) ὡς οἱ παρανομοῦντες ἐπισπῶνται τὴν τιμωρίαν. τὴν γὰρ ἀνομίαν πῦρ ἐκάλεσε. καὶ ξηρὰν ἄγρωστιν. καὶ καθάπερ ὁ σίδηρος τὸν ἰὸν τίκτει, καὶ ὑπὸ τούτου καταναλίσκεται; οὕτως ὁ παρανομίᾳ συζῶν, καὶ ἐργάζεται τὴν ἁμαρτίαν, καὶ διαφθείρεται ὑπ' αὐτῆς. *Abunde docuit, quomodo inique agentes pœnam attrahunt. Iniquitatem enim appellavit ignem, & aridum gramen. Et ſicut ferrum rubiginem parit, ab eaque conſumitur; ita qui inique vivit, & peccatum committit, & ab eo corrumpitur.*

In Iſ. 9. T. 2. p. 46. c d

Mich.7.8. Quintus vero locus ex Michæa ſic habet; *Ne læteris inimica mea. Nam ſi cecidi reſurgam*, &c. Atqui nemo veterum hæc de purgatorio accepit. Omnes Sionis ad Babyloniam apoſtrophen eſſe fatentur, ſuam captivitatem tandem aliquando ſolutum iri ſperantis. Hieronymus: *Videtur mihi juxta litteram Hieruſalem contra Babyloniam, & cæteras gentes loqui, quæ ſibi inſultaverant; Ne lætemini in ruina mea; quia Domino miſerante conſurgam. poſtquam ſedero in captivitate, educet me ille de tenebris, & erit lux mea. Iram Domini ſuſtinebo; quia me ſcio meruiſſe, quod paſſa ſum, donec ulciſcar de gentibus: & fiat judicium meum. Novi quippe quod me ſit educturus in lucem, & videbo juſtitiam ejus, & aſpiciet inimica mea Babylon, & cæteræ gentes in circuitu, & operietur confuſione, quæ nunc dicit inſultans, Ubi eſt Dominus Deus tuus?* Sed & mox eadem allegorice ad animam pœnitentis transfert; quæ Domini diſciplinas patienter ſuſtinens ſalutem certa ſpe expectat; *Omnis correptio ad præſens* (inquit) *non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris; & poſtea fructum pacificum juſtitiæ reddet his, qui per eam fuerint eruditi. Sentiens igitur anima ſe peccaſſe, & habere vulnera peccatorum, & in mortuis carnibus vivere, & indigere cauterio, conſtanter dicit ad medicum; Ure carnes meas, reſeca vulnera; humores omnes, & ῥεῦμα noxium dura hellebori potione conſtringe,*

l.2. in Mich. T. 6. fol.72. d

Ibid. i

ſtringe. Mei vitii fuit, ut vulnerarer. Mei doloris ſit, ut tormenta ſuſtineam, & poſtea ſanitatem recipiam. Itaque quæ mox de *cruciatibus, atque ſuppliciis, deque tenebris exterioribus* addit, ea dolores, atque anguſtias ſignificant, quibus pii conflictantur, dum eos Deus ſuis ferulis atque diſciplinis ad veram reſipiſcentiam erudit; *Et hæc* (inquit) *duntaxat de pœnitentibus.* Cyrillus Alexandrinus; χαριέστατα μοι δοκεῖ (inquit) διαπεπλάσθαι νῦν τῆς Σιὼν ὁ λόγος πρὸς τὴν ἀπηνῆ καὶ ὑβρίστριαν καὶ ἀλαζόνα πόλιν, δῆλον δὲ ὅτι τὴν Βαβυλωνίων, τὴν οἱονείπως ἐπιτωθάζουσαν ὡς πεπορθημένην τῇ Ἰουδαίων χώρᾳ. *Venuſtiſſime mihi nunc ſermo Sion affictus videtur, ad immitem, & contumelioſam, & arrogantem civitatem, Babylonem ſcilicet, Iudæorum regionem devaſtatam velut irriſione ludentem;* & quæ ſequuntur in eandem rem. *Tenebras* autem, in quibus jacuerat Sion, accipit de idololatriæ caligine, quæ Iſraeli aliquando incubuerat: *lucem*, quam illa ſperat, de vera Dei agnitione; *iram Dei* de captivitate Babylonica; *judicium, & juſtificationem*, de liberatione; cum populus reſipiſcens in terram Canaan reductus eſt. Neque fere aliter Theodoretus; ἀναστήσομαι γὰρ τῆς θείας ἀπολαύουσα κηδεμονίας. αὐτὸς γὰρ καὶ ἐν σκότῳ διαγούσῃ τὴν οἰκείαν αἴγλην παρέξει. νῦν δὲ ὀργὴν Κυρίου ὑποίσω, ὅτι ἥμαρτον αὐτῷ. *Reſurgam enim divina cura ſublevata. Ipſe enim in tenebris agenti ſuam lucem porriget.* Neque aliter ipſe Altiſſiodorenſis Remigius, tametſi ſequiorum temporum ſcriptor, Michææ locum accepit; *Vox Ieruſalem* (inquit) *contra Babylonem, & cæteras gentes, quæ exultaverant in ruina ejus. O Babylon inimica mea, ne læteris, & ſuper me non gaudeas, quod merito meo ceciderim. Poſtquam enim iram Domini portavero conſurgam, quia ille eſt lumen meum in tenebris tribulationum. Novi quod me ſit educturus de anguſtia Deus meus; & oculi mei videbunt juſtitiam ejus, id eſt ultionem quam facturus eſt non longo poſt tempore, ſed nunc & in præſentiarum erunt conculcationes, & devaſtabuntur à Medis & Perſis.* Eadem mox ad animam fidelem moraliter refert; *Quicumque pro peccatis ſuis* (inquit) *vel à Diabolo tentari permittitur, vel diverſis tentationibus atteri, non debet deſperare de miſericordia, ſed magis ſe contra inimicos & dæmones erigere, qui noſtris inſultant caſibus; & dicere, Conſurgam, quia Dominus lux mea eſt. Ipſe ducet de tenebris in lucem. Omnis enim tribulatio in præſenti videtur non eſſe gaudii*, &c. Hæc ille; quæ ex Hieronymo, ut apparet, hauſit. Quod vero Bellarminus ex alio Hieronymi in Iſaiam loco contendit hæc Michææ verba pro purgatorio olim afferri ſolita, in eo quam turpiter vel fallat, vel certe fallatur, jam alibi demonſtravimus; oſtendimuſque Hieronymum extremis in Iſaiam commentariis tradere hunc locum, non ab ullis catholicis, ſed ab Origeniſtis hæreticis;

in Mich. T.3.p. 461.d e 462.a b

in Mich. 7.T.2. p.831.d

In Mich. Bibl. Patr.T.1.p.700. d

Ibid.701.a

l.1.de purg.c.3. §.Octavum.

ſupra l.4.c.8. extr.

cis; non pro Romano purgatorio, ſed pro gehennæ fine afferri ſolitum.

Zac. 9. 11. Sed neque ſextum ex Zacaria locum, *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*, veterum quiſquam ad ullos purgatorii Romani incolas retuliſſe legitur. Hieronymus de iis accipit, qui cum Chriſto reſurrexerunt: Deſcriptis enim Prophetæ verbis, *Quod ita* (inquit) *intelligitur. in ſanguine paſſionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non eſt ulla miſericordia, tua clementia liberaſti. Denique poſtquam Dominus reſurrexit, hi qui peccatis Adam, ſive (ut quidam volunt) erroris inditi, ac mortis vinculis tenebantur, reſurrexerunt cum eo, & apparuerunt in ſancta civitate.* Iſtos non purgatorio, ſed gehenna incluſos fuiſſe patet ex Hieronymi quidem ſententia; qui locum in quo vincti erant, ait *carcerem fuiſſe inferni, in quo non eſt ulla miſericordia.* Quod etiam paulo poſt clariſſime confirmat, cum de lacu iſto loquens ait, *In hoc lacu inferni morabatur dives ille quondam purpuratus, cujus lingua magniloqua pœnarum exurebatur incendiis, & in tantum non habebat ulla aquarum refrigeria, ut extremi digiti pauperis tincti in aqua refrigerium poſtularet.* Lacum enim illum, in quo epulo ardet, purgatorium Romanum eſſe, etiam Bellarminus ſtrenue negat. Quid, quod eoſdem vinctos Hieronymus continuo ſubjicit *tunc immiti, atque terribili inferno detentos fuiſſe?* Hæc equidem ſuſpicor Hieronymum, ut multa alia paſſim ejus Commentariis aſperſa, ex Origenis lacunis hauſiſſe. Quis enim pius eos, qui cum Chriſto Domino reſurrexerunt, in eodem cum epulone lacu ante id temporis habitaſſe dixerit? Sed hæc tamen qualiacumque ſint, nihil certe ad purgatorium Romanum faciunt. Hieronymum κατὰ πόδα ſecutus eſt, ut alias, Remigius Altiſſiodorenſis; niſi quod, quos *in inferno* fuiſſe ait, *in quo nulla eſt miſericordia*, eoſdem *ſanctos* vocat; quæ inexplicabilia, mihi quidem certe videntur. Græci multo fœlicius Prophetæ locum interpretati ſunt. Cyrillus quidem Alexandrinus duobus modis; quorum neuter adverſariis favet: *Tu igitur inquit, juſtiſſime, & manſuetiſſime rex, in ſanguine teſtamenti tui vinctos tuos (hoc eſt, quos vinculis caritatis conſtrinxiſti, quibuſque perſuaſiſti, uti mentis cervicem jugo tuo ſubmitterent, & palam illigarent) emiſiſti, hoc eſt extuliſti, ſive eduxiſti, ſive dimiſiſti ex lacu non habente aquam.* σημαίνει δὲ διὰ τούτου φαμὲν αὐτὸν ἢ τὸν ᾅδην, τὸν οὐκ ἔχοντα ζωήν. ἐκδεξόμεθα γὰρ εἰς τύπον ζωῆς τὸ ὕδωρ. ἤγουν ᾅδην καταλογιζόμεθα, καὶ μάλα ὀρθῶς, τὴν ἐπί γε τοῖς ψευδωνύμοις θεοῖς ἀπάτην βόθρος γὰρ ἀληθῶς τὸ χρῆμά ἐστιν, εἰς ὃν εἴπερ τις ὅλως κατολισθήσειε, ζωῆς ἀμοιρήσει τῆς εἰς αἰῶνα τῆς μελλούσης. *Quibus verbis aut infernum, ubi non eſt vita, ſignificari*

l. 2. in Zach. T. 6. fol. 117. 1.

Ibid. l.

In Zach. T. 1. Bibl. Patr. pag. 761. a

In Zach. T. 3. p. 738. e

ſicari dicimus (aquam enim pro ſymbolo vitæ accipiamus licet) aut certe infernum convenientiſſime falſorum Deorum fallaciam interpretabimur. Vere enim fovea eſt, in quam ſiquis penitus deciderit, vita futura, ac ſempiterna carebit. Vtramque ſenſum mox allatis Scripturæ teſtimoniis firmat. Ac priorem quidem inde, quod *Chriſtus ſpiritibus in cuſtodia detentis* Ibid. p. 39. a b *aperuerit portas inferas*; quos ſpiritus nemo de purgatorianis, omnes de veterum fidelium animabus in limbo(ut loquuntur)ad Chriſti mortem cuſtoditis intelligunt. Poſteriorem vero ſenſum, qui potior & facilior Ier. 2. eſt, ex Ieremiæ verbis conſtituit; qui Iſraelitas *lacus ſibi fodiſſe contritos, qui non poterunt aquam continere*, affirmat; cum à Deo fonte aquæ viventis derelicto, ad idola converſi ſunt. Theodoretus certe, vir In Zach. 9. longe eruditiſſimus, hunc ſenſum alteri eo prætuliſſe cernitur, quod T. 2. p. 911. eum ſolum commemorat; οὓς γάρ φησι τῷ τιμίῳ σου αἵματι ἐξηγόρασάς τε, καὶ ἠλευθέρωσας, τούτους μετὰ τῶν σωτηρίων σου συνθηκῶν ἐξαπέστειλας, ὥστε πᾶσι κηρύξαι τὴν ἐλευθερίαν, ἀπαλλάξας αὐτοὺς τοῦ λάκκου τοῦ μὴ ἔχοντος ὕδωρ. τοῦτον δὲ τὸν λάκκον, εἴτε τὸν αἰώνιον θάνατον, εἴτε τῶν εἰδώλων πλάνην βούλεταί τις νοεῖν, τῆς ἀληθείας οὐχ ἁμαρτήσεται, & quæ ſequuntur ſane præclariſſima. *Quos inquit tuo pretioſo ſanguine redemiſti, & liberaſti, hos cum ſalutaribus teſtamenti tui tabulis emiſiſti, ut omnibus libertatem prædicarent, liberans eos à lacu non habente aquam. Hunc autem lacum, ſive de morte æterna, ſive de errore idolorum velit quis intelligere, à veritate non aberrabit.* Atque hæc illi. Quæ vero hic de Auguſtino Bellarminus notat, quaſi is ſcilicet putaverit aliquorum mortuorum ſpiritus à Chriſto è purgatorio extractos fuiſſe, ea à nobis ſupra abunde confutata ſunt. [a] a L. 4. c. 14. §. Tertio Bellarm.

Supereſt ultimus è veteri teſtamento, Malachiæ locus; *Ipſe ſedebit* Mal. 3. *quaſi ignis conflans*, &c. Atqui ne hic quidem purgatorium Romanum ullus veterum vidit. Cyrillus hæc ad priorem Chriſti adventum refert; cujus ſpiritu, ac gratia ſanctificati ſunt myſtici Iſraelitæ; πῦρ δὲ τὸ θεῖον καὶ οὐρανόθεν, τουτέστιν ἡ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος χάρις: *divinus autem, & cæleſtis* In Mal. 3. T. 3. p. 852. c *ignis, hoc eſt gratia per Spiritum Sanctum.* Et paucis interjectis totius loci ſenſum colligens; προαγορεύει χρησίμως, ὅτι κατὰ καιροὺς ἐπιλάμψει ὁ Ib. d. e Χριστὸς, ὁ πᾶσαν ἡμῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ μέσου τιθεὶς, καὶ πανάγνους ἀποτελῶν τοὺς ἰδίους ἱερουργοὺς, καὶ οἷον χρυσόν τι ἢ ἄργυρον ἐν πυρὶ δοκιμάζων αὐτοὺς, ἤτοι δοκίμους ἀποτελῶν καὶ λελαμπρυσμένους. *Prædicit utiliter quodam tempore affulſurum Chriſtum, qui peccatum omne noſtrum è medio tollit, & ſacerdotes ſuos puriſſimos reddit, eoſque ut aurum, aut argentum in igne probat, ſive probatos, & illuſtres reddit.* Alii Prophetæ verba ad ſecundum Chriſti adventum referunt. Theodoretus: πρὸς δὲ τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ παρουσίᾳ, T. 2. p. 941. b καὶ τὴν δευτέραν αὐτοῦ ἐπιφάνειαν προθεσπίζει. *Præter priorem autem ejus*

adventum etiam ſecundum ejus adventum prænuntiat. Igneus vero, quo
Ib.d. c. accinctus venturus dicitur, *de vi Spiritus Sancti*, perinde quoque, ut
Cyrillus accipit; deque *divina gratia, qua tanquam herba quadam,*
a De variis torm. infernis. *peccatorum ſordes eluit.* Ephremus [a] ſimiliter, & Ruffinus [b] de ſecundo
b In ſymbol. venit. judicatur. Chriſti adventu locum accipiunt. Quos vero Bellarminus adfert Origenem, Ambroſium, Auguſtinum, & Hieronymum hæc de pœna purgatoria interpretantes, id nihil ad Romanum purgatorium pertinere
Bell. l. 1. de purg. c. 3. §. Decimus. planum eſt, cum ipſe de hujuſmodi pœna iſtos loqui confiteatur, quæ homines non mortuos, ſed viventes purgatura ſit.

Nunc ad ea Novi Teſtamenti loca veniamus, in quibus adverſarii præcipuum cauſſæ hujus ſuæ præſidium collocant.

Primus eſt hujus ordinis, qui Matthæi capite quinto habetur; *Eſto*
Matth. 5. 26. *conſentiens adverſario tuo*, &c. *Amen dico tibi, non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.* Sed in his nemo veterum purgatorium iſtorum vidit. Chryſoſtomus totam hanc Chriſti orationem ad litteram (ut loquuntur) accipit; in qua vult Dominum (Bellarmini hæc
L. 1. de purgat. c. 7. §. De primo. verba ſunt) *terrere diſſidentes comminatione humani periculi, ita ut etiam judex intelligatur homo, tortor homo, carcer materialis hujus vitæ, & quadrans verus nummus æreus.* ἐπειδὴ (inquit ille) τοῦτο μέγα ἦν τὸ ἐπίταγμα,
T. 1. in N. T. p. 205. a Hom. 16. in Matth. ἀπὸ τῶν παρόντων ποιεῖται τὴν συμβολὴν, ἃ καὶ τοὺς παχυτέρους μᾶλλον τῶν μελλόντων κατέχειν εἴωθε. τί γὰρ λέγεις φησίν; ὅτι δυνατώτερός ἐστι καὶ ἀδικεῖ; οὐκ οὖν μᾶλλόν σε ἀδικήσει, ἐὰν μὴ καταλύσῃς, ἀλλ' ἀναγκάσει εἰς δεσμωτήριον ἐλθεῖν. τότε μὲν γὰρ χρημάτων ἀποστὰς, τὸ σῶμα ἕξεις ἐλεύθερον. ὑπὸ δὲ τῇ ψήφῳ γενόμενος τοῦ δικαστοῦ, καὶ δεσμευθήσῃ, καὶ τὴν ἐσχάτην δώσεις δίκην. *Deinde videns magnum hoc præceptum, de præſentium illud utilitate commendat, quæ certe craſſiores quaſque mentes magis permovent, quam futura. Quid ais, inquit, ſi potentior ſit, ille qui nocet? Amplius igitur nocebit, ſi te non liberaveris, ſed ad judicium venire coactus fueris. Tum etenim pecuniis ſi ceſſeris, corpus ſaltem liberum poſſidebis; cum vero ſub judicis cœperis ſtare ſententia, etiam vincula ſuſtinebis, & ultimas pœnas da-*
Ibid. p. 206. a *bis.* Mox allata eorum ſententia, qui *adverſarium* allegorice de *diabolo* intelligunt; ἐμοὶ δὲ (inquit) περὶ τῶν ἐνταῦθα δοκεῖ λέγειν δικαστῶν, καὶ τῆς εἰς τὸ δεσμωτήριον ὁδοῦ, καὶ τοῦ δεσμωτηρίου τούτου. *Mihi autem de his, qui in præſenti ſunt, videtur dixiſſe judicibus; ac de illa via quæ ad judicium ducit, & de iſto uſitato carcere* & cætera, quibus ille latius ſuam ſenten-
In Euang. p. 31. b c tiam exſequitur, ac confirmat. Chryſoſtomum Theophylactus, ut alias, ſequitur; itidemque Euthymius. Scio Bellarminum iſtam Chryſoſtomi interpretationem velut improbabilem explodere. Sed præterquam quod infirma ſunt, leviſſimique momenti, quæcumque in

eam

eam objicit, reſpondeo unum nunc quidem quæri, Patres-ne hunc locum de Romano purgatorio acceperint, an ſecus. Quales ſint eorum interpretationes, rectæ-ne ac genuinæ, an contra, non eſt præſentis loci diſputare. Sed neque inter eos, qui hoc Chriſti dictum allegorice acceperunt, quiſquam reperitur, qui id ad purgatorium trahat. Auguſtinus quidem, etiam fatente Bellarmino, iſtam noviſſimi quadrantis ſolutionem de pœnis æternis accipit, quas in gehenna pendent damnati. *Donec ſolvas autem, quod dictum eſt, miror* (inquit) *ſi non eam ſignificat pœnam, quæ vocatur æterna. Vnde enim ſolvitur illud delictum, ubi non datur pœnitendi, & correctionis locus? Ita enim fortaſſe hic poſitum eſt* donec ſolvas, *quomodo in illo ubi dictum eſt*, Sede à dextris meis donec ponam omnes inimicos tuos ſub pedibus tuis. Vnde paulo poſt conficit iſtum è carcere *ſemper non exiturum, quia ſemper ſolvit noviſſimum quadrantem, dum ſempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.* Eadem alibi non ſemel docet. Theophylactus, & Euthymius eandem parabolam ad caput Lucæ duodecimum enarrantes hanc in carcere manſionem, non aliter quam Auguſtinus, de æterna damnatorum in gehenna detentione accipiunt. οὐδέποτε πληροῦται (inquit ille) τὸ τῆς κολάσεως μέτρον. ἀεὶ ἄρα κολασθησόμεθα. εἰ γὰρ ἄχρις τότε εἰς φυλακὴν ἐσόμεθα, ἄχρις ἂν τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῶμεν, οὐδέποτε δὲ μέλλομεν ἀποδοῦναι, πρόδηλον ὡς ἀΐδιος ἡ κόλασις ἔσται. *Numquam impletur pœnæ menſura, ſemper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus donec extremum minutum reddamus; nunquam autem reddituri ſumus; manifeſtum, quod æternum erit ſupplicium.* Chromatius Aquileienſis, refutatis una, & altera aliorum expoſitionibus (quarum neutra quicquam de purgatorio habebat) tertiam ipſe hanc ſequitur, ut *adverſarii*, cui reconciliari jubemur, nomine Spiritus Sanctus intelligatur, quem ex Paulo carni noſtræ reſiſtere, & adverſari notum eſt. *Verum* (inquit) *ſiquis voluntati Spiritus Sancti dicto non audiens, & contrarius extiterit, non dubium eſt hujuſmodi hominem poſt exceſſum vitæ Dei filio, qui judex vivorum, & mortuorum eſt, offerendum; a quo tradetur miniſtro, id eſt Angelo tormentorum, mittendus in carcere gehennæ; unde non dimittetur, niſi etiam noviſſimum quadrantem ſolvat; id eſt omnem pœnam debiti etiam uſque ad noviſſimum peccatum exſolvat. De hoc igitur adverſario Dominus in præſenti loco loqui intelligitur; qui adverſans peccatis noſtris ſalutem noſtram deſiderat; qui nos idcirco cupit ſibi eſſe conſentaneos, ut & pœnas inferni evadere, & regna cæleſtia conſequi mereamur.* Hieronymus hanc quidem de Spiritu Sancto expoſitionem rejicit; ſed neque ipſe quicquam habet de purgatorio. Quinimo clare ſignificat ſe, ſi allegorice ſumatur locus,

L. 3. de purg. c. 7. §. De ſexto.

L. 1. de conſ. Euang.

L. 2. q. ev. q. 38. & q. 1. ad Dulc. & L. 1. de ſer. D. in mont.

Theoph. in luc. 12. com. extr. p. 422. a

Conc. 3. in Matth. 5. Bibl. Pat. T. 2. p. 166. b

In Matth. 5. T. 9. fol. 9. ea.

quædam remiſſum iri ſuſpicatur Auguſtinus, ipſe noviſſimi judicii tempus eſſe exſerte doceat; ut ſupra eſt à nobis probatum. [a] Cæteri locum commodiſſime interpretantur, ac plane ad noſtram mentem. Victor Antiochenus, commentario in Marcum, *Apud Matthæum* (inquit) *legitur*, Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro; *hoc eſt neque ſupplicium in hoc ſæculo in blaſphemos conſtitutum evadet, neque illud etiam, quod in futuro; quandoquidem lex morte eum multari jubebat, qui in Deum blaſphemus extiterat. Cui legis decreto Dominus ſe ſe conformans ejuſmodi peccatum neutrobique remiſſum iri comminatur.* Sic etiam Chryſoſtomus; διὰ δὴ τοῦτο ἀσυγγνωστὸς ὑμῖν ἡ βλασφημία. καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐκεῖ δώσετε δίκην. πολλοὶ μὲν γὰρ ἐνταῦθα ἐκολάσθησαν μόνον, ὡς ὁ πεπορνευκὼς, ὡς οἱ ἀναξίως μετέχοντες μυστηρίων παρὰ Κορινθίοις. ὑμεῖς δὲ καὶ ἐνταῦθα, καὶ ἐκεῖ. *Idcirco irremiſſibilis vobis eſt blaſphemia. Et hic & illic dabitis pœnas. Multi enim hic ſolum puniti ſunt; ut ille qui fornicatus erat, & qui ſacramentis indigne apud Corinthios communicaverunt. Vos autem & hic, & illic.* Quæ fuſius more ſuo mox exſequitur; & quod Iudæis peccatum *in hoc ſæculo ramiſſum iri* negat Dominus, id ad Hieroſolymorum everſionem, totiuſque gentis excidium refert; quod vero in *futuro* minime remiſſum iri ait, id de æternis gehennæ pœnis accipit, in quas iſti morientes inciderunt, itidem ut olim Sodomitæ. Chryſoſtomum Theophylactus, ut ſolet, ſequitur; οὐκ ἀφεθήσεται οὖν τούτῳ (inquit) οὔτε ἐνταῦθα, οὔτε ἐκεῖ. ἀλλὰ καὶ ἐνταῦθα, καὶ ἐκεῖ τιμωρηθήσεται. πολλοὶ γὰρ ἐνταῦθα μὲν κολάζονται; ἐκεῖ δὲ οὐδ' ὅλως ὡς ὁ πτωχὸς Λάζαρος. ἄλλοι δὲ καὶ ὧδε καὶ ἐκεῖ ὡς οἱ Σοδομῖται, καὶ οὗτοι οἱ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον βλασφημοῦντες. *Non remittetur igitur vel hic, vel illic, ſed & hic & illic punietur. Multi enim ſunt, qui hic quidem puniuntur; ſed illic prorſus immunes ſunt, ut pauper Lazarus. Alii autem & hic & illic, ut Sodomitæ, & qui in Spiritum Sanctum blaſphemant.* Hæc illi. Fulgentius vero etiam ultra progreditur, & negat Dominum hoc dicto id, quod volunt adverſarii, ſignificare, remitti ſcilicet aliquod in futuro ſæculo peccatum, quod hic non fuerit dimiſſum. *Hoc verbo* (inquit) *Dominus & Salvator noſter non aliqua peccata inſinuavit in futuro ſæculo dimittenda, quæ in hoc ſæculo dimiſſa non fuerint; Sed bene intelligentibus oſtendit non alia, ſed illa tantum in futuro ſæculo dimittenda, quæ in hoc ſæculo in una vera Eccleſia Catholica fuerint unicuique dimiſſa. Soli enim illi Dominus ligandi, ſolvendique tribuit poteſtatem, dicens*; Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. *Quod ergo ſancta Eccleſia in hoc ſæculo non ſolverit ita inſolubile permanet, ut etiam in futuro ſæculo ſolvi nullatenus poſſit.*

[a] *L.4. c.14. ſ. præterea affert.*

In Marc. 3. Bibl. Patr. T.1. p.418. c d

Hom.41. (lat. 42.) in Matth. T.1. p.475. d e

Ibid p.476. e

In Matth. p.67. d e

L.1. de remiſſ. pecc. c.24. p.387. d

ſit. Hæc Fulgentii doctrina Romani purgatorii fundamentum non obſcure convellit.

Act.2.24. Venio ad illum ex Actis locum, in quo Petrus de Chriſto loquens, *Quem Deus* (inquit) *ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni.* Atqui neque hunc à quoquam veterum de purgatorio Romano acceptum fuiſſe clarum eſt. *L.1. de purg. c.8. §. octavum.* Quod enim ait Bellarminus Auguſtinum hinc concludere Chriſtum cum deſcendit ad inferos, quoſdam liberaſſe à cruciatibus inferni; fateor eum ſic ſenſiſſe. Sed id nihil facit ad purgatorium Romanum; cum iſtos, quos à cruciatibus inferni Dominum vult liberaſſe, non purgatorii, ſed gehennæ incolas intelligat; ut eſt à nobis ſupra pluribus demonſtratum. *a L.4. c.14. §. Tertio Bellar.* [a] Sed hæc ipſa loci illius interpretatio, dura ſane & abſurda, & cum græcis Petri verbis ἀσύστατος, Auguſtini propria eſt. Alii Petri orationem longe aliter accepere. Græci quidem, ut in prima hujus diſputationis parte obiter nos monuiſſe memini, dolores, quos Deus ſolvit, non damnatorum, non fidelium, non Chriſti, ſed mortis, fuiſſe volunt. *Hom.6. in Act. T.3. in N.T. p.58. a* Chryſoſtomus: *αὐτὸς ὤδινε κατέχων αὐτὸν ὁ θάνατος, καὶ τὰ δεινὰ ἔπασχεν. Ipſa etiam mors illum* (Chriſtum) *detinens dolebat, & gravia patiebatur.* Itaque vult ſolutos fuiſſe hos mortis dolores Chriſto in novam vitam ex ſepulcro renaſcente. Sic Oecumenius; *In Act. p.20. a* *ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. τουτέστιν, ὅτι καὶ ὁ θάνατος ὤδινε κατέχων αὐτὸν, καὶ οἱονεὶ δεινὰ ἔπασχεν.* Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus mortis; *hoc eſt, ipſa quoque mors ipſum detinens doluit, & veluti grave aliquid paſſa eſt.* Theophylactus; *εὖ τὴν λύσιν ὠδίνων τοῦ θανάτου τὴν ἀνάστασιν προσηγόρευσεν, ἵνα εἴπῃ, ἔρρηξε, καὶ ἀνέρρηξε τὴν ἔγκυον καὶ ὠγκωμένην, καὶ ὠδίνουσαν γαστέρα τοῦ θανάτου. ὥσπερ ἐκ κοιλίας τῆς ὠδινούσης, φημὶ δὴ τῶν τοῦ θανάτου δεσμῶν, καὶ τῶν τοῦ ᾅδου μυχῶν, ἀναδύντος τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ, καὶ προελθόντος ὡς ἐκ τοκετοῦ ξένου τῆς ἀναστάσεως. Recte ſolutionem mortis parturientis dolorum, reſurrectionem appellavit; ut dicat, rupit & erupit ex gravido, & tumido, atque parturiente ventre mortis, tamquam ex utero quodam parturiente. Intelligendum puto ex vinculis mortis, & inferni receſſibus, ac penetralibus Servatore Chriſto emergente, ac prodeunte; tamquam ex peregrino partu reſurrectionis.*

1. Cor.3. 15. Sed nullus Scripturarum eſt locus, quem adverſarii pluris in hac cauſſa faciant, quam qui habetur prioris ad Corinthios capite tertio, *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Atqui ne hunc quidem quiſquam veterum, qui ante ſeptimum Chriſtianiſmi ſæculum mortui *Hom.9.in 1. ad Cor.T.5. in N.T.* ſunt, de purgatorio intellexit. Chryſoſtomus de damnatis, poſt ultimum judicium in gehenna æternum arſuris accepit. Vult enim eorum, qui Chriſto fundamento ligna, fœnum, ſtipulas ſuperædificarunt, nomine

mine homines intelligi in fidei Chriſtianæ profeſſione prave, ac ſcelerate viventes, contra eos, qui aurum, argentum, gemmas ſuperſtruxerunt, de iis interpretatur, qui vitam ſuſcepta fide dignam egerunt; Qui in horum numero inventus fuerit, eum mercedem accepturum; Qui in illorum, eum & operis, & regni cœleſtis jacturam facturum; neque aliter *σωθήσεσθαι ſervatum iri* dici, niſi quod in gehenna æternum manſurus ſit, non autem cum opere in nihilum abiturus. *οὐχὶ καὶ αὐτὸς* (inquit) *οὕτως ἀπολεῖται, ὡς τὰ ἔργα, εἰς τὸ μηδὲν χωρῶν ἀλλὰ μενεῖ ἐν τῷ πυρί. σωτηρίαν γοῦν τὸ πρᾶγμα καλεῖ. διὰ γὰρ τοῦτο προσέθηκεν, ὡς διὰ πυρός. καὶ γὰρ καὶ ἡμῖν ἔθος λέγειν, ἐν τῷ πυρὶ σώζεται, περὶ τῶν μὴ κατακαιομένων, καὶ τεφρουμένων εὐθέως ὑλῶν. μὴ γὰρ ἐπειδὴ πῦρ ἤκουσας, νομίσῃς εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖν τοὺς καιομένους. Non ipſe quoque ita peribit, ut opera, redactus ad nihilum; ſed manebit in igne. Salutem itaque id vocat. Propterea adjecit*, quaſi per ignem. *Nam nos quoque ſolemus dicere*, ſalvum eſt in igne, *de iis materiis, quæ non comburuntur, nec ſtatim in cinerem rediguntur. Ne enim, quoniam ignem audiviſti, exiſtimes eos, qui uruntur, eo redigi, ut non conſiſtant.* Sic hunc locum accipit apud Photium Iobius [a]; ſic in commentariis Theophylactus [b]; ſic Græci in Concilio Florentino; ſic Nilus Theſſalonicenſis, & omnes fere Græci; quorum loca deſcribere vix eſt operæ pretium, cum eadem cum Chryſoſtomo, à quo iſta hauſerunt, dicant. Iam ſiquis cum Bellarmino objiciat duram videri, & parum idoneam hanc iſtorum interpretationem, equidem haud repugnabo. Hoc tantum dicam, quo illa durior, quo abſurdior, atque ineptior eſſe probabitur, eo clarius hinc confectum iri ignotum fuiſſe Chryſoſtomo, & Iobio, & Theophylacto, qui eam ſequuti ſunt, nuperum Latinorum purgatorium; quod ſi ſciviſſent, non ſit veriſimile viros tantos in re adeo facili, atque obvia cæſpitaturos fuiſſe, duramque illam, ac (ut ſic dicam) inopinabilem Paulini dicti expoſitionem huic de purgatorio (ut adverſarii quidem volunt) perſpicuæ, ac in medio poſitæ interpretationi nulla mercede antelaturos fuiſſe. Sed ut ad cæteros veniam, Theodoretus, tametſi Græcus, ſummuſque Chryſoſtomi admirator, aliam tamen affert Paulini dicti expoſitionem, ingenioſam ſane, & elegantem, ut ſunt plæraque illius viri. *Architectos* apud Apoſtolum *doctores* occipit; *opus*, diſcipulos: probos quidem, ac dignos Chriſtianorum nomine, *aurum, argentum, ac gemmas* dici vult: pravos & inhoneſtæ vitæ, nec doctorum ſuorum prædicationi congruentis *fœni, ligni, & ſtipulorum* nominibus ſignificari. Illos ultimo judicio probatos una cum doctoribus ſervatum iri; his in illo examine reprobatis doctorem, qui eos ſuperædificaverit, illa operis ſui jactura multatum

P. 93. e

a Cod. 222. p. 330.

b In 1. cor. 3. p. 187.

In 1. cor. 3.

T. 3. Theod. p. 134. d

quidem iri, ipſum tamen ſervandum. *ὁ δέ γε διδάσκαλος* (inquit) *τὰ προσήκοντα διδάξας, οὐκ εἰσπραχθήσεται δίκας, ἀλλὰ τῆς σωτηρίας ἀξιωθήσεται. τοῦτο γὰρ λέγει, αὐτὸς δὲ σωθήσεται· τουτέστιν ὁ διδάσκαλος. τὸ δὲ ἔργον κατακαήσεται, ἀντὶ τοῦ, οἱ πονηρὸν ἑαυτοὺς κατασκευάσαντες ἔργον. Doctor autem qui recta docuerit, non luet pœnas, ſed ſalute dignus habebitur. Hoc enim dicit*, Ipſe autem ſalvus erit, *nempe doctor.* Opus autem comburetur *id eſt, qui ſe ipſos malum opus effecerint.* Verba autem illa poſtrema, *οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρὸς, ſic autem quaſi per ignem*, bifariam exponit; Primo quidem ea per trajectionem ad opus combuſtum referens;

Ibid. d

ζημιωθήσεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρὸς, ἀντὶ τοῦ καήσεται αὐτοῦ τὸ ἔργον ὑπὸ τοῦ πυρὸς; multabitur, ſic autem quaſi per ignem, *pro eo quod eſt, ejus opus ab igne comburetur.* Secundo, ut quod eſt ſimplicius, hæc verba ad ipſum doctorem referantur, ſic; *ὑπὲρ μὲν ἐκείνων οὐκ εἰσπραχθήσεται δίκας.*

Ibid. p. 135. a

σωθήσεται δὲ καὶ αὐτὸς διὰ πυρὸς δοκιμαζόμενος, εἴπερ ἄρα ἔχει τὸν βίον τῇ διδασκαλίᾳ κατάλληλον. Ipſe quidem pœnas pro eis non luet. Servabitur autem ipſe quoque per ignem probatus. ſiquidem habet vitam doctrinæ convenientem. Ignem vero intelligit vel judicii divini, vel eum, quo omnes illo die luſtratum iri Patres plærique cenſuere. Tunc enim factum iri illam omnem probationem ſupra dixerat;

Ibid. p. 134. c

κατὰ τὴν τῆς ἐπιφανείας τοῦ Σωτῆρος ἡμέραν βάσανος ἔσται καὶ ἐξέτασις ἀκριβής. In die adventus Domini examen fiet & diligens inquiſitio. Ex his (ut id obiter dicam) cuivis liquere poteſt, quam craſſum, ac ridiculum eorum commentum ſit, qui huic viro ſuam in Paulum de Romano purgatorio interpretationem affingere non ſunt veriti. Photius apud Oecumenium hanc Theodoreti

Oecum. in 1. cor. 3. p. 441. d. 442. a b
Ib. 443. a b c

interpretationem totidem verbis habet. Sed & Priorem Chryſoſtomi late exſequitur, *ſervabitur, ut autem per ignem*, *τουτέστιν* (inquit) *οὕτω σωθήσεται, ὡς ἐν πυρὶ σωζόμενος, τουτέστι κατακαιόμενος, καὶ μὴ ἀναλισκόμενος. hoc eſt, ita ſervabitur, ut qui in igne ſervatur, id eſt exuritur, nec conſumitur.* Privatam vero ipſius Oecumenii ſuſpicionem, qua ver-

Ibid. 442. d

bum *σωθήσεται, ſervabitur*, ad eum referri vult, qui aurum, argentum, & gemmas ſuperædificaverit; nihil hic attinet commemorare, cum & incommoda ſit & ſingularis, & ſupra à nobis alibi explicata. Atque hæc quidem de Græcis ſatis. E Latinis, qui commentarios in Paulum Hieronymi nomine vulgatos ſcripſit, iſtam nuper expoſitam Theodoreti interpretationem videtur ſecutus. Sic enim ille;

In 1. Cor. 3. T. 9. Hier. fol. 134. c

Item hic magiſtros & doctores ſignificat ſuper fundamentum, quod eſt Criſtus, homines recte inſtituere, vel prave; in quibus magiſtrorum doctrina in die judicii in igne revelabitur, ubi conſumptis peccatoribus probati manebunt. Doctores autem ſuper his, qui probati fuerint, mercedem retributionis accipient; in

illis vero, quos ignis exurit, damno afficientur; quia in vacuum laborarunt. Iidem autem magiſtri in judicium venientes, ſalvi fient, ſi tamen ipſi cauſſa non fuerint perditorum. Idem mox per *ignem* illum Paulinum concedit, ut intelligamus *examinationem judicii, igni juxta conſuetudinem Scripturarum comparatam.* Alii plærique duce Auguſtino aliter locum accepere. Nimirum volunt illum admotum diverſi generis operibus *ignem*, tribulationem eſſe, ſive res hujus vitæ adverſas; quibus, ut igne metalla, ſic hominum ingenia probentur; illum vero alterum *ignem*, per quem ſervatur, qui ſolido fundamento inania ſuperſtruxit, eſſe arcanum animi dolorem, quo amiſſis, quæ præter modum dilexerant, neceſſario uruntur; de qua ſententia, quia ſupra abunde diximus in diſputatione de Auguſtino, non eſt quod eam pluribus jam perſequamur. Gregorius Romanus, tametſi princeps (ut videtur) purgatorii architectus, eandem tamen, aliqua, ut credo, in Auguſtinum reverentia ductus, probat. *Quamvis hoc* (inquit) *de igne tribulationis in hac vita nobis adhibitæ poſſit intelligi, tamen ſiquis*, &c. qui quidem Gregorii locus à Iuliano Toletano libro ſecundo Prognoſticon allatus eſt totus, ut apud eum videre eſt. Sedulius pariter hanc Auguſtinianam Paulini loci interpretationem ex auctore fuſe deſcribit. Sed & aliam ipſe in medium affert; ex pſeudo Hieronymo hauſtam, qua *ignem illum*, per quem ſervabitur pravus architectus, de igne ultimo judicii die in omnes ex Patrum errore ſævituro, accipit. Primaſius eadem pæne omnia habet. Atque hæc quidem ſunt, quæ de nobilis illius Paulini dicti ſenſu apud vetuſtiores Chriſtianos reperiuntur; ex quibus liquet nullam adhuc iſtorum temporum homines in eo animadvertiſſe Romani purgatorii ſcintillam. Nam quod Bellarminus ait Auguſtinum, & Gregorium in illa nuper à nobis memorata ſententia, cujuſque eos *auctores* vocat, minime acquieviſſe, aliamque inſuper poſuiſſe; de Gregorio equidem fateor; de Auguſtino vero nego. Conſtans hæc ejus eſt de hoc Pauli loco ſententia; quam & in Enchiridio ad Laurentium [a] poſuit, & in libro de fide & operibus, [b] & in opere de Civitate Dei [c] & in Pſalmorum enarratione [d] non ſemel, & in reſponſione ad Dulcitii quæſtiones. [e] Neque quicquam juvant adverſarium, quæ mox vel ex ipſo Auguſtino, vel ex Cypriano, & Ambroſio, & Hieronymo, & Origene, & Baſilio, Oecumenio denique, & Theodoreto adducit, ut probet iſtos Paulinum locum de ſuo ſecum purgatorio eſſe interpretatos. Quæ enim ex iis citat, ea vel falſa eſſe & fictitia, ut quæ Theodoreto tribuit, vel plane alio, quam ad Romanum purgatorium pertinere, ut quæ ex aliis laudat, luculentis, ac, ut

L. 4. dial. c. 39.

C. 19. T. 9. bibl. Patr. p. 359. a.
In 1. Cor. 3. Bibl. Patr. T. 1. p. 942. d
Ibid. p. 1134. d e

L. 1. de purg. c. 5. § Quinta.

a *c. 68.*
b *l. 16.*
c *c. 21. c. 26.*
d *Enarr. 1. in pſ. 29. & conc. 25. in pſ. 118.*
e *q. 1.*

perſona loquitur, *Cum adhuc* (inquit) *ea ipſa loqueretur, vir ex aſtantibus* &c. in editione Suriana. Quæ tametſi in Romana editione mutavit Voſſius, non cavit tamen à ſimili errore in fine illius Teſtamenti. *Dum hæc* (inquit) *cum lacrymis mandaret, ac præciperet beatus vir.* Hæc certe verba clariſſime produnt, non ab ipſo Ephremo, ſed ab alio aliquo factum eſſe hoc Teſtamentum; adeo ut, quæ iſtic habentur, pro veris, & indubitatis Ephremi ſententiis laudari nequaquam poſſint. Secundo. Sed & ſi Ephremi vere eſſet hoc teſtamentum, nihil tamen adverſariorum in hoc Paulino loco interpretationem juvaret. Nam Paulinum quidem hoc dictum ſemel iſtic citatur; ſed non exponitur; ut inde ſciri non poſſit, quo ſenſu eum iſte ſcriptor intellexerit. *ſi non eſt* (inquit) *reſurrectionis memoria, audi quid clamet Apoſtolus Paulus dicens, Si omnino mortui non reſurgunt, cur & baptizantur pro mortuis?* Neque de his Pauli verbis quicquam aliud iſte dicit; ut Bellarminus nobis illudere voluiſſe videatur, dum hunc ſuæ interpretationis teſtem laudavit, qui de ea nullum omnino verbum fecit.

T.1.Febr.1.

p.790.e

Denique neque illos ex Pauli ad Philippenſes epiſtola *καταχθονίους infernos*, ſive *ſubterraneos genu Domino Chriſto flectentes* quiſquam veterum de purgatorii civibus accepit. Chryſoſtomus dæmones intelligit; vel peccatores, id eſt homines in peccatis mortuos. τί δέ ἐστιν (inquit) ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων; τουτέστιν ὁ κόσμος πᾶς, καὶ ἄγγελοι, καὶ ἄνθρωποι, καὶ δαίμονες, ἢ ὅτι καὶ οἱ δίκαιοι καὶ οἱ ζῶντες, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται. *Quid eſt cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum? Hoc eſt mundus univerſus; tum Angeli, tum homines, tum dæmones, vel quia tum juſti, tum vivi, tum peccatores, & omnis lingua confitebitur.* Theophylactus eadem habet. Theodoretus: ἐπουρανίους καλεῖ τὰς ἀοράτους δυνάμεις, ἐπιγείους δὲ τοὺς ἔτι ζῶντας ἀνθρώπους, καὶ καταχθονίους τοὺς τεθνεότας. Cœleſtes *appellat inviſibiles poteſtates*; terreſtres, *homines, qui adhuc vivunt*; infernos, *illos, qui mortui ſunt.* Sedulius Chryſoſtomum ſequitur; Cœleſtium (inquit) *id eſt Angelorum*; Terreſtrium, *hominum*; infernorum, *angelorum qui præſunt infernalibus locis.* Primaſius ſimpliciter; *Ut omnes ſimul adorent hominem aſſumptum in Verbum.* Pſeudo-Hieronymus eadem habet; quibus hæc addit, Infernorum. *Hic infernorum cuſtodes inducit.* Neque aliter Auguſtinus ſenſit. quem ait Bellarminus hoc Pauli loco uſum L.12.de Gen.c.33. Quidni uſus ſit? Sed uſus eſt, non ut purgatorianos ullos homines eſſe in rerum natura probaret; verum ut Chriſto Domino ſummam in toto orbe poteſtatem aſſereret; *Quorumdam* (inquit) *dolores apud inferos eum* (Chriſtum) *ſolviſſe accipiamus ea poteſtate, qua Dominus eſt, cui omne*

Phil.2.

In Paul.p.594. extr.

In Phil.2.T.3. Theod.p.330.c

In Ep. ad Phil. Bibl.Patr.T.1.p. 1004. c

Ibid.p.1225.a

Hier.T.9.fol. 161.b

L.1.de purg.c.8. §.Nonus.

omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Cæterum quorum hic dolores à Chriſto apud inferos ſolutos eſſe ait, eos non purgatorii, ſed gehennæ incolas intellexit Auguſtinus; ut jam alibi ſupra demonſtratum eſt. Itaque cum ex his appareat omnia iſta Scripturæ loca neminem veterum de Romano purgatorio, ſed longe omnes aliter accepiſſe; concludendum eſt id veteri Eccleſiæ ante ſeptimum Chriſtianiſmi ſæculum plane ignotum fuiſſe.

Præterea id ipſum inde quoque aperte colligitur, quod Patres dum ea Scripturæ loca interpretantur, quibus fidelium ſtatim poſt mortem quies, & fœlicitas conſtitui videtur, de his cum purgatorii dogmate conciliandis nuſquam laborant; ſed ea ſimpliciter, perinde ut nos hodie, exponunt. At illi, ſi purgatorium cognitum, ac creditum habuiſſent, dum in hujuſmodi locis verſantur, omnino videntur obſervaturi fuiſſe horum cum ſuo illo dogmate pugnam, eamque (quod nunc ſedulo faciunt adverſarii) alicujus diſtinctionis commento ſublaturi. Atqui nihil illi faciunt hujuſmodi. Quin & interdum ea dicunt, quæ purgatorii hypotheſin liquido evertunt. Qualia ſunt verbi gratia quę non-
In edit. Ambr. Rom. a 1585. l. 4. in Apoc. Bibl. Patr. T. I. p.1428. b nulli ſcribunt in illuſtriſſimum illum Apocalypſeos locum; *Beati, qui in Domino moriuntur.* Ambroſius, vel quiſquis eſt illius Commentarii verus auctor; *A modo* (inquit) *id eſt à tempore mortis ſuæ requieſcunt ſancti à laboribus ſuis.* Primaſius; *Illi in Domino dicuntur mori, qui fide, vitaque probabiles hinc meruerunt evocari. Denique ſequitur,* abhinc etiam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. *Sicut econtrario illos impios* dixit die ac nocte requiem non habere; *ſic nunc fideles requiem dicit ex bonis operibus meruiſſe. Oportebat enim malorum facta mentione bonorum quoque beatitudinem, ac plenitudinem prædicari.* Andreas Cæſarienſis; ἐκείνοις ὄντως ἡ τοῦ σώματος ἔξοδος, κόπων ἀνάπαυσις. *Illis reapſe exitus à corpore, quies à loboribus.* Quæ totidem verbis habet etiam Aretas. Atque hæc quidem illi; quæ conſiſtere non poſſunt, ſi majorem fidelium partem graviſſimi ignis purgatorii labores hinc diſcedentes excipiunt.

C A-

CAPUT V.

Arg. VI. ex eo, quod Patres ſpei, fidei, caritatis operibus, aut meritis nullum poſt fidelium mortem locum eſſe ſtatuunt.

SEd jam hujus cauſſæ interiora ſcrutemur; ac indagemus, num ad eam, quam adverſarii tradunt, *purgatorianorum* hominum ideam collineent veterum placita. Illi quidem purgatorii ſui cives ita nobis deſcribunt; Spiritus eſſe mortuorum in Chriſti communione hominum in ſubterraneo illo, ubi habitant, ſpecu ad ſumma, quo nondum pervenerunt, magna fide, ſpe certa, caritate perfecta contendentes, culpaſque veniales, & mortalium delictorum pœnas, quarum hinc ſecum reatum tulerunt, illas quidem pœnitentia quadam, ut loquuntur, *virtuali*, has vero patientia, & incredibilium cruciatuum tolerantia, eluentes, ac purgantes. Ego vero ajo nihil horum in mortuis admittere Patres, qui ante mille annos vixerunt; adeoque *purgatorium*, quod totum in his ſitum eſt, neſciviſſe. Iam ſingula ſuo quæque ordine videamus.

Itaque ut à primis ordiamur, diſertiſſime negant Patres hanc vitam ſemel emenſis hominibus, ſupereſſe fidei, ſpei, pietatis, & patientiæ opera, quibus ſcilicet nobis ad vitam æternam contendere licet, quamdiu in terris verſamur. Primum id ex eo probari poteſt, quod hanc vitam *arenæ*, vel *ſtadio*; ſingulos fideles *pugilibus* vel *athletis*; labores, & virtutum, quas commemoravimus, opera *certamini* paſſim comparant. Unde intelligitur, ut athletarum è ſtadio, pugilum ex arena dimiſſorum, nullum amplius certamen eſt, ſic ex iſtorum quidem ſententia, hominibus, ubi ſemel ex hujus vitæ curriculo morte evocati ſunt, nullum ſpei, aut fidei ſpecimen, nullum patientiæ, vel alterius virtutis opus edendum ſupereſſe. Loca Patrum, in quibus hac ſimilitudine utuntur, infra deſcribentur opportunius. Nunc ea recitemus, in quibus diſerte negant mortuorum ulla eſſe hujuſmodi, quæ diximus, opera. Gregorius Nazianzenus; ὥσπερ γὰρ (inquit) θανάτου κρείττων ὁ ἐνταῦθα θεοῦ μνημονεύων. καὶ κάλλιστα τῷ θείῳ Δαβὶδ τοῦτο πεφιλοσόφηται. οὕτως οὐκ ἔστιν ἐν ᾅδῃ τοῖς ἀπελθοῦσιν ἐξομολόγησις, καὶ διόρθωσις. συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς ἐνταῦθα μὲν καὶ βίον καὶ πρᾶξιν. ἐκεῖ δὲ τῶν πεπραγμένων ἐξέτασιν. *Quemadmodum enim qui Dei memor hic eſt, morte ſuperior eſt, idque à Davide optime dictum eſt, ita his, qui è vita diſceſſerint,* non eſt in inferno confeſſio, *nec correctio. Hic enim Deus vitam, & actionem; illic rerum geſtarum cenſuram concluſit.* *Orat. 15. T. 1. pag. 229.*

Mor. reg. 1. c. 5. T. 2. Gregorio conſentit amicus, ac familiaris ejus Baſilius; ὅτι μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγὴν οὐκ ἔστι καιρὸς κατορθωμάτων, ὅ θεοῦ τὸν παρόντα καιρὸν ἐπιμετρήσαντος ἐν μακροθυμίᾳ εἰς ἐργασίαν τῶν πρὸς τὴν αὐτοῦ εὐαρέσκησιν. *Quod confeſtim, ubi de hac vita migraverimus, non eſt tempus benefactorum; quodque hoc ipſum, quod hic vivimus, temporis nobis pro bonitate ſua Deus ad ea facienda præfiniverit, per quæ ejus gratiam ineamus.*

Epiphan. hær. 59 p. 501. d Epiphanius *tegmen fidei, ſpei, atque veritatis ait eſſe prope antemurale, hoc eſt* (inquit) *antequam porta claudatur, antequam rex introgreſſus non amplius poſt exitum ab hac vita, mortemque recipiat.* ἐν γὰρ τῷ μέλλοντι αἰῶνι μετὰ τὴν ἀνθρώπου ἀπαλλαγὴν, οὐ νηστείας πορισμὸς; οὐ μετανοίας κλῆσις, οὐκ ἐλεημοσύνης ἐπίδειξις, &c. οὔτε δικαιοσύνη, καὶ μετάνοια. *Etenim in futuro ſæculo poſt hominis obitum nullus amplius jejunii quæſtus eſt; non pœnitentiæ vocatio; non eleemoſynæ oſtenſio eſt, &c. neque juſtitia, vel pœnitentia.* *p. 502. b* Mox idem repetit; οὔτε μὲν πορισμὸς εὐσεβείας, οὔτε μετανοίας, ὡς ἔφην, μετὰ θάνατον. *Sed neque pietatis ullum lucrum eſt, aut pœnitentiæ, uti diximus, poſt mortem.*

In cap. 9. Similia ſcribit in Eccleſiaſten Hieronymus; *Donec vivunt homines* (inquit) *poſſunt fieri juſti; Poſt mortem vero nulla datur boni operis occaſio.* Plane, ut Baſilius, οὐκ ἔστι καιρὸς κατορθωμάτων. Mox idem; *Viventes* (inquit) *metu mortis poſſunt bona opera perpetrare; mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulere de vita.* Sic in ſextum caput Paulinæ ad Galatas epiſtolæ tempus *ſementis* ultra hanc vitam extendi negat. *Serere* autem ait eſſe *bene operari*.

Hom. 56. in Ioa. T. 2. in N.T. pag. 352. d Chryſoſtomus de tempore loquens, quod cujuſque hominis mortem conſequitur; ὅτε (inquit) οὐκ ἔτι πίστις ἐστιν, οὔτε πόνοι, οὔτε μετάνοια; *quando non eſt amplius fides, nec labores, neque pœnitentia.* *Hom. 36. (lat. 37.) in Matth. T. 1. in n. t. pag. 431. a* Quid potuit dici diſertius? idem alibi; ὁ μὲν γὰρ παρὼν βίος πολιτείας ἐστὶ καιρὸς μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν κρίσις, καὶ κόλασις. *Præſens hæc vita converſationis tempus eſt; poſt deceſſum vero judicium & pœna conſequetur.*

Reſpondent adverſarii his, aliiſque ſimilibus, quæ paſſim apud Patres occurrunt, ſignificari animas poſt mortem nihil amplius *mereri*; quod hujus vitæ proprium eſſe fatentur; cæterum non iſtis effici, ut non poſſint animæ, poſtquam de ſæculo diſceſſerint, *pro peccatis ſatisfacere*, & *labes* quæ ex anteacta vita ſuperſunt, cruciatu, atque igne *eluere*. Non eſt inſtituti mei diſputationem illam ingredi, quæ hac de re in iſtorum ſcholis fervet, ac perſtrepit; quamque adeo Bellarminus *c. 2. & 3.* fuſe tractat in altero de purgatorio volumine; nimirum *an qui ſunt in purgatorio mereri queant*. Nos enim, qui (ſi proprie loquendum eſt) ne in hac quidem vita quemquam mortalem apud Deum *mereri* poſſe

con-

concedimus, nihil neceſſe eſt rem, quam falſam & inanem eſſe arbitramur, tamquam veram ponere, ut inquiramus an ei *purgatorianorum* hominum ratio conveniat. Hoc tantum dicam; ſi vera eſſent, quæ iſti de *merito* commenti ſunt, nullam rationem videri, cur non & iſti, quos in *purgatorio* uſtulari fabulantur, *mereri* quoque & ipſi, æque ac ſuperſtites, poſſint. Illi enim, (ut quidem eſt in adverſariorum fabulis) æque ac nos fidem, ſpem, caritatem, & liberum voluntatis uſum habent. *Cupiunt*, *ſperant*, *amant*, *metuunt*, *gaudent*, *dolent*. *Beati*, & *damnati* cur nihil utrique ex iſtorum dogmate *mereantur*, intelligo. Summo enim præmio illi quidem potiuntur; hi vero plane exciderunt. Itaque facile capio bona illorum opera eſſe gloriæ fructus; horum mala, eſſe *damnationis* effectus, & conſectaria; quod Bellarminus docet. *Purgatoriani*, qui præmium neque amiſerunt, neque conſecuti ſunt, ſed ad metam tanto vehementius contendunt, quanto propius ab ea abſunt; neſcio cur non & ipſi quoque *mereri* poſſint; ſiquidem ita ſe res habet, ut quiſquam merus homo quicquam apud Deum *mereri* queat. Bellarminus, qui vehementer id negat, cur neget non aliam affert rationem, niſi hanc, *deeſſe ad meritum animabus purgatorii ſtatum viæ*. Sed ſi verum amamus, fatendum eſt illum dum ſic agit, αἰδολεσχεῖν. *Status* enim *viæ*, ut vocat, is nihil aliud eſt, quam hujuſmodi *ſtatus* in quo *merito* locus eſt, ex iſtorum hypotheſi. Itaque qui in *purgatorio merito* locum eſſe negat, quod *viæ* non ſit ille *ſtatus*; perinde facit, ac ſi diceret ideo *in purgatorio* neminem *mereri poſſe*, quia *in purgatorio* nemo *mereri poteſt*. Vnde habet iſte, qui in *purgatorio* ſunt, non eſſe eos *in via*? Ergo-ne ſunt in patria? Negant. Ergo-ne *Deum vident*? Pariter negant. Cur igitur *in via* eſſe negantur, qui nondum ſummam illam, ad quam omnes contendimus, *ſtadii* metam attigerunt? *Sed* (inquit) *Deus, ut ex Scripturis manifeſte probatur, ſolum pro tempore hujus vitæ conſtituit acceptare bona opera ad meritum, vel demeritum.* Opera ullius ψιλοῦ hominis *ad meritum acceptare Deum*, ex ſcriptura probari nego quidem; ſed tamen, ſi id probatum eſſet, inde viderer mihi horum alterum neceſſario confecturus, ſcilicet vel *mereri* etiam apud Deum poſſe ſiqui ſint *in purgatorio*, vel certe (quod multo verius eſſe arbitror) nullos eſſe homines *in purgatorio*. Non eſt enim credibile Deum, qui idem & optimus, & ſapientiſſimus eſt, hominibus in terra quidem viventibus concedere, ut apud ſe mereantur; in purgatorio multo ſanctius, & laborioſius decertantibus, idem negare. Itaque cum ex ſcriptura, teſte Bellarmino, conſtet homines apud Deum in hac tantum vita *mereri* poſſe; apparet ex eo ipſo concludendum eſſe nullos

l.2.de purg.c.3. §.Reſpondeo.

 alios

alios homines *in via* (ut loquuntur) exiſtere , præter eos qui in terris degunt ; omnes adeo mortuos vel ad patriam perveniſſe, vel in gehennam incidiſſe , ubi nullus merito locus. Sed qui *purgatorium* ab ea Eccleſia , apud quam ſerviunt , ſemel conſtitutum rejicere nefas putant, ii in maximis verſantur difficultatibus; quod *purgatorianis* hominibus *merendi* facultas , neque concedi , quod ſint extra commune vitæ hujus *ſtadium* conſtituti , neque negari poſſe videatur , quod omnia habeant ad *merendum* neceſſaria. Ac tametſi Bellarminus & alii vulgo partem negantem ſequantur, fuerunt tamen in ſchola Romana Theologi , & quidem non ignobiles , qui contrariam tuerentur ; adeo ut & ipſe

In 4. d.21. q.1. art.3. ad 4. apud Bell. l.2. de purg. 8. Arg.3.

Thomas aliquando fuerit in ea ſententia. Scribit enim,ut Bellarminus refert , *poſt hanc vitam meritum quidem reperiri non poſſe reſpectu præmii eſſentialis;poſſe reſpectu accidentalis.* Qui hanc opinionem ſequuntur,non poſſunt ſe allata *meriti*,& *ſatisfactionis* diſtinctione ab objectis Patrum teſtimoniis tueri;quorum ſententiam iſtorum de animarum merito dogma recta adverſis cornibus impetit.Idque etiamquam ex ſuperioribus

Ench. c.110. T.3.

clarius patet ex hoc Auguſtini dicto ; *Hic* (inquit) *omne meritum comparatur,quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam, vel gravari. Nemo autem ſe ſperet,quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri.* Itaque ſi (quod iſti ſentiunt, & nos putamus) ex Romani *purgatorii* hypotheſi legitime ſequitur , etiam poſt mortem aliquid *promereri* poſſe fidelium animas ; clarum eſt *purgatorium* veteres neſciviſſe , qui palam teſtantur ſe non credidiſſe mortuos quicquam apud Deum *mereri* poſſe.

Sed hæc Patrum ſententia non minus cæterorum adverſariorum hypotheſin evertit , qui *purgatorium* ponentes negant in eo animas *mereri* poſſe. Nam , ut mittam Auguſtinum *meriti* vocabulum hic de more uſurpaſſe pro *opere* , quod Deo vel placet , vel diſplicet ; & *promerendi* verbum ſimiliter pro eo quod ſimpliciter eſt *obtinere* , vel *impetrare* , cujus ſignificationis innumerabilia ſunt apud veteres ejus ævi Latinos ſcriptores exempla ; ut hæc inquam, mittam, quivis videt Baſilium, Gregorium, Hieronymum , Chryſoſtomum in locis nuper deſcriptis excludere à mortuorum ſtatu non ſolum proprie dicta *merita* ; ſed ſimpliciter & abſolute *omnia κατορθώματα* , *recte & præclare facta* ; item *bonum opus.* μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγὴν οὐκ ἔτι καιρὸς τῶν κατορθωμάτων , inquit Baſilius. *Poſt mortem nulla boni operis occaſio* , inquit Hieronymus. Iam ſi iſta cum Bellarmini , & aliorum, qui cum eo ſentiunt , dogmate comparentur , apparebit lucem tenebris non magis eſſe contrariam. Hi enim tametſi *purgatorii* ſui cives mereri negent , docent tamen *eos quærere non quæ ſua ſunt , ſed honorem Dei ; neque aliter*

ter

ter cupere cito liberari, niſi ut poſſint Deum magis, & melius laudare; Item *accipere crucem ſuam, eamque conſtanter portare*, neque *petere liberari, niſi ſecundum Dei voluntatem, & per media, quæ Deus inſtituit*; quo quidem opere neſcio quid ſit in humanis virtutibus majus, atque ſublimius. Concedunt *eos pro nobis ſuperſtitibus orare poſſe*; quo nihil præclarius dici poteſt. Quæ enim eſſe poteſt major, aut divinior caritas, quam cum ipſe ſis in diris tormentis, teque totum flamma quadam multo, quam hæc noſtra eſt, ardentiori flagrare, atque exuri ſentias, tanto tamen incendi in homines amore, ut eo ipſo momento mens, à propriis malis incredibili quadam dilectionis vi avulſa, de fratribus cogitet, quos à te immenſa terrarum ſpatia dividunt, eorumque ſalutem in mediis illis incendiis Deo commendet? Ergo neque negant adverſarii magnam vim habere tam admirabiles preces. Ajunt enim eas ab optimo Deo *impetrare* nobis, quod poſcunt. Iam ſi eos pro nobis, qui longe abſumus, *precari* non putant abſurdum, non video cur non & pro ſe ipſis precari ſit credibile, atque *impetrare* etiam, ut pœna vel omnino remittatur, vel certe mitigetur. Tum iidem concedunt actum *dilectionis* hujuſmodi in *purgatorio* reperiri poſſe, qui *remiſſorius culpæ venialis* ſuo quodam modo dici poſſit; *quia* (inquiunt) *eſt remiſſorius, licet non per modum meriti proprie dicti, ſed per modum contrarii tollentis ſuum contrarium*; itemque *poſſe eos aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remiſſionem.* Denique fatentur cum Thoma exerceri à *purgatorii* incolis actum quemdam *dilectionis*, & *patientiæ* adeo efficacem, ut per eum *culpæ veniales* dimittantur. *Illa enim* (inquiunt) *acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cum ex caritate prodeat, dici poteſt virtualis quædam pœnitentia, & licet non ſit proprie meritoria, quia non meretur gloriæ, vel gratiæ augmentum, tamen eſt remiſſoria peccati.* Certe qui hæc in *purgatorio* omnia locum habere confitentur, negare non poſſunt etiam poſt mortem καιρὸν ἔτι εἶναι τῶν κατορθωμάτων, *adhuc tempus eſſe præclaris factis; occaſionemque adhuc eſſe boni operis.* Annon enim κατορθῶν is merito dicitur, qui impoſitam à Chriſto crucem æquo animo bajulat? qui uritur, & ſecatur, neque liberari ſe vel poſtulat, vel cupit, niſi qua fas eſt, & Deo amicum? *Precationem* vero eo zelo, atque affectu conceptam, quo nuper diximus, quis non jam dico *bonum*, ſed longe *optimum*, planeque heroïcum opus eſſe negaverit? Quid de illa *virtuali*, ut Bellarminus appellat, *pœnitentia* dicam, ex *dilectione*, & *patientia*, ſummis Chriſtiani animi virtutibus, conflata? Annon & hæc opus bonum eſt? Dira vero illa & horrenda, quibus iſti dies noctesque excruciantur tanta cum animi magnitudine, ac lenitate perferre,

Bell. l. 2. de purg. c. 3. §. ad ſecund. ibid. §. ad quint. & §. ad ſecund. & c. 15. §. Quod autem.

Ibid. c. 3. §. ad tertiam. & l. 1. c. 15. §. Ad tertiam. & §. Eſt ergo op.

 ferre,

ferre, nemo (niſi inſaniat) dubitabit, quin ſit *certamen*, & quidem ſtupendum. Cum his ergo moribus in *purgatorio* Romano vivant mortui, neceſſe eſt Patribus incognitam, atque inauditam fuiſſe admirabilem illam iſtorum rempublicam; quam ſi ſciviſſent, numquam profectò negaſſent ullis hominibus poſt mortem ſupereſſe τῶν κατορθωμάτων, bonorum operum, ac certaminum tempus, vel locum.

Sed antequam alio progrediar difficultas, quæ ex ſuperioribus exiſtere videtur, ſolvenda eſt. Forte enim aliquis mirabitur, quod Patres piis vita hac ſemel functis ſpei, fideique & caritatis opera, ac (ut adverſarii loquuntur) *merita* negent, quos (ut eſt à nobis ſupra fuſe demonſtratum) ſumma beatitudine ante reſurrectionis tempora carere plærique ſtatuebant. Ego duo reſpondeo; ac prius quidem. quicquid vetuſtiores Patres ea de re ſenſerint, videri plæroſque eorum, quos hoc capite laudavimus, exiſtimaſſe fidelium animas ſtatim in cœlum recipi. Gregorii quidem Nazianzeni eam fuiſſe ſententiam infra demonſtrabimus. Baſilius vir cum eo conjunctiſſimus, quin idem quoque exiſtimaverit, non videtur dubitandum. Certe nihil in ejus operibus occurrit, quod aliud ſuadeat. Neque Epiphanium aliter de his philoſophatum eſſe crediderim. Hieronymi fateor unum extare locum, in quo illud de animarum extra velum apud inferos mora delirium ſequitur. Sed ſunt alia apud eum plurima, ut poſtea audiemus, quæ ſuadere videntur illum abjecto hoc errore, piorum ſpiritus morientium eveſtigio in cœlum ſubvexiſſe. Idem de Chryſoſtomo dictum velim; cujus tametſi multa, eaque evidentiſſima pro veteri, ac vulgari errore teſtimonia adduxerimus, afferemus tamen & alia plurima, quæ veris eum ceſſiſſe probant. Itaque iſtos quidem animabus fidelium ſpei, caritatiſque & pietatis opera, ſive ut loquuntur, *merita* negaſſe mirum non eſt, quas ſcilicet jam in patria Deo frui exiſtimabant. Supereſt Auguſtinus; quem eadem quoque de animarum ſtatu ſcripſiſſe mirum eſt, quas eum conſtantiſſime cælo ante reſurrectionem excluſiſſe, ſupra demonſtravimus. Ergo & hunc, & alios, qui vel ejus ævo, vel poſt, vixerunt, reſpondeo fidelium ſpiritus cœlo quidem excluſiſſe; non tamen iis divinam quandam fœlicitatem inviduiſſe. Diſerte enim ſcribit Auguſtinus Chriſtum à piorum ſpiritibus, licet extra cœlum degentibus, *beatifica ſuæ divinitatis præſentia numquam receſſiſſe*; Scribit eos ipſam *Dei ſubſtantiam, Verbumque Deum, per quod facta ſunt omnia, in caritate ſpiritus ſancti ineffabiliter videre, & audire*; & alibi *cum Chriſto regnare*; & in alio opere, *frui verbo Dei, ſine lectione, ſine litteris; & per faciem Dei cernere, quod nobis per paginam ſcriptum*

Hujus libr. c. 12. §. Greg. Naz.

Hujus libr. c. 11. §. Neque aliter Hieron.

Infr. c. 12. §. Chryſoſt.

Ep. 99. p. 166. b l. 12. in gen. c. 34.

L. 20. de civ. D. c. 13.

ſcriptum eſt; ſcribit denique *eos ſpirituale os ad fontem Dei ponere, & bibere quantum poſſunt ſapientiam, ſine fine fœlices.* Quibus non ſunt abſimilia, quæ auctor quæſtionum Iuſtino affictarum ſupra de animarum in paradiſo ſtatu philoſophabatur. Cum igitur & iſti, & alii non pauci ita magnifice de animabus piorum, licet extra cœlum, in abditis ſecretiſque ſedibus degentium, cognitione ac beatitudine ſentirent, non eſt mirandum, quod ulla earum poſt mortem eſſe *merita* negaverint. Purgatorii alia plane ratio eſt; in quo Deum videre, eoque frui, nemo poteſt; ut ſiqui in eo ſint, eos plane neceſſe ſit per ſpem & fidem noſtræ non abſimilem incedere; cum illæ Auguſtini animæ Deum videant. Itaque concluſum eſto Patres iſtos purgatorium neſciviſſe, qui de piorum animabus ea loquuntur, quæ nuper recitavimus.

In Pſ. 119. (Hebr. 120.) l. 9. conf. c. 3.

CAPUT VI.

Arg. VII. inde ductum, quod pœnitentiæ, vel remiſſioni peccatorum nullum veteres hominibus relictum poſt mortem locum definiant.

IAm de ſpirituum in purgatorio pœnitentia ita docent adverſarii; *In animabus purgatorii* (inquit Bellarminus) *poteſt eſſe diſplicentia peccati, eaque ex caritate, & proinde utilis.* Et paulo ante; *Eſt ergo opinio vera B. Thomæ in 4. d. 21. q. 1. art. 2. dimitti in purgatorio culpas veniales per actum dilectionis, & pœnitentiæ. Illa enim acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cum ex caritate prodeat, dici poteſt virtualis quædam pœnitentia, & licet non ſit proprie meritoria, quia non meretur gratiæ, vel gloriæ augmentum, tamen eſt remiſſoria peccati.* Ergo iſti ſtatuunt piorum etiam poſt mortem aliquam eſſe *pœnitentiam*; & quidem *utilem*; quippe qua peccati remiſſio à Deo obtinetur. Patres vero in alia omnia eunt. Baſilius; ὅτι τῆς μετανοίας, καὶ τῆς ἀφέσεως, τῶν ἁμαρτημάτων ὁ παρὼν ἐστι καιρός; ἐν δὲ τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἡ δικαία κρίσις τῆς ἀνταποδόσεως. *Quod tempus vitæ hujus, pœnitentiæ tempus eſt, & remiſſionis peccatorum; in futuro vero retributionis judicium.* Cyrillus Hieroſolymitanus; ἐὰν λέγῃ (inquit) ὅτι οὐχ οἱ ἁμαρτωλοὶ αἰνέσουσί σε Κύριε, τοῦτο δηλοῖ, ὅτι τῆς μετανοίας, καὶ τῆς ἀφέσεως ἐν τῇ ζωῇ μόνον τὴν προθεσμίαν ἐχούσης. *Si dicit,* Mortui te non laudabunt Domine, *hoc indicat, quod pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum in hac vita præſcriptum tempus habemus.* Chryſoſtomus; ἕως γὰρ ἐσμὲν ἐνθάδε, κἂν μυρία ἁμάρτωμεν, ἔνεστι πάντα ἀποδυσαμένους μετάνοιαν τῶν ἁμαρτηθέντων ἐπιλῦσαι. ἡνίκα δ' ἂν ἀπαχθῶμεν ἐκεῖ,

L. 1. de purg. c. 15. §. Ad ſecundum dico. §. Eſt ergo.

Catech. 18.

L. 1. ad Theod. lapſ. T. 4. in v. e. p. 556. a οὐδ' ἂν σφοδροτάτην ἐπιδειξώμεθα τὴν μετάνοιαν, οἰανέσαι τι πλέον λοιπόν. *Quamdiu enim hic ſumus, etiamſi peccemus millies, ſemper erit ſpei locus. Nam dabitur abluere peccata dignam exhibentibus pœnitentiam. Cæterum ſiquando hinc illuc abducti fuerimus, licet vehementiſſimam pœnitentiam exhibuerimus, nihil tamen illud nobis proderit.* Item alibi; *In pſ. 9. T. 3. in v. e. p. 113. c* ἕως μὲν ἂν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ὦμεν τῷ παρόντι, δυνατὸν διαφυγεῖν τὴν τιμωρίαν μεταβαλλομένους. ἐκεῖ δὲ ἀπελθόντες ἀνήνυτα οἰμώξομεν. *Quamdiu quidem fuerimus in vita hac præſenti, poſſumus vitare ſupplicium, ſi mutemur. Poſtquam autem illuc diſceſſerimus, fruſtra lacrymabimur.* Rurſum; *Hom. 19. in gen. T. 2. in v. e. p. 184. c* ὡς ἔτι ἐσμὲν ἐν τῷ παρόντι βίῳ τὴν ἀπὸ τῆς μετανοίας ἰατρείαν ἑαυτοῖς ἐπάγωμεν, μαθόντες ἀκριβῶς, ὡς οὐδὲν ἡμῖν ὄφελος ἔσται τότε μεταγινώσκουσι μετὰ τὸ λυθῆναι τὸ θέατρον. *Cum adhuc ſumus in præſenti vita pœnitentiæ medicinam adhibeamus, ſcientes liquido, quod nihil tunc nobis proderit mentem mutare, cum ſolutum fuerit ſpectaculum.* Cujus rei hanc paulo ante rationem attulerat: *Ibid. d* ἡ γὰρ μετάνοια πρὶν τὴν τιμωρίαν ἐπαχθῆναι καιρὸν ἔχει: *Pœnitentia enim priuſquam pœna inferatur, tempus habet.* Ex quo ſequitur nullum eam in purgatorio locum habere, ubi pœna peccatoribus infertur. In eodem opere; *Hom. 43. in gen. p. 488. c.* ἕως μὲν γὰρ ὦμεν ἐν τῇ παρούσῃ ζωῇ, δυνατὸν μεταγνόντας τῆς ἐντεῦθεν ἀπόνασθαι κέρδους, καὶ τὰ πρότερα ἀπονιψαμένους ἁμαρτήματα τῆς τοῦ δεσπότου φιλανθρωπίας ἀξιωθῆναι. εἰ δὲ τὸν παρόντα καιρὸν προϊέμενοι, ἀθρόον προαναρπασθείημεν, μετανοήσομεν μὲν καὶ τότε, οὐδεμίαν δὲ ὄνησιν ἐκ τούτου ἕξομεν. *Nam quamdiu in præſenti vita fuerimus, poſſibile eſt, ut pœnitentes inde fructum accipiamus, & ablutis prioribus peccatis, miſericordiam Domini aſſequamur. Quod ſi præterierit tempus præſens, repenteque abrepti fuerimus, pœnitentia quidem ducemur etiam tunc; nullam autem utilitatem inde capiemus.*

L. 1. de fid. ad Petr. Diac. p. 346. c. & l. 2. de pecc. rem. c. 7. Sic etiam Fulgentius; *Tempus acquirendi vitam æternam in iſta tantum vita Deus hominibus dedit; ubi voluit eſſe etiam pœnitentiam fructuoſam.* Hæc illi: quibus conſtituunt, vel nullam poſt mortem eſſe *pœnitentiam*, vel (ſiqua eſt) *inutilem* eſſe, & *infructuoſam*, cum plane contra dicant adverſarii, & *eſſe*, & *utilem eſſe*; quod neceſſario exigit purgatorii hypotheſis. Neque hic adhibere poſſunt id effugium, quo Bellarminus quemdam Cypriani locum eluſit; *L. 1. de purg. c. 13. ad obj. 1.* patres iſtos ſcilicet loqui de *ſatisfactione*, & *pœnitentia*, quæ præcedit *juſtificationem*. Nam & in genere omnem omnino poſt mortem *pœnitentiam* excludunt, ejuſque tum ullum fructum, aut uſum fore negant. Tum Chryſoſtomus de ſe, & fidelibus loquitur, ad quos verba facit; quique jam erant *juſtificati*. Ergo neque ipſis juſtificatis ullam poſtquam mortui fuerint, profuturam pœnitentiam intelligit.

Iam de remiſſione peccatorum, quæ pœnitentiæ fructus eſt, quamque

quæ etiam in *purgatorio* haberi ſtatuunt adverſarii, non minus aperta eſt Patrum ſententia. Primum enim quod *pœnitentiam* poſt mortem inutilem eſſe volunt, eo ipſo ſatis demonſtrant nullam ſe poſt obitum *remiſſionem peccatorum* haberi exiſtimaſſe. Tum diſerte, quod ita ſentiant, ipſi profitentur. Baſilium & Cyrillum jam ſupra audivimus omne *remiſſionis* tempus hujus tantum vitæ ſpatio definientes. Ambroſii locus extat in eamdem rem luculentiſſimus; *Niſi hic remiſeris mihi* (inquit) *ibi remiſſionis requiem invenire non potero. Quod in terra ligatum manſerit, ligatum remanebit in cœlo; quod ſolutum in terra fuerit, ſolutum erit in cœlo.* Mox: *Hic locus eſt veniæ poſtulandæ. Deploremus igitur in terris, ut mereamur indulgentiam.* (*Mereri* autem hic, ut paſſim apud iſtos, nihil aliud eſt, quam *conſequi*, vel *impetrare.*) *Niſi peccatum remiſſum hic fuerit, non habebimus requiem.* Idem alibi: *Qui enim hoc non acceperit remiſſionem peccatorum, illic non erit.* (nimirum in communi ſanctorum omnium patria, de qua paulo ante erat locutus.) Ad hunc poſteriorem locum reſpondet Bellarminus *loqui Ambroſium de remiſſione mortalium. Nam* (inquit) *ſubjungit explicans*; Non erit autem, quia ad vitam æternam non potuerit pervenire; quia vita æterna remiſſio peccatorum eſt; *ubi vitam æternam vocat gratiam juſtificationis, quæ eſt vita quædam æterna inchoata. Niſi enim hic vitam æternam inchoemus, numquam ad gloriam beatorum veniemus.* Sed hæc ſunt Bellarmini commenta. Nam Ambroſius quidem ipſe de *peccatorum remiſſione* in genere, ac ſimpliciter loquitur; iſtam, quam affert adverſarius, diſtinctionem, ne leviter quidem innuit. Ac ut qui caret illa remiſſione, quam intelligit, eum in patria futurum negat; ita ibi futurum ſignificat, qui eam hic habuerit. Non erit autem neceſſario ibi futurus, ſi vera eſt adverſariorum hypotheſis, etiam eum, cui mortalia dimiſſa ſunt, in purgatorio ſæpe cruciari, ob venialia ſcilicet, quæ non ſunt dimiſſa. Imo neque cui mortalia hic dimiſſa ſunt, propterea in patria ſtatim futurum concedunt, etiamſi nulla habuerit *venialia.* Volunt enim peccati mortalis, etiam hic dimiſſi, pœnam interdum ſupereſſe in purgatorio luendam. Quod vero ſubjicit Bellarminus vitam æternam hic Ambroſio eſſe gratiam juſtificationis, id nullam habet difficultatem. Eſt enim hæc ejus locutio, *vita æterna remiſſio peccatorum eſt*, ex earum genere, quas *cauſſales* appellare licet, in quibus effecti nomen cauſſæ tribuitur; ut cum ait Dominus, *vitam æternam eſſe Dei, & ſui cognitionem*; cum ſe ipſum eſſe affirmat *vitam*, & *reſurrectionem*, & cætera ejus generis in Scripturis, & Eccleſiaſticis auctoribus obvia. Significat nimirum Ambroſius neminem ad vitam æternam ſine *peccatorum remiſſione* perventurum;

In pſ. 38. verſ. 14.

De bon. mort. c. 2.

L. 1. de purg. c. 13. ad obj. 3.

turum; quique ad eam perveniunt, eo fieri tantæ fœlicitatis compotes, quod peccata illis remiſſa fuerint; itaque cum hic tantum ea remittantur, vitæ æternæ exſortem fore, cui hic peccata ante mortem dimiſſa non fuerint.

Ad cæteros pergamus, quorum eadem eſt, quæ Ambroſii ſententia.

Hom.2.de Laz. T.5. p.46. d

Chryſoſtomus; *πάντα ἐνταῦθα* (inquit) *διάλυσαι, ἵνα χωρὶς πραγμάτων τὸ βῆμα ἴδῃς ἐκεῖνο. ἕως ἂν ἐνταῦθα ὦμεν, ἐλπίδας ἔχομεν χρηστάς. ἐπειδὰν δὲ ἀπέλθωμεν ἐκεῖ, κύριοι λοιπὸν μετανοίας οὐκ ἐσμὲν, οὐδὲ τοῦ τὰ ἡμαρτημένα ἡμῖν ἀπονίψασθαι. Omnia hic diſſolve*, (nimirum peccata) *ut citra moleſtiam illud videas tribunal.* Ergo ex Chryſoſtomo id tribunal citra moleſtiam non videbunt, qui non hic omnia peccata diſſolverint. Id vero liquido falſum eſt, ſi ſtat *purgatorii* hypotheſis, poſt cujus *purgationem* ultimum illud *tribunal* (de quo loquitur Chryſoſtomus) ſine ulla moleſtia experientur etiam multi ex iis, qui hinc non omnibus diſſolutis exierint. Tum ſic pergit; *Donec hic fuerimus ſpes habemus præclaras. Simulatque vero diſceſſerimus illuc, non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere.* Bellarminus de more cavillatur Chryſoſtomum loqui de remiſſione mortalium. *Nam* (inquit) *exemplo epulonis, qui in gehenna cruciabatur, monet ne differamus converſionem in aliam vitam. Nemo autem Catholicorum docet culpas lethales remitti in purgatorio.* Sed hoc merum eſt effugium. Nam de quibuſvis peccatis loquitur Chryſoſtomus, negans ſimpliciter ea poſſe à mortuis dilui. Ergo etiam ea, quæ adverſario *venialia* ſunt, intelligit; niſi forte, quæ ſunt iſtius generis, *τῶν ἡμαρτημένων* cenſu excludenda putet adverſarius. *At* (inquit) *monet* nos Chryſoſtomus *exemplo epulonis, ne differamus converſionem.* Quid tum? Ergo-ne eum exiſtimas pœnitentiam, & converſionem à ſolis *mortalibus* ſuaſiſſe Chryſoſtomum? *venialibus* ut ſecure indulgerent, auditoribus permiſiſſe? Atqui ne tu quidem, cujus multo mollior eſt, & laxior diſciplina, hoc tuis concedis. Ille vero quid ſenſerit, non eſt obſcurum. *ἑτοίμαζε* (inquit) *εἰς τὴν ἔξοδον τὰ ἔργα σου, καὶ παρασκεύαζου πρὸς τὴν ὁδόν. Para ad exitum opera tua, & appara te ad viam.* Tum allatis in exemplum aliquot veræ pœnitentiæ capitibus, *πάντα* (inquit) *ἐνταῦθα διάλυσαι. Omnia hic diſſolve.* Quis non intelligit his verbis ſignificari, ut omnia omnino à nobis admiſſa delicta vera pœnitentia procuremus? *Venialia* non excipit, qui *omnia* diſſolvi jubet. Sed & quod ait adverſarius ſuorum neminem *docere culpas lethales remitti in purgatorio*, id vafre quidem & ſophiſtice, ſed tamen inutiliter ac præter rem dictum eſt. Non enim id jam agitur, culpæ-ne lethales remittantur in *purgatorio*; neque de eo proprie cogitavit Chryſoſtomus.

L. 1.de purg. c.13.ad obj.2.

ſtomus. Quæritur an peccata poſt mortem diluantur. Id vero negat Chryſoſtomus. Ait enim *in nobis, poſtquam hinc diſceſſerimus, non eſſe ſitum* ἀπονίψαϑαι τὰ ἡμαρτημένα ἡμῖν *diluere à nobis commiſſa.* Iam ut de *venialibus* nihil dicam, iſti ipſa etiam mortalia in *purgatorio* dilui volunt; qui (ſi bene memini) omnia iſtic *peccata*, præter blaſphemiam in Spiritum ſanctum, *remitti* contendunt; quatenus eorum pœnæ iſtic exſolvuntur. Cum ergo Chryſoſtomus τὰ ἡμαρτημένα *peccata* poſt mortem dilui exſerte neget, apparet eum ſenſiſſe, nullam vel quod ad *culpam*, vel quod ad *pœnam* pertinet, peccati remiſſionem poſt mortem fieri; adeoque nullum eſſe *purgatorium*. Quo & illud pertinet, quod alibi apud eum legitur; οὐδὲ γὰρ οἷόν τε λοιπὸν μὲν εὑρεῖν τινα παραμυϑίαν ἐκεῖ τὸν μὴ ἐν τῷ παρόντι βίῳ ἀπονιψάμενον τὰ ἡμαρτημένα. *Neque enim, qui in præſenti vita peccata non abluerit, eum poſtea conſolationem aliquam illic invenire poſſibile eſt.* Item alibi; οὐδεὶς γὰρ τῶν ἐνταῦϑα μὴ διαλυσάμενος τὰ ἁμαρτήματα ἀπελϑὼν ἐκεῖ δυνήσεται τὰς ἐπὶ τούτοις εὐϑύνας διαφυγεῖν. ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ ἀπὸ τῶν δεσμωτηρίων τοῦτον μετὰ τῶν ἁλύσεων προσάγονται εἰς τὸ δικαστήριον. οὕτω καὶ αἱ ψυχαὶ πᾶσαι, ὅταν ἐντεῦϑεν ἀπέλϑωσι τὰς ποικίλας περικείμεναι σειρὰς τῶν ἁμαρτημάτων ἐπὶ τὸ βῆμα ἄγονται τὸ φοβερόν. *Nullus quippe illuc vadens eorum valebit effugere peccatorum tormenta, a quibus hic non fuerit abſolutus. Sed ſicut illi, qui è carceribus educuntur, una cum ipſis catenis ad judicium pertrahuntur; ſic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitæ ad terribile illud ducentur tribunal.* Intelligit autem *tribunal* ultimi diei, quod omnes quorum erit ea conditio, in *gehennam* mittet. Qua in ſententia Macarius quoque, non ignobilis homiliarum ſcriptor, fuit; πᾶσα ψυχὴ (inquit) φοροῦσα λέπραν ἁμαρτίας παϑῶν, καὶ μὴ προσελϑοῦσα τῷ ἀληϑινῷ ἀρχιερεῖ, (Chriſtum intelligit) καὶ ϑεραπευϑεῖσα νῦν, εἰς τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων, εἰς τὴν ἐπουράνιον ἐκκλησίαν οὐκ εἰσέρχεται. *Omnis anima, quæ lepram affectionum peccati fert, neque acceſſit ad verum Pontificem, neque NVNC curata fuit, in caſtra Sanctorum, & cœleſtem Eccleſiam nequaquam ingreditur.* Lepra autem laborare eos, quos iſti *purgatorio* deſtinant, vel ex eo liquet, quod *purgatione* indigere eos putant. Qui enim mundus eſt, & à lepra ſpirituali immunis, ei purgatione non eſt opus.

Hom. 5. in gen. T. 2. p. 36. e

Hom. 14. in Matth. T. 1. in n. t. p. 163. a.

Hom. 44. p. 217. a

Sed redeo ad Chryſoſtomum, qui eadem compluribus aliis locis docet. Ἂν ὀκνῶμεν, (inquit) καὶ ἐν ἀργίᾳ διατρίβωμεν ἐνταῦϑα, οὐδεὶς ἡμᾶς ἐλεήσει λοιπὸν ἐκεῖ, κἂν μυρία ϑρηνῶμεν. *Si in pigritia, & otio hic vivimus, nullus noſtri ibi de reliquo commiſerebitur, etiam ſi in immenſum fleamus.* Ideo paulo ante præcipiebat; διόπερ ἐνταῦϑα τὸ ἔλαιον συναγαγεῖν

Gr. 78. Hom. 79. in Matth. T. 1. in n. t. p. 830. c

Ibid. p. 828. a

Ibid. p. 828. a γαγεῖν χρὴ, ἵνα ἐκεῖ χρήσιμον γένηται, ὅταν ὁ καιρὸς ἡμᾶς καλῇ. οὐ γὰρ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ καιρὸς τῆς συλλογῆς, ἀλλ' οὗτος. *Hic igitur oleum colligendum eſt, ut ibi, cum tempus fuerit, paratum nobis adſit. Non enim illud ſed hoc tempus eſt congregationis.* Denique in eodem opere; καὶ οὐκ ἔστιν ἐνθένδε ἀπελθόντας, οὔτε ἔλαιον πριάσθαι λοιπὸν, οὔτε δεηθέντας ἐπιτυχεῖν συγγνώμης, κἂν Ἀβραὰμ ὁ παρακαλούμενος ᾖ, κἂν Νῶε, κἂν Ἰώβ. *Nec licet poſtquam hinc migraverimus neque oleum emere amplius, neque impetrare veniam, etſi Abraham pro nobis roget, etſi Noe, etſi Iob.*

Hom. 27. (lat. 21.) in Matth. pag. 263. d

Auguſtinus, qui alibi aliud ſenſiſſe videtur, in hac communi Patrum ſententia fuiſſe ipſe quoque deprehenditur; *Hic* (inquit) *eſt etiam quam poſcimus, remiſſio, ubi eſt omnis remiſſio peccatorum. Hic tentationes, quæ nos ad peccandum, vel illiciunt, vel impellunt; hic denique malum, unde cupimus liberari. Illic autem* (id eſt poſt mortem) *nihil iſtorum eſt.* Idem in alio opere; *Non hic ſumus* (inquit) *ſine peccato; ſed exibimus hinc ſine peccato*; quia nimirum in exitu peccata nobis remittuntur, ut paulo ante ipſe explicabat, *Cum de corpore* (inquit) *exierit unuſquiſque dimittuntur ei peccata.* Ergo omnia *exeuntibus remittuntur.* Neque enim aliter ſine peccato, quod ille ait, exiremus.

Enchir. ad Laur. c. 115. T. 3. — *Serm. 29. de verb. Ap. c. 6. extr. T. 10.* — *Ibid. cap. 5.*

Sic etiam Eucherius; *Sicut nulla ibi* (id eſt poſt hanc vitam) *timebitur meritorum amiſſio; ita nulla* (inquit) *tribuetur peccatorum remiſſio.*

Hom. 6. Bibl. P. T. 2. p. 778. a

Fulgentius quoque multa habet in eamdem ſententiam; *Præſentis ſæculi tempus miſericors Dominus, & juſtus ſolum remiſſionis beneficio deputavit, futurum vero juſtæ retributioni ſervat; quo unuſquiſque pro qualitate credulitatis, & operis condigna, ſed non finienda recipiat.* His tam paucis verbis *purgatorium* bifariam evertit; tum quod divinæ remiſſionis beneficium in hoc ſolo ſæculo (non adeo in *purgatorio*) fidelibus dari ait; tum etiam quod quam quiſque poſt hoc ſæculum recepturus eſt operum vel pœnam, vel mercedem, eam finiendam negat; nullam adeo agnoſcit *purgatorii* pœnam, quæ cum ſit poſt præſens ſæculum futura, deſitura tamen, atque aliquando finienda eſſe fingitur. Idem in eodem opere; *Non ergo in futuro* (inquit) *tribuitur vita æterna: niſi fuerit in ſæculo peccatorum donata remiſſio.* Tum; *Illud etenim tempus* (loquitur de eo, quod mortem ſequitur) *non erit remiſſionis; ſed retributionis.* Ideoque alibi fidelem quemque monet, *ne ſe decipiat, nec aliud ſibi tempus converſionis, aut remiſſionis inquirat.*

l. 2. de remiſſ. ad Euth. c. 21. extr. — *Ibid. c. 6.* — *Ibid. c. 7.*

Ex his tam multis teſtimoniis patet veteres ſenſiſſe nulla nobis ex hac vita dimiſſis peccata amplius condonari; nullum adeo animarum in *purgatorio* ſtatum agnoviſſe. Itaque dum alibi paſſim *peccatorum veniam* mortuis poſtulant; vel animas veluti de corpore tunc migrantes conſiderant,

ſiderant, iiſque delictorum remiſſionem in ipſo illo exitu dari petunt; vel certe *veniæ* & *remiſſionis* nomine per metonymiam Scripturis familiarem, non ipſam proprie peccati *remiſſionem*, ſed ejus *fructus*, atque effecta, hoc eſt liberationem à pœna, quietiſque & conſolationis continuationem, atque incrementa intelligunt, ut fuſius ſupra diximus; vel denique ad ultimum *judicium* reſpiciunt; & quæ tum publice coram univerſo orbe à ſummo judice feretur de noſtra cujuſque ſalute ſententia, eam *remiſſionem peccatorum* appellant; quod illius ſententiæ vi illo demum tempore mittemur in poſſeſſionem eorum omnium bonorum, quæ ex peccatorum remiſſione nobis jam ante mortem data, veluti ex ſuo fonte, promanant. Quo pertinet Auguſtini locus in Iulianum jam alibi laudatus, *Si nulla peccata remitterentur in judicio noviſſimo, puta quod Dominus non dixiſſet de quodam peccato*, non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Sic etiam interpretandum eſt, quod idem eodem alibi ſenſu ait; *Nam quibuſdam quod in ipſo non remittitur remitti in futuro ſæculo, id eſt ne futuri ſæculi æterno ſupplicio puniantur, jam ſupra diximus*; non quaſi iſti nullam omnino hîc in vita *remiſſionem* acceperint (hoc enim recta pugnaret, & cum cæterorum Patrum, & cum ipſius Auguſtini nuper allatis ſententiis) ſed quia quam obſcure & imperfecte in hac vita conſecuti erant remiſſionem, eam tum clare ac plene, omnibus pœnis, pœnarumque metu liberati, ac æterna ſalute donati, percipient. Sed & aliter ſolvi poteſt illud inter hæc Auguſtini dicta enantiophanes; ſi id, quod ait in opere de civitate Dei, *remitti in futuro ſæculo quod in iſto non remittitur*, de remiſſione (ut ſic dicam) legitima & ſolenni intelligamus hoc ſenſu, in futuri ſæculi tribunali remiſſurum aliqua Deum quibuſdam peccatoribus quæ hic in tribunali Eccleſiæ iis non remiſerat; tametſi alioquin ea apud ipſorum conſcientiam ſpiritus ſui voce remiſiſſet.

l.6. contr. Iul. c. 15. aliis 5.

l.21. de civ. D. c.13. extr.

CAPUT VII.

Arg. VIII. ex eo ſumptum, quod affirmant veteres omnes pios ſecundum ea ultimo die judicatum iri, in quibus erat cum ex hac vita migravit; vel ibi æternum manſuros, quo morientes inciderint.

HUc etiam pertinet, quod paſſim docent Patres unumquemque *ſecundum ea ultimo die judicatum iri, in quibus fuit cum de hoc ſæculo moriens diſceſſit*. Id enim conſiſtere non poteſt, ſi verum

rum eſt, quod ajunt adverſarii multorum peccata poſt mortem ante judicii tempora remitti, vel certe purgari, & expiari. Ambroſius; *de bon. mort. cap.4.* *Mors* (inquit) *deteriorem ſtatum non efficit, ſed qualem in ſingulis invenerit, talem futuro judicio reſervat, & quiete ipſa fovet, & præſentium invidiæ ſubducit, & futurorum expectatione componit.* Non jam urgeo, quod affirmat mortem *ſtatum piorum quiete fovere;* quod falſiſſimum eſt, ſi pios mors traducit in *purgatorium*, in quo (ut liquet) animæ non *quiete foventur*, ſed acerbiſſimo labore cruciantur. Id unum nunc obſervo, quod dicit Ambroſius ſtatum cujuſque talem *futuro judicio reſervari, qualem mors in ſingulis invenit.*

In pſ.36.conc.1. Auguſtinus, quod Ambroſii diſcipulum decuit, in ea quoque ſententia fuit; *Qualis* (inquit) *exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ;* eam autem intelligit, quam à Domino Chriſto in noviſſimo die accepturi ſumus. *Ep. 80.init.T.2.* Idem alibi: *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies; quoniam qualis in iſto die quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Eadem habet ipſe quoque Gregorius, tametſi *purgatorii* primus, ut videtur, fuerit architectus; Sed quæ à Patribus didicerat, ea licet cum ſuo commento pugnantia, *Dial.l.4.c.39.* imprudens nondum re bene & accurate perſpecta, retinuit; *Ex quibus* (inquit) *ſententiis* (aliquot Scripturæ ſententias recitaverat) *conſtat, L.1.de purg.cap. 13. ad obj.9.* *quia qualis hinc quiſque egreditur, talis in judicio præſentatur.* Bellarminus de cæteris nihil. Auguſtinum vero reſpondet ſignificare *poſt hanc vitam non creſcere merita, vel demerita*, & ideo *judicandos omnes ad gloriam, vel ad gehennam*, & ad majora, vel minora præmia, vel tormenta, pro ut erunt opera facta ante mortem. Sed de *meritis* hîc quidem plane nihil Auguſtinus. Cæterum verum eſſe non nego, & ex ejus verbis ſequi fateor, omnino *judicatum iri homines ex iis, quæ ipſi ante mortem geſſerint*, non autem ex iis, quæ poſt eam fecerint. Verum hoc objectionem nequaquam ſolvit. Auguſtinus enim diſerte ait *in quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies in hoc eum comprehenſurum mundi noviſſimum diem.* atqui hoc ſi ſtat, *purgatorium* nullum eſt. Nam ex ejus hypotheſi, quem ſuus noviſſimus dies in *peccato* invenit, eum mundi noviſſimus comprehendet extra *peccatum*; nimirum & delictis venialibus, in quibus deceſſerat, & pœnis mortalium, ſiquas ſecum abſtulerat, *ignis* illius vi ac beneficio à mortis ſuæ tempore liberatum. Itaque Bellarminus debet, vel oſtendere in iiſdem eſſe, & qui reus eſt, & qui eſt abſolutus, vel certe fateri in aliis, atque aliis eſſe qui moriens in *purgatorium* deſcendit, & qui apud Chriſtum glorificandus ultimo die reſurgit. Quæſo te, Bellarmine, ſiquem offenderes, grandi

ære alieno obrutum, in vinculis gementem, ac ſquallentem, *de carcere non ante exiturum*, *donec* creditoribus ſatisfecerit; idemque tibi poſt aliquot dies alacer, ac lætus, expunctiſque omnibus nominibus exſultans occurreret; obſecro tuam fidem, diceres-ne te iſtum hominem *nunc in eo comprehendiſſe, in quo* tu eum paulo ante inveneras? Non puto ſic tibi periiſſe mentem, aut frontem, ut rem adeo falſam, ac abſurdam ſis dicturus. Atqui ſi te audimus, eadem omnino, vel etiam multo major facta eſt in eo mutatio, qui cum moriens grandi delictorum ære oppreſſus in ſubterraneum illum veſtrum carcerem raptus eſt, iſtic minimum etiam *quadrantem* acerbiſſimo cruciatu expenſurus, quique nunc ſuprema mundi die omnibus delictis ſolutus, expunctiſque etiam minimis debitis de mortuis lætus ſurgit, & immortalitatis candidatus apud Deum conſiſtit. Et vis tamen adeo delirum fuiſſe Auguſtinum, ut dixerit *in quo iſtum mors invenit*, *in hoc ipſo* eum *ultimam* illam diem *comprehenſuram* eſſe? Næ is, ſi tecum ſenſit, fungus fuit, qui ita loquutus eſt. Neque tu, neque tui, neque quiſquam ſanus, qui quidem vobiſcum ſenſerit, ſic loqui ſuſtinebit. Cum igitur Auguſtinum virum fuiſſe confiteamini ſapientiſſimum, neceſſe eſt illud quoque concedatis, qui ſic loquutus eſt, nihil de omni veſtri *purgatorii* fabula ſciviſſe. Neque vero obſcuriora ſunt; quæ ſequuntur, quæque eumdem cum ſuperioribus ſenſum habent; *Qualis* (inquit) *in iſto die quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Siccine etiam *purgatorii* cives? Imo vero nihil minus. Moriuntur *rei*; reſurgunt *abſoluti.* Moriuntur *polluti*; reſurgunt *puri.* Moriuntur *rubigine deformes*; reſurgunt *puri*, ac lucentes. Agnoſce verba tua, Bellarmine; *Virtus noſtra dici poteſt perfici in purgatorio, quod auferatur rubigo peccatorum; quomodo aurum in fornace fit lucidius; quia ſeparatur à terra, & plumbo, & ſimilibus.* Iam non tale aurum de catino educitur, quale in eum conjectum fuerat. Ergo, ſi tibi conſtare vis, fatere & tuos illos *purgatorianos* ſpiritus longe alios de iſta fornace exire, quam qui in eam deſcenderant. Nam ne illuc quidem eos mitti decuerat, niſi immutari, aliique fieri debuiſſent. Itaque cum Auguſtinus alios interea fieri neget, planeque tales die noviſſima à Chriſto judicandos reſurgere velit, quales ipſo mortis die fuerant; quis non videt ignotam ei fuiſſe totam illam veſtram ſive *fulloniam*, ſive *conflatoriam* induſtriam, qua animas corpore dimiſſas vel depectitis, & purgatis, vel conflatis & defæcatis, ut apud judicem ſcilicet ſine rubore conſiſtere queant? Denique ex *purgatorii* hypotheſi ne id quidem verum eſt, quod ait Bellarminus, *judicari omnes ultimo die ad præmia, vel tormenta majora, vel minora, pro ut fuerint*

l. 2. de purg. c. 3. §. Ad ſecund.

eorum

eorum opera ante mortem facta. Fingamus enim animam, quæ ex iſtorum rationibus, *purgatorianas* decem annorum pœnas moriens debet, eas tamen minime in purgatorio ſolvere; ſed apud ſummum judicem ultima die illo adhuc reatu obſtrictam ſiſti. Quæro an iſta idem omnino præmium à Domino acceptura ſit, quod conſequutura fuit, ſi nullum iſtuc reatum tuliſſet? Si ajunt; ergo (quod abſit) *injuſtus* Dominus, qui imparibus paria in judicio reddit; vel ſane *crudelis*, qui quos citra injuſtitiam impunitos beare potuit, eos nonniſi decennalibus ſuppliciis fruſtra excruciatos ad fœlicitatem æternam admittit. Si negant; poſco negationis rationem, quæ nulla afferri alia poteſt, niſi hæc, quod nimirum non deceat eam animam, quæ reatum ſuum non exſolvit, id mercedis conſequi, quod, ſi reatu omni libera fuiſſet, conſequutura eſſet. Vnde illud poſtremo evidentiſſime conficitur, quod illis animabus, quæ in purgatorio habitarunt, ſummus judex nihil ſupplicii ultimo die impoſiturus eſt, ſed ſuam cuique mercedem ſine ulla multa redditurus, id inquam, ideo factum iri, non modo quod ſancte & honeſte in terris vixerint; ſed etiam quod debitas pro peccatorum reliquiis pœnas in purgatorio plene exſolverint; abſque quo foret, de tremendo illo judicio ſine multa non evaſiſſent. Itaque ſi ſtat *purgatorii* hypotheſis, non judicabuntur Chriſtiani ultimo die *ex iis* tantum, *quæ ante mortem geſſerint*, ſed etiam aliquatenus ex iis quæ poſt mortem paſſi fuerint. Atque ita ex his ſatis patet cum laudatis Ambroſii, & Auguſtini dictis conſiſtere non poſſe adverſariorum de *purgatorio* dogma.

Neque alio quam ſuperiora, ſpectat, quod Patres unumquemque *in eo loco æternum remanſurum docent, in quem moriendo inciderit.* Hieronymus, multique alii ſic interpretantur Eccleſiaſtæ verba; *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Vbicumque enim* (inquit Hieronymus) *tibi locum præparaveris, futuramque ſedem, ſive ad Boream, ſive ad Auſtrum, ibi cum mortuus fueris permanebis. Tu enim, quaſi lignum, quamvis longævus ſis, non eris in perpetuum; ſed ſubito vi ventorum, ita mortis tempeſtate ſubverſus, ubicumque cecideris, ubi jugiter permanebis; ſive te rigidum, & trucem; ſive clementem, & miſericordem ultimum invenerit tempus.* Sic etiam Olympiodorus; ἐν ᾧ δ' ἂν τοιγαροῦν τόπῳ, εἴτε τοῦ φωτὸς, εἴτε τοῦ σκότους, εἴτε τῷ τῆς κακίας ἔργῳ, εἴτε τῷ τῆς ἀρετῆς καταληφθῇ ἐν τῇ τελευτῇ ὁ ἄνθρωπος, ἐν ἐκείνῳ μένει τῷ βαθμῷ, καὶ τῇ τάξει, ἢ ἐν φωτὶ μετὰ τῶν δικαίων, καὶ τοῦ παμβασιλέως Χριστοῦ, ἢ ἐν τῷ σκότει μετὰ τῶν ἀδίκων, καὶ τοῦ κοσμοκράτορος. *In quocumque igitur loco*, inquit, *ſeu illuſtri, ſeu tenebroſo, hoc eſt*

ſive

Eccleſ. 11.

In loc.

In Eccl. 11. bibl. Patr. græc. lat. T. 2. p. 670.

ſive in turpi ſcelerum ſtatione, ſive in honeſta virtutum, deprehendatur homo cum moritur, in eo ordine, atque gradu permanet in æternum. Nam vel requieſcit in lumine fœlicitatis æternæ cum juſtis, & Chriſto Domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe eorum Diabolo. Bellarminus ad verba Eccleſiaſtæ, quæ nos minime objicimus, reſpondet. Ad Hieronymi, & Olympiodori loca, ex quibus hic argumentamur, nihil quidem dicit in hac diſputationis ſuæ parte; ſed ex iis, quæ alibi dicit, videtur fuiſſe reſponſurus *utrumque loqui de animæ immutabilitate poſt hanc vitam, quæ non poteſt de bona fieri mala.* Sed hæc reſponſio inepta eſt. Inprimis enim quodcumque ſit, quod uterque intelligit, id certe hujuſmodi eſt, ut eo homo, dum viveret, non fuerit, ſed id *moriendo* nanciſcatur, atque in id incidat, ut patet tum ex Eccleſiaſtæ, tum ex ipſorum verbis. Non enim *lignum*, quod *ad Auſtrum, vel ad Aquilonem cadit*, in Auſtro, vel in Aquilone erat, antequam eo *caderet.* Atqui anima hominis, antequam is moreretur, jam vel bona erat, vel mala. Non ergo ejus vel bonitas, vel malitia id eſt, in quod per mortem incidere hic dicitur. Tum Hieronymus apertiſſime diſtinguit id, quo unumquemque moriendo incidere vult, ac ubi unumquemque exinde *jugiter permanſurum affirmat*, ab ipſius anima ſive bonitate, ſive malitia; *ubicumque tibi locum præparaveris, futuramque ſedem, ibi cum mortuus fueris, permanebis.* Quis enim non videt aliud eſſe *locum*, quem ſibi quiſque in tempus mortem conſecuturum præparat, aliud ipſam ejus ſive bonitatem, ſive malitiam? Bonitas, & malitia id eſt, quo nobis paratur locus; non autem eſt ipſe proprie locus. Deinde ſedem illam, quam nobis paramus, *futuram* dicit; eoque ſignificat, nondum eam eſſe, quo tempore hic vivimus; futuram tantum poſt mortem. Itaque ea ſedes animæ bonitas, vel malitia intelligi non poteſt; quæ, ut nuper diximus, utraque jam eſt in nobis viventibus. Sed quid opus eſt argumentis, cum Olympiodorus diſerte ipſe aperuerit quid per iſta loca intellexerit, in quæ mortalium unumquemque de ſæculo diſcedentem incidere affirmat? *Nam* (inquit) *vel requieſcit in lumine fœlicitatis æternæ cum juſtis, & Chriſto Domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe eorum Diabolo.* Ex his apparet duo illa loca, quorum alterum pro morum & ſtudiorum qualitate omnes homines moriendo nanciſci vult, eſſe non uniuſcujuſque vel bonitatem, vel malitiam, (apage tam abſurdum interpretamentum;) ſed vel præmii, vel pœnæ ſtatum. *Requies* enim *in lumine fœlicitatis cum Chriſto* eſt ſtatus præmii; pœnæ vero *cum diabolo in tenebris cruciatus.* Itaque cum ambo hi ſcriptores omnes homines in eum

Bell. l. 2. de purg. c. 2. §. Tertius locus.

vel præmii, vel pœnæ ſtatum moriendo ſingulos incidere velint, in quo æternum manſuri ſunt; conſtat iſtos neminem putaviſſe in *purgatorium* moriendo incidere, in quo (ſi vera ſunt quæ de eo narrantur) nemo *in æternum manebit*. Neque eſt quod quiſquam objiciat non potuiſſe eos ſic ſentire, quin ſe ipſos contradictione implicarint; quippe qui crediderunt (ut ex aliis locis patet) fideles ſub veteri teſtamento morientes *in inferos deſcendiſſe* in quibus tamen eos non perpetuo, ſed tantum ad Chriſti mortem manſiſſe exiſtimabant. Primo enim ex his, quæ Olympiodorus habet de Chriſto, & juſtis cum eo regnantibus, apparet iſtos loqui de ſuis, id eſt novi teſtamenti, temporibus; ad quæ (ut fieri ſolet) ſcripturam licet veterem, accommodarunt. Nam quicquid de ſpiritibus fidelium ſub veteri fœdere viventium opinati ſint, conſtat certe eos animas piorum ſub novo Teſtamento morientium, non apud inferos, ſed in cœlo collocaſſe. Olympiodorus quidem hoc ipſo in loco diſerte id profitetur, *Vel* (inquit) *requieſcit in lumine fœlicitatis æternæ cum juſtis, & Chriſto Domino*, &c. Hieronymus vero alibi, ſed in hoc tamen ipſo in Eccleſiaſten opere idem docet; *Porro* (inquit) *quod ſancti poſt reſurrectionem Domini nequaquam teneantur in inferno, teſtatur Apoſtolus dicens*; Melius eſt diſſolvi & eſſe cum Chriſto. *Qui autem* cum Chriſto eſt *utique non tenetur in inferno*. Secundo; tametſi utrumque hunc ſcriptorem etiam fideles ſub veteri teſtamento morientes hac ſua ſententia complexum eſſe donavero; non ideo tamen ulla conſequetur in eorum ſenſibus contradictio. Locum enim in quem quiſque hominum moriendo incidit, non proprie de loco phyſico intellexerunt, ſive ſpatio, quo res unaquæque continetur; quaſi videlicet uniuſcujuſque ſpiritus, quo ſpatio poſt mortem recipitur, in eo æterum manſurus ſit, velut affixus, & hærens, nec uſquam ab eo vel latum unguem divellendus; (nam ſic aliquis cavillari poſſet, & piorum de cœlo, & impiorum de gehenna ſpiritus olim ultimo die ad reſumenda corpora prodituros, adeoque locum in quo jam ſunt, mutaturos, quamquam ad breue duntaxat tempus.) Sed iſti, quod jam ſupra docuimus, locum, in quem quiſque incidit, moralem, (ut ſic loquar) & politicum intelligunt; id eſt, ut ait Olympiodorus, *gradum, atque ordinem*, in quem quiſque morte redigitur; nimirum ſtatum vel pœnæ, vel præmii. Iam vero qui ex horum auctorum hypotheſi *in inferos* deſcendebant veterum fidelium ſpiritus, quamquam nondum cœleſti gloria, ſuaviſſima tamen quiete fruebantur, neque cruciatum ullum patiebantur: itaque erant in *ſtatu præmii*; adeo ut etiam de iis dici poſſit, quod hic de quibuſvis hominibus affirmant

firmant Hieronymus; & Olympiodorus; nimirum quod æternum manſuri ſint eo loco, in quem moriendo inciderunt, ſcilicet in ſtatu præmii, è quo Chriſtus minime eos, ut liquet, deturbavit, ſed potius in eo confirmavit, atque auctiores effecit. De *purgatorio* alia omnia. Eſt enim is ſtatus, non *præmii*, ſed *pœnæ*, & quidem graviſſimæ; à quo cum eum, qui ſervandus eſt, dimoveri, atque in alium plane diverſi generis ſtatum transferri neceſſe ſit; profecto (ſi ſtat adverſariorum de eo commentum) neceſſario corruit, quod illi Patres conjunctiſſime affirmarunt, in eo gradu, atque ordine unumquemque æternum manſurum in quem moriendo incidit. Ex quibus videre eſt hæc iſtorum dicta ne cum eorum quidem Patrum ſententia pugnare, qui piorum animas etiam ſub novo teſtamento in ſecretis ſedibus uſque ad reſurrectionem ſervari volunt. Hunc enim earum ſtatum, tametſi nondum cœleſtem, *præmii* tamen ſtatum eſſe definiunt; in quo ſcilicet neque quicquam patiuntur, & quiete ſuaviſſima, imo etiam (ex Auguſtino certe) beatifica Dei præſentia fruuntur.

Idemque dictum volo de Salonio Genevenſi, qui in hunc Eccleſiaſtæ locum plane eadem habet; *Hæc ſententia* (inquit) *ſpiritualiter intelligi debet. Nam per* lignum *homo deſignatur; quoniam unuſquiſque eſt quaſi lignum ſylvæ generis humani. Per* Auſtrum, *qui eſt calidus ventus, deſignatur requies paradiſi. Per* Aquilonem, *qui eſt frigidus, deſignatur inferni ſupplicium. Et eſt ſenſus, ubicumque ſibi homo locum ad futuram ſedem præparaverit, ſive ad* Auſtrum, *cum ceciderit, id eſt mortuus fuerit, in requie paradiſi, & gloria regni cœleſtis permanebit in æternum. Si vero male vivendo ſibi locum præparaverit ad* Boream, *inferni pœnas luet in ſæcula ſæculorum.* Biblioth. Patr. T. 1. p. 157.

CAPUT VIII.

Arg. IX. ex eo ſumptum, quod veteres crediderint nulla pios morte ſemel functos manere ſupplicia, vel tormenta. Explicatur illuſtris Aug. in eam rem locus; in quo corrumpendo inſignis Perronii fraus detegitur, & confutatur.

HActenus ea ex Patribus recitavimus, quæ *ſatisfactionem*, *pœnitentiam*, & *remiſſionem* oppugnant, quas adverſarii, mortuorum eſſe volunt in purgatorio ſuo habitantium. Iam de *pœnis* videamus. Statuunt enim, non tantum *viſione Dei*, ſive fruitione ſummi boni carere ſubterranei illius orbis incolas (quam *damni pœnam* vocant) ſed etiam alio aliquo inſuper ſupplicio affici, à creatura inflicto. Bell. l. 2. de purg. c. 10.

Ibid. c. 11. Ac tametſi de hac *ſenſus* (ut loquuntur) *pœna* multi multa varie, & inaniter garriant, in eo tamen omnes hodie fere conſentiunt, *igne* quodam proprie ſic dicto, ejuſdem cum noſtro hoc elementari generis, miſeros illos *purgatorii* cives uri, ac torqueri; quod quidem qui,
Ibid. c. 12. & 13. & c. 14. & à quibus fiat an à malis, an à bonis Angelis, non audent definire; cæterum conſtanter affirmant cruciatum illum eſſe longeatrociſſimum; adeo ut nullæ cum eo comparandæ ſint hujus vitæ pœnæ. Hæc ſunt iſtorum ſcita; à quibus Patres tam longe abfuerunt, ut nulla piorum animas ſupplicia, ſive tormenta poſt mortem pati docuerint; nedum ut horribiles illos cruciatus quemquam eorum perpeti admiſerint.

Idque in primis inde apparet, quod hujus vitæ ſpatium ei tempori comparare ſolent, quo certamina in ſtadio, in arena, vel in theatro fiunt. Chryſoſtomus; οὗτος ἐστὶν (inquit) ὁ τῶν σκαμμάτων καιρὸς, καὶ τῶν ἀγώνων, καὶ
Hom. 5 in gen. T. 2. in v. l. p. 249. c τῶν παλαισμάτων. ἐκεῖνος δὲ τῶν στεφάνων, καὶ τῶν ἀμοιβῶν, καὶ τῶν βραβείων. *Hoc eſt ſtadiorum tempus, & certaminum, & luctarum; illud vero coronarum, & retributionum, & præmiorum.* Idem alibi vitam ipſam theatro comparat; καὶ γὰρ ἔδει (inquit) τῶν σκαμμάτων ἔσω μένοντα ἀγωνίσασθαι,
Hom. 23. in 1. cor. T. 5. in n. l. p. 249. c οὐ μετὰ τὸ λυθῆναι τὸ θέατρον ἀποδύρεσθαι, καὶ δακρύειν ἀνόνητα. *Oportebat intra ſepta manentem certare; non poſtquam theatrum ſolutum eſt, lamentari & flere inutiliter.* Epiphanius de tempore loquens, quod ſingulorum mortem excipit; ἐσφράγισται τὰ ταμιεῖα, (inquit) καὶ πεπλήρωται ὁ χρόνος,
Hær. 59. p. 502. b καὶ ὁ ἀγὼν ἐτελέσθη, καὶ ἐκενώθη τὸ σκάμμα, καὶ οἱ στέφανοι ἐδόθησαν, καὶ ἀγωνισάμενοι ἀνεπαύσαντο. καὶ οἱ μὴ φθάσαντες ἐξῆκαν, καὶ οἱ μὴ ἀγωνισάμενοι οὐκέτι εὐπορῦσι, καὶ ἐν τῷ σκάμματι ἡττηθέντες ἐξεβλήθησαν. καὶ τὰ πάντα σαφῶς τετελείωται μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἐκδημίαν. *Obſignata ſunt promptuaria, atque expletum tempus eſt, certamen confectum, vacuum ſtadium, diſtributæ coronæ; athletæ quieti ſe dederunt; qui mature non venerant, egreſſi ſunt. At qui certamen non attigerunt, nullam amplius ejus copiam habent, & qui in ſtadio ſuperati ſunt, ejecti fuerunt. Denique omnia plane, ubi ex hac vita diſceſſum eſt, abſoluta ſunt, ac perfecta.* Atqui, ſi adverſarios audimus, aliud iſtis omnibus, quæ hactenus pertulimus, longe gravius, atque acerbius certamen ſupereſt; niſi forte nobis perſuadere velint diros illos cruciatus, quibus miſeras animas in *purgatorio* uſtulant, nullum eſſe *certamen.* Sed non puto quemquam bene ſanum exiſtimaturum, vel tempus impleviſſe, vel ſtadio dimiſſum eſſe, multo minus vel quieſcere, vel etiam coronatum eſſe eum athletam, qui brabeutam ne vidit quidem adhuc, cuique ut ad eum, bravium accepturus, introducatur, multi præterea labores iis omnibus, quos hactenus ſuſtinuit, acerbiores, nonnumquam etiam longe diuturniores ferendi ſunt.

di ſunt. Non ero in hoc articulo prolixior, quod in priore parte operis fuſe jam explicatum ſit, quæ ſit hujus ſimilitudinis, ex Apoſtolo hauſtæ, vis atque ſignificatio. Neque ſane opus eſt.

Ipſi enim Patres diſerte paſſim docent nullas fidelium eſſe poſt hanc vitam pœnas. Chryſoſtomus; τῶν ἀνθρώπων (inquit) οἱ μὲν καὶ ἐνταῦθα κολάζονται, καὶ ἐκεῖ (id eſt, ut liquet, & in hac vita, & poſt eam) οἱ δὲ ἐκεῖ μόνον. οἱ δὲ ἐνταῦθα μόνον. οἱ δὲ οὐδὲ ἐνταῦθα, οὐδὲ ἐκεῖ. *Univerſorum hominum alii & hic & ibi ſupplicia dant; alii in præſenti ſolummodo vita; alii in futura tantum; alii nec in præſenti, nec in futura.* Exemplum primi ordinis ponit *Sodomitas*; ſecundi *epulonem*; tertii *inceſtum Corinthium*; quarti Apoſtolos, prophetas, Iobum; de quibus ait; οὐ γὰρ δὴ κολάσεως ἦν ἅπερ ἔπαθον, ἀλλ' ἀγώνων καὶ παλαισμάτων. *Non enim ad punitionem paſſi ſunt, ſed ad certamina, & luctam.* Nullum neque in primo, neque in ſecundo ordine ponit fidelem; quia nimirum nullam huic hominum generi poſt mortem pœnam ſupereſſe exiſtimabat. Quod quæ ſubjicit evidenter, ac neceſſario probant: σπουδάσωμεν τοίνυν (inquit) τῆς ἐκείνων γενέσθαι μερίδος (Apoſtolorum ſcilicet) εἰ δὲ μὴ τούτων, κἂν τῶν ἐνταῦθα ἀπολυομένων τὰ ἁμαρτήματα. καὶ γὰρ τὸ φοβερὸν ἐκεῖνο τὸ κριτήριον, καὶ ἀπαραίτητος ἡ τιμωρία. *Diligenter demus operam, ut in iſtorum parte ſimus; vel ſi non horum, ſaltem in illorum parte eſſe ſtudeamus, qui in vita commiſſa hic diſſolvunt. Terribile namque illud judicium eſt, inevitabilis pœna, intolerabilia tormenta.* Nullam facit illis veniæ ſpem, qui hinc peccati vinculis nondum ſoluti diſceſſerunt; ſed eos ἀπαραιτήτῳ τιμωρίᾳ ſubjicit; itidem ut ſupra. Ergo quibuſcumque veniæ, & ſalutis ſpes eſt, ii nullas omnino pœnas poſt mortem luent.

Hom. 41. (Lat. 42.) in Matth. p.476. e

Ibid. d

Sed illuſtris apud Auguſtinum locus eſt in eam ſententiam, ſupra jam à nobis memoratus; hic vero ab adverſariorum interpretamentis vindicandus. Is ſic habet; *Non autem omnes venient in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud judicium* (noviſſimum autem intelligit) *his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales.* Locum Perronius Gallice ita reddidit; *Tous ceux qui ſouffrent des penes temporelles apres la mort, ne viennent pas aux penes eternelles, qui auront lieu apres le jugement.* Coquæus, Torrenſis, & alii, qui locum *purgatorio* favere putant, eodem modo accepiſſe videntur. Volunt nimirum iſti Auguſtinum ſignificare quoſdam *pœnas temporales* poſt mortem daturos, qui *ſempiternas* in illo noviſſimo judicio evadent, ſalutemque æternam conſequentur. Sed hæc iſtorum eſt vel fraus, vel certe incogitantia immanis. Neque enim Auguſtinus, quod iſti ſupponunt, ſimpliciter & abſolute ſcripſit *pœ-*

L. 21. de civit. Dei c. 13.

Repl. l. 4. inſtit. 3. ch. 11. p. 823.

nas ſempiternas poſt illud judicium futuras; ſed *pœnas illas ſempiternas tum* HIS *futuras*, *qui poſt mortem ſuſtinent temporales.* Ita ſummus in hoc genere artifex Perronius una vocula HIS callide expuncta, vel diſſimulata, levi mutatione, hunc nobis Auguſtini locum in ſenſum auctoris menti plane contrarium pervertit. Non enim ait, quod ei Perronius affingit, *pœnas temporales* ab iis poſt mortem ſuſtineri, qui ultimo die ſervabuntur (id totum eſt ab adverſarii ingenio, non ab auctoris mente) ſed plane oppoſitum affirmat, qui *poſt mortem temporales pœnas* ſuſtinent, his ſempiternas poſt judicium futuras. Vnde jam meridiano ſole clarius eſt hæc verba adverſariorum *purgatorium*, non modo non juvare, ſed etiam evertere. Nam pœnas *purgatorii* ex illorum hypotheſi ii tantum poſt mortem ſuſtinent, quibus ſalus olim æterna poſt noviſſimum judicium certo parata eſt. At *pœnas temporales*, de quibus hîc Auguſtinus, hi *poſt mortem ſuſtinent*, quibus *ſempiternæ poſt noviſſimum judicium futuræ ſunt.* Ergo *temporales* iſtæ *pœnæ*, de quibus Auguſtinus, non ſunt *purgatorii* Romani pœnæ. Item; *Sempiternæ pœnæ poſt noviſſimum judicium his futuræ ſunt, qui poſt mortem temporales ſuſtinent.* Atqui nullis veris fidelibus *ſempiternæ pœnæ poſt judicium futuræ ſunt*; Ergo neque iiſdem *poſt mortem temporales.* Ergo vel *purgatorii* incolis *ſempiternæ futuræ ſunt poſt noviſſimum judicium pœnæ* (quod non puto conceſſuros adverſarios) vel certe iſti, qui *temporales poſt mortem pœnas* apud Auguſtinum *ſuſtinent*, alii ſunt, quam *purgatorii* incolæ. Vide quæſo, quam male de miſeris illis *purgatorii* ſui civibus mereatur Perronius; qui eos, ut Auguſtino cognitos fuiſſe probet, ne ſempiterna quidem damnatione implicare, ac involvere veretur. Cum enim dicat Auguſtinus *ſempiternas poſt ultimum judicium pœnas his futuras, qui temporales poſt mortem ſuſtinent*, non poſſunt *purgatoriani* homines *æternas pœnas poſt ultimum judicium* effugere, ſi revera ii ſunt, de quibus hoc loco Auguſtinus; qui nimirum *poſt mortem temporales pœnas ſuſtinent.* Quinam ergo, inquis, iſti ſunt, qui *pœnas poſt mortem ante judicium temporales ſuſtinent*? Quaſi vero id obſcurum ſit, ac non clariſſime id ipſe Auguſtinus explicarit. Quibuſnam *futuræ ſunt ſempiternæ pœnæ? His* (inquit) *qui poſt mortem ſuſtinent temporales.* Quinam *poſt mortem ſuſtinent temporales? Hi* (inquit) *quibus poſt judicium futuræ ſunt ſempiternæ.* Hos vero, *qui ultimo die* incident in *ſempiternas pœnas*, nemo Chriſtianus ignorat eſſe ipſos *gehennæ* (ut Scriptura loquitur) *filios*, homines *in peccatis mortuos*, quos vulgo *reprobos*, & *damnatos* dicimus. Sed novum fortaſſe tibi videtur, & inſolens, ut quas nunc *ante ultimum* diem damnati *in inferis* dant

pœnas,

pœnas, eæ *temporales* Auguſtino dicantur. Credo, quia tu aliter loqui ſoles. Cæterum Auguſtini verba, non ex tuo, ſive ſenſu, ſive uſu, ſed ex ipſius mente interpretanda ſunt. Itaque cum eorum, qui olim in æternum damnandi ſunt, pœnas ante reſurrectionem *temporales* eſſe diſerte dicat, non eſt, quod putes eum de ullis fidelibus hæc intellexiſſe, quos omnes ultima die ſervatum iri ſcimus. Sed ſi pauliſper ſepoſito ſtilo, ac ſenſu, cui tu aſſueviſti, quæ Auguſtini de his ſententia fuerit, attentius conſideres, nihil hic novum, nihil mirandum offendes. Extat alter in alio Auguſtini opere locus, hujus plane geminus, ex quo diſcere licet, quid is de *pœnis* ſenſerit. Ac *pœnas* quidem hujus vitæ nunc mitto, quæ ad rem noſtram non pertinent. De futuris ſic ille philoſophatur; *Futura* (inquit) *pœna duas ſpecies habet. Aut inferorum eſt, ubi ardebat dives ille, qui volebat ſibi ſtillam aquæ ſtillari in linguam de digito pauperis, quem ante januam ſuam contempſerat, quando ait* Crucior in hac flamma. *Et altera eſt illa in fine, de qua audituri ſunt, qui ad ſiniſtram ponendi ſunt,* Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo, & Angelis ejus. *Illæ pœnæ manifeſtæ erunt eo tempore, quando exitum fuerit ex hac vita; aut finito ſæculo perventum ad reſurrectionem mortuorum.* Tum non nullis interjectis de hujus vitæ pœnis, omnium ſummam ſic colligit; *Non ergo pœnas inferorum, non pœnas illius poſt reſurrectionem ignis æterni; non pœnas iſtas, quæ adhuc ſæculo promiſcuæ ſunt juſtis, & injuſtis, & plærumque graviores juſtorum, quam injuſtorum; ſed neſcio quam pœnam præſentis vitæ vult commendare Spiritus Dei.* Hæc ille. Iam vides, ut pœnarum tres faciat ſpecies; alias *hujus vitæ*, juſtorum, & injuſtorum communes; alias *inferorum*, alias denique ignis *æterni*; & quidem has duas reproborum, ac damnatorum proprias; quas item paulo poſt à ſe invicem his verbis diſtinguit; *Vltima pœna* (inquit) *eſt ignis æternus, aut ignis infernus jam damnatorum.* *Ignem æternum* dixit; in quem conjicientur reprobi *poſt ultimum judicium*, quod is *ſempiternum* arſurus ſit. Alterum, quem *infernum* vocat, & quo jam torqueri damnatos ait, eo ipſo, quod ab æterno dividit, *temporalem* fatetur; quo nomine eum in loco nuper allato appellavit. Mitto veteres plæroſque pœnam illam, qua damnati ante judicium puniuntur, multo fortaſſe, quam nos, exiſtimaſſe mitiorem. Id mihi nunc ſatis eſt, quod cum illa pœna, quæ nunc in nudas eorum animas ſævit, noviſſimo die ſic deſitura ſit, ut aliis alterius quodammodo generis pœnis, dirioribus neque umquam intermorituris decedat; conſtat ratio, cur eam temporalem Auguſtinus dixerit; plane eodem ſenſu, quo eamdem definit *ignem infernum*, ſed alium *ab æterno*. Itaque ut *pœ-*

In pſ. 57. ultr. med. T. 8. p. 234. e

Ibid. p. 235. a

Ibid. b

ut *pœnæ ſempiternæ* quas in priori loco memoravit, ipſæ illæ ſunt *ignis poſt reſurrectionem æterni pœnæ*, ut in poſteriori vocat; ſic *temporales* quas illic dicit, *pœnæ*, ipſæ illæ ſunt, quas hic *inferorum pœnas*, *ignemque infernum jam damnatorum* appellat; qualis fuit epulonis cruciatus ab eo in exemplum allatus. Iam ex his planus eſt, niſi fallor, ſuperioris loci ſenſus; nimirum non omnes homines ſempiternas illas pœnas perpeſſuros, quas olim Chriſtus Dominus juſtiſſimo judicio iis omnibus inflicturus eſt, qui à mortis ſuæ articulo ad illum uſque diem pœnas quidem jam ſuſtinent, ſed tamen, aliis longe gravioribus commutandas. Nam cum in ſuperioribus omnes pœnas, quibus hominum genus vexatur, feciſſet duorum generum, alias quidem temporarias, alias

L.21. de civ. Dei c.13. vero ſempiternas, adjecit; *Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii poſt mortem, alii & tunc, & nunc, verumtamen ante judicium illud ſeveriſſimum, noviſſimumque patiuntur.* Temporariis pœnis hoc omnibus commune eſt, quod nullæ hujus generis. niſi ante ultimum judicium, ab hominibus feruntur; quæ enim poſt illud judicium inferentur, omnes erunt æternæ. Cæterum inter temporarias diſcrimen ſtatuit. Vult enim eas, quæ ſunt hujuſmodi, alios quidem in hac tantum vita pati; alios tantum poſt mortem; alios denique & in hac vita, & poſt mortem. In primo ordine ſunt fideles, qui in hoc quidem ſæculo variis malis exercentur; ſed decurſo hoc mortalis vitæ ſtadio de reliquo ab omnibus pœnis ſunt immunes. Secundi ordinis *rariſſimos* eſſe ipſe

Ibid. c.14. init. paulo poſt monet; *qui nullas* ſcilicet *in hac vita, ſed tantum poſtea pœnas luant*; fuiſſe tamen aliquos, *qui uſque ad decrepitam ſenectutem ne leviſſimam quidem febriculam ſenſerint, quietamque duxerint vitam.* Tertii ordinis cæteros, pauculis illis exceptis, peccatores, & impios accipe; qui & hic multa gravia, & poſt mortem plura, ac graviora in inferis patiuntur. Atque ita temporarias pœnas, à quibus neminem mortalium exemit, executus, continuo de ſempiternis monet aliam earum eſſe rationem; non enim omnes, ut temporarias perpeſſi ſunt, ſic æternas quoque perpeſſuros; ſed eos duntaxat, qui poſt mortem temporarias ſuſtinuerint. *Non autem omnes* (inquit) *veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud judicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales.*

Nunc loco ſic vindicato, & explicato, quid ex eo ſequatur, nemo non videt. Nam cum ſtatuat Auguſtinus *ſempiternas pœnas his poſt ultimum judicium futuras, qui temporales poſt mortem ſuſtinent*, clarum eſt neminem fidelium ullas *poſt mortem temporales pœnas ſuſtinere.* Argumentum patet; Qui *temporales pœnas poſt mortem ſuſtinent*, iis ex Auguſtino

guſtino *ſempiternæ poſt judicium futuræ ſunt:* Nullis autem fidelibus *ſempiternæ poſt judicium pœnæ futuræ ſunt*; (omnes enim qui vere fideles ſunt, ſuprema illa die vitam, ac ſalutem æternam ab optimo Domino accepturi ſunt.) Ergo ex Auguſtino nulli, qui vere fideles fuerint, ullas *poſt mortem temporarias ante ultimum* diem *pœnas ſuſtinent*; nulli adeo in purgatorio ſunt; cum in eo nemo ſit, qui non *temporarias poſt mortem pœnas ante ultimum* diem *ſuſtineat.* Quod ipſum ex altero illo loco à nobis ex Auguſtini in Pſalmos opere nuperrime allato, perſpicuum eſt. Cùm enim iſtic omnes pœnarum ſpecies accurate exſequatur, cur iſtas quæſo, quas animæ fidelium poſt mortem dicuntur perpeti, ſi ſcivit, prætermiſit? Cur cum de iis verba faceret, quæ poſt hominum ſingulorum mortem futuræ ſunt, iſtas *purgatorianas*, quæ eo proprie pertinent, tacuit? Cur earum nullum aliud exemplum attulit, præterquam *epulonis*, quem in *purgatorio* arſiſſe non dicent, credo, adverſarii? Cur quæ ſunt hujus ordinis, omnes uno nomine complexus eſt *ignis inferni jam damnatorum*, niſi quod nullas alias poſt mortem ante ultimum mundi diem pœnas ſcivit, niſi eas quibus *damnati* ante reſurrectionem cruciantur? Cur denique cum omnes pœnarum ſpecies colligeret, eas quidem, quæ ſunt præſentis vitæ, *promiſcuas* eſſe *juſtis, & injuſtis* monuit? pœnas, quas vocat *inferorum*, id eſt quas animæ corporibus ſolutæ ante reſurrectionem patiuntur, non itidem monuit etiam fidelium quorumdam eſſe, ſed eas univerſas *damnatorum* duntaxat eſſe dixit? Qui hæc omnia animo ſtudiis, & præjudiciis libero expenderit, fatebitur nullam aliam iſtorum omnium rationem fuiſſe, niſi hanc, quod Auguſtinus ſcilicet adverſariorum de purgatorio dogma penitus ignoravit.

CAPUT IX.

Arg. X. inde ductum, quod piorum animas poſt mortem purgari negent Patres.

POſtremo piorum mortuorum ante reſurrectionem, non tantum paſſiones, & pœnas, ſed & ipſam illam purgationem, quam harum effectum, & finem eſſe volunt adverſarii, plane evertunt Patres. Gregorius Nazianzenus, poſtquam accurate ex Scripturis collegit, quæcumque flagella Deus hic in terris adhibere ſolet ad homines vel caſtigandos, vel emendandos; ἐῶ γὰρ λέγειν (inquit) τὰ ἐκεῖθεν δικαιωτήρια, οἷς ἡ ἐνταῦθα φειδὼ παραδίδωσιν, ὡς βέλτιον εἶναι νῦν παιδευ- Orat. 15. T. 1. p. 229. b c

θῆναι καὶ καθαρθῆναι, ἢ τῇ ἐκεῖθεν βασάνῳ παραπεμφθῆναι, ἡνίκα κολάσεως καιρὸς, οὐ καθάρσεως. *Mitto enim dicere ea tribunalia, quæ illic*(id eſt poſt mortem) *ſunt, quibus hujuſce vitæ indulgentia, & impunitas eos tradit; ita ut ſatius ſit nunc caſtigari, & purgari quam ad cruciatum illum tranſmitti, cum jam pœnæ tempus erit, non* PVRGATIONIS. τὴν ἐκεῖθεν βάσανον, *cruciatus illic futuros* opponit τῇ νῦν παιδεύσει καὶ καθάρσει, *ei caſtigationi, & purgationi, quæ nunc fit.* Si legitima eſt antitheſis, ut eſt haud dubie, ſequitur & eas, quas nunc ſuſtinemus afflictiones *purgatorias* eſſe, & quæ poſt hanc vitam hominibus infliguntur, eas nequaquam eſſe *purgatorias.* Sed & Gregorius id diſerte docet verbis ſequentibus. Poſtquam enim dixit *ſatius eſſe nunc caſtigari, & purgari, quam ad cruciatum* τὸν ἐκεῖθεν *illic*, id eſt poſt hanc vitam, *futurum* tranſmitti; continuo adjicit ἡνίκα κολάσεως καιρὸς, οὐ καθάρσεως, *quando pœnæ*, ſive *punitionis tempus erit, non purgationis.* In quibus verbis duo ſunt notanda; prius quidem hoc, poſt mortem *tempus non eſſe purgationis*; nullam adeo illic fore *purgationem*, nullum proinde *purgatorium.* Alterum vero, τῇ καθάρσει opponi τὴν κόλασιν id eſt *purgationi pœnam*, ſive *punitionem.* Vnde conſequitur afflictiones piorum in hac vita, quas παιδεύσεις paulo ante nominavit, proprie κολάσεις, ſive *punitiones* non eſſe, cum ſint καθαρτήρια, ut ipſe nuper docuit, *ſatius eſt nunc caſtigari, & purgari.* Ex quo denique conficitur, judice hoc Theologo, perperam ac inepte *purgatorias* ab adverſariis vocari eas pœnas, quas veras, ac proprie dictas κολάσεις eſſe volunt; quales iſtæ ſunt, quas à fidelium animabus poſt mortem expendi fingunt in fabuloſo illo carcere, quem & ipſum ea de cauſſa *purgatorium*, ſed inſcite, & præter rei ipſius rationem appellant.

Hom. 8. de pœnit. qua eſt 56. T. 1. in v. t. pag. 616. d

Chryſoſtomus vero adverſariorum *purgatorium* etiam ipſe, haud ſegnius, quam Gregorius extinxit. Hæc enim diſerte habet in quadam oratione de pœnitentia; τὴν μὲν γὰρ (ψυχὴν) ἐντεῦθεν ἀπελθοῦσαν καθαρὰν οὐδὲν ἐκεῖνο βλάψει τὸ πῦρ. *Nam animam hinc puram* ſive *purgatam abeuntem ille non lædet ignis.* Puram antem animam intelligit, quæcumque in Chriſti fide, & communione moritur, ſalutis æternæ & beatæ reſurrectionis compos aliquando futura; ut ex iis conſtat, quæ continuo ſubjicit, τὴν δὲ μετὰ ἁμαρτημάτων ἀπελθοῦσαν ἐντεῦθεν ἐκεῖνο δέξεται τὸ πῦρ. *eam antem, quæ cum peccatis hinc abierit, ille ignis excipiet.* nimirum gehennæ ignis, τὸ τῆς γεέννης πῦρ; de quo eum loqui patet ex verſu præcedenti in quo ejus diſerte meminit. Morientium animas duorum facit generum; alias καθαρὰς hinc exire (Chriſti ſcilicet ſacramentis, & Spiritu per fidem purgatas) alias μετὰ ἁμαρτημάτων, cum peccatis. Has om-

omnes gehennę adjudicat; illas *ab igne illæſas fore* pronunciat. Eas ergo, quas iſti *purgatorio* deſtinant, quas *ſervatum* iri, quas à gehenna immunes fore volunt, ne ignem quidem læſurum, cum hinc migraverint, cenſet Chryſoſtomus; nullum adeo eſſe *purgatorium*. Quod eas cum peccatis hinc diſceſſiſſe cauſſentur adverſarii, ſupereſt ut eas cum Chryſoſtomo fateantur ignem gehennæ excepturum; non adeo purgatorium.

Denique & ipſe Auguſtinus haud obſcure *purgatorium* quoque evertit. Nam quo loco adverſus eos diſputat, qui vel omnium, vel aliquorum ſaltem damnatorum *purgatorias* fore pœnas putabant, hujus generis pœnas, quæ *mortuos ante reſurrectionem* purgarent, non modo, quod alibi antea obſervavimus, nullas ponit, vel memorat, ſed omnes palam, ut mihi quidem videtur, tollit. Poſtquam enim initio capitis hoc Platonicorum dogma in medium attulit, *omnes omnino pœnas emendationi adhiberi, & purgatorias eſſe, ſive in hac vita, ſive poſt mortem, etiamſi quis ita plectatur, ut hic non corrigatur*, laudatis & explicatis in eam ſententiam quibuſdam Maronis verſibus; tum demum huic iſtorum philoſophorum dogmati ſuam, id eſt Chriſtianorum, fidem his verbis opponit; *Nos vero etiam* (inquit) *in hac quidem mortali vita eſſe quaſdam purgatorias pœnas confitemur, non quibus affliguntur, quorum vita, vel non inde fit melior, vel potius inde fit pejor; ſed illis ſunt purgatoriæ, qui illis exerciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ, ſive temporariæ, ſive ſempiternæ*, &c. *ſicut unuſquiſque divina providentia tractandus eſt, inferuntur, vel pro peccatis, ſive præteritis, ſive in quibus adhuc vivit ille, qui plectitur; vel pro exercendis, declarandiſque virtutibus, per homines, & Angelos ſeu bonos, & malos.* His verbis docet Chriſtianos hactenus cum Platonicis convenire, quod utrique pœnas aliquas *purgatorias* admitterent: cæterum triplex inter utrorumque ſententias diſcrimen notat. Primum, quod cum Platonici omnes omnino pœnas *purgatorias* eſſe ſciſcerent, Chriſtiani quaſdam tantum ejus eſſe generis ſtatuebant. Secundum, quod cum illi etiam pœnas poſt mortem *purgatorias* eſſe dicerent, hi tales in hac tantum vita agnoſcebant. Tertium denique quod cum Platonici *purgatoriam* etiam ejus pœnam eſſe cenſerent, qui ita plectitur, ut non corrigatur; Chriſtiani eas tantum pœnas *purgatorias* vocabant, quibus homines coërciti meliores fiunt. Ex his liquet, Auguſtinum nullas piorum poſt hanc vitam *purgatorias* pœnas agnoſcere. Primum enim ſiquas hujus generis ſcivit, cur non eas, ut decebat, cum iis, quæ tales à Platonicis conſtituebantur, compoſuit? cur non in eo utroſque conſentire ſignificavit, quod ut in hac vita, ſic etiam poſt eam aliquas *purgatorias* pœnas dari pariter cenſerent? Cur

l. 21. de Civ. Dei c. 13.

peccator corrigitur, & emendatur, quas *purgatorias* appellat, ſed in hac duntaxat mortali vita admittit. Aliis virtus exercetur, & declaratur; quales ſunt fidelium in hoc ſæculo probationes. Aliis denique peccatum proprie punitur, ſive jam præteritum, ſive adhuc præſens. Quæ ab adverſariis finguntur *purgatorii* pœnæ non pertinent ad primum ordinem, quo ſolas eas cenſet Auguſtinus, quibus in hac vita corrigimur, & meliores ſimus. Neque ſunt ſecundi, ut manifeſtum eſt. A tertio, ad quem (ſi ullæ eſſent) omnino pertinerent, pariter eas ſummovit. Ergo fatendum eſt eas Auguſtino ne cognitas quidem fuiſſe.

CAPUT X.

Arg. XI. inde ductum, quod veteres paſſim amicos in fide Domini recens mortuos quieſcere, fœlicitateque frui affirmare non dubitant; neque fere de iis aliter loquuntur.

SIngula *purgatoriani* dogmatis capita executi, jam ea de animarum fidelium ſtatu è Patribus afferemus, quæ univerſe, & in genere oſtendunt ipſos totum hoc adverſariorum myſterium neſciviſſe.

Principio ſi id veteres ſciviſſent, ac inter fidei ſuæ articulos habuiſſent, non aliter olim, quam nunc adverſarii, de Chriſtianis recens mortuis vel exiſtimaviſſent, vel loquuti eſſent. Nimirum cum hæc hypotheſis, ſævis quidem, ſed tamen (ut ſtatuit) neceſſariis *ignibus* excoquendos in *infernum* mittat fideles, quibuſcumque de ſæculo diſcedentibus aliquid labis, etiamſi leviſſimæ, ſuperfuit, ſive ex admiſſo veniali delicto, ſive ex non impleta pro lethali peccato ſatisfactione contractum, pauciſſimoſque ad cœlum recta tranſmittat, neque fortaſſe ſingulis annis plures, quam ſunt

Thebarum portæ, aut ſeptemplicis oſtia Nili;

profecto ſi conſtare ſibi volunt, qui hæc credunt, fateri debent pæne omnes fideles aliquot poſt mortem, ſi non ſæcula, vel luſtra, annos certe, aut menſes in illa fornace teneri; neque adeo poſſe de homine recens mortuo (niſi is inſigniter, ac ultra ætatis ſuæ mores ſanctus fuerit) citra gravem temeritatem credi, vel dici, quod ſit *beatus*, & *cruciatuum expers*. Neque vero aliter de iſtis adverſarii vel ſentiunt; vel loquuntur. Nemo vulgo apud eos moritur, (præſertim ſi de ſæcularium ut loquuntur, fæce, non autem ex beatis illis cucullatorum, vel certe fibulatorum Angelorum ſyſſitiis fuerit) quem non in *purgatorium*

 dever-

devertere putent. Ac licet vel lugentium conſolatio, vel Principum obſequium multa de mortuis in melius flectere, ac commodiſſime de iis loqui homines vulgo ſubigat, apud iſtos tamen & commiſeratione, & adulatione plus valet præcepta animis *purgatorii* religio. Siquis mortuum ſtatim cœlo inſerat, is hæreticus illis eſt. Hæc alieni à recta fide animi certa apud eos nota. Petrus quidem Caſtellanus, Matiſconenſis epiſcopus; cum in oratione funebri (quod genus in laudes citra reprehenſionem liberius effundi ſolet) dixiſſet ſperare ſe, atque perſuaſum habere Franciſci Regis apud nos maximi tum recens mortui *animam vita ſanctiſſime acta, ſimul atque corpore exceſſiſſet, protinus cœlo receptam eſſe, neque expiatoriis ullis ignibus eguiſſe*; hæreſeos ſuſpectus fuit, quaſi de tertio, ut ajunt, loco addubitaret. Neque id viri optimi, atque erudítiſſimi dictum impune abiiſſet, niſi quam Sorbonici ſodales hoc in eum nomine apud Regem parabant accuſationem Ioannis Mendozæ aulici urbanitas extemporanea quadam facetia in riſum converſam opportune ſolviſſet, ut eſt ab ampliſſimo viro Iaco-
L. 3. p. 78. bo Auguſto Thuano in hiſtoriis proditum. Quando ne tantos quidem Principes apud iſtos licet *purgatorio* eximere, quid eos facturos putes, ſiquis aliquem de vulgo Chriſtianum de terra in cœlum continenter ſubvectum diceret? Hominem haud dubie, tamquam Lutheraniſmi compertum, atro carbone denotarent. Itaque veterum ſi eadem fides fuit, eandem quoque orationem, eumdem orationis characterem hoc loco fuiſſe neceſſe eſt. Atqui plane contra res habet. Priorum quinque ſæculorum Chriſtiani de ſuis recens mortuis ita & loqui, & ſcribere ſolent, ut in noſtris eos ſcholis inſtitutos, atque effictos credere poſſis. Non enim dubitant de eorum quiete, ac fœlicitate affirmare. Aliquot de multis exempla huc congerere libet.

Primum verus Clemens in epiſtola ad Corinthios, quæ magno Dei beneficio è tenebris, in quibus per multa ſæcula delituerat, eruta, ante duodecim annos in lucem edita eſt, de Paulo Apoſtolo loquens,
P. 8. *μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων*, οὕτως (inquit) *ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου, καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη*; *facto ſub imperatoribus*, vel *præfectis, & judicibus martyrio ſic è mundo migravit, & in locum ſanctum abiit.* Quis vero
Ibid. ſit ſanctus ille locus de Petri obitu memorans paulo ante ſic docuerat; *οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. Ita martyrium paſſus in debitum gloriæ locum abiit.* Vides quantum diſtet ſimplex Apoſtolici diſcipuli ſententia ab inanibus fabuliſque propioribus ſequentium doctorum ſuſpicionibus de infernis, abditiſque animarum receptaculis? Vltima hæc Clementis verba in eodem argument

mento habet ſanctiſſimus ſenex Polycarpus, dum Philippenſes jubet ita de Paulo exiſtimare, cæteriſque Apoſtolis, deque Ignatio, & Ruffo, Zoſimo, & cæteris ex ipſa Philippenſium Eccleſia fidelibus, qui in fide, & juſtitia curſum ſuum expleverant, ὅτι εἰς ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον; *eos in convenienti, ac debito loco eſſe apud Dominum, cum quo etiam paſſi ſunt.* *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 36.*

Hoc exemplum ſecuti plærique veteres Chriſtiani ita ſemper de hominibus in Domini fide, & communione mortuis judicarunt. Gregorius quidem Baſilium nuper mortuum, ejus funus oratione celebrans, in *cælis* eſſe affirmat. De Gregorio parente ſuo, Nazianzi epiſcopo, cum in eum funebrem orationem diceret, ſimilia habet; νῦν μᾶλλον ἐγγίζει Θεῷ (inquit) τὰς σωματικὰς πέδας ἀποσεισάμενος, καὶ τῆς ἐπιθολούσης τὸν νοῦν ἰλύος ἀπηλλαγμένος, καὶ γυμνῷ γυμνὸς ἐντυγχάνων τῷ πρώτῳ καὶ καθαρωτάτῳ νοΐ τάξεως, καὶ παῤῥησίας ἀγγελικῆς. εἰ μὴ τολμηρότερον τοῦτο εἰπεῖν. ἀξιούμενος. *Nunc magis Deo appropinquat*, (quam cum eſſet in terris ſcilicet) *ut qui corporeas compedes excuſſerit, ac limo illo, mentis puritatem inficiente, liberatus ſit, nuduſque cum nuda principe illa, & puriſſima mente verſetur, Angelici ordinis dignitatem, & fiduciam (niſi hoc dictu audax eſt) conſecutus.* Vel hæc certe hyperbole, cujus invidiam deprecatur, ſatis oſtendit, quam nullum ille timuerit patri *purgatorium*. De ſorore Gorgonia illi idem quoque ſenſus fuit; cujus poſtquam ſupremos ad virum, & liberos ſermones, ipſamque mortem deſcripſit, κρείσσω μὲν οὖν, εὖ οἶδα (inquit converſo ad ipſam ſermone) καὶ μακρῷ τιμιώτερα τὰ παρόντα σοι νῦν, ἢ κατὰ τὰ ὁρώμενα, ἦχος ἑορταζόντων, ἀγγέλων χορεία, τάξις οὐρανία, δόξης θεωρία, τό τε ἄλλης, καὶ τὸ ἀνωτάτω τριάδος ἔλλαμψις καθαρωτέρα τε καὶ τελεωτέρα. *Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis cernuntur, multo præſtantiora ſint ea, quibus nunc frueris; nempe ſonus epulantium, Angelorum chorea, cæleſtis ordo, gloriæ contemplatio, cum alius, tum ſupremæ Trinitatis purior, & perfectior illuminatio.* Fratri Cæſario, quem mors ex mediis philoſophiæ, medicinæ, atque aulæ ſtudiis rapuerat, idem quoque officium jam antea exſolverat. De eo plane gemina horum habet, quæ de Gorgonia dicit. Σὺ δὲ ἡμῖν οὐρανοὺς ἐμβατεύοις, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, καὶ ἐν κόλποις Ἀβραὰμ, ὅιτινες δὴ ὗτοί εἰσιν, ἀναπαύσαιο, καὶ ἀγγέλων ἐποπτεύοις χορείαν, καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε, καὶ λαμπρότητας. μᾶλλον δὲ συγχορεύοις, καὶ συναγάλλοιο, πάντα διαγελῶν τὰ τῇδε ἀφ᾽ ὕψους. *Tu vero, divinum ac ſacrum caput, in cælis inambula; & in Abrahæ ſinu, quicumque tandem ille eſt, conquieſce, & Angelorum choream, ac beatorum virorum gloriam, & ſplendorem ſpecta; vel potius una tripudia, & exulta, omnia quæ hic ſunt, ex alto deridens.* Hæc enim non

Orat. 20. T. I. p. 372. a

Orat. 19. ibid. p. 288. c d

Orat. 11. p. 189. c d

Orat. 10. p. 170. b c.

optantis

optantis, quod vult Latinus interpres, ſed *gratulantis* ſunt, & ipſis illis, quibus jam fruebatur, frui jubentis. Nam non dubitaſſe Gregorium, quin jam in iſtis eſſet frater, clariſſime oſtendunt, quæ mox, & in genere de omnium piorum in obitu ſorte, & de ipſo Cæſario proprie dicit, ſibi in ſomnis viſo. Atque ita cepit Elias, Græcus Scholiaſtes; *Ait*, inquit, *magnus hic vir Cæſarium lumine illo impleri, atque ad ſumma illius pulcritudinis fontem perveniſſe, ac magno regi adſtare, perfectionemque conſecutum eſſe.* Tum ait *hæc ſic tamquam ea jam contigerint, demonſtrare.* Non ſic autem demonſtrabit, ſi hæc tantum optet Cæſario.

P. 173. c
P. 174. b

Orat. de Ephr. T. 3. p. 614. b c

Gregorii Nyſſeni conſimilis eſt de Ephramo oratio. *Ille*, inquit, *εἰς τὸν ἀκύμαντον λιμένα τῆς αἰωνίου βασιλείας ἐξέπνευσε, ad tranquillum æterni regni portum exſpiravit*, vel *emigravit. ποῦ δὲ τὴν ἐκείνου ψυχὴν ἀλλαχοῦ εἰκάζειν χρὴ καταλῦσαι, ἢ δῆλον ἐν σκηναῖς οὐρανίοις, ὅπου τάξεις ἀγγέλων, ὅπου χοροὶ προφητῶν, ὅπου θρόνοι ἀποστόλων, ὅπου χαρὰ τῶν μαρτύρων, ὅπου ὁσίων εὐφροσύνη, ὅπου διδασκάλων λαμπρότης, ὅπου πρωτοτόκων πανήγυρις, καὶ ἦχος καθαρὸς τῶν ἐκεῖθεν ἑορταζόντων; εἰς ἐκεῖνα τὰ ἀγαθά, ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, εἰς ἐκεῖνον τὸν ἱερὸν ἐφοίτησε χῶρον ἡ τοῦ μακαρίου καὶ ἀοιδίμου πατρὸς ἡμῶν πολυμακάριστος καὶ ἁγία ψυχή. Quo enim alio ejus animam conceſſiſſe ac divertiſſe conjectandum eſt, niſi in cœleſtia tabernacula, ubi Angelorum ſunt ordines, ubi Patriarcharum populi, ubi Apoſtolorum throni, ubi Martyrum gaudium, ubi ſanctorum lætitia, ubi doctorum ſplendor, ubi primogenitorum panegyris, ubi puræ exultantium voces? In illa bona, quæ Angeli proſpicere cupiunt, in ſacrum illum locum fœliciſſima beati, clarique Patris noſtri anima pervenit.* Idem de Pulcheria, Auguſtam ejus matrem conſolans, hæc itidem habet; *οὐκοῦν εἰ καὶ ἀπεφοίτησε τὸ παιδίον, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεσπότην ἀπέδραμε. σοὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἔκλεισεν, ἀλλὰ τῷ φωτὶ τῷ αἰωνίῳ διήνοιξε. τῆς σῆς ἀπέστη τραπέζης, ἀλλὰ τῇ ἀγγελικῇ προσετέθη. ἔνθεν τὸ φυτὸν ἀνεσπάσθη, ἀλλὰ τῷ παραδείσῳ ἐνεφυτεύθη. ἐκ βασιλείας εἰς βασιλείαν μετέστη. ἐξεδύσατο τὸ τῆς πορφύρας ἄνθος, ἀλλὰ τῆς ἄνω βασιλείας τὴν περιβολὴν ἐνεδύσατο. Itaque etiamſi a te diſceſſit puella, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clauſit; ſed lumini æterno aperuit. A tua menſa remota eſt; ſed Angelicæ adhibita. Hinc planta revulſa eſt; at in paradiſo ſata eſt, de regno ad regnum traducta eſt. Purpuræ florem exuit; at ſuperni regni amictum induit.* De Placilla vero Auguſta Pulcheriæ matre, cum & ipſa fatis conceſſiſſet, ſic idem loquitur; *ἔστιν ἀδελφοί, τὸ ἀγαθὸν ὃ ζητοῦμεν. ἔστι καὶ οὐκ ἀπόλωλε. μᾶλλον δὲ μικρότερον εἶπον τῆς ἀληθείας. οὐ μόνον γάρ ἐστι τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ καὶ ἐν ὑψηλοτέροις, ἢ πρότερον. τὴν βασιλίδα ζητεῖς; ἐν τοῖς βασιλείοις τὴν διαγωγὴν ἔχει. ἀλλ' ὀφθαλμῷ γνῶναι τοῦτο ποθεῖς; οὐκ ἔξεστί σοι βασιλίδος θέαν περιεργάζεσθαι.*

De fun. Pulch. T. 3. p. 517. d

Orat. funebr. in Placill. T. 3. p. 529. d

φοβερὰ

φοβερὰ ἡ περὶ αὐτὴν ἡ τῶν δορυφόρων φρουρά. *Salvum, fratres, eſt bonum, quod quærimus; ſalvum eſt, & non periit; imo vero minus dixi, quam veritas habet. Non modo enim ſalvum bonum eſt; verum etiam eſt in ſublimioribus, quam prius. Auguſtam quæris? In regia domicilium habet. At oculo hoc cognoſcere deſideras? Non licet tibi Auguſtæ aſpectum affectare. Terribilis circa eam eſt armigerorum cuſtodia.* Angelos autem *armigeros* vocat. Paulo poſt; τί οὖν λυπηρὸν, εἰ τῶν τοῦ βίου κακῶν ἡ μακαρία κεχώρισται, καὶ ὥσπερ τινὰ λήμην τὸν τοῦ σώματος ῥύπον ἀποβαλοῦσα καθαρᾷ τῇ ψυχῇ πρὸς τὴν ἀκήρατον ζωὴν μετανίσταται. *Quid igitur acerbum eſt, ſi à vitæ miſeriis beata iſta ſegregata eſt, &, veluti lerna quadam, corporis ſordibus abjectis, pura anima ad immortalem, & incorruptam vitam tranſiit.* Non potuit utramque clarius à terrena vita in cœleſtem transferre. Ibid. p. 531. c

Sic etiam Ambroſius Gratianum Auguſtum acerba morte raptum in cœlis locat. Locat & Valentinianum; quamquam hic quidem nondum tinctus diſceſſerat. Vtriuſque in cœlo colloquia, ac delicias miris modis extollit; & Valentinianum compellans, *Tuæ* (inquit) *aſcendenti animæ Gratianus frater occurrit, & complexus eam dicit,* Veni frater meus; exeamus in agrum; requieſcamus in caſtellis; diluculo ſurgamus in vineas; *hoc eſt, veniſti eo, ubi diverſarum virtutum fructus pro ſingulorum meritis deferuntur; ubi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum, in quo non vacuus labor, ſed fœcundus proventus eſt gratiarum. Quod in terris ſeminaſti, hic mete; quod ibi ſparſiſti, hic collige. Aut certe veni in illum agrum, qui eſt odor Iacob; hoc eſt veni in gremium Iacob; ut ſicut Lazarus pauper in Abrahæ ſinu; ita etiam tu in Iacob patriarchæ tranquillitate quieſcas. Sinus enim patriarcharum receſſus quidam eſt quietis æternæ.* De baptiſmo vero, quem Valentinianus nondum acceperat, cum obiit, ita reſpondet: *Quod ſi ſuo abluuntur ſanguine,* (martyres) *& hunc ſua pietas abluit, & voluntas.* Bene factum, qnod huic Ambroſii ſermoni nulla interfuit Sorbona. Nam qui Epiſcopo Regem fidelem, omnibus myſteriis rite conſecratum, ævi maturum, è funere in quietem ſtatim inducenti, hæreſeos dicam ſcripſerunt; quomodo hunc excepturi fuiſſent, adoleſcenti catechumeno vel cœlum, vel certe *Patriarcharum ſinum* ſine mora aperientem? Neque aliter de Theodoſio Gratiani ſororio, in ejus funere loquitur; *Abſolutus* (inquit) *dubio certamine fruitur nunc auguſtæ memoriæ Theodoſius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro iis, quæ in hoc geſſit corpore, remunerationis divinæ fructibus gratulatur.* Mox; *Manet in lumine Theodoſius, & Sanctorum cœtibus gloriatur. Illic nunc complectitur Gratianum, jam ſua vulnera non mœrentem.*

Or. de ob. Valent. T. 3.

De obit. Theod. T. 3.

Ac ne putes Ambroſium de privatis aliter, quam de Cæſaribus ſentire, non eſt ille in Satyri fratris ſui Catechumeni fœlicitate prædi- *De obit. Satyr. L. 3.* canda parcior; *De iſtius* (inquit) *beatitudine nequaquam utique dubitare debemus; qui neque ut opulens exſultavit in divitiis, neque ut pauper, exiguum, quod habuit, judicavit.* Itaque de eo non aliter loquitur, quam de ſancto cœlite; Illum affirmat, *quæ ſupra nos ſunt, cernere; & quæ potiora ſunt nobis videntem lætari.* Illum jubet *ſororem conſolari, qui poſſit adire animam, & penetrare animum.* In illo ait *ſe meliorem patriam jam tenere; in illo pignore ad Dominum veniſſe;* quæ fruſtra omnia, ac falſo dicit, ſi Satyrum in purgatorio procul à Dei domo concluſum uſtulari credit. Idem alibi, ut ſe nuntium de Aſcholii, Theſſalonicæ epiſco- *L. 7. Ep. 59.* pi morte accepiſſe ſignificet. *Cognovi*, inquit, *in cœleſtibus jam requieſcere virum ſanctum Aſcholium, quem in terris requirebamus;* moxque ait *eum jam perpetuo laboris ſui potiri ſtipendio, & ſolutis vinculis corporis in-* *Fort., cœloque terræ iſtius.* *ter Angelorum miniſteria Chriſto adhærere. Abiit ergo*, (inquit) *non obiit, & emigravit à nobis veteranus Chriſti Ieſu cœlo, terræque iſtius ſolum mutans, & plaudens alis, atque remigiis ſpiritualibus ait, Ecce elongavi fugiens.* Tum: *Eſt jam ſuperiorum incola, poſſeſſor civitatis æternæ, illius Hieruſalem, quæ in cœlo eſt:* compluraque alia adjicit in eamdem ſententiam. Sed & Fauſtinum de ſororis morte conſolans eadem de *L. 3. Ep. 59.* ipſa quoque ſentire ſe profitetur; *Tot igitur* (inquit) *ſemirutarum urbium cadavera, terrarumque ſub eodem conſpectu expoſita funera non te admonent unius, ſanctæ licet, & admirabilis, fœminæ deceſſionem conſolabiliorem habendam? præſertim cum illa in perpetuum proſtrata, ac diruta ſint; hæc autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat?*

Neque aliter Hieronymus de amicis in Chriſto morientibus vel *Ep. 3.* ſentit, vel loquitur. In epitaphio Nepotiani; *Scimus* (inquit) *Nepotianum noſtrum eſſe cum Chriſto, & Sanctorum mixtum choris, quod hic nobiſcum rimabatur in terris, & æſtimatione quærebat, ibi videntem cominus dicere*, Sicut audivimus, ſic & vidimus, *&c.* Ita etiam de Lea nuper *Ep. 24. ad Marcell.* mortua; *Univerſorum* (inquit) *gaudiis proſequenda eſt, quæ calcato diabolo coronam jam ſecuritatis accepit.* Et; *Nunc igitur pro brevi labore æterna beatitudine fruitur; excipitur Angelorum choris; Abrahæ ſinibus confove-* *Ep. 25. ad Paulam.* *tur.* Similia de Blæſilla immatura morte prærepta habet: *Poſtquam* (inquit) *ſarcina carnis abjecta ad ſuum anima revolavit auctorem, & in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit.* Tum; *Faveamus* (inquit) *Blæſillæ noſtræ, quæ de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem conſummati operis percepit coronam.* Ait idem *nunc eam ſequi Ieſum, Angelorumque conſortio frui.* Sic etiam de Lucinio Theodoram

ejus

ejus viduam affatur; *Ille jam ſecurus, & victor te aſpicit de excelſo, & favet laboranti, & juxta ſe locum præparat.* Quin & iſtum eum *Chriſto regnare* affirmat. Paulam quoque in epitaphio *nunc his bonis frui* (ait) *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt; Chriſto ſociatam, ac præſentem, Chriſtique coronæ participem eſſe.* Paulinam item ejus filiam, cui & ipſe ſuperfuit, cum ſorore Blæſilla *dulci ſomno frui* affirmat, ejuſque *oſſa veneranda*, & *favillam ſanctam*, & *cineres quieſcentes* vocat; quod jam ſupra attigimus. Ep.29.ad.Theodoram. Ep.27. ad Euſt. Ep.26.ad Pammach.

Idem eſt Auguſtini de Verecundo, & Nebridio judicium. Ac de illo quidem ſic Deum alloquitur; *retribues illi Domine, in retributione juſtorum; quia jam ipſam ſortem retribuiſti ei*; *Sortem*, id eſt beatam, & immortalem vitam. De Nebridio vero hæc habet, quæ jam ſupra deſcripſimus; *Quicquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu, ibi Nebridius meus vivit.* Tum; *Iam non ponit aurem ad os meum; Sed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro aviditate ſua, ſine fine fœlix.* Idem alibi obſervat, fuiſſe vulgo apud Chriſtianos illius memoriæ in uſu ſic loqui, ut fidelem mortuum dicerent *eſſe in pace* cum Domino. *Moritur aliquis?* (inquit) *dicimus; Bonus homo; fidelis homo. In pace eſt cum Domino.* Qui vero in *purgatorio* uruntur, ii certe non ſunt *in pace cum Domino.* Sic etiam Paulinus de filio Melaniæ paulo ante mortuo, *ita enim*, inquit, *ſecundum verbum Domini mitis moribus fuit & humilis corde, ut non immerito credatur introiiſſe in requiem Domini.* Idem alibi Paulinæ, Pammachii uxoris, mortem appellat *evocationem ad Deum.* Confeſſ.l.9.c.3. Ibid. Tract. 47. in Ioan. Ep.44.ad Aug. p. 391. Ep.37.ad.Pam.

Iſidorus Peluſiota adeo neſcivit piorum poſt mortem in *purgatoriis* cruciatibus moram, ut cum vellet Ammonium, ſuæ civitatis epiſcopum, mortuum eſſe ſignificare, dixerit; τέλος πυθόμενος (Martinianus neſcio quis, de quo loquitur) τὸν πάνσοφον ἐκεῖνον κεκοιμῆσθαι, καὶ εἴσω οὐρανίων χώρων γεγενῆσθαι. *Tandem cum audiviſſet ſapientem illum virum obdormiviſſe, atque in cœleſtem regionem receptum eſſe.* Idem alibi Theophilo lectori Timothei obitum nuncians, ὁ μακάριος (inquit) Τιμόθεος, ὁ σὸς ἀδελφὸς ἐξ ἀνθρώπων ᾤχετο, πᾶν μὲν ὅσον εἶχε θνητὸν, ἐν γῇ καταλείψας, τῇ δὲ ψυχῇ οὐρανοβατῶν, καὶ ταῖς θείαις, καὶ ὑπερκοσμίοις, ὡς πιστεύω, συγχορεύων δυνάμεσι. *Beatus Timotheus, frater tuus, ex hominum cœtu exceſſit, id quidem omne, quod mortale habebat, in terra deſerens, animo autem in cœlum penetrans, atque cum divinis, & mundo ſublimioribus virtutibus, ut credo, choros agitans.* Plura exempla addi poſſent. Sed hoc ſpecimen ſatis oſtendit iſtum plærorumque fidelium, quem adverſarii docent, in *purgatoriam* fornacem deſcenſum, veteribus plane igno- Ep.l.2. Ep.127.p.179. Ibid.Ep.151.in.

ignotum fuiſſe ; quem illi ſi ſciviſſent, numquam profectò ſic paſſim aſſeruiſſent, quos lugebant mortuos, eos ex miſera hac vita in beatam fuiſſe tranſlatos ; quod de quoquam hinc diſcedente (ſiquidem ſtat *purgatorii* hypotheſis) nonniſi temere affirmari poteſt. Neque pro tam multis exemplis, quæ nos in hanc partem laudavimus, adverſarii vel unum in contrariam reponunt ; in quo ſcilicet aliquis vetuſtiorum illorum Patrum clare, ac liquido teſtetur ſibi vel certum eſſe alicujus pii, ac in fide defuncti animam uſtulari in *purgatorio*, vel ſaltem ambiguum, an non illa in hujuſmodi igne habitet.

CAPUT XI.

Arg. XII. ex eo ductum, quod omnis vetus Eccleſia fideles omnes mortuos quieſcere conſtanter affirmat. Bellarmini & Perronii ludicra ad hoc effugia præcluduntur.

SEd quid ego conſector, quæ illi de ſingulis dixerunt ? Diſerta ſunt eorum de univerſis, qui quidem in vera Chriſti fide, ac communione moriuntur, teſtimonia ; quibus verbis clariſſimis docent, eam eſſe omnium iſtorum poſt obitum ſortem, quæ cum iis cruciatibus, qui in *purgatorio* eſſe finguntur, nihil omnino commune habeat. Primum enim affirmant piorum animas corporibus ſolutas *quieſcere*, dulcique *quiete frui* ; quo nihil dici potuit ab iſto cruciatu, in quo eas eſſe volunt adverſarii, magis alienum Ambroſius ; *Ergo ſi mors, carnis, & ſæculi nos abſolvit ærumnis, utique malum non eſt, quæ libertatem reſtituit, excludit dolorem.* Chryſoſtomus narrans pſalmos in fidelium funeribus cani lætitię teſtandę cauſſa, illud è pſalmis nominatim recitat, atque de piorum morte accipit, *Revertere anima mea in requiem tuam ; quia Deus benefecit tibi.* ὁρᾷς (inquit) εὐεργεσίαν τὸν θάνατον, καὶ ἀνάπαυσιν. ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν ἐκείνην κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὥσπερ ἀπὸ τῶν ἰδίων ὁ θεός. *Vides mortem beneficium eſſe, ac requiem. Qui enim ingreſſus eſt in requiem illam ab operibus ſuis requievit, ut à propriis Deus.* Alibi multa habet in eamdem ſententiam, τὸν θάνατον οὐκ εἶναι θάνατον, ἀλλ' ὕπνον λοιπὸν γεγενῆσθαι, *mortem nequaquam eſſe mortem ; ſomnum de cætero factum eſſe.* Χριστοῦ παραγενομένου λοιπὸν ὕπνος ὁ θάνατός ἐστιν, *Chriſti adventu mortem in ſomnum mutatam.* Tum ; τότε μὲν (ante Chriſti reſurrectionem) οὔπω δῆλος ὁ θάνατος ἦν ὕπνος γεγενημένος. νῦν δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ ἡλίου τοῦτο φανερώτερον. *Tunc quidem nondum manifeſtum erat mortem ſomnum factam eſſe ; nunc hoc ipſo etiam Sole clarius eſt.* ὕπνος

l. de fid. reſurr. pag. 26.

T. 1. hom. 51. de ber. & Proſd. p. 663. b c

Hom. 32. in Matth. T. 1. in n. t. p. 372. d

τῷ

τὸ πρᾶγμα γέγονε. τί ὀδύνῃ καὶ κλαίεις; *Mors ſomnus facta eſt. Quid ejulas? quid fles?* Mox; καθεύδει τὸ παιδίον, καὶ οὐ τέθνηκε. ἡσυχάζει, καὶ οὐκ ἀπόλωλε. *Dormit puella tua; non eſt mortua. quieſcit, non periit.* Tum illud idem è pſalmis huc, ut ſupra, refert; *Convertere anima, in requiem tuam; quoniam Dominus benefecit tibi.* εὐεργεσίαν ὁ θεὸς τὸ πρᾶγμα καλεῖ. καὶ σὺ θρηνεῖς; καὶ τί πλέον ἂν ἐποίησας, εἰ πολέμιος, καὶ ἐχθρὸς τοῦ τετελευτηκότος ἦς; εἰ γὰρ δεῖ θρηνεῖν, τὸν διάβολον δεῖ θρηνεῖν. ἐκεῖνος κοπτέσθω, ὅτι πρὸς τὰ μείζονα ὁδεύομεν ἀγαθά. τῆς ἐκείνου πονηρίας ἀξία αὕτη ἡ οἰμωγή. οὐχὶ σοῦ τοῦ στεφανουμένου μέλλοντος, καὶ ἀναπαύεσθαι. καὶ γὰρ λιμὴν εὔδιος ὁ θάνατος. *Deus hoc beneficium vocat. tu vero luges? quid amplius facturus eras, ſi mortui hoſtis, ac inimicus eſſes? Siquem enim oportet flere, diabolum oportet flere. Ille pectus pugnis cædat, quod ad majora proficiſcamur bona. Illius malitiam hæc decet lamentatio; non te, qui ad quietem, & coronam proficiſceris. Etenim portus tutiſſimus mors eſt.*

Ibid. p. 371. d — 372. e

Hieronymus, quem jam alibi repræſentavimus; *Mors eſt, qua anima ſeparatur à corpore. Infernus, locus in quo animæ recluduntur, ſive in refrigerio, ſive in pœnis, pro qualitate meritorum.*

In Oſ. com. 3.

Auguſtinus; *Certus ſum* (inquit) *animam nulla Dei culpa, nulla Dei neceſſitate, vel ſua, ſed propria voluntate in peccatum eſſe collapſam,* &c. *Quæcumque autem ſine gratia Mediatoris, & ſacramento ejus, in qualibet corporis ætate, de corpore exierit, & in pœna futuram, & in ultimo judicio recepturam corpus ad pœnam. Si autem poſt generationem humanam, quæ facta eſt ex Adam, regeneretur in Chriſto, ad ejus pertinens ſocietatem, & requiem poſt mortem corporis habituram, & corpus ad gloriam recepturam. Hæc ſunt quæ de anima firmiſſime teneo.* Atqui ſi ſtat Romanum *purgatorium requiem poſt mortem corporis* non habebit quæcumque anima *in Chriſto regenerata* eſt, &c, *ad ejus pertinet ſocietatem*, cum neque ulla in purgatorio cruciari fingatur, quæ non ſit hujus generis; neque vero quæ ibi cruciatur, *requiem poſt mortem corporis* habere dici queat. Ergo Auguſtinus *purgatorium* non modo neſciviſſe, ſed etiam firmiſſime negaviſſe putandus eſt. Idem in alio opere; *Pars civitatis Dei, quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, ſecretis animarum receptaculis, ſedibuſque quieſcit.* Omnes *mortuos*, qui quidem divinæ civitatis membra ſunt, *quieſcere* ait. Ergo nullos igne cruciari credidit; qui ſi ulli in cruciatu, præſertim tam diro eſſent, *quieſcere* nonniſi ſtulte, & abſurde dici poſſent. Ex quo loco patet quoſnam in ſequenti libro *juſtos* appellet, cum ait, *Juſtorum animæ defunctorum, quod in requie vivant, dubitare fas non eſt. Juſtos* nimirum dicit eoſdem

ep. 28. quæſt. ad Hier. p. 38. c

l. 12. de civit. Dei cap. 9.

ib. d. l. 13. c. 19.

illos quos in ſuperioribus verbis vocaverat *partem civitatis Dei*, *quæ ex mortalibus hominibus congregatur*; id eſt omnes omnino fideles, qui ad Chriſti communionem pertinent. Itaque hîc etiam, ut prius, omnes, qui hujuſmodi ſunt, cum ex hac vita diſceſſerunt, *requieſcere*, non ſimpliciter ait, ſed ita ut neget de eo *dubitare nefas eſſe*. Eodem pertinet, quod alibi de quovis homine mortuo loquens non minus exſerte pronunciat; *Aut in Abrahæ ſinu gaudet*, (inquit) *aut in igne æterno aquæ modicum deſiderat*. Iam qui igne *purgatorio* cruciari finguntur, ii certe non *gaudent in Abrahæ ſinu*. Nullos ergo hujuſmodi ſcivit Auguſtinus, qui neminem novit *mortuum*, qui non in *Abrahæ ſinu gaudeat*; exceptis modo iis, qui cum epulone *in igne æterno cruciantur*. Idem alibi; *Habent* (inquit) *omnes animæ cum de ſæculo exierint diverſas receptiones ſuas. Habent gaudium bonæ, & malæ tormenta. Sed cum facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti ſunt in pace ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, boni fideles, omnes tamen adhuc in fine accepturi ſunt, quod promiſit Deus; promiſſa enim eſt reſurrectio etiam carnis, mortis conſumptio, vita æterna cum Angelis. Hoc omnes ſimul accepturi ſumus. Nam requiem, quæ continuo poſt mortem datur, ſi ea dignatus eſt, tunc accipit quiſque cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ. videte ex quo requieſcunt. Poſteriores Prophetæ; recentius Apoſtoli; multo recentiores ſancti martyres; quotidie boni fideles. Et alii in iſta requie tamdiu * ſunt; alii non tamdiu; alii paucioribus annis; alii recenti tempore.* Hactenus ille. *Requiem* iſtam *continuo poſt mortem dari* ait; & quiſquis *ea dignatus eſt, tunc illam accipere, cum moritur*. Nullum *purgatorii* tormentis relinquit locum. *Requiem* qui moritur, aut *continuo poſt mortem*, aut numquam accipit. Inepte enim, ac falſo *continuo poſt mortem dari* diceret, quæ plæriſque nonniſi multis poſt mortem ſive ſæculis, ſive annis datur. Idem alibi cum univerſam omnium fidelium & viventium, & mortuorum ſocietatem, velut unum hominem conſiderat, huic ſemper pugnandum, ſemperque orandum eſſe ait; quod quamquam pars eorum ex quibus conſtat, jam *requie*, morte ſcilicet abſoluta, potiatur, tamen multi adhuc in terris, ſuperſint, cum variis malis conflictantes; *Neceſſe eſt* (inquit) *ut multi exeuntes de hoc corpore fideles jam ſint in illa requie, quam præſtat Deus ſpiritibus fidelium. Sed hic adhuc ſunt membra Chriſti in his, qui in hac vita degunt; in his, qui poſtea naſcentur.* Duos facit fidelium ordines; Alios *mortuos* jam eſſe; alios vel hîc vivere, vel poſtea victuros. Illos *in quiete eſſe* ait; hos negat; eamque *quietem* fidelium ſpiritibus à Domino præſtari dicit. Itaque hujus corporis myſtici ut nulli qui

Tract. 10. in ep. Ioan. T. 9.

Tract. 49. in Ioan. T. 9. p. 147. d

* *al.* jamdiu nec.

In pſ. 70. p. 308.

qui vivunt *in quiete*; Sic neque ulli mortui, extra quietem; ex Auguſtini quidem ſententia. His adjungere libet quæ ſub ejuſdem ſcriptoris nomine leguntur tametſi an ejus vere ſint, non abs re dubitetur, homilia quadrageſima prima; *Certus ſum, quia homo baptizatus, ſi vitam* hom. 41. in l. 50.
(non audeo dicere ſine peccato; quis enim ſine peccato?) ſed vitam ſine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; *quando diem finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam, de laborioſa ad quietam, de miſera ad beatam.* Idem quoque mox pollicetur peccatori vera pœnitentia functo; *Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli ſeparabitur.* Hæc omnino ſors eſt eorum, qui in Domini communione ſive ab initio, ſive poſt pœnitentiam, vivunt & moriuntur. Alium verorum fidelium poſt obitum ſtatum, nullum memorat, nullum ſcivit. Ita Paulinus Pammachium de uxoris obitu conſolans, omnes pios ad locum refrigerii ex hac vita decedentes, transferri docet, *Neque tibi*, inquit, *ſancte frater, hinc acrior doloris ſtimulus ingeratur, quod primæva deceſſit: quoniam huic ipſi caſui ſolatium præbet ſermo Divinus:* Iuſtus enim, *inquit*, ſi morte præventus fuerit, in refrigerio erit. Intelligit autem haud dubie Abrahæ ſinum, de quo alibi ſic canit,

hom. T. 10.

Hoſ inter alto in Abrahæ ſinu,
Secretum ab igne divitum, &
Refrigerantem roribus vitæ locum
Deus vivorum præparat.

Alibi vero omnes in Deo mortuos quieſcere affirmat,

Sic & eos, quicumque fide vivente quieſcunt,
Adducet Chriſto cum remeante Pater.

Auctor quæſtionum, quæ Iuſtini nomine circumferuntur, diſertiſſime rem explicat loco jam ſupra laudato; μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον εὐθὺς γίνεται δικαίων, καὶ ἀδίκων ἡ διαστολή. ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων q. 75.
εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους, αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ εἰς τὸν παράδεισον, &c. αἱ δὲ τῶν ἀδίκων ψυχαὶ εἰς τοὺς ἐν τῷ ᾅδῃ τόπους. Iam in *paradiſo* nullus cruciatus, nullum tormentum; ſed alta & ſuavis quies. Quin & piarum animarum in illis ſedibus vitam ſic ille ſcriptor depingit, ut (quod ſupra audivimus) Bellarminus, licet perperam, velit eum *paradiſi* nomine cœlum ipſum intellexiſſe. Cum ergo in illam *paradiſi quietem* pio-

rum

rum animas ſtatim ab exceſſu corporis deduci dicat, apparet iſtum nullos earum poſt mortem ſciviſſe cruciatus.

Denique idem omnes veteres ſenſiſſe ex eo liquet, quod fideles quoſvis mortuos *dormientes*, vel *quieſcentes* paſſim, ac fere ſemper nominent. Ac nequis de iis ſolis eos intellexiſſe putet, qui pœnis vel hic, vel in *purgatorio* defuncti ſunt, etiam eos hoc nomine donant pro quibus precantur. Auguſtinus ait præter Martyras, alios *defunctos, qui in pace requieſcunt, ſic commemorari ad Domini menſam, ut pro iis oretur.* Clemens in conſtitutionibus; ὑπὲρ ἀναπαυσαμένων ἐν χριστῷ ἀδελφῶν ἡμῶν δεηθῶμεν. *Pro quieſcentibus in Chriſto fratribus noſtris, oremus.* Sic paſſim in Liturgiis, quarum loca ſupra adduximus, illi pro quibus fiunt preces κεκοιμημένοι, & προκεκοιμημένοι dicuntur, id eſt *dormientes*, & *prædormientes.* Latini *quieſcentes*, & *dormientes* vocant; nonnulli etiam pauſantes eodem ſenſu. Caſſianus; *memoria, & oblatione pauſantium indignus judicatur.* Alardus Gazæus hæc etiam ex Concilio Aurelianenſi citat; *Quando recitantur pauſantium nomina.* Sed eum fefellit memoria. Neque enim hæc verba uſpiam in Conciliorum Aurelianenſium canonibus occurrunt. Gotthicum item miſſale ſupra laudatum; *pro ſpiritibus pauſantium oratio. Pauſare* enim idem eſſe, quod *quieſcere* clariſſime oſtendit, & Græcum παύεσθαι, atque παύσασθαι, unde defluxit, & Italicum *ripoſare*, & noſtrum *repoſer*, quod utrumque ex eo derivatum eſt. Quin & eadem in Latinorum miſſa in hodiernum diem hæſerunt; quæ etiam nunc, inepte fateor, ac ridicule, tantopere immutatis hominum opinionibus, atque ſenſibus, ſed tamen etiam nunc quotidie ab adverſariis recitantur; *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto* QUIESCENTIBUS *locum refrigerii, lucis, & pacis indulgeas deprecamur.* Arcana quadam Dei providentia factum eſt, ut hæc verba ab iſtis ad ſuam ipſorum convictionem, atque condemnationem retinerentur. Quis enim umquam ſententiam ipſe ſuam clariùs, & apertius refixit, ac damnavit, quam iſti? qui quos ſæviſſimis flammis uſtulari, & in fluvio igneo *per vada* (ut cum Pſeudo-Emiſſeno loquuntur) *ferventibus globis horrenda* raptari, atque excruciari contendunt, eos ipſos nunc ajunt *in Chriſto quieſcere*, & *in ſomno pacis dormire?* Quis tam incompoſitæ, tamque inter ſe pugnantis orationis vel ſtultitiam, vel impudentiam ſatis pro merito exagitare poſſit? Qui cruciatur, *quieſcere*; qui *quieſcit*, eumdem cruciari volunt: dirum tormentum *dulcem ſomnum* appellant; & quem *dulcem ſomnum* vocant eumdem dirum

L. 8. c. 41.

Collat. 2. c. 5. in Caſſ. Col. 2. c. 5.

rum tormentum intelligunt. Hæccine vero *quies* eſt, quam vos mortuorum ſpiritibus imprecamini? Nam ſi *in ſomno pacis dormire*, *& in Domino quieſcere* idem flammis uſtulari, & exquiſitiſſimis tormentis excruciari eſt; nihil vetat, quin & ubi à Domino poſcitis, ut *mortuorum animabus requiem* donet, ſimiliter vos intelligere putemus, ut eas Deus bene, & accurate in illa fornace uſtulet. Apage iſtorum vota; qui tam bonis, tamque honeſtis vocabulis res adeo diras, tamquam melle toxica, tegunt; *quiete* tormentum, *ſomno* cruciatum, *pace* ſæviſſimum bellum ſignificant; planeque, ut illi olim à Propheta maledicti, *dicunt malum bonum*, *& bonum malum*, *tenebras lucem*, *& lucem* *Iſa.5.22.*
tenebras, *ponentes amarum in dulce*, *& dulce in amarum.* Sed operæ pretium eſt videre, qua ſe ratione iſti his laqueis explicent. Bellarminus le- *L.2. de purg.*
viter, ut ſolet, defungitur. Vult enim animas in *purgatorio* ardentes, *c.4. §. Tert.o,*
ideo dici *quieſcere in Domino*, *& in ſomno pacis dormire*, *quod non ſint anxiæ*, *neque deſperent*, *ſed potius habeant admixtam cum ſummis cruciatibus incredibilem conſolationem propter certam ſpem ſalutis.* Sed ut demus animas in eo ſtatu, quem ipſis in *purgatorio* affingunt, non plane obrui dolore, ſed ſpe ſalutis ſuſtentari; non ideo tamen quiſquam eas ſapiens *quieſcere*, *& in ſomno pacis dormire* dixerit. Qui ob Chriſti nomen in equuleo torquentur, vel vivi lento igne conficiuntur, ſalutis ſpe maxima, Spirituſque conſolatione in mediis cruciatibus recreantur. Ideone qui ſic cruciantur, *quieſcere eos*, *& dormire in ſomno pacis* dixeris? Non puto, ſi ſapias. Multo minus abſolute, & in genere ea vocabula uſurpaveris, ut eorum, qui torquentur & uruntur, ſtatum, atque ordinem ſignifices. Vt ſi dicas Deo precibus noſtris enixe commendandos eſſe quicumque fidelium in terris, & in hac vitæ luce *quieſcunt*, *& in ſomno pacis dormiunt*; nemo umquam putabit te his verbis eos intellexiſſe, qui tormenta ac ſupplicia pro Chriſto in terris patiuntur; quod ii ſcilicet in mediis *cruciatibus incredibili conſolatione fruuntur.* Nemo erit, qui ſic, ut hoc ſignificet, loquentem non delirare, vel certe illudere cenſeat. Atqui eadem eſt objectæ à nobis orationis ratio. Non enim ſcriptum eſt, *Qui in purgatorio ſunt*, *licet graviſſimos cruciatus perferant, in Domino tamen quieſcunt, & in ſomno pacis dormiunt*, (quod quamquam ipſum ineptum, ac ridiculum, tolerabilius tamen eſt.) Plane aliter res habet. Nam hic in Domini fide mortui à ſtatu, in quo nunc ſunt, denominantur; & illa, *in Domino quieſcentes*, *& in ſomno pacis dormientes*, ſimpliciter & abſolute ponuntur pro piis in Chriſti fide mortuis; ut apparet ex ipſa miſſali precatione; *Memento famulorum, famularumque tuarum*, *qui nos præceſſerunt*, *& dormiunt in*

ſomno pacis. Omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii indulgeat. Hæc ergo eſt propria eorum nota, qui in fide & communione Chriſti moriuntur, ut in *Domino quieſcant, & in ſomno pacis dormiant*; hic ſtatus, à quo deſcribuntur, verus ac genuinus character. Huc accedit, quod his vocabulis viventium, & mortuorum fidelium ſtatus diſcriminantur; & quoties fideles mortui *quieſcentes*, aut *dormientes* dicuntur, eo ipſo tacita quædam fit antitheſis inter eam ſortem, qua nunc poſt obitum fruuntur, & eam conditionem, in qua olim vivebant, dum eſſent in terris. Nimirum tum *laborabant*; jam *quieſcunt*; tum perpetuis certaminibus vexati jugiter laceſſebantur; nunc beata *pace* compoſiti ab acerbiſſima jactatione feriantur. Iam ſi fingamus eos in igne illo Romano degere nemo non videt, quam ſtulta ac delira futura ſit tota hæc oppoſitio, & quæ ex ea pendet, locutio. Nam ex hac iſtorum hypotheſi fideles quamdiu ſuperſunt, *quieſcere ac dormire* multo potiori jure dixeris, quam ubi in *purgatorio* degunt; in quo, ſi iſtis credimus, multo acriori, ac diuturniori cruciatu urgentur, quam dum erant in vivis. Vita hæc præ iſta *ſomnus* eſt; noſtraque omnia certamina, labores, ærumnæ, cruciatus, ludus, ac jocus, perpetuæque feriæ ſunt præ acutiſſimis tormentis, quibus noctes dieſque continenter plures annos, plura luſtra, imo & plura ſæcula miſeri iſti purgatorii cives excarnificantur. Cum igitur veteres, omnes fideles tum demum *quieſcere, ac in pace dormire* dicant, cum moriuntur, mortuoſque demum *quieſcentes, ac in pace dormientes*, nominent, clarum eſt eos neminem iſtorum in *purgatorio* uſtulari credidiſſe. Atque hæc de Bellarmini cavillatione ſatis. Perronii vero gloſſa multo etiam eſt abſurdior, atque ineptior. Is enim vult mortuos, pro quibus oratur, ideo dici *quieſcere, & in ſomno pacis dormire*, non quod ii re vera quieſcant, & in ſomno pacis dormiant; ſed quod in Eccleſiæ *pace*, & communione diſceſſerint. Itaque (inquit) *illi Eccleſiæ quidem reſpectu quieſcunt; Dei vero reſpectu non quieſcunt.* Tum etiam *quieſcere*, vel *dormire* dici habita fidelium ſuperſtitum ratione, *quibus* (inquit) *mors fratrum propter ſpem reſurrectionis, ſomni ac quietis inſtar videtur, non autem ipſorum mortuorum reſpectu.* Sed in iſtis nihil eſt ſani. Nam ut à poſteriori hoc ordiar, quod ait ex *ſuperſtitum ſenſu, atque opinione dici mortuos quieſcere* ac *dormire*, id inquam nobis abunde eſt ad id, quod volumus, concludendum. Quando enim ita ſe res habet, ſequitur veteres illos fideles, qui de mortuis ſic loquuti ſunt, ſenſiſſe omnes vere pios, quotquot *præcedunt cum ſigno fidei, quieſcere in Domino, ac in ſomno pacis dormire*; neque adeo ulla *purgatorii* flamma cruciari. Cum ergo hoc unum nunc quæramus, quæ

Repl. l. 4. p. 822.

vete-

veterum fuerit hac de re ſententia; adverſarius vero hanc fuiſſe concedat, ut ii crediderint fratrum mortem inſtar *quietis*, ac *ſomni* eſſe, non eſt quod ultra pugnemus. Sic enim nobis hęc cauſſa victa, profligataque in manus traditur. Neque verior eſt, aut firmior prior Perronianæ ſolutionis pars, iſtos *quieſcere* dici, & *in ſomno pacis dormire Eccleſiæ reſpectu, quod in ejus pace mortui ſint; non autem reſpectu Dei.* Primum enim ineptum eſt, & inauditum, ut eum *dormire* & *quieſcere* dicas, qui ipſe quidem vexatur, ac cruciatur miſeris modis; non tamen à te, vel à tuis; ſed ab aliquo alio. *Eccleſia* (inquit) *iſtos in pace dimiſit; neque in eos jam ullo anathemate ſævit.* Ergo *quieſcere* & *dormire* quid vetat dici? Certe inquam, nihil vetat, ſi ut ab Eccleſia, ita ab aliis omnibus *pax* illis eſt. Siquis vexat, quantumvis Eccleſia non vexet, certe *pax* illis non eſt. Atqui tu Deum illis incumbere vis, diraſque ab iis pœnas noctes dieſque repoſcere. Ludis ergo nos, qui iſtos cum tantis, tamque aſſiduis malis conflictantes *quieſcere, ac dormire, & quidem in ſomno pacis* blateras; ac ſi Prometheum ſuum Poetæ in ſaxo, aut Ixionem in rota *quieſcere*, ac ſuavi *ſomno* frui dicerent; quod iſtos ſcilicet non ullus mortalis, ſed ſolus Iuppiter his ſuppliciis urgeret. Cui bellum eſt, cui tormentum, cui ſupplicium, à quocumque id ſit, ei certe neque *pax*, neque *quies* eſt. Alioqui licebit novo iſto exemplo de multis damnatis, qui in gehenna cruciantur, affirmare quod *quieſcant*, & *in ſomno pacis dormiant*; quotquot nimirum fuerunt hypocritæ, qui cum in externa Eccleſiæ *pace* & vixerint, & diſceſſerint, nihiloſecius ob ſcelera in Tartarum juſto Dei judicio morientes miſſi ſunt. Nam & iſtis ab Eccleſia *pax* eſt, quos illa nullis anathematiſmis perſequitur, ſed forte etiam eorum nomina de ſacris diptychis ſolenniter recitat. Iam quam ſit abſurdum dictu tales homines *quieſcere*, ac *in ſomno pacis dormire*, nemo non videt. Cum igitur veteres *quieſcere* ac *dormire in ſomno pacis* dicant quotquot *in Domini fide* ac communione vere mortui ſunt, profecto exiſtimarunt iſtos neque à Deo, neque ab Eccleſia, neque à quoquam alio cruciari. Huc & illud accedit, quod veteres ac ſi de induſtria ſophiſticam hanc cavillationem antevertere voluiſſent, non ſatis habuerunt dicere *in Eccleſia* mortuos *in ſomno pacis dormire*; inſuper adjecerunt eos *in Domino quieſcere.* At non *quieſcunt in Domino*, quos Dominus ipſe vexat, atque cruciat. Qui ergo *mortuos in Domino quieſcere* ajunt, ii ſe profitentur credere mortuos etiam *Dei reſpectu quieſcere.* Concluſum ergo eſto; cum veteres confiteantur omnes *in Chriſti fide, & communione mortuos in ſomno pacis dormire, quieſcere, pauſareque in Domino*, etiam eos pro quibus nominatim orant, quos ſolos ex omnibus

fidelibus *quieſcere* negant adverſarii, minime illos putaſſe quemquam eſſe mortuorum fidelium, qui in *purgatorio* crucietur.

CAPVT XII.

Arg. XIII. Veteres non pauci, & quidem nobiliſſimi, omnes defunctorum in Chriſti fide hominum animas ſumma fœlicitate, imo ipſo etiam cœlo frui, ſcribunt.

Quin etiam ſunt ex vetuſtis illis Patribus non pauci, qui multo magnificentius de mortuorum fidelium ſtatu loquuntur, eorumque animas non modo *quieſcere* docent, ſed & bonis haud paulo majoribus frui, quæque multo minus cum *purgatorii* cruciatibus conſiſtere poſſunt.

Legat. pro Chriſt. t. 1. bibl. Patr. græc. lat. p. 77. b

Athenagoras, qui anno æræ Chriſtianæ centeſimo & ſeptuageſimo floruit; πεπείσμεθα (inquit) ὅτι ἐνταῦθα ἀπαλλαγέντες βίου βίον ἕτερον βιώσεσθαι ἀμείνονα, ἢ κατὰ τὸν ἐνθάδε, καὶ ἐπουράνιον, οὐκ ἐπίγειον, ὡς ἂν μετὰ θεοῦ, καὶ σὺν θεῷ ἀκλινεῖς, καὶ ἀπαθεῖς τὴν ψυχὴν, οὐχ ὡς σάρκες, κἂν ἔχωμεν, ἀλλ' ὡς ἐπουράνιον πνεῦμα μενοῦμεν. *Perſuaſi ſumus nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terreſtri longe meliorem, nempe cœleſtem victuros, ut apud Deum, & cum ipſo, jam immutabiles, & impaſſibili anima, non tanquam caro, etiamſi eam circumferamus, ſed tanquam ſpiritus cœleſtis, maneamus.*

Extat aureolus Cypriani *de mortalitate* libellus; in quo cum Chriſtianam plebem contra graſſantem tunc temporis Carthagine peſtem conſoletur, multis de morte fidelium ſapientiſſime philoſophatur; ubique autem hoc ponit nos, quotquot in Chriſti communione vivimus, è terra diſcedentes optimi Domini ſinu excipi; *purgatorii*, quo aliqui devertant antequam ad Dominum veniant, nullus meminit.

L. de mortal. p. 52.

Ejus eſt (inquit) *mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire; ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim* juſtum fide vivere. *Si juſtus es, & fide vivis, ſi vere in Deum credis; cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris? & quod Diabolo careas, gratuleris?* Apoſtolicæ quidem litteræ nullos alios fideles norunt, niſi *juſtos, qui fide vivunt, & vere in Deum credunt.* Cum ergo qui tales ſunt, omnes Cyprianus *ad Chriſtum ire*, & *cum Chriſto incipere regnare* doceat; planum eſt eum nullum fidelem ſciviſſe, qui è terris diſcedens ad ſupplicium rapiatur. Tum allato Symeonis ſenis de Evangeliis exemplo, ac cantico,

tico, *Probat ſcilicet* (inquit) *atque conteſtatur tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de iſtius mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim pax noſtra, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis, & firma, & perpetua ſecuritas.* Sunt-ne *Dei ſervi*, quos adverſarii *purgatorio* deſtinant? Si non ſunt, fruſtra cœlum ſperant, ſolis *Dei ſervis* paratum. Si ſunt; fruſtra cruciatum, fruſtra carcerem, ac vincula timent, cum ſanctiſſimus martyr morientibus *Dei ſervis pacem, & liberam*, ac *tranquillam quietem* polliceatur. Mox; *Deus* (inquit) *tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem, atque æternitatem pollicetur; & tu dubitas? Hoc eſt Deum omnino non noſſe.* Tum Chriſtum illis apud Ioannem verbis, *Si me dilexiſſetis, gauderetis, quoniam vado ad Patrem*, docere & oſtendere affirmat *cum cari, quos diligimus, de ſæculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum*; abſurde, ac inepte, ſi iſti alio, quam ad Patrem vadunt; ſi in *tormentum*, ac non in *quietem* dimittuntur. Quorſum & illud Pauli appoſitiſſime affert, *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; *Lucrum maximum computat* (inquit) *jam ſæculi laqueis non teneri; jam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum preſſuris angentibus*; (at nuſquam, ſi iſtos audis, fideles *preſſuræ* magis angunt, quam in *purgatorio*) *& venenatis diaboli faucibus liberatum ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante proficiſci.* Ac multis de afflictionum uſu diſputatis, *Mori* (inquit) *plane timeat, ſed qui* ex aqua & ſpiritu *non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce, & paſſione cenſetur. Mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit. Mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus, & gemitus interim differatur.* Iam cum nemo ſit fidelis, qui non ſit *ex aqua, & ſpiritu renatus*; qui non à *gehenna*, & *ſecunda morte*, & perennibus flammis liberatus; qui non denique Chriſti cruce, & paſſione cenſeatur; palam eſt Cyprianum omnibus omnino fidelibus præcipere, ne mortem timeant. Fruſtra vero, imo ſtulte *timere* vetat, ſi iis morientibus, non quidem gehennæ, ſed tamen *purgatorii* non minus atrox, tametſi minus diuturnus, ignis impendeat. Denique cum iis mortem *timere* concedat, quibus hoc mora in terris longiore confertur, ut eorum cruciatus, & gemitus interim differatur; qui quemquam Chriſtianum mortem *timere* vetat, eo ipſo fatetur ſe nullum Chriſtianorum poſt mortem *purgatorium* ſcire; quod ſi ullum eſſet, clarum eſt plæriſque Chriſtianis hoc quoque *longiorem in terris moram collaturam eſſe*, quod ait Cyprianus; nimirum ut eo-

P. 53. Ibid. Ioan. 14. Cypr. ibid. Ibid. Phil. 1. Ibid. p. 55. extr.

ut eorum *cruciatus*, *ac gemitus interim differatur.* Mox hæc quoque
Ibid. & p.56. ſubjicit; *Hoc* (inquit) *quod ſine ullo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti, non eſt, quod putetis bonis, & malis interitum eſſe communem. Ad refrigerium juſti vocantur; ad ſupplicium rapiuntur injuſti. Datur velocius tutela fidelibus; perfidis pœna.* Duos omnino facit humanæ vitæ exitus, *refrigerium*, & *ſupplicium*; *tutelam*, & *pœnam*: hanc omnibus injuſtis, & incredulis ſortem; illam juſtis, & fidelibus omnibus tribuit. Siqui ergo in *purgatorii* caminum, id eſt in pœnam, ac ſupplicium mittuntur, palam eſt iſtos ex Cypriano extra bonorum, ac
Ibid. juſtorum cenſum eſſe. Tum non paucis interjectis pugnat non *ſolius martyris eſſe Chriſti lauream; omnium eſſe, quibus non deeſt martyris animus. Nec enim* (inquit) *ſanguinem veſtrum Deus quærit, ſed fidem.* Mox;
Ibid. *Ad Patriarcharum* (inquit) *convivium congregatur, quiſquis fidelis, & juſtus, & laudabilis invenitur.* Hujus autem convivii imagine ex Evangelio beatam, ac cœleſtem vitam ſignificari nemo neſcit. Paulo poſt præclara illa occurrunt; cum fratres morientes lugendos negaſſet,
Ibid. p.57. accerſitione Dominica de ſæculo liberatos, *cum ſciamus* (inquit) *non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiſcentes & navigantes deſiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas eſſe hic atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam ſumpſerint.* Omnino abſurde, ſi *purgatorium* credidit; quod ſi ullum eſſet, & inepte *plangendos* negaret, qui in illa fornace plures annos, plura fortaſſe ſæcula arſuri ſunt; & falſo *indumenta alba* ſumpſiſſe diceret, qui *ruſſea*, & *crocea*, & *ferruginea* in-
Ibid. duuntur, ſiquid iſtis credimus. De morte item hoc habet; *Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus; & temporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet?* Atqui, ſi ſtat adverſariorum hypotheſis, nec *temporale iter* confecit, qui moritur, (cui nimirum aliud adhuc ſupereſt in *purgatorio decurrendum*, & quidem fortaſſe longius, certe multo acerbius) neque *æterna* ſunt, ad quæ morte deducimur, ſi morientes *purgatorio*, unde paulo poſt ſunt exituri, recipiuntur. Ex ſuperioribus conficit Cyprianus Chriſtiano morituro gaudendum eſſe, non do-
Ibid. p.58. lendum, non mœrendum; *Venturus* (inquit) *ad Chriſti ſedem, ad regnorum cœleſtium claritatem lugere non debet, nec plangere, ſed potius ſecundum pollicitationem Domini, ſecundum fidem veritatis in profectione ſua, & tranſlatione gaudere.* Ac denique jam pæne perorans, *Amplectamur* (inquit) *diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo*; (non ſane ex adverſariorum dogmate; neque enim *purgatorium* fidelium *domicilium* eſt) *qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos, paradiſo reſtituit, & regno cæleſti.* Sequentia quoque egregia ſunt; ſed in hoc

in hoc quo dici nihil potuit in ſententiam noſtram diſertius, libens deſino.

Origenes, qui iiſdem cum Cypriano temporibus vixit, *purgatorium* quidem, ſed quale ſupra diximus, conſtituit, ſolis ſcilicet *damnatis*, Diaboloque, & ejus filiis. Pios, quicumque in vera Chriſti communione moriuntur, ab omni cruciatu immunes in cœlum evehit: τῷ λόγῳ παρέστατι (inquit) ὅτι ἡ μὲν καθαρὰ, καὶ μὴ βαρυμένη ὑπὸ τῆς κακίας μολιβδίδων (ψυχὴ) μετέωρος φέρεται ἐπὶ τοὺς τόπους τῶν καθαρωτέρων, καὶ αἰθερίων σωμάτων, καταλιποῦσα τὰ τῇδε παχέα σώματα, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς μιάσματα. *Rationi conſentaneum eſt, quod quæcumque pura eſt,* (anima) *nulliſque malitiæ gravata compedibus, ſublimis evolat ad puriora loca ætheris, relictis craſſis corporibus, & iis, quæ in eis ſunt, ſordibus.* *L. 7. contr. Celſ. p. 344.*

Alibi in eodem opere: ἔχομεν ἡμεῖς ἀρχιερέα μέγαν τῷ μεγέθει τῆς δυνάμεως, καὶ τοῦ νοῦ αὐτοῦ διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐπαγγειλάμενον τοῖς γνησίως μαθοῦσι τὰ θεῖα, καὶ ἀξίως αὐτῶν βιώσασι προάξειν αὐτοὺς ἐπὶ τὰ ὑπερκόσμια. φησὶ γὰρ ἵν' ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, καὶ ὑμεῖς ἦτε. Διὰ τοῦτο ἡμεῖς μετὰ τοὺς ἐνταῦθα πόνους, καὶ τοὺς ἀγῶνας ἐλπίζομεν πρὸς ἄκροις γενέσθαι τοῖς οὐρανοῖς. *Habemus Pontificem maximum, qui magnitudine virtutis, & intelligentiæ ſuæ penetravit cælos, Ieſum Dei filium; pollicentem germanis diſcipulis, & digne divina inſtitutione viventibus evecturum ſe illos ſupra mundana omnia. Ait enim*, ut quo ego vado, ibi & vos ſitis. *Quamobrem nos poſt exactos labores hujus vitæ, ac certamina, ſperamus in ſummum cælum nos evaſuros.* Nihil medium facit inter laborum hujus vitæ finem, & cœli domicilium. Neque eſt, quod objicias aliter eum alibi philoſophari. Nam hæc teſtimonia cæteris multo certiora ſunt; quod ea Origenis opera, ex quibus alia afferuntur, Latine tantum extent, & quidem multipliciter, ut apparet, interpolata; opus vero contra Celſum, è quo hæc deſumpta ſunt, & Græce habemus, ut eſt ab auctore conſcriptum, & vero ſincerum, & incorruptum, ut ſatis conſtat. *Ibid. l. 6.*

Methodius, acerrimus Origenis, cujus pæne σύγχρονος fuit adverſarius, ſic ipſe quoque apud Photium de animæ noſtræ poſt mortem ſtatu philoſophatur; τῆς ζωῆς (inquit) καταλυθείσης τῆς ὠκυμόρου τὴν πρὸ τῆς ἀναστάσεως ἕξομεν οἴκησιν παρὰ τῷ θεῷ, ἕως ἂν ἀνακαινοποιηθεῖσαν ἡμῖν ἄπτωτον ἀναλάβωμεν τὴν οἰκίαν. *Fluxa hac, brevique vita diſſoluta habebimus apud Deum habitationem ante reſurrectionem; tantiſper dum receperimus noſtram domum innovatam, ſtabilem, neque unquam caſuram. Habitare apud Deum* non eſt in *purgatorio* uſtulari. Ergo neque iſte eam eſſe fidelium poſt obitum ſortem putat, ut eorum animæ in inferis igne illo crucientur. *Biblioth. Cod. 234. p. 487. vers. 23.*

Grego-

Orat. 10. T. 1. p. 173. c d Gregorius Nazianzenus, qui anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo floruit, multo etiam eſt in hanc ſententiam diſertior; πείθομαι σοφῶν λόγοις (inquit) ὅτι ψυχὴ πᾶσα καλή τε, καὶ θεοφιλὴς, ἐπειδὰν τοῦ συνδεδεμένου λυθεῖσα σώματος ἐντεῦθεν ἀπαλλαγῇ, εὐθὺς μὲν ἐν συναισθήσει, καὶ θεωρίᾳ τοῦ μένοντος αὐτὴν καλοῦ γενομένη, ἅτε τοῦ ἐπισκοτοῦντος ἀνακαθαρθέντος, ἢ ἀποτεθέντος, ἢ οὐκ οἶδ᾽ ὅτι καὶ λέγειν χρὴ, θαυμασίαν τινὰ ἡδονὴν ἥδεται, καὶ ἀγάλλεται, καὶ ἵλεως χωρεῖ πρὸς τὸν ἑαυτῆς δεσπότην, ὥσπερ τι δεσμωτήριον χαλεπὸν, τὸν ἐνταῦθα βίον, ἀποφυγοῦσα, καὶ τὰς περικειμένας ἀποσεισαμένη πέδας, ὑφ᾽ ὧν τὸ τῆς διανοίας πτερὸν καθείλκετο. καὶ οἷον ἤδη τῇ φαντασίᾳ καρποῦται τὴν ἀποκειμένην μακαριότητα. μικρὸν δ᾽ ὕστερον καὶ τὸ συγγενὲς σαρκίον ἀπολαβοῦσα, ᾧ τὰ ἐκεῖθεν συνεφιλοσόφησε, παρὰ τῆς καὶ δούσης, καὶ πιστευθείσης γῆς τρόπον ὃν οἶδεν ὁ ταῦτα συνδήσας, καὶ διαλύσας θεὸς, τοῦτο * συγκληρονομεῖ τῆς ἐκεῖθεν δόξης. *Sapientium verbis adducor ut credam bonam omnem animam, & Deo caram, poſteaquam corporis vinculis ſoluta hinc exceſſerit, bonum quod eam manet, perſentiſcere protinus, ac contemplari, (utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel depoſito, vel quo verbo ea res appellanda ſit neſcio) mirabilique quadam voluptate affici & exſultare, & ſumma cum hilaritate ad Dominum ſuum tendere, hac vita, tamquam gravi quodam ergaſtulo, liberatam, compedibuſque illus, quibus mentis alæ deprimebantur, ſolutam, ac reconditam beatitudinem jam velut per imaginem, & ſimulacrum percipere; poſt etiam aliquanto cum cognatam carnem à terra, quæ & dederat, & in fidem acceperat, receperit, (quod quomodo fiet, is novit, qui ea inter ſe conjunxit, ac diſſolvit) tum una cum ea gloriæ cœleſtis hæreditatem adituram eſſe.* Hæc quidem Gregorius, plane ex animi noſtri ſententia. Nam & omnem καλὴν καὶ θεοφιλῆ ψυχὴν (nulla autem ſervatur, quæ non ſit hujuſmodi) protinus à morte ſumma voluptate perfundit, & apud Dominum ſiſtit; & quicquid mentis oculis caro obſtruxerat, id in ipſa morte vel purgari, vel abjici ait; nullam adeo poſt mortem *purgationem* fieri; ac denique animas in beato illo ſtatu ad corporis reſurrectionem manſuras. Quid vel plenius, vel facundius

* leg. τούτῳ.

t. 3. Ep. 202. ad uxo. Arint. pag. 221. c dici potuit? Iam neque dubitandum eſt, quin idem fuerit Baſilii, quocum Gregorius conjunctiſſime vixit, ſenſus; cum ait animæ ex corpore diſceſſum, piis veræ vitæ principium eſſe. εἰ δὲ, inquit, ἀρχὴ τοῦ ἀληθινοῦ βίου, τοῖς κατὰ Θεὸν ζῶσιν, ἐστι τὸ τῶν δεσμῶν τούτων τῶν σωματικῶν τὴν ψυχὴν ἐκλυθῆναι; τί λυπούμεθα, ὡς καὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα; *Si vero ſolutio iſta, quà à vinculis corporis liberatur anima, illis qui ſecundum Deum vivunt, veræ eſt vitæ principium; quid contriſtamur, quaſi ſpem non habentes?*

Chryſoſtomus, quamquam alicubi de loco aliter, quam iſti, tamen

de

de fœlicitate animæ Chriſtianæ corpore emiſſæ, conſtanter idem loquitur. τὸ μὲν πρότερον (inquit) ὁ θάνατος εἰς τὸν ᾅδην κατῆγε· νυνὶ δὲ ὁ θάνατος πρὸς τὸν Χριστὸν παραπέμπει. *Olim quidem ad infernum mors deducebat; nunc autem ad Chriſtum mors tranſmittit.* Alibi; καὶ γὰρ μετάστασίς τις ἐστὶ τοῖς ἐναρέτως βιοῦσιν ἀπὸ τῶν χειρόνων ἐπὶ τὰ βελτίω, ἀπὸ τῆς προσκαίρου ζωῆς ἐπὶ τὴν διηνεκῆ, καὶ ἀθάνατον, καὶ πέρας οὐκ ἔχουσαν. nimirum ἡ ἐντεῦθεν ἔξοδος, *diſceſſus ex hoc mundo*, de eo enim hæc dicit. *Diſceſſus ex hoc mundo his, qui bene vivunt*, (nemo autem Chriſtianus, niſi qui bene vivit) *tranſlatio quædam eſt à deterioribus ad meliora; à momentanea vita ad perpetuam, & immortalem, finemque non habentem.* Idem in alio opere eum conſolans, qui carum aliquem, ſed Chriſtianum, morte præreptum luget; ἀπῆλθεν (inquit) εἰς χωρίον, ἔνθα ἐπ' ἀσφαλείας λοιπὸν ἕστηκε, καὶ μεταβολὴν οὐκ ἔστιν ὑποπτεῦσαί τινα. ἀλλὰ νέος ἦν; καὶ διὰ τοῦτο δόξασον τὸν λαβόντα, ὅτι ταχέως αὐτὸν πρὸς τὴν βελτίονα λῆξιν ἐκάλεσεν. ἀλλὰ γεγηρακώς; καὶ διὰ τοῦτο εὐχαρίστησον καὶ τὸν λαβόντα δόξασον πάλιν. αἰσχύνθητι τὸ σχῆμα τῆς ἐκφορᾶς: ψαλμῳδίαι καὶ εὐχαί, καὶ πατέρων σύλλογος, καὶ πλῆθος ἀδελφῶν τοσοῦτον, οὐχ ἵνα κλαίῃς, καὶ ὀδύρῃ, καὶ ἀποδυσπετῇς, ἀλλ' ἵνα εὐχαριστῇς τῷ λαβόντι. καθάπερ γὰρ τοὺς ἐπ' ἀρχὴν καλουμένους πολλοὶ προπέμπουσι μετ' εὐφημίας, οὕτω καὶ τῶν ἁγίων τοὺς ἀπιόντας, ἅτε ἐπὶ μείζονα κληθέντας τιμήν, μετὰ πολλῆς ἅπαντες προπέμπουσι τῆς εὐφημίας. ἀνάπαυσίς ἐστιν ὁ θάνατος, ἱδρώτων καὶ φροντίδων βιωτικῶν ἀπαλλαγή. *In eum locum abiit, in quo deinceps in tuto agat, & aliquam eſſe rerum mutationem ne ſuſpicari quidem poſſit. Sed juvenis erat. Ob id Deum gloria affice, quod cito eum in meliore ſtatu collocaverit. Quod ſi ſenex erat, eadem tibi gratias Deo agendi cauſſa eſt. Hunc efferendi modum erubeſce. Pſalmorum cantiones, Patrum conventus, ac tanta fratrum multitudo eſt, non ut fleas, mœreas, & indigneris; ſed ut Deo gratias agas, qui eum accepit, qui effertur. Quemadmodum enim eos, qui magiſtratum aliquem ineunt, fauſta acclamatione proſequi ſolemus; ita ſanctos ex hac vita decedentes, velut ad majores honores aſcendentes, bonis omnes verbis deducimus. Mors quies eſt laborum, & curarum, quibus in hac vita urgemur, vacuitas.* Tum paucis interjectis; ἐννόησον (inquit) πρὸς τίνα ἀπῆλθε, καὶ λάβε παραμυθίαν. ἔνθα Παῦλός ἐστιν, ἔνθα Πέτρος, ἔνθα τῶν ἁγίων ὁ χορὸς ἅπας. *Cogita ad quem abierit* (mortuus ſcilicet, quem luges) *& conſolationem accipe; ubi eſt Paulus, ubi Petrus; ubi univerſus ſanctorum chorus.* Certe ubi Paulus, & Petrus, ibi nullus cruciatus; ignis nullus. Audi vero, ut idem alibi deſcribat, quomodo piorum ſolutę corporibus animę excipiantur; ἄγγελοι (inquit) πάρεισιν ἐξ οὐρανῶν ἀπεσταλμένοι; κἀκεῖθεν ἥκοντες παρ' αὐτοῦ πεμφθέντες τοῦ βασιλέως τὸν σύνδουλον καλέσαι τὸν αὐτῶν. Mox; ὥσπερ γάρ τινα οἰκίαν ἀφιεῖσα

T. 1. in v. t. hom. 51. de S. Bern. & Proſd. pag. 662. e

Hom. 36. in gen. T. 2. in v. t. pag. 412. e

T. 5. in v. t. hom. 29. p. 379. c d e in illud. De dormientibus, &c.

Ibid. p. 380. a

Hom. 21. in act. p. 201. a b

προέισιν ἡ ψυχὴ πρὸς τὸν ἑαυτῆς ἐπειγομένη δεσπότην. σὺ δὲ πενθεῖς; οὐκοῦν καὶ τικτομένου τοῦ παιδὸς τοῦτο ποιεῖν ἐχρῆν. καὶ γὰρ τοῦτο τόκος ἐστὶν ἐκείνου βελτίων. πρόεισι γὰρ ἐφ' ἕτερον φῶς. ἀπολύεται ὥσπερ ἀπὸ δεσμωτηρίου τινός. ὡς ἀπὸ ἀγῶνος ἔξεισι. *Angeli adſunt ex cœlis miſſi, indeque venientes, ab ipſius rege delegati ut conſervum ſuum vocent,*&c. *Anima enim exit, velut domo ſua relicta, feſtinans ad Dominum ſuum; tu autem luges? Itaque & nato puero hoc facere oportebat. Etenim & hic partus eſt illo melior. Vadit enim ad aliam lucem, ſolvitur quaſi à vinculo quodam, & quaſi à certamine egre-*

hom.61.(gr.62) in Ioan.p.42.c *ditur.* Alibi de fideli itidem loquens; ἐκεῖνος γὰρ ἀπελθὼν (inquit) μετ' ἀγγέλων ἀπελεύσεται, κἂν μηδεὶς παρατυχῇ τῷ λειψάνῳ. ὁ δὲ διεφθαρμένος, κἂν τὴν πόλιν ἔχῃ περιπέμπουσαν, οὐδὲν καρπώσεται. *Ille moriens cum Angelis evolabit, etiamſi nemo exſequiis interſit. Corruptus autem, etſi in funere*

hom.1. in 2. ad Cor.T.5.in n.s.p. 505. e *univerſam habuerit civitatem, nihil lucrabitur.* Ideoque vetat fidelium mortem lugere. Sic alio loco orbatum filio parentem jubet cogitare, ὅτι εἰς βελτίονα χώραν μετέστη, καὶ πρὸς ἀμείνω λῆξιν ἀπεπήδησεν ὁ τελευτήσας. καὶ οὐκ ἀπώλεσας τὸν υἱόν, ἀλλ' ἐν ἀσύλῳ λοιπὸν ἀπέθου χωρίῳ; *quod is, qui vitam cum morte commutavit, ad meliorem regionem migravit, atque ad præſtantiorem ſedem tranſivit; quodque filium non amiſit, ſed in tuto jam*

Ib.d.p.506.b *loco collocavit.* Et paulo poſt, verſans in eodem argumento; ὁ θεὸς καθελὼν αὐτοῦ τὴν σαθρὰν σκηνὴν (inquit) τέως εἰς τὴν πατρικὴν αὐτὸν ἔλαβεν οἰκίαν, καὶ πρὸς ἑαυτόν, ἵν' ὅταν καθαιρεθῇ αὐτή, καὶ οἰκοδομηθῇ, λαμπροτέραν αὐτὴν τότε αὐτῷ ἀποδῷ. *Deus everſo putri ipſius tabernaculo interim eum in paternam domum, atque ad ſe recepit; ut poſtquam id dirutum, atque inſtauratum fuerit, tum demum ſplendidius id ei reddat.* Ejus quoque

hom.3.in phil. T.6.in n.s.pag. 31.d hæc ſunt, præclara ſane, & magnifica: οἱ δὲ δίκαιοι (inquit) ἄντε ἐνταῦθα, ἄντε ἐκεῖ, μετὰ τοῦ βασιλέως εἰσὶ κἀκεῖ μᾶλλον, καὶ ἐγγύτερον, οὐ διὰ εἰσόδου, οὐ διὰ πίστεως, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. *Juſti autem ſive hic, ſive ibi, cum Rege ſunt; atque ibi quidem multo magis, ac propius; non quaſi quodam interjecto veſtibulo, non per fidem, ſed facie ad faciem.* Dixerat &

Ibid.c paulo ante; οὗτοι καὶ ἐκεῖ μεταστάντες μακάριοι, ὅτι πρὸς τὸν Χριστὸν ἀπῆλθον. *Hi* (nimirum fideles) *illuc etiam tranſlati beati ſunt, quoniam ad Chriſtum ſunt profecti.* Fuſius eadem alibi docet, dum diſcrimen exſequitur, quod inter noſtra, & priſcorum ſub veteri Teſtamento fidelium funera obſervat; διὰ τοῦτο (inquit) πάλαι μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς κοπετοί

T.1.in v.t.hom. 51. de Bern. & Prosd.p.563.a τινες ἐγίγνοντο, καὶ θρῆνοι. νῦν δὲ ψαλμοὶ καὶ ὑμνῳδίαι. ἔκλαυσαν γὰρ τὸν Ἰακὼβ τεσσαράκοντα ἡμέρας, καὶ τὸν Μωϋσῆν ἑτέρας τοσαύτας οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐκόψαντο. ἐπειδὴ θάνατος τότε ὁ θάνατος ἦν. νυνὶ δὲ οὐχ οὕτως. ἀλλ' ὑμνῳδίαι καὶ εὐχαί, καὶ ψαλμοί. δηλούντων ἁπάντων ὅτι ἡδονὴν ἔχει τὸ πρᾶγμα. οἱ γὰρ ψαλμοὶ εὐθυμίας σύμβολον. εὐθυμεῖ γάρ τις, φησίν, ἐν ὑμῖν; ψαλλέτω. ἐπεὶ οὖν εὐθυμίας ἐσμὲν

πεπλη-

πεπληρωμένοι, διὰ τοῦτο ψάλλομεν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς ψαλμοὺς θαῤῥεῖν ὑπὲρ τῆς τελευτῆς παρακελευομένους. Propterea principio quidem ſuper mortuis planctus quidam, & lamentationes fiebant; nunc autem pſalmi, & hymnorum cantus. Fleverunt igitur Iacobum quadraginta dies, & Moyſem totidem alios dies planxerunt. Iam vero non ita; ſed hymni ſunt, preces, & pſalmi: quæ omnia voluptatem in ea re eſſe declarant. Pſalmi enim hilaris animi ſignum ſunt. Lætatur quis in vobis? *inquit*; Pſallat. *Quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco pſalmos ſuper mortuos pſallimus, qui nos hortantur ut de obitu bono animo ſimus.* Illa vero ejuſdem in alio opere argumenti, quam egregia! *εἰπὲ γάρ μοι* (inquit) *τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί;* (nimirum in Chriſtianorum funeribus) *οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοὺς προπέμπομεν; τί δὲ οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν Θεὸν δοξάζομεν, καὶ εὐχαριστοῦμεν, ὅτι λοιπὸν ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα; ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν; ὅτι τῆς δειλίας ἐκβαλὼν ἔχει παρ᾽ ἑαυτῷ; οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ ταῦτα ψαλμῳδίαι; ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστί. Nam dic mihi, quid ſibi volunt claræ lampades? Annon eos, tamquam athletas deducimus? quid autem hymni? Annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui exceſſit, jam coronaverit? quod eum à laboribus liberaverit? quod ejecto metu eum apud ſe habeat? Non ideo ſunt hymni? non ideo pſalmodiæ? Hæc omnia ſunt lætantium.* Locus iſte inſignis eſt. Primum enim docet quemvis vere Chriſtianum animam efflantem ſimilem eſſe *athletæ*, qui peracto certamine it ad brabeutam, & ab eo *coronatur.* Atqui ſi adverſarios audimus, pæne omnes fideles morientes non ad *coronam*, ſed ad *ſupplicium* rapiuntur. Secundo diſerte ait mortuum, qui funeratur, *τῶν πόνων ἀπηλλάχθαι*, *laboribus eſſe à Domino liberatum.* Iſti contra volunt multo graviores, quam quos umquam ſuſtinuit, labores tum ei imponi. Chryſoſtomus ait eum tum *à Domino coronari*; iſti *uri*, & *cruciari*; ille apud Deum haberi; hi in infernalem, & à paterna domo remotiſſimum carcerem conjici. Deinde docet hic locus ſuperſtitum pro mortuo hymnos, preces, totum poſtremo ejus funus, pompam eſſe, qua mortuus, velut athleta de theatro egreſſus, ovans ac triumphans ab amicis de ejus victoria lætantibus, deducitur. Adverſarii contra, volunt omnem iſtum apparatum eſſe veluti ſontis, qui ad ſupplicium abducitur, mœſtum, ac ſqualentem comitatum; turbamque hominum *Deum*, non, quod ait Chryſoſtomus, *δοξαζόντων, καὶ εὐχαριστούντων, ὅτι ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα, glorificantium, & gratias agentium, quod mortuum coronaverit*; ſed deprecantium ne pœnæ de eo ſummo jure ſumantur, neq; tam de palma gratulantium, quam de ſupplicio condolentium. Denique & lampades, quibus illuminantur, & pſalmodias, qui-

hom. 4. in ep. ad Hebr. T. 6. m. n. s. p. 735. c vid. & T. 5. or. 25. pag. 379. d

bus perſonant fidelium funera, Chryſoſtomus ſic interpretatur, ut ſint utræque non mœroris, ſed lætitiæ, non ſollicitudinis, ſed fiduciæ, non luctus, ſed triumphi cujuſdam inſignia, quibus ſignificant ſuperſtites ſibi perſuaſum eſſe mortui animam decurſo veluti ſtadio, iiſque omnibus exantlatis, quæ triſtia & acerba ferenda fuerunt, de reliquo lætam, ac beatam apud Deum degere. Et certe vel ex ipſis Paganorum litteris ſcimus, ſolitos illorum temporum homines feſtis diebus, aliiſque in proſperis, lucernas & funalia in lætitiæ ſignum accendere & hodieque in uſu eſt *ignes*, ut vulgo vocant, *lætitiæ* indices in omnibus reipublicæ proſperis accendere, indeque haud dubie ductus erat ille in veterum Chriſtianorum funeribus cereorum uſus; quem in Cypriani antiquiſſimi Martyris paſſione, & apud Nazianzenum oratione ſecunda in Iulianum, Nyſſenum in epiſtola de obitu ſororis, Hieronymum in vita Paulæ, Theodoretum in hiſtoria Eccleſiaſtica, [L.5.c.36.] Chryſoſtomum locis nuper allatis, alioſque paſſim obſervare licet. Vnde videre eſt, quam abſurde faciant adverſarii, dum ex his ipſis mortuorum fidelium animas uri, atque cruciari colligunt, quæ ideo erant à veteribus inſtituta, ut ſuam de illarum fœlicitate opinionem teſtarentur; quamque præpoſtere nunc eadem illa, funalia, inquam, cereos, cantus, pſalmodiam in mortuorum ſuorum funeribus adhibeant, de quorum ſtatu plane aliter exiſtimant, quam qui hæc olim primum uſurparunt, ac tradiderunt. Nam ſi mortuum graviſſime cruciari putatis; ſi dolores maximos perferre, quantos neque ipſe olim, neque quiſquam umquam apud nos mortalis tulit; ſi ei tamquam afflictiſſimo homini illacrymandum exiſtimatis, hancque eius ærumnam luctu, fletu, planctu proſequendam, cilicioque & cæteris doloris inſignibus aliquid ei comiſerationis à judice extorquendum; quid ad vos ardentes illi cerei? quid pſalmodia? quid cætera, quæ (ut ait Chryſoſtomus) πάντα χαιρόντων ἐςι? Quid ſtultius, aut perverſius fingi poteſt, quam dolori ac luctui, lætitiæ ac gaudii inſignia aptare? & quæ triumphi ſunt, in clade uſurpare? ac ut dolere te, & mœrere ſignifices, ea facere quæ exſultantes ſolent? Profecto in adverſarios non immerito quis dixerit, quod olim neſcio quis de ſeculo philoſophus luſiſſe fertur in Ægyptiorum Deos; *Iſtos*, inquit, *ſi Dii ſunt, cur lugetis? Si homines ſunt, cur adoratis?* Sic & iſtos de ſuis mortuis libens rogem, *Si cruciantur; cur iis cantu, & læto funalium lumine gratulamini? Si beati ſunt, cur iis lacrymis, & planctu, & ciliciis, & cætero vel lugentium, vel pœnitentium ſqualore parentatis? Cur res tam diverſas miſcetis, luctum, ac gaudium? victoriam, & cladem? cruciatum & fœlicitatem? ſupplicium, ac coronam? lucem denique, ac tenebras?*

tenebras? Sed iſtis non ſemel hoc accidit, ut ritus ipſos, tametſi immutatis, vel etiam omnino perverſis rebus ad quas referebantur, nihiloſecius retineant. Ita in funeribus etiam nunc ſervant veterum cereos, funalia, & pſalmodias, quamquam illam, ad quam hæc referebantur, de mortui cujuſque fœlicitate fidem jam pridem abjecerint; planeque contra, quam veteres, ſibi perſuaſerint mortuos, quibus iſta fiunt, graviter apud inferos cruciari. Itaque cum horum rituum, qui apud ipſos etiam hodie in uſu ſunt, cauſſas inveſtigant, nova quædam & veteribus inaudita comminiſci coguntur; ut apud Bellarminum videre eſt, qui cum de cereis funerum agit, prætermiſſis, altoque ſilentio obrutis iis, quæ Chryſoſtomus de vera eorum apud veteres ratione docuit, nimirum accenſos fuiſſe *in lætitiæ ſignum*, fingit eos idcirco uſurpari, *ut animos vivere poſt mortem corporum ſignificetur.* Quæ ratio & per ſe ineptiſſima eſt (quid enim cereus ad animi immortalitatem?) neque à veteribus tradita, & hujuſmodi poſtremo, quæ ſi obtinet, nihil vetat, quin & Paganorum, & quorumlibet damnatorum funera cereis, itidem ut Chriſtianorum, proſequenda ſint; quorum ſcilicet animi etiam poſt carnis fata, ſuperſunt. *L. 2. de purg. c. 19. §. Secundam, quod eo.*

Sed ut ad inſtitutum redeam, Cyrilli quoque Alexandrini de animæ piæ ſtatu eadem omnino eſt, quæ Gregorii ſupra fuit, oratio. οἶμαι διακεῖσθαι (inquit) καὶ μάλα εἰκότως, ὅτι τῶν ἀπὸ γῆς σωμάτων αἱ τῶν ἁγίων ἀποδημοῦσαι ψυχαί, καθάπερ εἰς χεῖρας φιλοστοργοτάτου πατρὸς, τῇ τοῦ θεοῦ χρηστότητι, καὶ φιλανθρωπίᾳ μονονουχὶ παρατίθενται, καὶ οὐ καθάπερ τινες τῶν ἀπίστων ὑπειλήφασι, τὰς ἐπιτυμβίους περιμένουσαι χοὰς ἐμφιλοχωροῦσι τοῖς μνήμασιν. ἀλλ' οὐδὲ καθάπερ τῶν φιλαμαρτημόνων εἰς τὸν τῆς ἀμέτρου κολάσεως καταχωμίζονται τόπον, τουτέστιν εἰς ᾅδου. τρέχουσι δὲ μᾶλλον εἰς χεῖρας τοῦ πάντων πατρὸς, καὶ ταύτην ἡμῖν ἐγκαινίσαντος τὴν ὁδὸν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ. παρέδωκε γὰρ εἰς χεῖρας τοῦ ἰδίου γεννήτορος τὴν ψυχὴν, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἀρχὴν λαβόντες, ὡς ἐν ἐκείνῃ καὶ δι' ἐκείνης λαμπρὰς ἔχωμεν τὰς ἐλπίδας, ἀσφρότως διακείμενοι, καὶ πεπιστευκότες, ὅτι τὸν τῆς σαρκὸς ὑπομείναντες θάνατον ἐν χερσὶν ἐσόμεθα θεοῦ, καὶ πολὺ δὴ λίαν ἐν ἀμείνοσιν. ἤπερ ἦμεν μετὰ σαρκός. διὸ καὶ ὁ σοφὸς ἡμῖν ἐπιστέλλει Παῦλος, ὅτι κρεῖττον τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. *Exiſtimandum enim eſt ſanctorum animas, poſtquam è terrenis corporibus exceſſerint, velut in manibus cariſſimi Patris in Dei bonitate, & miſericordia tantum non deponi; nec, ut infideles quidam opinati ſunt, circa monumenta verſari, ſepulcrales exſpectantes inferias; neque, ut peccatorum animas, in immenſi ſupplicii locum, hoc eſt inferos, detrudi; ſed potius in manus patris omnium properare, & Servatoris noſtri Chriſti, qui nobis hanc viam dedicavit. Tradidit enim in Patris manus animam ſuam;* *L. 12. in Ioan. 19. 30. p. 1069. b c*

ut

ut & nos initio in illa, & per illam ſumpto claras ſpes habeamus; firmiter ſentientes, atque credentes nos carnis mortem perpeſſos in manibus fore Dei, & longe potiori in ſtatu, quam eramus cum carne. Quocirca ſapiens nobis Paulus ſcribit melius eſſe diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Idem alibi eadem docet; πάλαι μὲν (inquit) ἀπαλλαττόμεναι τῶν σωμάτων ἐν τοῖς ὑπὸ χθόνα μυχοῖς αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ κατεπέμποντο, πληρῶσαι τὰ τοῦ θανάτου ταμιεῖα. ἐπειδὴ δὲ Χριστὸς τὸ ἴδιον πνεῦμα παρέθετο τῷ πατρὶ, καὶ ταύτην ἡμῖν ἐνεκαίνισε τὴν ὁδόν. βαδιούμεθα γὰρ οὐκ εἰς ᾅδου ποθεν; ἑψόμεθα δὲ μᾶλλον καὶ κατὰ τοῦτο αὐτῷ πιστῷ κτίστῃ τὰς ἑαυτῶν παραθέμενοι ψυχὰς, ἐν ἐλπίσιν ἐσμὲν ἀγαθαῖς, ἐγερεῖ γὰρ ἅπαντας ὁ Χριστός. *Quondam quidem animæ humanæ corporibus exutæ ad ſubterraneos carceres demittebantur, mortis receptacula illic impleturæ; At vero poſteaquam Chriſtus ſpiritum ſuum in manus Patris commendavit, etiam hanc viam nobis demutavit. Nec enim nunc deſcendimus ad inferos, ſed ducem noſtrum pone ſubſequimur, animiſque noſtris illi veluti fido conditori commiſſis, tantiſper bona ſpe vivimus, quo ad Chriſtus univerſos tandem ad vitam revocabit.* In *manum Dei deponi* opponit τῷ καταπέμπεσθαι εἰς τοὺς ὑπὸ χθόνα μυχούς. Cum ergo nunc Chriſtianorum animas corpore exeuntes in manum Dei deponi velit, apparet illum nullam in inferos detrudi, nullam adeo in *purgatorium*, quod in inferis eſt, dimitti putaviſſe.

L. 2. de rect. fid. ad regin. c. 55. T. 5. part. 2. p. 176. D

Ex hac univerſali Patrum doctrina pronunciat Nyſſenus virginem Chriſtianam poſt mortem cum Chriſto futuram; ὅταν ἀναλύσῃ (inquit) τότε σὺν Χριστῷ γίνεται, καθὼς φησιν ὁ ἀπόστολος. *Cum diſſoluta fuerit, tunc cum Chriſto eſt, ut inquit Apoſtolus.*

L. de virg. c. 3. T. 2.

T. 2. p. 74. 75.

Extat in Bibliotheca Patrum Symeoni Stylitæ inſcriptus ſermo; in quo ille non plures facit, quam duos, univerſorum hominum morientium ordines. Qui prioris fuerit, ejus ait *animam in gaudio, & exultatione cum ſanctis proficiſci, & Angelis victoriæ hymnos concinentibus Deo, nec non Servatori Chriſto, & gloriæ Regi eam offerentibus; tum in quietis locum perduci, in gaudium ineffabile, in lumen perpetuum, ubi non eſt mœror, nec gemitus, neque fletus, neque anxietas; ſed vita immortalis, & perennis lætitia.* Alterius ordinis *animam in die obitus à dæmonibus occupari, in loca obſcura & tenebroſa, & triſtia deduci, ubi cuncti nocentes ad diem judicii, ac æternæ damnationis aſſervantur.* Nullum alium animarum ordinem præter hos memorat; quod nimirum iis temporibus nondum apertus, vel (ut verius dicam) nondum fictus erat novus ille purgatorianorum hominum orbis.

Cum his Græcis non pauci Latini paria quoque ſcribunt. Ambroſius quidem ſatis teſtatur ſe adverſariorum commento minime aſſentiri,

tiri, qui animas noſtras poſt mortem ſæviſſimo igni cruciari volunt, miſerrimeque vivere, dum veram ac beatam vitam multo purius, ac beatius vivi ait, *cum hujus carnis anima noſtra depoſuerit involucrum, & quodam carcere iſto fuerit abſoluta corporeo, in illum ſuperiorem revolans locum, unde noſtris infuſa viſceribus compaſſione corporis ingemuit.* Alibi idem caſtigatis Paganorum de animæ poſt mortem ſtatu deliramentis, *Ego malim* (inquit) *de veſtro merito melius judicetis, ut non inter cætus ferarum, ſed inter Angelorum conſortia vos credatis futuros, & animos ex hoc jam vitæ anfractu, & terreni corporis colluvione diſcedere, & ad illa concilia ſuperna contendere.* Tum ex Scriptura recenſitis nonnullis ſupernæ civitatis oble&amenis, *Iuvat* (inquit) *hoc credere; ſperare delectat. Certe non credidiſſe pœna eſt; ſperaſſe, gratia.* Sed eam in libro *de bono mortis* etiam clarius ponit. Cum enim mortem dixiſſet abſolutionem eſſe animæ, & corporis; *Solutio autem iſta* (inquit) *quid aliud agit, niſi ut corpus reſolvatur, & quieſcat; anima autem convertatur in requiem ſuam, & ſit libera, quæ ſi pia eſt, cum Chriſto futura ſit?* Nullam autem ſervatum iri, quæ eadem pia non ſit, palam eſt. Ergo neque ullam ſervandam poſt mortem à Domino abſuturam, ex Ambroſio quidem liquet. Vnde videre eſt, quomodo accipiendum ſit, quod hujus capitis initio dixit, *Ergo quoniam docuit Apoſtolus eum, qui evaſerit ex hoc corpore, ſi meruerit tamen, cum Chriſto futurum.* Neque enim hæc verba, *ſi meruerit tamen*, ideo adjecit, ut ſignificaret eorum fidelium, qui moriuntur, aliquem cum Chriſto minime futurum; (Plane contra affirmat *animam ſi pia ſit, cum Chriſto futuram.* nullius autem vere fidelis anima eſt, quæ pia non ſit.) Sed his verbis *pios*, ſive *fideles* ab impiis, & infidelibus diſcriminat; ſeque oſtendit quod ex Apoſtolo ait, *qui evaſerit ex corpore cum Chriſto futurum*, non de omni omnino homine intelligere, ſed de eo tantum, qui vere Chriſtianus fuerit. Tales enim *mereri* ait, ut ſint *cum Chriſto*, quod illi ea habeant, quibus Chriſtus fœlicitatis ſuæ conſortium promiſit; nempe fidem, caritatem, & cæteras ſpirituales vere Chriſtianorum dotes. *Mereri* enim hoc ſenſu paſſim uſurpant Patres.

L. 2. de Cain & Abel. c. 10. T. 3.

L. de fid. reſurr. extr. T. 3.

C. 3. T. 1. p. 214.

Hieronymus, quæ nos de ſæculo diſcedentes ſors maneat, his verbis docet in Blæſillæ epitaphio; *Lugeatur* (inquit) *mortuus; ſed ille, quem gehenna ſuſcipit; quem Tartarus devorat; in cujus pœnam æternus ignis æſtuat. Nos, quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Chriſtus occurrit, gravemur magis, ſi diutius in tabernaculo iſto mortis habitemus.* Chriſtus certe iis, qui ad *purgatorii* ſupplicia rapiuntur, non occurrit obviam.

Ep. 25.

Gennadius

Cap. 79. Gennadius in libro *de Eccleſiaſticis dogmatibus*, qui Auguſtino vulgo, ſed falſo, tribuitur; *Poſt aſcenſionem Domini in cœlos* (inquit) *omnium Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, exſpectantes reſurrectionem corporis ſui.* Tum paucis interjectis; *Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur; quia propoſitum Dei, quo decrevit ſalvare, quod perierat, ſtat immobile; & ideo quia voluntas ejus non mutatur, ſive emendatione vitæ, ſi tempus conceditur, ſive ſupplicii confeſſione, ſi continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, à perditione pœnitendo, & ſalvatus miſeratione Dei vivat.* Hactenus ille, qui fidelium quorumvis, etiam in ipſo vitæ exitu pœnitentium, tutam, ac præſentem ſalutem eſſe docet; ita ut eorum animæ ad Chriſtum de corpore exeuntes vadant.

L. 1. de ſanct. beat. c. 5. ſ. Octavus. Proſper, ſive quis alius de vita contemplativa Scriptor, ab ipſo Bellarmino laudatus jam ante Gennadium eadem ſcripſerat; *Quia* (inquit) *ſecundum Sacræ Scripturæ ſermonem tota* humana vita tentatio eſt ſuper terram, *tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna; & tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc vitam pugnæ ſuccedet ſecura victoria, ut omnes milites Chriſti, qui uſque in finem vitæ præſentis divinitus adjuti ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterint, laborioſa jam peregrinatione tranſacta regnent fœlices in patria; cujus hoc erit totum præmium, ut vitæ contemplativæ ſemel compos effecta inexplebiliter auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciat; de illo gaudeat, de illo, quod ſperarit, obtineat, & in eo, ad quod ſancte vivendo pervenerit, ſine fine permaneat.* Vides hunc affirmare fideles peracta *in terris peregrinatione cum Chriſto regnare*; quod de iis dici nequit, qui in purgatorio cruciantur.

L. 1. de vit. cont. c. 1.

CAPVT XIII.

Purgatorii Romani dogma à Greg. I. ortum; à Beda & aliis fabularum avidioribus, incrementa habuiſſe; diuque titubaſſe, donec tandem in eam, qua hodie eſt, formam ac modum, recentiorum Paparum auctoritate conſtitutum eſt.

ATque ita evidenter, ni fallor, demonſtratum eſt adverſariorum de *purgatorio* dogma ſex priorum Chriſtianiſmi ſæculorum Patres, non modo inter *fidei capita*, & *Apoſtolorum traditiones* non cenſuiſſe, ſed ne cognitum quidem habuiſſe. Eorum temporum,

porum, quæ ſecuta ſunt, fateor aliam eſſe rationem. Nam tametſi diu nullo publico, & univerſali Eccleſiæ, ne Latinæ quidem, documento conſtitutum fuerit; tamen ſexto ſæculo exeunte, ſeptimoque ineunte, prima *purgatorii* fundamenta à Gregorio primo, Romæ epiſcopo, jacta jam fuerant; quæ plærique omnes Occidentales Chriſtiani ſecutis temporibus poſtea admiſerunt. Mutationis rationem ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, non eſt difficile animadvertere. Cum enim tria illa vetuſtiſſimorum Patrum, quæ antea expoſuimus, dogmata, ſive potius deliria, *de animæ poſt mortem extra cœlum ſtatu*, deque *prima ad millenariam in terris fœlicitatem reſurrectione*, ac *de omnium ultimo judicii die per ignem probatione*, ex quibus initio *precum pro mortuis* uſus apud Chriſtianos exortus invaluerat, paulatim primo diſplicuiſſent, mox convulſa nutarent, tandemque apud Latinos paſſim exploſa, ac pæne ab omnibus deſerta eſſent; quæri cœptum, quis eſſet *precum pro mortuis uſus.* Nam opiniones quidem, ex quibus hic ritus manaverat, quod eæ duntaxat in doctorum hominum libris, atque ſermonibus exiſterent, haud difficile fuit loco pellere, ac dejicere, tandemque abdere. Ipſas vero *preces*, publico uſu apud omnes conſtitutas, abrogare, neque facile erat, ſiquis rem aggreſſus eſſet, neque quiſquam fere fuit, qui utile vel neceſſarium putaret. Illud enim ipſum, quod eas apud omnes Chriſtianos invaluiſſe, ſummoq; ſtudio, & conſenſu exerceri viderent, homines non parum afficiebat, iiſque (ut fit) perſuadebat tam publicum, tamque univerſalem uſum ab *Apoſtolorum traditione* fluxiſſe. Quo accedebant nonnullorum de quarto ſæculo Patrum voces, qui eas *Apoſtolis* tribuere non dubitaverant; non alia, quam hac ipſa, ratione commoti; nimirum quod eas apud omnes nominis Chriſtiani homines vigere ſua jam memoria cernebant: Ita quod in multis aliis uſuvenit, opiniones quidem, quæ ritum pepererant, fractæ paulatim, ac debilitatæ, majorique ex parte exſtinctæ ſunt; ritus ipſe immotus eodem in loco conſtitit. Itaque cum his ſublatis fundamentis, in quibus *preces pro mortuis* initio ſteterant, non appareret cur, aut quorſum eæ fierent; primo quidem ne earum uſus, qui *Apoſtolicus* eſſe credebatur, evileſceret, in genere affirmatum eſt eas *utiliſſimas* eſſe, neque de earum fructu dubitandum; non enim *Apoſtolos* id tradituros fuiſſe, quod inutile foret; non paucis, (tametſi hæc ſpecioſe dicerentur) reclamantibus, ut ſupra obſervavimus, libereque confitentibus videre ſe non poſſe, quid ex hujuſmodi *precibus* emolumenti perciperent *quieſcentes* motuorum animæ. Mox ergo, (ut iſtorum dubitatio compeſceretur,) cœperunt ingenioſi homines rationes quærere, quibus fieret,

ut hæ *preces* mortuis *prodeſſent*. Neque diu quærendum fuit. Cum enim Auguſtinus, quod ſupra explicavimus, ſcripſiſſet quæri poſſe *an animabus de ſæculo exeuntibus ſuperſit aliquod rerum quas impenſius in mundo dilexerant, deſiderium, arcanuſque doloris velut ignis*; poſteri, viri auctoritate commoti (quæ in Eccleſia occidentali maxima, & quidem merito, ſemper fuit) quæ ille *dubitans*, non *definiens*, & ex occaſione potius, quam ex inſtituto temere fuderat, avide arripuerunt, ac pro certis, & veris conſtituerunt. Et cum ille ob amiſſas ſæculi res dolor, quo uno *ignem* ſuum definiverat Auguſtinus, parum videretur veriſimilis, (maxime ubi illa cui innititur, de animarum in *abditis receptaculis* detentione opinio exoleſcere cœpit;) ad hæc neque purgandis ſpiritibus ſufficere putaretur; novum *ignem*, omni antiquitati inauditum, in ſubterraneis accendere placuit, quo fideles, paulo imperfectiores, mortui excoquerentur, & purgarentur, cœlo mox reddendi. Neque dubitaverim, quæ veteribus de noviſſima fidelium in mundi ſupremis *purgatione* incautius credita, & dicta ſunt, huc quoque detorta, non parvum errori momentum attuliſſe; cum inde *purgationis* alicujus *per ignem* ad hoc ut cœlum ineamus, neceſſitatem ipſis quoque Patribus agnitam fuiſſe, non abſurde probari videretur. Id ex illorum dictis lucrifacere, errori ſatis fuit. Ipſa enim fidelium reſuſcitatorum *purgatio*, quam noviſſimo die factum iri Patres autumant, cum, ut eſt, vana, & inſcita, neque Scripturis, neque rectæ rationi conſentanea videretur, ſenſim abdicata eſt. Sed hæc ego, ut probabilia in medium affero; non ut certa, & indubitata ſtatuo. Cum enim illa tempora, quibus hoc de purgatorio commentum primum in Eccleſiam invectum eſt, hoc eſt ſæculi ſexti ultima, ſeptimumque conſequens, intueor, facile mihi perſuadeo illa hominum, qualia tum erant ingenia, etiam ſine his, vel ullis aliis, ſpecioſis ſaltem, & aliquam rationis umbram habentibus, argumentis *purgatorii* fabulam vel inveniſſe, vel ab aliis oblatam arripuiſſe. Nam fœdiſſima tum paſſim barbaries longe lateque in Occidente regnabat, à gentibus, quæ eum totum obtinebant invecta, abolitis litterarum omnium ſtudiis. Gothi & Longobardi Italiæ ut ſic dicam, incubabant; Franci & Burgundi Galliæ; Vandali, & Veſtgothi Hiſpaniæ, & Africæ, Saxones denique Britanniæ. Ergo ab immani illa tot barbararum gentium colluvie exſtincta ubique eruditione, veriorisque theologiæ atque antiquitatis cognitione, inepta & inculta ingenia facile ad ſequiora deflexerunt; ſubterraneoſque Ætnæ, Væſuvii, & agri Puteolani ignes, quorum veras cauſſas ignorabant, puniendis animabus corpore ſolutis accenſos eſſe ſibi perſuaſerunt, crepitan-

pitantiſque incendii ſonitus pro totidem ſontium lamentis ac ejulatibus habuerunt. Acceſſit ad hæc copioſa fabularum ſeges; quæ orbem noſtrum pæne totum inundavit; cum quæ vel aſtuti, vel ſimplices de animarum apparitionibus mira in vulgus ſpargebant, publica rudium, ac tenebroſorum ſæculorum credulitas avide exciperet. Narrabant enim conqueri ut plurimum ſolere illa animarum ſpectra ſe graves peccatorum in vita admiſſorum pœnas dare; quæ quod viderentur ad deterrendos à ſceleribus hominum animos plurimum valere, haud ſane aſpernati ſunt, qui per illa tempora Eccleſiam regebant. Cujus rei luculentum habemus in Gregorio epiſcopo Romano ſpecimen, qui centum & ſexaginta poſt Auguſtini obitum annis, quod ille *non incredibile* eſſe dixerat animas poſt ſuum ex hac vita diſceſſum, aliquem *ignem* experiri, credendum eſſe affirmavit; neque hunc *ignem*, doloris (quod ille conjectaverat) ob amiſſa ſæcularia ignem eſſe, docere ſatis habuit; ſed ultra provectus flammas ejuſdem, cujus vel noſtræ, vel etjam infernales ſunt, ingenii ad hanc purgationem adhibuit. Is igitur quam avidus fuerit fabularum, tum ex cæteris ipſius operibus patet, quæ his paſſim emblematis exornat, tum maxime ex quatuor Dialogorum libris; qui undequaque collectis anilibus narrationibus ſcatent. Mitto quæ de monacha habet, quam à diabolo arreptam protinus cecidiſſe memorat, quod lactucam avidius, ut fit, momordiſſet, antequam eam crucis ſigno ſanctificaſſet; quæ de nobili matrona parum honeſte tradit, quæ cum poſtridie ejus noctis, qua legitimo conjugi morigerata erat, auſa eſſet ſacellum ingredi, à dæmone arrepta, publiceque vexata ſit; addens neſcio quem presbyterum, quod eam liberare ſtuduiſſet, arreptum quoque ipſum fuiſſe à dæmone. Mitto, quæ de Theodorici Regis anima in Vulcani ollam jactata refert; quæ de Siciliæ montibus hariolatur, ſub quibus inferni ollas eſſe ſtatuit, eaſque quotidie laxatis ſinubus excreſcere, creſcente ſcilicet eorum numero, qui illuc cruciandi mittuntur; quæ de Stephano quodam exſequitur; qui cum mortuus & ad inferos deductus, judicique oblatus eſſet, minimè receptus fuit; *Non enim* (inquit judex) *hunc adduci, ſed Stephanum ferrarium juſſi.* Illum igitur reductum, vitæque redditum poſtliminio fuiſſe; ſubitoque mortuum concidiſſe miſerum illum *ferrarium*, cujus loco ob nominis ambiguitatem ille alter Stephanus per errorem geniorum ſcilicet, è vita raptus fuerat; cui & fœliciter ceſſiſſe ait, quod ejus corpus, cum ille ex inferis rediit, ideo nondum ſectum, & conditum fuiſſet; quod ad illum temporis articulum nulla ad id curandum ſuperſtitibus ejus cognatis fuerat medici, &

Dial. l. 4. c. 39.

L. 1. c. 4.

L. 1. c. 9.

L. 4. c. 30.
Ibid. c. 35.

C. 36.

pigmentarii copia. Ac ne Gregorio tam lepidæ hiſtoriæ inventionem deberi putes, moneo obiter ſi non eamdem, certe ſimilem ac plane geminam & apud Plutarchum de Antyllo extare ut refert Euſebius *a*, & apud Lucianum *b* de Cleodemo, & Demylo, quem & ipſum Lucianus χαλκέα facit, itidem ut *ferrarium* Stephanum ſuum Gregorius. Hæc inquam mitto, & cætera de genere hoc, quæ (ut ille ait) *adeo ſunt multa*, *loquacem delaſſare valent Fabium.* Sed animarum apparitiones, ex quibus *purgatorium* illud ſuum conflavit, quam multas, quamque terribiles narrat? Sanctimoniales quædam, quas Benedictus comminando excommunicaverat, cum in peccato mortuæ eſſent, Eccleſia, in quâ jacebant, toties exire à nutrice viſæ ſunt, quoties in Liturgia diaconus clamaret, *ſiquis noncommunicat, det locum.* Quo intellecto Benedictus oblationem pro iis offerri juſſit. Poſt id temporis non ſunt amplius exire viſæ. Item Paſchaſius Eccleſiæ Romanæ diaconus, quod Laurentii ſchiſmati adhæſiſſet contra Symmachum, poſt mortem in thermis Puteolanis miniſtrare juſſus eſt, indeque Germani, antiſtitis Capuani precibus liberatus. Item ſanctimonialis quædam poſt mortem in duas partes diſſecta eſt, quarum altera igne cruciabatur; altera incendii expers erat. Sed & Centum cellenſium thermarum Dominus earum miniſterio poſt mortem pro culpis ſuis deputatus eſt; indeque presbyteri neſcio cujus precibus, & oblationibus ereptus. Quidam Iuſtus in Gregorii monaſterio rei medicæ peritus, clam tres aureos ſervarat. Vt hoc ejus crimen expiaretur, Gregorius morienti neminem aſſiſtere, mortuique cadaver in ſterquilinium projici juſſit, & oblationes triginta pro eo offerri; & paulo poſt ex ejus apparitione ipſum communionem accepiſſe didicit. Hæc ſunt ſcilicet, quæ Gregorium impulerunt, ut purgatorium, non, ut Auguſtinus, timide & hæſitanter in medium proponeret, ſed certo & indubitanter affirmaret. Similia ſunt quæ Beda, centum annis Gregorio recentior, de Furſæo narrat; Illum ſcilicet à mortuis reſurgentem, & ex inferis reducem multa mirabilia retuliſſe de purgatoriis animarum pœnis: Diethelmum item neſcio quem ſimiliter mortuum, & in hanc vitam denuo poſt reverſum de inferno, purgatorio, paradiſo admiranda quædam narrare ſolitum. Longum eſt omnia recitare, quæ vel apud hos, vel etiam apud Gregorium Turonenſem, & alios iſtius memoriæ ſcriptores, hujus generis habentur. Nimirum venerat illud à Paulo multo ante prædictum tempus, quo *homines à veritate quidem auditum averterent, ad fabulas autem converterentur, ſanam doctrinam non ſuſtinentes.* Itaque habita fabuloſis narrationibus fide *purgatorium* apud omnes

a *prep. evang. l.* 11. *p.* 331.
b *In* φιλοψ. *T.* 1. *pag.* 487.
Greg. dial. l. 2. *c.* 23.
Ibid. l. 4. *c.* 42.
Ibid. c. 51.
Ib. c. 55.
l. 3. *hiſt. angl. c.* 19. & *l.* 5. *c.* 13.
2. *Tim.* 4. 4.

omnes in Occidente invaluit; maxime cum Gregorii, Bedæ, & ſimilium, qui hæc commendabant, magna eſſet ob eruditionis, ac pietatis opinionem fama, ſingulariſque auctoritas. Quin & tanta eſt hujuſmodi narrationum apud homines vis, ut etiamſi & recta ratio per ſe ſatis doceat, quam parum iſtis fidei habendum ſit, & diſerte Paulus monuerit ineptas, & *aniles fabulas devitandas*, Bellarminum tamen hæc ipſa, quæ nos attigimus, afferre non puduerit in tanta rerum ac litterarum luce, velut certam & invictam purgatorii probationem. Mihi vero contra iſta adeo putida, & anilia videntur, ut mirer quemquam eſſe, qui *purgatorium non* rideat, quod ſciat talibus deliriis niti. *At viri* (inquit) *graves ſcripſerunt.* De cæteris eorum dotibus dicere ſuperſedeo; Gravitas quidem, ac prudentia quæ, qualiſque fuerit, vel exiguum illud, quod nuper dedimus, ſpecimen, ſatis ſuperque docet. Et ex ipſis adverſariis Canus auſus eſt confiteri viros aliquando graviſſimos in divorum præſertim prodigiis deſcribendis ſparſos rumores, & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe. *Qua in re* (inquit) *ut mihi quidem videtur, aut nimium illi ſibi, aut fidelium certe, vulgo indulſerunt; quod vulgus ſentiebant non tantum ea facile miracula credere ſed etiam impenſe flagitare*; quod ab illo veriſſime ac ſapientiſſime dictum eſt. Tum poſtquam de Gregorio Romano, & Beda monuit, *Equidem* (inquit) *hiſtorias illas probarem magis, ſi earum auctores juxta præfinitam normam ſeveritati judicii curam in eligendo majorem adjunxiſſent.* Gregorii vero Turonenſis qui anno 592 Gregorij Romani 3 deceſſit nimiam ſimplicitatem, & olim ab Hilduino, in eo quod cenſuram nullam merebatur improbante, & recens à Baronio Hilduini exemplo freto notatam ſciunt omnes eruditi.

1.Tim. 4.7.

Loc.theol.l.11. cap.6.

Amal.an. 1c9. ſ.49.

His ergo auctoribus purgatorii dogma in Eccleſiam Latinam primum invectum eſt, ſæculis poſt Chriſti Domini in terris natales *ſexto, ſeptimo, & octavo.* Cæterum ut ſcias toto illo tempore rudem adhuc, & informem fuiſſe hunc fœtum, operæpretium eſt obſervare plæraq; hujus myſterii, ut hodie quidem effictum, & varia poſteriorum arte, atq; induſtria deformatum atque abſolutum habetur, priſcis illis, ac primis *purgatorii* parentibus ignota fuiſſe. Nam neque ſubtiliſſimam illam *pœnæ* à *culpa* in *remiſſionis* negotio diviſionem memorant, ac de illo *carcere*, in quo concluſæ eſſe dicuntur eorum, qui *purgantur*, animæ, ac de tempore, quo iſtic detinentur, craſſe admodum philoſophantur. Gregorius quidem ait credendum eſſe in parvis tantum, minimiſque peccatis eam *purgationem* fieri poſſe; *ſicut eſt* (inquit) *aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa vel*

l.4.dial.c.39.

 pa vel

pa vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, ſciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in vita poſitis minime fuerunt relaxata. De graviorum peccatorum pœnis, quas ipſas *igne purgatorio* elui putant adverſarii, nihil plane habet. Sed & *purgatorium*, non intra terræ viſcera, certo ac definito loco, inferis ipſis vicino affigit; (quod hodie Romanæ communionis Theologi graviſſime, ac conſtantiſſime defendunt:) ſed vagum, ac deſultorium, nullis certis ſedibus concluſum, modo in Puteolanis thermis, modo in Centumcellenſibus balneis locat; credo, quod locus ad abluendum, & mundandum factus *purgatorio* convenire viſus eſt. Fuit & ex illis vetuſtioribus, ſed longe poſt Gregoriorum & Bedæ ætatem qui Severini cujuſdam animam in quodam flumine purgatam fuiſſe affirmavit. Appoſite; & ſi novitiis placuiſſet, animas aqua fluminum tam purgare poterat, quam *inferni* ignis. Neque facile dixerim, cur ignem prætulerint; niſi fortaſſe eos movit, quod Paulus aliquos *quaſi per ignem*; nullos *quaſi per aquam* ſervatum iri dixerit. Iam de tempore, Beda multo eſt, quam iſti recentiores, immitior; *Nonnulli* (inquit) *propter bona quidem opera ad electorum ſortem præordinati, ſed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt, poſt mortem ſevere caſtigandi excipiuntur flammis purgatorii ignis; & vel uſque ad diem judicii longa hujus examinatione à vitiorum ſorde mundantur, vel certe prius amicorum precibus, eleemoſynis, & fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus ſoluti pœnis, & ipſi ad beatorum perveniunt requiem.* Dominicus à Soto multo humanior, qui definit neminem in purgatorio manere ad decem annos. Audivi & Maldonati ſupereſſe quemdam libellum manuſcriptum, in quo ille eamdem ſententiam defendit. Bellarminus eam repudiat quidem, concludens rem eſſe incertiſſimam; Sed non videtur tamen eo propendere, ut multi *carcerem* illum inhabitent ad ultimam diem; maxime ii, qui ante plura jam ſæcula obierunt. Sed has Gregorii, & Bedæ, & aliorum veterum vel hallucinationes, vel incertas opinationes, & Scholaſticorum ſubtilitas ventilavit, & Pontificum Romanorum auctoritas diſcuſſit; & *purgatorianam*, ut ſic dicam, Delon in incertarum viſionum quodam, ut ſic dicam, ſalo jamdudum fluctuantem, tandem ſtitit, ac defixit, totumque dogma in eam, quam hodie cernimus, formam apud ſuos compoſuit. Cæteræ vero Chriſtianorum ſocietates, quæ Romanum jugum neſciunt, conſtanter (quod ſupra docuimus) novitiam illam purgatorii traditionem ad hunc uſque diem aſpernantur. Quin & Græci jam olim, ut refert Cardinalis Aureolus, Latinos graviter incuſabant, jactantes *eos purgatorium propter lucrum*

Bell. l. 2. de purg. c. 6. §. Octava. c. 7. §. Quantum.

P. Damian. in ep. de mirac. ſui temp.

ad illud. Ioan. teſtim. perhib.

In 4. d. 19. q. 3. art. 2.

In 4. d. 21. art. 1. p. 151. d

lucrum inveniſſe. Ego ut nolim eos, qui prima hujus erroris fundamenta jecerunt, tam turpis avaritiæ inſimulare; ita neque negaverim quæſtus ſtudium ſecutis temporibus (quorum fama haud ſane proſpera eſt) multos tranſverſos egiſſe, ut quod majores per imprudentiam ſenſerant, id ipſi avide arriperent, atque amplificarent. Certe ſi res ad vetus illud Caſſii verbum expendatur, *Cui bono*, Græci non abſurde videbuntur Latinos *purgatorii* inventores exiſtimaſſe; quibus id commentum quam utile, ac quæſtuoſum & fuerit olim, ac etiamnum hodie ſit, nemo adeo puer eſt, qui neſciat. Sed nos adverſariis invidiam facere nolumus. Satis eſt, (quod inſtitutum noſtrum poſcebat) breviter oſtendiſſe, quibus maxime rationibus *purgatorium* apud Latinos irrepſiſſe paulatimque invaluiſſe videatur. Vtcumque ſit, illud quidem certe ex tota hac diſputatione conſtat id dogma & à Dei Scripturis, & à veteris Eccleſiæ, quæ prioribus quinque Chriſtianiſmi ſæculis floruit, fide ac diſciplina plane alienum eſſe.

DE POENIS.

LIBER SEPTIMUS.

In quo quæritur, quid veteres de ſatisfactionibus ſenſerint.

CAPUT I.

Controverſiæ ſtatus repetitur. Solutio primi argumenti à Bellarmino ex Pſeudojuſtino allati. Solutio II. argumenti ex Irenæi loco quodam ducti.

HActenus inveſtigavimus, quid veteres Chriſtiani de priori hujus controverſiæ parte ſenſerint, quæ *de pœnis* cum adverſariis nobis eſt. Supereſt altera pars *de ſatisfactionibus* tum propriis, tum alienis; de qua nunc quoque diſquirendum eſt quæ Patrum ſententia fuerit. Quo loco in primis ex ſuperioribus memoria repetendum eſt, quod ſit ea de re adverſariorum dogma. Bellarminus quidem ſuos ita docere ait, *nullum ante gratiam gra-*

L.4. de pœnit. c.2. §. Decet. §. Iam igitur. Ibid. §. Quod ſi.

Ibid. c.7. §. Illud

Ibid. c.1. §. Vt igitur.

tum facientem adeptam Deo ſatisfacere poſſe. Item *ſatisfactionem non offerri Deo, neque exigi ab hominibus pro culpa: gratis enim nos à culpa juſtificare Deum; gratis amicitiam ſuam reſtituere;* ſed *& gratis pœnam peccati æternam nobis condonare, cum primum ad ejus gratiam redimus; neque poſſe quemquam pro ea ſatisfacere.* Tantum pro *temporalibus* illis *pœnis*, quas etiam *dimiſſa culpa* nobis ſive hic, ſive poſt mortem luendas haud raro ſupereſſe exiſtimant, ab homine fideli *ſatisfieri* poſſe pugnant; & quidem *juſte*, atque *ex condigno*, ſicut qui *ſatisfecit*, tantum *fecerit*, quantum ad injuriam compenſandam *ſatis fuit*; ſive *quantum Deus*, qui læſus eſt, *juſte exigere potuit.* Ex quibus conſtat *ſatisfactionem* apud iſtos opus eſſe ejus duntaxat, qui & baptiſmo tinctus eſt, & peccati, in quod poſt baptiſmum incidit, maxime ſi mortale id fuerit, remiſſionem jam accepit, ab ejus culpa, æternaque pœna abſolutus: qui vero vel baptiſmi ſunt expertes, vel peccatorum, quæ poſt baptiſmum admiſerunt, culpa adhuc tenentur, eorum nullam eſſe *ſatisfactionem* proprie dictam. Itaque ex hoc ſuſceptæ diſputationis inſtituto hoc unum nobis in præſentia quærendum eſt, num Patres eam eſſe putaverint *operum laborioſorum*, quæ à fidelibus Deo reconciliatis ex pœnitentia fiunt, vim atque dignitatem, ut iis pro *temporalibus* anteactorum peccatorum *pœnis juſte*, ac (ut loquuntur) *ex condigno* Deo ſatisfiat. Hic verus eſt hujus controverſiæ ſtatus; qui ſi, ut decet, accurate teneatur, facile apparebit ex confuſa illa, atque indigeſta teſtimoniorum farragine, quæ huc adverſarii congerunt, pauciſſima eſſe, quæ ad rem faciant; plurima, ac pæne omnia aliena eſſe à propoſito negotio, neque alio animo huc allata, quam ut rudibus, & ad id quod agitur, minus attentis inani verborum ambiguorum ſpecie imponatur. Ea enim vel pœnitentiæ vim ad peccati remiſſionem à divina clementia obtinendam in genere prædicant; vel fideles ad ea pietatis, atque caritatis officia hortantur, quæ vere reſipiſcentes decent; vel Eccleſiæ præpoſitos monent, qualiter cum iis agendum ſit, qui aliquo ſcelere ſuam vitam, nomenque adeo Chriſtianum commacularunt; vel ipſos peccatores, qui in hujuſmodi crimina inciderunt, docent, quanto cum ſtudio pœnitentiam teſtari, ſalutareſque Eccleſiæ diſciplinas obire debeant; vel denique oſtendunt, quanta ſit iſtarum diſciplinarum utilitas ad expugnandos vitiorum habitus, & coërcendas carnis laſcivientis libidines. Quæ omnia quam ſint à præſenti quæſtione aliena nemo non videt. Neque enim negamus vel utiliſſimam eſſe, imo & plane neceſſariam *pœnitentiam* ad impetrandam à Domino delictorum veniam; vel quæcumque ſunt vera, ac *digna pœnitentiæ opera*, ea unicuique

cuique fideli obnixe ſectanda; vel diſciplinam in facinoroſos, & criminum reos ſevere exercendam; vel eam à pœnitentibus demiſſe, atque accurate obeundam; vel poſtremo hujus diſciplinæ magnos eſſe in ſanctificationis ſtudio fructus. Ac tametſi Patres quodam animi ardore abrepti in iſtis commendandis paulo interdum longius progrediantur, quam videtur ferre ſicca, & accurata veritatis ratio, eaque nonnumquam effundant, quæ nos quidem imitari nolimus; tamen vix quicquam apud eos in iſtis argumentis occurrit, quod non commode poſſit accipi, ſi modo benignum, ac peritum interpretem nanciſcatur. Sed iſta, ut dixi, ad hanc diſputationem minime pertinent, alibi ſuis quæque locis, ac titulis excutienda. Ea igitur leviter tantum, ac (quantum ad patefaciendam adverſariorum fraudem ſatis erit) libabo, id unum agens, ut oſtendam, quod hic proprie quæritur, non probare allata ab iſtis teſtimonia veteres idem cum ipſis de *ſatisfactionum* vi, ingenio, ac dignitate ſenſiſſe.

Bellarminus inauſpicato diſputationem orditur, & à falſo, atque incerto auctore, & à teſtimonio ἀπροσδιονύσῳ. Nam primo hoc loco affert nobis pro ſecundi ſæculi teſte ſcriptorem *quæſtionum*, quæ inter Iuſtini opera circumferuntur; quem, cum non modo Origenis & Manichæorum ſed & everſionis templorum Manlio Conſule A. D. 399. Martii 19. ab Arcadio Auguſto imperatæ meminerit, ſeculo quinto, vel fortaſſe infra vixiſſe conſtat. Teſtimonium vero ipſum nihil ad rem facit. Eſt enim de morte Ioſiæ Regi Iudæ (Deo permittente) in bello illata, propterea quod Hieremiæ mandatis minime paruiſſet. Mors vero non eſt in eorum operum cenſu, quibus iſti *pœnitentes* ſuos vel ultro, vel ex confeſſoris mandato ſuſceptis pro peccatorum pœnis *ſatisfacere* contendunt. An vero iſta Ioſiæ mors inobedientiæ ipſius pœna, (quod vult adverſarius) proprie dicta fuerit, ſupra [a] ſuo loco diſcuſſimus.

L.4. de pæn. c.9. §. Nunc adferemus.

Vide qq.82. Et 127. & 42.

[a] *Supr. l.4.c.4. extr. §. De morte.*

Neque à propoſita quæſtione minus aliena ſunt, quæ ſecundo loco Bellarminus attulit, duo Irenæi teſtimonia. In priore contra Tatianum pugnat *Adamum ſervatum eſſe*; & quo id probet, oſtendit eum admiſſo peccato longe aliter affectum fuiſſe, quam perpetrato fratricidio Cainum. Hunc nullum metum, nullum pœnitentiæ ſenſum teſtatum eſſe; Adamum vero ſtatim timore correptum latebras quæſiviſſe, *non quaſi poſſet effugere* Deum, (inquit) *ſed confuſum; quoniam tranſgreſſus præceptum ejus indignus eſt venire in conſpectum & colloquium Dei.* Timor *autem* Domini initium intelligentiæ; *intellectus vero tranſgreſſionis fecit pœnitentiam; pœnitentibus autem Deus largitur benignitatem ſuam.*

Iren. l.3. contr. hær. c.35.36.

C. 37.

 Tum

Tum ficulnea Adami ſubligacula eodem refert. *Etenim per ſuccinctorium (inquit) in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, foliis ficulneis ſemet ipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus ejus vexare potuiſſent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem, & puerilem amiſerat ſenſum, & in cogitationem pejorem venerat, frænum continentiæ ſibi, & uxori ſuæ circumdedit, timens Deum, & adventum ejus expectans, & velut tale quid ſignificans. Quoniam (inquit) eam, quam habui à Spiritu, ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam, & nunc cognoſco quoniam ſim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet ſemper habuiſſet indumentum, humilians ſemet ipſum, niſi Deus, qui eſt miſericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induiſſet eos.* Hæc Irenæus. Bellarminus vero; *Ex hoc (inquit) teſtimonio diſcimus fructum pœnitentiæ dignum non eſſe ſolum, ut adverſarii volunt, novam obedientiam mandatorum; non enim Deus mandaverat, ut Adam indumento illo tam aſpero uteretur; ſed eſſe pœnam ſponte ſuſceptam, quæ dolore corpus afficiat, & voluptatem ex peccato perceptam ea ratione compenſet. Quocirca recte Irenæus indumentum illud Adami vocat condignum inobedientiæ amictum. Inobedientia enim ex ſuperbia nata fuerat; & idcirco juſtum, & condignum erat, ut humilitate compenſaretur; amictus autem ille non ſolum carnem punctionibus affligebat, ut ob delectationem illicitam Domino ſatisfieret; ſed etiam vilitate ad cor humiliandum valebat, ut ſuperbiam, & inobedientiam compenſaret. Atque hinc videtur poſtea factum, ut pœnitentes ſacco, ſive cilicio communiter uterentur.* Sed hæc vel male ex Irenæo colliguntur, vel nihil ad rem faciunt. Ac primum quidem quæro, cum de iis tantum agamus, qui *juſtificati ſunt*, culpæque ſuę remiſſionem jam à Domino acceperunt; quid eo faciat *ficulneum* Adami *ſuccinctorium*? Ille-ne *juſtificatus erat?* ille-ne admiſſi ſceleris veniam à Deo impetraverat, quo tempore ſe *foliis* velavit? Nihil minus. Nam Deum tunc ne convenerat quidem. Ergo nihil hinc colligi poteſt pro fidelium juſtificatorum *ſatisfactionibus*. Tum & illud rogo, ubinam dicat Irenæus quod Bellarminus ait ſe ex eo didiciſſe, *fructum eſſe pœnitentiæ pœnam ſponte ſuſceptam, quæ dolore corpus afficiat, & voluptatem ex peccato perceptam ea ratione compenſet*. Ait (fateor) Irenæus ficulneum illud ſuccinctorium *amictum fuiſſe inobedientiæ condignum*; ait *frænum fuiſſe incontinentiæ, quo petulans carnis impetus retunderetur*. Ait denique eo primos parentes confeſſos eſſe peccato ſe fuiſſe promeritos, ut moleſto, & mordaci amictu vexarentur. Id, quicquid fuit doloris, & moleſtiæ, *compenſaſſe* admiſſum peccatum, *ſatisfactionem* fuiſſe pœnæ, quam meruerat,

tat, *æquivalentem*, nuſquam dicit Irenæus. Abſit vero, ut quicquam hujuſmodi vel cogitaverit. *Amictus iſte* (inquit adverſarius) *punctionibus ſuis Deo ſatisfaciebat*; *humiliatione ſuperbiam*, & *inobedientiam compenſabat*. Ergo, inquam, & *pro culpa ſatisfaciunt* pœnitentes. *Culpa* enim eſt, ni fallor, *ſuperbia*, & *inobedientia*, quam tu *ficulne*, *amictus vilitate compenſatam eſſe vis*. Ergo & homines nondum juſtificati *pro peccatis ſatisfacere* queunt; & quidem *ex condigno*; quod hic niſi intelligis, nihil agis. Neque enim Adamus adhuc erat *juſtificatus*. Egregium vero peccati æſtimatorem Bellarminum, qui nefariam hominis in Deum rebellionem ficulnei folii ſcabritie, atque aſperitate expoliri, ut ſic dicam, lævigari, & expungi poſſe cenſet. Non jam miror quod apud iſtorum tribunalia etiam capitales noxæ tam levibus, tamque nugatoriis *ſatisfactionibus* eluantur. Qui enim primum, ac maximum hominis ſcelus ſcabræ frondis affrictu curari putat, quid enm de aliis peccatis, quæ multo minora ſunt, ſtatuere decet? Sed miſſo adverſario, ad Irenæum venio. Ille quidem (ſi verum amamus) ingenioſius, quam ſolidius de ficulneo Adami ſuccinctorio philoſophatur; quaſi ad profitendam pœnitentiam ab eo aſſumptum fuerit; quod Moſes ſatis ſignificat non alio conſilio à primis generis noſtri parentibus quæſitum, & adſcitum fuiſſe, quam ut verecundiæ ſuæ conſulerent; *Aperti ſunt* (inquit) *oculi amborum*, *cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos*; *conſuerunt folia ficus*, & *fecerunt ſibi perizomata*. Gen. 3. 7. Sed non jam hoc agimus; neque quis Moſis, ſed quis Irenæi ſenſus fuerit, expendimus. Is igitur vult Adamum ficulnea potiſſimum folia ad corpus tegendum elegiſſe, quod ea cum præ cæteris ſcabra ſint; & tactu aſpera, atque mordacia, ſibi ex illo, in quo à Domino conſtitutus fuerat, felicitatis faſtigio per peccatum dejecto, maxime convenire intelligebat; tum ad dolorem de admiſſo ſcelere teſtandum; tum ad retundendam carnis jam rebellantis proterviam. Eademque ratio ſequutos homines impulit, ut *ſaccum* & *cinerem* à Bellarmino commemoratos, aliaque triſtia in pœnitentia uſurparent; quod à nobis ſupra eſt obſervatum. Nam pœnitenti ſane *luctus*, & *dolor* convenit, quis negat? Sed non inde colicitur *luctu*, & *dolore* pro peccatis Deo *ex condigno* ſatisfieri. Et ſi ea pœnitenti mens, ut iſtis *luctus*, ac *doloris* ſymbolis ſe peccati veniam mereri, & pro ejus pœnis proprie, atque *ex condigno* ſatisfacere ſperet, peccatum non eluit, ſed geminat. Rei judicum tribunalia ſordidati ambiunt. An *ſordibus*, & *ſqualore* crimina illos eluere, & quæ commeriti ſunt ſupplicia *ex condigno* expungere quiſquam putet? Nemo, qui quidem ſapiat. Et lugentes ſolent atro veſtitu, capillitio inculto, totiuſque

 tiuſque

tiuſque corporis illuvie dolorem ſuum profiteri. Tune ideo cenſes pro peccatis eos vel ſuis, vel defunctorum, quos lugent, *ſatisfacere?* Quis non intelligit omnem hunc oris, atque habitus ſqualorem nihil aliud, quam *animi mœrorem* teſtari, obviorumque commiſerationem, ut ſic dicam, flagitare & expoſcere? Irenæus eamdem fuiſſe putavit ficulnei illius ſubligaculi rationem, quo ſe Adamus ſuccinxit: eo *ex condigno* ſatisfactum fuiſſe Domino, neque dixit, neque cogitavit. Fruſtraque eſt Bellarminus, qui id ex eo colligit, quod ait *ficulneum illud ſubligaculum condignum fuiſſe inobedientiæ amictum*; quibus verbis hoc tantum ſignificat, peccatori *conveniſſe* hunc veſtitum, & qui *ſanctitatis ſtolam abjecerat*, eum inhoneſto, & moleſto amictu *dignum* fuiſſe: *compenſatum* illa veſtis moleſtia, & quidem *ex condigno*, quod in Deum admiſerat *ſuperbiæ*, & rebellionis ſcelus non magis inde ſequitur, quam ſi quis rei *ſordes* & *ſqualorem* crimen ejus ex jure, & *ex condigno* expiare ex eo concludat, quod is habitus illius crimine *dignus* eſſe dicatur.

Alter Irenæi ab adverſario deſcriptus locus ſic habet; *Docebat* (nimirum Dominus,) *ut facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, & ut veterem cupiditatem per opera bona ſolverent, & ſequerentur Chriſtum. Quoniam autem ea, quæ poſſidentur, pauperibus diviſa ſolutionem faciunt præteritæ cupiditatis Zacchæus facit manifeſtum, Ecce, dicens, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi cujus quid defraudavi, reddo quadruplum.* Quid hæc ad præſentem quæſtionem faciant, neque Bellarminus, vel Feuardentius dicunt; neque ego video. *Veterem cupiditatem per opera bona*, ac nominatim per eleëmoſynas *ſolvi*, & ait, & probat Zacchæi facto. Adverſarii vero non ipſas cupiditates, ſed earum *pœnas*, & quidem *temporales* duntaxat ſuis *ſatisfactionibus ex condigno* expungi tradunt. Clarum eſt id velle Irenæum homines à Chriſto edoctos fuiſſe, ut abjectis priſtinis anteactæ vitæ cupiditatibus juſtitiæ, ac caritati, & eleëmoſynæ, cæteriſque veræ ſanctimoniæ operibus darent operam; & quam ait Paulus cœleſtis doctrinæ ſummam eſſe, *ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie viverent in hoc ſæculo.* Hoc enim vere eſt *veterem cupiditatem per opera bona ſolvere.* Sin hæc (quod non eſt neceſſe) ad peccatorum remiſſionem referas; conficient quidem iis peccata à domino condonari, qui ex Euangelii fide caritati, & eleëmoſynis ſtudent; (quod nemo negat;) ideo vero condonari, quod his operibus Deo *ex condigno ſatisfiat*; (ut hariolantur adverſarii;) nequaquam conficiunt.

L.4.c.26.extr.

Tit.2.12

CAPUT

CAPUT II.

Solutio arg. III. ex locis Aug.ⁱ à Bell.° objectis, & IV.ⁱ ex Chryſoſtomi & Rabani Mauri teſtimoniis petiti.

HVic Irenæi loco alia adjungam, quæ eumdem habent ſenſum, & ſignificant pœnitentem, non (quod volunt adverſarii) *ex condigno* ſatisfacere, ſed à peccando abſtinere, & bonis operibus ſtudere. Tale eſt illud Auguſtini; *Miſericordia eſt, ut ignoſcat peccanti*; (non autem, quod habet Bellarminus, *peccato*;) *juſtitia eſt, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam; peccatum impunitum remanebit? Reſpondeat David, reſpondeant lapſi, reſpondeant cum David, ut miſericordiam mereantur, ſicut David, & dicant*, Non Domine, *non erit impunitum peccatum meum. Novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam; Non impunitum erit; ſed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Hic certe locus* (inquit Bellarminus) *aperte convincit ſatisfactionem noſtram non requiri ſolum ad exemplum, vel diſciplinam politicam, ſed ut injuria Deo facta compenſetur, & divinæ juſtitiæ ſatisfiat.* Tu vero ô bone, toto cœlo erras. De *compenſatione* quidem factę Deo injuriæ, nullum omnino apud Auguſtinum verbum. Sed neq; divinæ juſtitię *ſatisfaciendum* dicit, eo certe ſenſu, quem tu intelligis, id eſt ſic, ut ob peccatum in Deum admiſſum, qui id admiſit puniatur. Docet fateor, lapſum, ut miſericordiam à Deo *mereatur*, ſive *conſequatur*, id præſtare debere, quod requirit juſtitia divina; requirere autem eam, ut peccator, cui ignoſcitur, idem puniatur, neque dixit, neque cogitavit. Plane contra; minime puniri lapſum, clariſſime ſignificat, cum eum ſic facit loqui; *Ideo nolo, ut tu me punias; quia ego peccatum meum punio.* Vides, ut *peccantem* à *peccato* diſtinguat? Illum vult *non puniri*; hoc unum, & quidem ab ipſo peccante *puniri* vult. Qui pote, inquis, ut *peccatum puniatur*, qui peccavit *impune*, quod deliquit, ferat? *Peccatum* enim *punire*, quid aliud eſt, quam *ab eo, qui peccavit, pœnas repoſcere?* Sed clarum eſt tamen Auguſtinum longe aliter hic intelligere. Nimirum *peccatum ipſum puniri* dicit, cum eo, qui peccaverat, incolumi, *peccatum* ejus, vitiumque, ex quo id manaverat, efficaci pœnitentiæ (ut ſic dicam) ferro jugulatum interimitur. Hoc Deum à fidelibus lapſis exigere concedo; ut ſcilicet peccato bona fide nuntium remittant; neque deinceps in eadem ſcelera relabantur. Veniam, ac miſericordiam, niſi qui hoc præſtiterit, neminem à Domino conſe-

In pſ. 50.

L.4. de pæn. c.9. §. 8. Auguſt.

 quutu-

quuturum fateor. Nam in peccato perſeverantibus nihil ille pollicetur; & quæ pœnitentia in eodem flagitiorum cœno volutatur, ea pœnitentia non eſt; quantumlibet cilicio horreat, & ſordibus ſqualeat, & lacrymis madeat, & in cinere cubet. Nos ergo (ſi veniam peccatorum à Deo impetrare velimus) merito jubet Auguſtinus in *peccatum* ipſum ſævire; id *punire* atque interimere. Quod ſi hoc Bellarmino eſt *divinæ juſtitiæ ſatisfacere*; non repugnabo, quin eo ſenſu *juſtitiæ divinæ ſatisfacere* debeat, quiſquis à Deo delictorum veniam petit. Sed & ultra Bellarminum progredior. Nam niſi hoc fiat, non modo *pœnas temporales* (quod iſte vult) ſed neque *æternas*, neque ipſam denique *culpam* remitti concedo; neque hæc mea eſt, ſed Scripturæ, & omnium Patrum ſententia. Sed adverſarii in hac quæſtione illam divinæ juſtitiæ *ſatisfactionem* longe aliter accipiunt; nimirum pro *pœnali opere*, quo *tantum fiat, quantum Deus ad compenſandam injuriam ſibi à peccatore factam in lege exigit*; id eſt, quo vera & proprie dicta peccati *pœna ex condigno expietur*. Illa vero *punitio*, qua ipſum *peccatum puniri* ait Auguſtinus, non eſt ulla proprie *pœna*; ſed magnum potius *peccatoris bonum*, atque *ornamentum*, quo ipſe ab exitioſiſſima peſte liberatur. Sed non eſt, quod in hoc Auguſtini dicto diutius nunc immoremur, quod jam in ſuperioribus expendimus, atq; ita interpretandum eſſe rebus, & rationibus addiximus neceſſariis. Quo etiam referendum eſſe docuimus

L. 4. c. 4. alterum ejuſdem ſcriptoris locum, quem Bellarminus hic quoque ad errorem ſuum torquere non dubitavit; *Nihil* (inquit) *aliud agit, quem*

Ep. 56. quæ eſt ad Macedon. *veraciter pœnitet, niſi ut id, quod mali fecerit, impunitum eſſe non ſinat; Eo quippe modo ſibi non parcenti ille parcit, cujus altum, juſtumque judicium nullus contemptor evadit.* Nimirum is *ſibi non parcit*, qui nihil habet carius, aut antiquius, quam ut *peccati* vim exſcindat; qui vitium, quo implicitus fuerat, velut immanem aliquam belluam, noctu, diuque oppugnat fletu, jejunio, ejulatu, precibus; qui non indulget ſibi, ſed genium rebus etiam exoptatiſſimis fraudare mavult, quam illam peſtem in ſinu fovere; qui ſine ea etiam manu, & oculis carere beatius putat, quam his, & cæteris ſiqua dulcia ſunt, utentem ac fruentem in monſtri hujus caſſes iterum incidere. Qui *ſibi* hoc modo *non parcunt*, iis *Deum parcere* (quod ait Auguſtinus) ego quidem non nego; eos vero hac ratione *temporales* ante admiſſorum peccatorum *pœnas ex condigno* expiare, neque dicit Auguſtinus, neque ego ſane fateor.

Paran. ad pœnit. exer. Paciani in eadem locutione eadem quoque mens eſt. Deſcripta *pœnitentia*, quam lapſis ſuadet; *In quantum* (inquit) *pœnæ veſtræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet.* *Pœnam noſtram* vocat vitæ aſpera,

atque

atque,incommoda,aliaque triſtia,quibus & *pœnitentiæ* veritas demonſtratur, & vitia expugnantur : non quod hæc proprie dictæ *pœnæ* ſint, ſed quod naturæ noſtræ moleſta ſint, & acerba, ut ſæpius de ſimilibus monuimus. Iam qui his *non parcit*, qui hæc non ſegniter ſic præſtat, ut & de peccatis præteritis doleat, & ab iis in futurum caveat, *nihil ulterius errando, nihil priſtinis adjiciendo peccatis* (ut idem ſcriptor in eodem opere loquitur) nemo eſt qui non confiteatur Deum hujuſmodi peccatori *parcere*, hoc eſt *peccata condonare*. Qui vero ſibi *non parcunt*, eos pro temporalibus peccatorum jam dimiſſorum pœnis *ex condigno ſatisfacere*, neque dicit Pacianus, neque aliud quicquam, ex quo id legitime confici, ac concludi poſſit.

Huc etiam pertinent illa Chryſoſtomi ab adverſario allata, ex 41. homilia ad populum Antiochenum; quæ omitti à nobis poterant;cum ex 80. homiliis ad populum Antiochenum ſolæ priores 22, genuinæ ſint; cæteræ 58. centones ſint ab aliquo Florilego ex variis Chryſoſtomi operibus contexti & conſarcinati; ut vere obſervavit Fronto Ducæus Ieſuita : cui ipſe etiam Bellarminus ſuccinit. *A nobis ultionem ſumamus; ita placabimus judicem. Vltionem de ſe ipſo ſumit*, qui *peccatum* ipſe ſuum *agnoſcit, damnat, deteſtatur*; qui quam dirum ſit, quantiſque ſuppliciis dignum non ſine horrore animadvertit; qui in animum ſuum *minax* (ut ſic dicam) & *inexorabilis* inſurgit; nullas carnis excuſationes, nullos colores accipit; ſed ſe graviter, ac ut par eſt, incuſatum, nudatum, & acerrimis objurgationibus veluti flagellatum ad Domini pedes abjicit,ſuumque exitium confitens, unicam ejus miſericordiam nocturno, diurnoque fletu invocat. Hæc ſontis in ſe ipſum animadverſio, hæc ſui criminis dijudicatio, ultio vocatur, etiam ab eo, qui cecinit,

Hom.41. ad pop. ant.

Not. ad Tit.1. Chryſ. p.1.2. & 54.

L. de Scrip. Eccl.ad an.400. in Chryſ.

—— *prima hæc eſt ultio, quod ſe*
Iudice nemo nocens abſolvitur. ——

Nam præterquam quod ſonti, qui eam in ſe exercet, peracerba eſt, habet etiam neſcio quid judicio prætorio ſimile; quod animus in ſcelus ipſe ſuum primo inquirit; mox è latebris ductum corripit, & quid ſit meritum recognoſcit; unde arcanus exiſtit pudor, dolor, luctus, metus. Hanc igitur ob ſimilitudinem ille *pœnitentiæ* ſenſus, ac ſtimulus *ultio* eleganter dicitur; tametſi nemo neſciat, ſi proprie loquendum ſit, ſontem eo, quod ſe ipſum tacitus *condemnat*, neque *pœnas* ſceleri ſuo publicis vel Dei, vel hominum legibus latas *expendere*, neque pro iis *ex condigno ſatisfacere*. Alioqui peccarent judices, qui nocentes nihiloſecius agunt in furcam, quantumvis eos conſcientia aculeis ſtimulatos,

latos, ac confeſſos fuiſſe videant. Denique hæc loquendi ratio illam *ex condigno* pro peccati pœnis *ſatisfactionem* adeo non inducit, ut etiam Calvinus noſter, cujus de hoc argumento ſatis ſuperq; nota eſt ſententia, ipſe ita loqui non dubitet, plane ad Auguſtini, & Paciani exemplum; *Quo ſeveriores in nos ſumus* (inquit) *& acriore cenſura quæſtionem habemus de peccatis noſtris, eo ſperare debemus magis propitium, ac miſericordem Deum. Et certe fieri non poteſt, ut anima divini judicii horrore perculſa partes ultionis in exigenda de ſe pœna non occupet.* Alibi *ſatisfactionis* dogma ex profeſſo refellens; *Qui peccati pœnas avertere cupit, non eſt, quod ſtudeat ſatisfactione aliqua quod deliquit expungere; ſed ſe quibuſcumque poteſt modis cum ad humilitatem, tum ad veram reſipiſcentiam erudiens, ſui ipſe peccati ultor ſit homo, ne Deum experiatur ultorem. Qui Deum ſibi vult parcere, ipſe ſibi nec parcat, nec indulgeat. Qui erigi vult à Deo, ſe ipſe humiliet. Sed hoc totum nihil ad mutuam compenſationem. Nam qui in hunc modum de ſe pœnas ſumunt, quo præveniant Dei judicium, conſtituunt ſibi nihilominus in Chriſti ſacrificio non modo culpæ expiationem, ſed pœnarum etiam, quaſcumque meriti ſunt, veniam.* Hactenus Calvinus.

l. 3. inſt. c. 3. ſ. 15

In opuſc. de vera reform. eccl. rat. contr. Interim. op. p. 320. col. 2. extr.

l. 6. in eccleſ. c. 7.

Porro ex ſuperioribus facile eſt explicare illa Rabani Mauri à Bellarmino allata; *Quid eſt aliud pœnitere, niſi iraſci ſibi, ut horreat quod fecit, & cruciatus à ſe exigat, ne judex iratus potius affligat?* Scilicet quo intentior eſt noſter de admiſſis peccatis dolor, quo acriores conſcientiam pungunt aculei, eo *pœnitentia* major, ac verior eſt. Ideo judex in eos minime ſævit, quos ſic afflictos offendit; non quod hi eorum dolores, atque cruciatus pro *pœnis*, quas merebantur, *ex condigno ſatisfaciant*; ſed quod divina clementia omnibus vere pœnitentibus indulgentiam & promiſerit, & præſtet.

CAPUT III.

Solvitur objectio V. ex illuſtri Gregor. Naz. loco ducta, qui explanatur, & vindicatur.

Or. in. ſ. lumin. T. 1. p. 635. e

HIc etiam explicandus nobilis Nazianzeni locus ex oratione triceſima nona; ubi poſtquam multa de *pœnitentiæ* (ut vocat) *baptiſmo* dixiſſet, converſo in Novatianos ſtilo ſic concludit; ὁμοίως γάρ ἐστι κακὸν, καὶ ἄνεσις ἀσωφρόνιστος, καὶ κατάγνωσις ἀσυγχώρητος. ἡ μὲν ὅλως ἐφιεῖσα τὴν ἡνίαν. ἡ δὲ τῷ σφοδρῷ κατάγχουσα. *In eodem enim vitio ſunt indulgentia omnino animadverſionis expers, & condemnatio venia omni carens; illa omnes habenas laxans; hæc ob vehementiam ſtrangulans.*

Qua

Qua ſententia (inquit Bellarminus) *pulcre refellit Novatianos, & Lutheranos. (licet hi nondum nati eſſent.) Novatiani enim caſtigationem admittebant ſine ſpe abſolutionis; Lutherani contra abſolutionem ſine caſtigatione concedunt. Quare ſicut Cyprianus dixit illos* ſubtraxiſſe de ſatisfactione medicinam; (*l.4.ep.2.*) *ita nos dicere poſſumus de Lutheranis eos è contrario* ſubtrahere de medicina *ſatisfactionem*. Hæc Bellarminus; neque dubito, qnin ei præcordia, dum hæc ſcriberet, præ gaudio exſilierint, ſibi ipſi de ſophiſmatis hujus acumine plaudenti. Ego vero inprimis reſpondeo etiamſi Gregorii locum, ut ille accepit, ſic accipiendum eſſe donarem, non ideo tamen ex eo quæſtionem concluſum iri. Non enim quæritur an lapſorum crimina ſine omni omnino animadverſione tranſmitti vel à Deo, vel ab Eccleſia deceat; (quod nulli Lutherani contendunt) ſed an illa ſive Dei ſuos ob peccata flagellantis, ſive Eccleſiæ in fidelium crimina animadvertentis diſciplina, vel proprie dicta *pœna* ſit, vel certe pro *pœna ex condigno ſatisfactio*; quorum neutrum ait Nazianzenus. Eſto ergo; Deus ſuorum lapſibus ne ſic indulgeat, ut non aliqua etiam *animadverſione corripiat*; non tamen ideo fiet, ut *paterna* hæc ejus *ferula* illa proprie *pœna* ſit, quam lex in peccata ex jure conſtituit; quod nos fuſe ſupra confutavimus. Eſto item; Ne Eccleſia *pœnitentibus* crimina ſine cenſura *remittat*; non ideo tamen ſequetur has ejus cenſuras ex condigno pro peccatorum temporalibus pœnis *ſatisfacere* in *inferno* olim *purgatorio* (ut iſti fabulantur) luendis. Iis ego lapſorum *pœnitentiam probari*, atque ſtimulari; *fidem* & ſanctimoniam *excitari*, omnium in commune fidelium modeſtiæ, atque timori *conſuli*; non *pœnas* ullas ex jure *compenſari* dicam. Atque ita in auras abiit omne hoc Bellarmini & acumen, & gaudium. Huc accedit, quod neque Gregorii hoc loco mentem is videtur cepiſſe; quod à Camerio noſtro jam pridem eſt obſervatum. Bellarminus enim hunc ei ſenſum tribuit, ut velit *peccatum*, neque ullum ſic *puniri*, ut *nihil ejus remittatur*; neque ulli ſic *indulgeri*, ut *non aliquid ejus puniatur*; quæ ſunt abſurdiſſima. Nam & Deus, & Eccleſia incredulos, & impœnitentes quidem ſic condemnant, ut *nihil eis remittant*; juxta illud Apoſtoli, *judicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam*; credentibus vero, & *pœnitentibus*, etiam ex adverſariorum confeſſione ſæpe, certe in baptiſmo ſemper, ſic indulgent, *ut nihil omnino* in eos *animadvertant*. Ergo ex Bellarmini ſenſu & illorum καταγνώσις ἀσυγχώρητος, & horum ἄνεσις ἀσωφρόνιστος fuerit; quam cum utramque juxta vitioſam eſſe pronuntiet Gregorius, ſi hæc eo ſenſu dixit, quem vult adverſarius, fatendum erit eum & Dei & Eccleſiæ judicia plurima vitioſa cenſuiſſe; quod

l.4.de pœn. c.9. & S.Greg.Naz.

panſtr.l.23.cap.16.

Iac.2.

de tanto viro ſuſpicari nefas eſt. Sed ejus quidem mens, ſi hæc verba, ſepoſita Bellarminiana gloſſa, per ſe ſpectentur, plana ac perſpicua eſt. Nimirum *κατάγνωσιν ἀσυγχώρητον* vocat, quæ omnes poſt baptiſmum peccantes inexorabiliter damnatos ſpe veniæ ſummovet; *ἄνεσιν* vero *ἀσωφρόνιστον*, quæ contra omnibus omnino peccantibus ſine diſcrimine indulget. Mediam ipſe inter duo hæc æque vitioſa extrema viam probat; quæ peccantium diſcrimina obſervet, ac pro diverſa eorum ratione aliis *indulgeat*, alios *condemnet*; pœnitentiæ legem omnibus in commune lapſis ad obtinendam veniam ferat; qui eam præſtiterint, fletuque, ac obſequio, & exomologeſi ſuam de peccato pœnitentiam affirmaverint, eos *abſolvat*; qui ſecus faxint, *condemnet*. Ita neque erit *ἀσυγχώρητος ἡ κατάγνωσις*, neque *ἀσωφρόνιστος ἡ ἄνεσις*; quod ille utrumque *ὁμοίως κακὸν* judicat. Atque hunc ſenſum ipſa ejus diſputatio neceſſario poſtulat. Diſputat enim eo loco contra Novatianos; quibus hoc quidem concedit non debere indulgentiam eſſe *ἀσωφρόνιστον animadverſionis omnino expertem*; illud vero negat, quod ipſi porro mordicus tuebantur, *κατάγνωσιν condemnationem* eſſe debere *ἀσυγχώρητον omni venia carentem*. Hæc ergo verba Novatianorum dogma proprie continent. Iam nemo neſcit hunc iſtorum errorem fuiſſe, non quod aliqua peccata *ſine ulla venia*, punirent, aliis *ſine ulla pœna* indulgerent; ſed quod plane omnibus poſt baptiſmum quidem commiſſis nullam ab Eccleſiæ miniſtris *veniam*, aut *remiſſionem* dandam eſſe putarent, etiamſi qui peccaverunt accurratiſſima pœnitentia defuncti ſint. Vnde evidentiſſime conſequitur *ἀσυγχώρητον κατάγνωσιν* hic eſſe Gregorio, quæ peccantes ſic damnat, ut eorum nemini quantumvis pœnitenti, quantumvis à vitiis ad ſanctimoniæ ſtudium vere converſo, remiſſionem donat. Hæc enim proprie fuit Novatianorum hæreſis. Atque hinc è contrario apparet, quid ſit illa *ἀσωφρόνιστος ἄνεσις indulgentia omnis animadverſionis expers* in altera antitheſeos velut lance ab hoc Theologo collocata. Ea nimirum *ἄνεσις* eſt, quæ *καταγνώσει τῇ ἀσυγχωρήτῳ* tota (ut ſic dicam) diametro oppoſita peccata omnia remittit. Hæc neminem peccatorem, quantumvis impœnitentem, *rejicit*; illa neminem, quantumvis pœnitentem, *abſolvit*. Sinum hæc omnibus, illa nulli pandit. Habenas omnes hæc effundit; illa ſubſtringit. hæc neminem damnat; illa nemini indulget; hæc neminem *σωφρονίζει*; illa nemini *συγχωρεῖ*; utraque ex æquo in omnes vel mollis, vel dura; vel facilis, vel inexorabilis. Hic omnino eſt verus, ac germanus loci Gregoriani ſenſus. Eat jam Bellarminus, & Lutheranos hic denotari jactet; quaſi vero *promiſcuam* illam in omnes peccatores *indulgentiam* Luthe-

Lutherani ulli probent; quaſi non & ipſi fateantur cum Gregorio ſeveritatem, & clementiam aliqua alteram alterius mixtura eſſe temperandam, ut peccatores neque impœnitentes *abſolvantur*, neque pœnitentes *damnentur*.

Quod vero quædam Cypriani in Novatianos verba παρῳδῶν, ut illos *de ſatisfactione medicinam*, ita nos *de medicina ſatisfactionem ſubtrahere* ait; ludit in vocabuli ambiguo. Nam *ſatisfactionem* quidem, quo Bellarminus intelligit ſenſu, omnino (fateor) repudiamus; opus ſcilicet *ex condigno pœnas peccatis debitas compenſans*; quo vero accipit Cyprianus, admittimus; nimirum *humilem de peccatis noſtris ad Deum deprecationem*, quam pœnitentibus ad hoc, ut Dominum exorent, veniamque delictorum impetrent neceſſariam eſſe non negamus. Sed quo res tota clarius perſpiciatur de *ſatisfaciendi*, & *ſatisfactionis* vocabulis, deque iis, quas veteres appellabant, *ſatisfactionibus*, fuſius & enucleatius dicendum eſt.

Quod antequam facio, inprimis teſtor non eſſe hanc nobis mentem, quam adverſarii per ſummam ſycophantiam paſſim nobis tribuunt, diſciplinam, *Eccleſiæ ſepem, morumque cuſtodem* evertere, vel labefactare. Fatemur ſine ea nullam rempublicam, nullam familiam, aut ſocietatem poſſe conſiſtere; Eccleſiam adeo ſalutari ejus fræno regendam; paſtoreſque, & miniſtros Dominicæ domus ſumma cura vigilare debere, ut ſiqua apud ſuos admittantur flagitia, vel ſcelera, ea cenſuris coërceantur Chriſti voluntati, euangeliique ingenio conſentaneis. Id enim fieri, & ipſorum peccatorum intereſt, ut caſtigati reſipiſcant, & cæterorum, ne eos ſceleratorum hominum vel exemplum inficiat, vel impunitas ad delinquendum provocet. Itaque omnino præclare pro ſua ſapientia & Apoſtoli conſtituerunt, & Patres docuerunt, atque uſurparunt, ut Eccleſia ſummoveretur ſiquis flagitium, Chriſtiana militia indignum, admiſiſſet, tamdiuque cœleſti Domini menſa, ſacra communionis, ac ſocietatis noſtræ teſſera, excluderetur, donec reſipiſcentiæ, atque emendatioris vitæ certa teſtimonia dediſſet. Abſit, ut ſaluberrimum inſtitutum & Apoſtolorum auctoritate, & Patrum uſu, & omnium propemodum Chriſtianorum conſenſu firmatum, ac ſtabilitum nos convellendum putemus; quod & publice in communibus Eccleſiarum noſtrarum confeſſionibus probavimus, & quo ad ejus fieri poteſt accurate tenemus; ac, ſi hominum tum noſtrorum ingenium, tum aliorum, quibus nos Deus ſubjecit, auctoritas pateretur, etiam fortaſſe multo, quam nunc apud nos fit, & diligentius, & ſanctius obſervaremus. Cæterum qui de re conſentimus, ultro ac libere confite-

mur nos modum, quo ea apud adverſarios exercetur, nequaquam probare poſſe. Nam ut de cæteris nihil nunc dicam, de poteſtate illa regia, quam ſibi eorum ſacerdotes in hominum conſcientias arrogant; de confeſſionis arcanæ tormento, quo eos abditiſſima mentium ſibi nudare cogunt; deque aliis permultis, quæ non ſunt hujus loci; illud certe, quod jam oppugnamus dogma, ſummopere averſamur, quo ſtatuunt opera illa, quæ peccatores vel ultro, vel ex ſacerdotis mandato ſuſcipiunt, eam apud Dominum vim habere, ut ei pro *pœnis* temporalibus *ex condigno ſatisfaciant*. Ac de veterum quidem diſciplina, de qua multa quæri poſſunt, & vero apud ipſos adverſarios magna hodie animorum contentione quæruntur, non eſt animus pluribus dicere. Qualiſcumque ea fuerit, hoc certe defendimus ignotam veteribus fuiſſe illam de *ſatisfactionum* humanarum dignitate opinionem, quæ apud adverſarios invaluit.

CAPUT IV.

Solvitur objectio ſexta; à ſatisfaciendi, & ſatisfactionis vocabulis petita, quibus frequentiſſime utuntur Patres. Eæ voces explicantur; ac ex Latini ſermonis uſu, ex etymo, ac denique tum illuſtrium auctorum teſtimonio, tum rerum ipſarum invicta ratione demonſtratur plane aliud ea olim, quam nunc ſignificaſſe.

HÆc præfati, nunc ea expendamus, quæ ex Patribus Bellarminus objicit; quæ omnia ab ejus diſciplinæ, quæ apud veteres in uſu fuit, vel vocabulo, vel natura, vel effectis ſumpta ſunt.

A vocabulo quidem. Nam pœnitentia fungentem *ſatisfacere* & ipſa pœnitentiæ opera *ſatisfactiones* dicunt. Tertullianus; *Offendiſti* (inquit) *ſed reconciliare adhuc potes. Habes, cui ſatisfacias, & quidem volentem.* Idem alibi; *Simul enim & de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis & ſpiritus, & ſubſequuturis tentationibus munimentum præſtruimus.* His & cætera jungenda ſunt, ſparſim ab adverſario allata, in quibus alii Patres eodem modo loquuntur. Origenes de fideli, ſed lapſo, verba faciens; *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat, quod admiſſum eſt.* Idem alibi: *Humilia te ipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ.* Cyprianus, de iis, qui lapſis ante peractam pœnitentiam pacem dabant; *Elaborant* (inquit) *ne Deo indignanti ſatisfiat.* Item; *Hæc* (inquit) *qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros, ut qui poſſunt agere pœnitentiam*

l. de pœn. c.
l. de habit. extr.
Hom.6. in exod.
Hom. 3. in jud.
l.1. Ep.2.
l.3. Ep.14.
Pam. Ep.10.

tiam veram, Deo patri & miſericordi precibus, & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, ut magis pereant. Alibi poſtquam ſolennes in Eccleſia pœnitentiæ ritus deſcripſit, *Qui ſic Deo ſatisfecerit,* (inquit) *qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.* Serm. de lapſ. extr.

Lactantius; *Volens* (inquit) *vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere* (Deus ſcilicet) *pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, ut ſi cor nudaverimus, id eſt ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur.* Idem alibi; *Deo* (inquit) *ſatisfacere licet.* Idem in eodem opere de homine lapſo; *Poteſt* (inquit) *reduci, & liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora converſus ſatisfaciat Deo.* L. 4. c. 17. L. 5. c. 13. L. 6. c. 24.

Auguſtinus; *De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit.* Item; *Non ſufficit mores in melius commutare, & à male factis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo.* Enchir. c. 71. Hom. 50. c. 15.

Salvianus: *Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando ſatisfaciet, qui tempus ſatisfactionis amiſit?* In his, pluribuſque aliis, quæ afferri poſſent, *habemus* (inquit Bellarminus) *nomen ſatisfactionis, quod Lutherus ſublatum cupiebat; habemus ſatisfieri Deo, non autem ſoli Eccleſiæ, ut adverſarii docent.* Sed nunc quidem quid nos doceamus, non quæritur. Quæritur, quid doceant Patres. Nos vero non negamus illam *ſatisfactionis* vocem Luthero ob recentiorum abuſum non immerito inviſam, apud veteres paſſim in hoc argumento occurrere; neque inficiamur, quin ii etiam Deo, non autem ſoli Eccleſiæ, *ſatisfieri* à pœnitentibus ſæpe dicant. Res vel ex iis, quæ nuper deſcripſimus, manifeſtior eſt, quam ut negari queat, niſi ab iis, quibus frons & pudor periit; quales nos Dei gratia, non ſumus. Quid ergo eſt? An hic herbam adverſariis porrigemus? Sane; ſi de verbis, ac ſyllabis nudis controverſia eſt. Nos vero abſit, ut in Chriſti ſchola de vocibus meris digladiemur, & bonas horas in contentione nihil male perdamus. De rebus, non de vocibus certamus. De verbis, modo quæ iis ſignificantur, vera ac recta ſint, non ſumus admodum ſolliciti. Hic igitur Patrum non verba, ſed ſenſus inveſtigamus; neque jam quærimus, an illi cum adverſariis ſi forte locuti ſint, ſed an cum iis ſenſerint. Fateor quidem *ſatisfaciendi* vocabulum eam interdum habere vim, quam iſti ei nunc tribuunt; ut cum Chriſtum dicimus pro peccatis noſtris morte ſua *ſatisfeciſſe*: id ipſum apud Patres in locis objectis ſignificare nego. Ipſe certe Bellarminus verbum hoc non ſemper apud veteres eo ſenſu L. 1. de miſer. L. 4. de pænit. c. 9. §. Tertullian. L. 4. de pænit. c. 16. §. Mirror.

accipi ſatis fatetur, dum à Calvino objecta quædam Ambroſii verba ſolvens, *Ille* (inquit) *nomine ſatisfactionis eo loco excuſationem, ſive defenſionem criminis apertiſſime deſignavit*; eodemque modo accipiendum monet, quod apud Latinum novi fœderis interpretem occurrit, *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe*; & in Actis, *Bono animo pro me ſatisfaciam.* Iam igitur inveſtigandum eſt, cum *ſatisfaciendi* vocabulum ſit πολύσημον, ac (ut loquuntur) *æquivocum*, quid eo Patres intellexerint in locis, nuper deſcriptis, aliiſque conſimilibus; quod ut eluceſcat, res ab ipſa origine repetenda eſt.

1. Petr. 3.

Act. 24.

Certe *ſatisfaciendi*, & *ſatisfactionis* voces apud vetuſtiſſimos, ac probatiſſimos linguæ Latinæ auctores, à quibus ad nos fluxerunt, clarum eſt longe alio, quam in hac apud adverſarios controverſia, ſenſu uſurpari. Apud hos enim *ſatisfacere*, ut ipſi definiunt, is proprie intelligitur *qui tantum facit, quantum qui læſus eſt, juſte & ex jure exigere potuit*, ſive *quantum ad injuriam compenſandam ex jure ſcilicet ſatis eſt.* Itaque in omni *ſatisfactione* volunt proportionem & æqualitatem aliquam intercedere inter injuriam, pro qua ſatisfit, & eam ſive actionem, ſive paſſionem, qua *ſatisfit*; ut ſi ex jure agatur, ne is quidem, cui *ſatisfit*, conqueri poſſit minus ſibi fuiſſe præſtitum, quam quod debebatur. Apud Latinos illos ſcriptores ſecus eſt. Nam Vlpiano auctore *ſatisfacere* dicimur ei, cujus *deſiderium implemus*; & quocumque modo ab obligatione receſſum eſt, dicitur *ſatisfactum*; ut eſt apud Iuris interpretes, qui id multis exemplis confirmant. Itaque veteres Romanæ linguæ auctores *ſatisfacere* etiam eum dicunt, qui vel facto, vel verbis teſtatur *ſibi dolere*, quod alterum læſerit, ultionemque ſimpliciter *deprecatur*, & velle ſe in gratiam cum eo redire ſignificat; etiamſi de reliquo nihil omnino agat, vel patiatur, quod injuriam, quam ſibi condonari poſtulat, *compenſet*, vel ullam cum ea proprie dictam rationem habeat. Res apertiſſima eſt apud Plautum in prima fabula, in qua Alcmena, Amphitruoni iratior, à quo ſe contumelioſis verbis læſam fuiſſe conqueritur, profitetur ſe non aliter cum eo redituram in gratiam, niſi ſatisfecerit,

L. 1. ff. qui ſat. cog. Lex. jurid. Calv. in verbo ſatisfacere.

Amphitr. Act. 3.

——— *Quin ego* (inquit) *illum, aut deſeram,*
Aut ſatisfaciat mihi; atque adjuret inſuper
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

Tum is, quem illa decepta Amphitruonem eſſe putabat, legem accipit; eique *ſatisfacit*; Sic autem *ſatisfacit*, ut nihil aliud, quam erroris veniam ab ea poſcat, & juret, quæ de ipſius pudicitia jurgans ſecus dixerat, ſe ea falſa credere,

Per dexteram tuam te Alcumena, oro, obſecro,
Da mihi hanc veniam, ignoſce; irata ne ſies.
Tum: *Mane*, inquit. *arbitratu tuo jusjurandum dabo*
Me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier
Id ego ſi fallo, tum te ſumme Iuppiter,
Quæſo Amphitruoni, ut ſemper iratus ſies.

Ex his liquet, quid priſcis Latinis fuerit *ſatisfacere*; idque in hunc ipſum Plauti locum annotavit Dionyſius Lambinus, vir linguæ Latinæ peritiſſimus. Ad hæc enim Alcmenæ verba *atque adjuret inſuper, Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit*, ita ſcribit; *Satisfactionis formula. Erat enim hoc in more poſitum apud veteres illos Romanos, ut ſiquis alterum verbo, aut facto læſiſſet, is jurejurando interpoſito ei ſatisfaceret, hoc modo; indignum illum eſſe illa injuria, & nolle ſe id, quod fecerit eſſe factum. Sic Terentius Adelphis, Ego veſtra hæc novi; nollem factum; jusjurandum dabitur, eſſe te indignum injuria hac.* Hactenus Lambinus. Atque in eo ſenſu paſſim apud cæteros occurrit *ſatisfaciendi* vocabulum. Cœlius apud Ciceronem de Appii ingratitudine, & injuriis conqueſtus, *Tum quidem* (inquit) *cum aliquot amicis qui teſtes erant meorum in illum meritorum, locutus ſum. Poſtquam illum, ne cui* SATISFACERET *quidem, me dignum habere ſenſi, malui*, & quæ ſequuntur. Suetonius in Iulio; *Valerium Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat ſatisfacientem eadem die adhibuit cœnæ.* In quem locum hæc quoque habet Lævinus Torrentius, Antverpienſis epiſcopus, *Solebant* (inquit) *qui verbis aliquem læſerant, jurare nolle ſe ea dicta eſſe, atque ita ſatisfacere.* Neque dubitandum, quin ita intelligendus Tacitus in Annalibus, *Satisfactum Corbuloni per Macercum*; Item; *legatos ad ſatisfaciendum populo Romano miſerat*; gens Garamantum ſcilicet, de qua illic ſermo ſit. Denique ne plura congeram, ampliſſimus Grotius, vir in omni litterarum genere excellens quidem, ſed tamen, quod nobis ſerio dolet, in adverſariorum partes multo, quam in noſtras propenſior, nuper in ſcripto quodam diallactico, dum in hoc ipſo argumento verſatur, ſic ſcripſit; *Latinis* ſatisfacere *dicitur, qui id facit, quod offenſo placet. Quippe &* ſatisfacere *illis dicitur, qui profitetur ſe nolle aliquod dictum, factumve, ut videre eſt apud Plautum, Amphitruone III. 2. Sic vocem ſatisfactionis uſurpant Cæſar, Suetonius, Aſconius, Martialis.* Iam nemo opinor, ambiget, quin ex iſtorum potius, quam ex Scholaſticorum hominum, ab omni Latinæ linguæ puritate alieniſſimorum, uſu Latinarum vocum, & locutionum ſignificatio petenda ſit, Ipſum ſane *ſatisfactionis* etymon

Cic. Ep. l. 8. Ep. 12.
C. 73.
Ann. l. 3. p. 112. & l. 4. p. 151.
Annot. in conſultat. Caſſ. ad art. 11. 12.

mon non minus huic, quam adverſariorum ſenſui favet. *Satisfacere* enim ſimpliciter eſt, id quod *ſatis* eſt, *facere*; nimirum quod *ſatis* eſt ad eum placandum, & reconciliandum, quem læſimus. Quid autem ad hoc ſatis ſit, non magis ex jure quam ex æquo & bono; neque ab ejus qui læſus eſt, lenitate minus quam juſtitia æſtimandum eſt. Si enim ea ſit illius humanitas, ut *ſatis* habeat ad hoc, ut injuriam, & offenſionem condonet, blanda, atque humili prece adiri, profecto *ſatis* ei *fecit*, qui peccatum confeſſus, pœnam, atque odium deprecatus eſt: omninoque *ſatisfacere*, ſi vim ipſam vocis ſpectes, id eſſe videtur, quod ex noſtro vernaculo *contentare* barbare dicitur; atque ita, neque aliter, uſurpavit Tertullianus, quo loco ait, *qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere*, eum *ſi reſciſſa, & refixa pœnitentia in ſcelera prolabatur, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfacere, futurumque tanto magis peroſum Deo, quanto æmulo ejus acceptum.* Ne ipſi quidem adverſarii negaverint non eo ſenſu diabolo *ſatisfacere* eum, qui in peccata relabitur, quo ipſi volunt pœnitentem Deo precibus & jejuniis *ſatisfacere*. Et tamen in utroque argumento eandem vocem nullo diſcrimine uſurpat Tertullianus. Nimirum, quia pœnitentiam, & qui agit, id facit, quod Deo placet, & qui refigit, id agit, quod diabolo gratum & acceptum eſt, uterque *ſatisfacere* dicitur, ille Deo, hic diabolo. Atque hinc ducta eſt ipſa illa *ſatisfactionis* quæ à Bellarmino obſervata eſt, ſignificatio; cum is *ſatisfacere* dicitur, qui objectum crimen purgat, aut aliquid quærenti apte & convenienter reſpondet; quia ſcilicet vel accuſantis aut judicis, vel interrogantis animum ſedat, eumque ut barbare loquar, *contentat.* Cum igitur Deum optimum, ac clementiſſimum, & in hominum genus facilem, & placabilem eſſe conſtet, neque aliud à miſeris peccatoribus, qui ipſius numen læſerunt, ad hoc, ut eis reconcilietur, & offenſas omnes condonet, exigere, niſi ut ſcelerum ſerio pertæſi, eorumque abjecto ſtudio ad ſanctimoniam convertantur; cum hoc ipſe in ſacris litteris, ſexcentis locis profiteatur, ſanctiſſimeque conteſtetur; qui intellecta delictorum, ac criminum ſuorum magnitudine, ad eum ſupplices accedunt, veniam erratorum cum lacrymis, ac ſuſpiriis poſcunt, & ad bonam frugem redeunt; non eſt dubitandum, quin ii hoc ſenſu à Latine loquentibus *Deo ſatisfacere* dici potuerint; quippe qui *faciunt, quod ei placet*, quodque ille *ſatis habet* ad hoc, ut iis, à quibus læſus eſt, peccatum condonet. Neque ex ea locutione ullo modo conſequitur, quod volunt adverſarii; nempe ut is, qui ſic *ſatisfeciſſe* dicitur, intelligatur *tantum feciſſe, quantum ex jure ab eo exigi potuit.* Itaque Patres iis locis

De pœnit. c. 5. p. 143. a

locis, quæ à Bellarmino allata nuper recitavimus, cum Latini fuerint, *Latineque*, non *Scholaſtice*, loquuti fuerint, plane hoc ſenſu *ſatisfaciendi* vocabulum uſurpaſſe reſpondeo; ut ſignificent ad veniam peccati à Domino conſequendam *tantum* à nobis fieri vel poſſe, vel debere, non *quantum* legis *divinæ jura à peccantibus exigunt*, ſed *quantum ſummæ* atque inexhauſtæ Dei optimi miſericordiæ, atque *liberalitati ſatis eſt*. Neque neceſſe eſt per ſingula ire. Hoc univerſe de omnibus dixiſſe, ſatis eſt. Vnde patet ex his Patrum dictis illud quidem ſequi, quod nemo noſtrum negat, tantam eſſe Dei bonitatem, ut crimina ac pœnas etiam iis condonet, qui poſt acceptam ejus gratiam denuo in ſcelera prolapſi ſunt, dummodo ii vera pœnitentia ſtimulati ad ipſum revertantur, ejuſque pacem confeſſione, ac non fictis lacrymis exambiant: Non ſequi, quod contendunt adverſarii, hominum pœnitentium confeſſionem, ac lacrymas parem omnino *vim*, ac *dignitatem* habere cum ipſis *pœnis*, quas erant commeriti; ut ſi vel ex legis præſcripto res agatur, ſepoſita miſericordiæ ratione, non poſſint hæ pœnæ ab iis, qui iſtis defuncti ſint, citra injuſtitiam repoſci.

Ac tametſi mihi reſpondentis partes in hac diſputatione tuenti ſufficiat objecta Patrum loca idonea interpretatione ſolviſſe, juvat tamen illuſtrandæ veritatis cauſſa aliquot argumentis demonſtrare *ſatisfactionis* vocabulum hunc, quem diximus ſenſum apud veteres habere, non autem eum, quem vulgo ei tribuunt adverſarii. Primum id ex eo patet, quod eos etiam, qui ex impietate ad Euangelii fidem ſuſcepto baptiſmo convertuntur *Deo ſatisfacere* ajunt. Cyprianus; *Hortamur, dum adhuc aliquid de ſæculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem de profundo tenebroſæ ſuperſtitionis emergere.* Fatetur Bellarminus (& res ex ultimis loci hujus verbis clara eſt) ſanctum Martyrem Paganos homines admonere, *ut ex idololatris Chriſtiani fiant*. Itaque is ex Cypriano, *Deo ſatisfacit*, qui ejerato idolorum cultu Chriſto nomen dat. Iam qui id facit, is, ne ex adverſariorum quidem dogmate, *tantum facit, quantum Deus ab ipſo ob anteacta crimina jure exigere poſſet.* Nam neque ejus à Deo averſionem, neque gehennam, quam commeritus eſt, ullis humanis operibus *compenſari* poſſe concedunt. Ergo *ſatisfacere* nequaquam eſt Cypriano, quod volunt adverſarii, *quantum jus exigit, tantum præſtare.* Cur igitur, vel quo ſenſu ait infidelem credendo, & baptiſmum ſuſcipiendo *Deo ſatisfacere*? Profecto non alio, quam quem diximus. Nimirum qui Euangelio credit, & baptizatur, tametſi neque id quod lex ab eo violata exigit, neque aliud, quod ei æquiparandum ſit, præſtet, facit tamen quod Deo placet, idque ipſum,

Tract. 1. cont. Demetrian.

L. 1. de purg. c. 13. ad obj. 1.

ſum, quod clementiſſimus Dominus ex miſericordia ſua à peccatoribus exigit, quodque ei ad hoc, ut nos in ſinum ſuum recipiat, ſatis eſt. Credit; peccati veniam poſcit; pœnam, quam eſt commeritus, deprecatur; ad Chriſtum, tutiſſimum quorumvis peccatorum aſylum, confugit; baptiſmum petit, ac libens ſuſcipit. Hoc Cypriano eſt *Deo ſatisfacere*. Itaque cum idem alibi fideles in aliquod crimen lapſos *Deo ſatisfacere* jubet, non aliter hæc ejus oratio accipienda eſt. Vult nimirum iſtas ea facere, quæ Deus ab hujuſmodi peccatoribus ad hoc, ut in gratiam ſuam redeant, in Euangelio exigit, peccata flere, deteſtari, abjicere, & ſanctitatis ſtudium de integro capeſſere. Ac ut ridiculus fuerit, qui ex priori loco concluſerit putaſſe Cyprianum fidem & baptiſmum *ſatisfactiones* eſſe, quibus infidelitas, & gehenna *ex condigno compenſentur*; (quod omnes Chriſtiani merito abominamur;) ſic omnino inepti quoque ſunt adverſarii, dum ex poſterioribus locis eumdem ſenſiſſe conſiciunt lapſorum pœnitentiam *temporales* peccatorum ab ipſis admiſſorum *pœnas ex condigno compenſare*. Idem eſt utrobique vocabulum; idem adeo ſenſus. Quin & Bellarminus nuper laudato loco non modo fatetur, ſed etiam docet, atque conſtituit Patres poſuiſſe quamdam *ſatisfactionem*, quæ *juſtificationem* præcedat, *qua Deus* (inquit) *placatur de congruo; & inclinatur ad culpæ remiſſionem*; ac de ea nobilem Danielis locum accipit, *Peccata tua eleemoſynis redime*; illam item Cypriani vocem, *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* Iam dic ſodes Bellarmine, *ſatisfaciendi*, & *ſatisfactionis* vocabula hanccine vim habent, ut quiſquis *ſatisfacere* dicitur, is eo ipſo *ex condigno*, ut vos loquimini, Deo *ſatisfeciſſe* cenſendus ſit? Si ais, cur illic affirmas *ſatisfactionem* eſſe apud Patres, etiam eam, quæ ex congruo tantum, non autem ex condigno, Deum placat? Si negas, cur hic ex nudis *ſatisfaciendi*, & *ſatisfactionis* vocabulis colligis Patres ſenſiſſe lapſos pœnitentes *Deo* ex condigno *ſatisfacere*? Profecto vel hic ſophiſtice concludis, vel illic falſa ponis. Neque vero reſpondere potes Patres tecum ſenſiſſe, nondum quidem juſtificatos *ex congruo* tantum, juſtificatos vero etiam *ex condigno ſatisfacere*. Non enim Patres iſtos magis, quam hos vel *ex congruo*, vel *ex condigno ſatisfacere* ajunt. Simpliciter, nulloque plane diſcrimine tum hos, tum illos *Deo ſatisfacere* dicunt; neque uſpiam apud eos occurrit veſtra illa *congrui*, ac *condigni*, acuta ſane & elegans, diſtinctio. Cum ergo fatearis *ſatisfaciendi* vocabulum aliter, quam vos, ſæpe uſurpare; niſi aliud aliquid afferas, fateri pariter debes in hoc nudo, ac ſimplici vocabulo veſtrum de *condigna ſatisfactione* dogma nihil habere præſidii.

L. 1. de purg. c. 13. obj. 1.

Dan. 4.

Tract. 1. contr. Demetr.

Idem

Idem quoque ex eo probatur, quod qui *ſatisfacit* apud veteres is non *pœnæ* ſolius, ut apud adverſarios, ſed ipſius etiam *culpæ remiſſionem* à Deo accipit; ut vel ex illis ipſis conſtat, quæ ſunt à Bellarmino objecta; qualia iſta erant Origenis; *pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat, quod admiſſum eſt*. Nemo neſcit quod *admiſſum eſt* id ipſum *peccatum* eſſe, non autem *peccati pœnam*. Sic Auguſtinus *de his quæ facta ſunt, Deo ſatisfaciendum* pronuntiat. Certe quæ *facta ſunt* culpas dicit, non pœnas. Ita Severus *fornicationem* (quæ peccatum eſt, ut liquet, non pœna) *ſatisfactione purgari* ait. Ex quibus luce meridiana clarius eſt aliud Patribus, aliud adverſariis eſſe *ſatisfacere*. Nam apud hos quidem, qui *ſatisfacit*, is de ipſo *delicto* ſecurus, cujus remiſſionem jam accepit, de *pœnis* tantum laborat; apud illos vero qui *ſatisfacit*, non de peccato minus, quam de *pœna* ſollicitus eſt: Neque umquam apud eos reperias *culpæ* à *pœna* ullam in hoc negotio diviſionem. Pro utraque pariter *ſatisfieri*; utramque pariter Dei benignitate condonari ajunt. Tum *peccatum* ipſum opere ullo humano *digne compenſari* poſſe ipſi negant adverſarii. At quæ apud Patres dicitur *ſatisfactio*, ea peccatum expungit; *quod admiſſum eſt delet*; *fornicationem purgat*. Non eſt ergo ea aliqua *ex condigno* compenſatio. Quid ergo eſt, inquies? Nimirum id ipſum, quod diximus, *peccati* apud Deum *confeſſio, agnitio, deteſtatio*; qua ex animo profiteris te id factum nolle, quod feceris. Hujuſmodi enim *pœnitentis* confeſſione certum eſt ab optimo Deo etiam culpæ ipſius remiſſionem impetrari; non ſane *ex juſtitiæ* vindicativæ, ſed tamen ex *clementiæ*, miſericordiæque legibus. *Dial. l. 2. c. 13.*

Tertio idem quoque confirmat, quod veteres quam commemorant *ſatisfactionem* eam remiſſionem peccati antecedere, non (ut adverſarii) ſequi volunt. Lactantius; *Pœnitentiam* (inquit) *propoſuit, ut ſi peccata noſtra confeſſi Deo ſatisfecerimus, veniam conſequamur*. Cypriano id uſque adeo fixum, & ratum erat, ut ſi aliter fiat diſciplinam ſolvi, pœnitentium ſalutem in apertum diſcrimen conjici cenſeat; idque argumentum pluribus paſſim tractat. Denique inauditum apud veteres, ut qui non *ſatisfecit*, is (quod nunc apud adverſarios ſolenne eſt) vel *abſolvatur*, vel ad Sacram communionem admittatur; niſi forte extra ordinem, cum mortis periculum pœnitentes urgebat, neque eorum reconciliationem differri ſinebat. Ergo aliud eſt veterum; aliud adverſariorum *ſatisfactio*. Illorum nimirum *ſatisfactio*, vera & legitima erat *peccati confeſſio*, qua peccator ſe, quod admiſerat, id factum nolle ſancte apud Deum, & homines teſtabatur. Nam & id ipſum eſt apud Latinos *ſatisfacere*, ut diximus; & ſine hujuſmodi *ſatisfa-* *Ep. 10. & 11. Serm. de lapſ.*

factione ne adverſarii quidem negant peccatores vel abſolvi, vel ad Chriſti menſam admitti poſſe.

Quarto id etiam inde conficitur; quod qui apud veteres *ſatisfacere* dicitur, is eo ipſo *gehennæ*, ſive *æternæ pœnæ* remiſſionem à Deo accipit. *Si de exomologeſi retractas* (inquit Tertullianus) *gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis exſtinguet; & pœnæ ipſius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Iam *exomologeſin ſatisfactionem* eſſe, & res ipſa apud Tertullianum clamat; & Albaſpineus, atque Petavius *, aliique ex adverſariis primipilares confitentur. Vnde ſic argumentari licet. Ea pœnitentis actio, qua is à gehenna abſolvitur, & liberatur, non eſt aliqua ejus *ex condigno* compenſatio; (gehennam enim ullo opere à peccatore *ex condigno compenſari* poſſe nobiſcum negant etiam adverſarii.) Veterum autem *ſatisfactio* hujuſmodi actio eſt, qua qui *ſatisfacit*, à gehenna abſolvitur, & liberatur; Ergo veterum *ſatisfactio* nulla eſt *pœnæ*, pro qua *ſatisfit*, *ex condigno* compenſatio. Item; Actio, qua peccator abſolutionem à gehenna impetrat, ea nulla alia eſt, quam humilis *confeſſio*, qua peccator ſe ea, quibus gehennam meritus eſt, infecta velle apud Deum vere, & ſerio teſtatur; Veterum autem *ſatisfactio* actio eſt, qua peccator abſolutionem à gehenna accipit; Ergo ea nihil aliud eſt, quam vera & ſincera confeſſio, qua peccator apud Deum affirmat ſe, quæ ſecus vel dixit, vel fecit, ea dicta, factaque nolle; quod ipſum cum *ſatisfaciendi* ſolenni apud veteres Latinos ſignificatione ad amuſſim congruit, ut ex ſupra dictis liquet.

De pœnit. c. 12. p. 148. b

* *Animadv. in Epiph. pag. 250. col.*

Sed neque obſcure id demonſtrat, quod qui apud veteres *ſatisfaciebant*, ii Dei miſericordiam conveniebant; At quæ adverſariorum eſt *ſatisfactio* ea Dei, non miſericordiam, ſed juſtitiam reſpicit. Qui enim *tantum* facere ſe profitetur, *quantum* ex jure debet, ei hactenus quidem nulla miſericordia opus eſt. *Deo patri & miſericordi* (inquit Cyprianus) *precibus, & operibus ſuis ſatisfacere poſſunt. Patrem, & miſericordem* Deum hic ideo dixit, quod illa venia, quam *ſatisfacientibus* promittit, divinæ ſit, non *juſtitiæ* rigidæ ſed *miſericordiæ*, atque clementiæ. Alioqui Deum non *patrem*, ſed *judicem*; non *miſericordem*, ſed *juſtum* hic dicere potius debuit.

Denique id ipſum confirmant ex *ſatisfactionis* deſcriptiones, quæ in ipſis illis Patrum objectis locis habentur. Sic enim Lactantius eam deſcribit, *Si peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus.* His enim verbis obiter docet, quid ſit *Deo ſatisfacere*; nimirum *peccata confiteri*; oſtenditque eo ipſo, quod *peccata noſtra confitemur*, *Deo* nos *ſatisfacere*. In

loco

loco ſequenti fuſius id declaravit; *Poteſt* (inquit) *reduci*, *& liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora converſus ſatisfaciat Deo.* Significat nimirum illam, quam peccator Domino debet, *ſatisfactionem* eo contineri, ut actorum quidem ipſum pœniteat, ſimulque ut *ad meliora convertatur*. Quo ſenſu dixit etiam Gennadius *pœnitentiæ ſatisfactionem eſſe cauſſas peccatorum exſcindere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere.* *l. de eccleſ. dogm. c. 54.* Nimirum qui hæc præſtat, is quod Deo, quem læſerat, gratum eſt, facit; eoque egregie teſtatur ſe anteactæ vitæ pœnitere. Cyprianus; *Peccatum ſuum ſatisfactione humili, & ſimplici confitentes.* loquitur de *lapſis*, quorum *ſatisfactio* qualis ſit his verbis definit; erat ſcilicet *humilis ac ſimplex confeſſio.* Quæ cum ita ſe habeant concludendum eſt *ſatisfaciendi* vocabulum idem omnino apud Patres in hoc negotio ſignificare, quod apud ſcriptores de ſæculo Latinos; nimirum teſtari, ac jurare te quæ dixeris, aut feceris, dicta factaque nolle; eaque *pœnitentiæ* tuæ ſignificatione, tum delicti, & offenſionis veniam, tum ejus, quem læſeras, gratiam, ab ipſo impetrare. Vnde factum eſt, ut omnem peccatoris pœnitentis actum, qui Deo placet, ejuſque veniam, ac gratiam impetrat, *ſatisfactionem* dixerint; ut Cyprianus ſupra Paganorum ab infidelitate, & idololatria reſipiſcentiam, & baptiſmum, qui eam ſequitur; Auguſtinus vero etiam levium, & quotidianorum peccatorum, quibus nulla in Eccleſia veteri indicta erat ſolennis pœnitentia, orationem quotidianam *ſatisfactionem* eſſe ſcripſerit. Sed quia nobilis inprimis erat lapſorum fidelium *pœnitentia*, in ea potiſſimum, ac ſingulari quadam ratione hæſit apud veteres *ſatisfactionis* vocabulum. Eo enim nomine paſſim, ac fere ſemper vocant actus fidelium pœnitentium, *confeſſionem*, *fletum*, *mœrorem*, *ſqualorem*, *orationem*, *jejunia*, *eleemoſynas*, *corporis proſtrationes*, *cilicia*, & cætera pœnitentibus illorum ſæculorum ſolennia; non quod hujuſmodi rebus *pœnas* peccatorum *temporales* ab iis *ex condigno compenſari*, adeoque *redimi* putarent; (de quo adverſariorum commento illi ne per ſomnium quidem unquam cogitaſſe videntur;) ſed quod pœnitentes his, aliiſque ejuſdem generis actibus apud Deum, atque Eccleſiam profiterentur ſibi de admiſſis peccatis vehementer dolere, eaque ſe facta nolle, adeoque ex animo cupere in Dei gratiam redire; quod (ut docuimus) proprie *ſatisfactio* dicitur Latine loquentibus. Quia vero ea eſt Dei bonitas, ut is hujuſmodi *pœnitentiæ* ſignificationem, ſi vera, ac ſincera ſit, numquam aſpernetur, ſed peccatorum, qui ea fungitur, favore ſuo placatus, ac benevolus certo excipiat, ac dignetur, in eumque gratiæ gradum, è quo exciderat, indubie reſtituat; inde factum eſt, ut apud

veteres *ſatisfacere Deo* ſæpe hunc ipſum quoque rei eventum complectatur, ſignificetque Deum *exorare*, atque ejus benevolentiam,& gratiam *impetrare.* Hæc omnino eſt *ſatisfactionis* ſignificatio apud Patres in locis, tum ab adverſario objectis, tum in aliis fere omnibus, in qui-

L.de pænit. c. 9. p.146.d

bus ea vox occurrit. Tertullianus; *Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur; non quidem, ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Satisfactionem* ait *confeſſione diſponi*, quod quiſquis ei quem læſit, *ſatisfacit*, primum omnium delictum, pro quo *ſatisfacit*, confite-

l.1.ep.3.

tur. Inde incipit omnis vera *ſatisfactio.* Cyprianus; *Datur opera, ne ſatisfactionibus, & lamentationibus juſtis delicta redimantur. Satisfactiones*, ut dixi, vocat ſolennes legitimæ pœnitentiæ actus, quibus peccator

Serm.de lapſ.

teſtatur quæ admiſit, facta nolle. Idem alibi; *Dominus orandus eſt;*

paran. ad pœn. extr.

Dominus noſtra ſatisfactione placandus. Sic Pacianus; *Ecce polliceor, ſi ad patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil priſtinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid, & flebile, Peccavimus in conſpectu tuo pater; jam non ſumus digni nomine filiorum; continuo de vobis, & pecus illud recedet immundum, & ſiliquarum eſca deformis. Satisfactionem* definit præteritorum peccatorum abdicatione, & pœnarum deprecatione, humilique apud Deum indignitatis noſtræ confeſſione; qualis ea fuit, qua prodigum illum adoleſcentem dilapidatis bonis apud patrem functum fuiſſe memorat euangelica parabola; quem non puto quemquam exiſtimare ſua illa ſatisfactione delicti pœ-

hom.50.c.11.

nas *ex condigno* expiaſſe. Eodem ſenſu *ſatisfactionis* vocem uſurpat Auguſtinus. *Veniat* (inquit) *peccator ad antiſtites, per quos in Eccleſia claves miniſtrantur, & tamquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis*

Ep.1.c.7.

ſuæ modum. Sic cæteri loquuntur. Innocentius I. ſic intelligit,dum pœnitentem ait *tum demum debere dimitti, cum ſacerdos viderit congruam ſa-*

Ep.22.c.4.

tisfactionem; & alibi ubi ſcribit *longa ſatisfactione crimina, vel vitia au-*

Ep.79.ad Nic. c.5.

ferri. Leo *pœnitentiæ ſatisfactionem* vocat, eamque vult *non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione ſpectari*; & alibi ait *ſalubri ſatis-*

Ep.1.ad Theod. Ep.92. ad ruſt. c 2.

factione pœnitentes purgari. Eandem quoque intelligit,ubi de ſacerdotibus pœnitentibus loquens, *Vnde* (inquit) *hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt petenda ſeceſſio, ut illis ſatisfactio, ſi fue-*

Ep.5. ad epiſc. Brut. & Luc.c.23.

rit digna, ſit etiam fructuoſa. De ea pariter intelligit Gelaſius, *Viduæ* (inquit) *quæ propria voluntate profeſſam priſtini conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum ſatisfactione placare debeant.* Maximus, quod doloris, & lacrymarum plena eſſet,

mœſtam

mœſtam pœnitentiæ ſatisfactionem vocat; *Non reprehenditur*, (inquit) *ille, qui dudum corde devio, & lubricis greſſibus à tramite elapſus ſalutis, reintegrare ſe Deo mœſta pœnitentiæ ſatisfactione conatur.* Sulpitius Severus loco, quem jam ſupra attigi; *fornicatio* (inquit) *deputatur ad pœnam, niſi ſatisfactione purgetur.* Gregorius; *Corrigibilia equidem peccata portantur, quia poſtquam à delinquentis voluntate diſcedunt, purgari ſatisfactione ſalubriter poſſunt.* Iſidorus; *Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum ſuum legitima ſatisfactione plangit.* Beda denique; *Delectatio* (inquit) *ſeu voluntas peccandi, quando ad ſatisfactionem venitur, leviter elemoſynis, & aliis talibus purgatur; conſenſus vero nonniſi gravi pœnitentia deletur; conſuetudo autem nonniſi recta, & ponderoſa ſatisfactione abſolvitur.* Atque hæc omnia deſcripſit Bellarminus. Ego vero fateor etiam longe plura afferri poſſe; in quibus illos pœnitentis actus, quos hodie adverſarii partem pœnitentiæ tertiam faciunt, alioſque, ut confeſſionem, & contritionis lacrymas, *ſatisfactionis* nomine ſignificari concedo; ideo ſic dici, quod *condignam pœnarum* peccatis debitarum *compenſationem* contineant, conſtanter nego; imo ne hoc quidem unquam veteribus in mentem veniſſe contendo, planeque aliam ab cauſſam *ſatisfactionis* vocabulum hujuſmodi *pœnitentiæ* actibus impoſitum fuiſſe ajo; nimirum quod his Deo *ſatisfieret*, id eſt quod res ei grata fieret, quaque miſericors ejus animus ad clementiam provocari ſolet; de quibus cum nuper ſatis fuſe dixerimus, non eſt quod in iis repetendis immoremur.

hom. in die cin.

l.2.dial. c.13.

l.6. in 1 reg. c. 15.

l.2. de ſum. bon. c. 13.

In pſ. 1.

Illud tantum monere operæpretium videtur, quod jam ſupra obiter attigi, hanc ipſam *pœnitentiæ* functionem, quæ *ſatisfactio* eſt apud veteres, *exomologeſin* quoque iis dictam eſſe, quod eſt, ſi Latine reddas, *confeſſio.* Ita ſumi à Cypriano in epiſtolis decima, undecima, & duodecima, itemque à Tertulliano fatetur Ieſuita Petavius in Gallica contra Arnaldum Sorbonicum doctorem diſputatione. Ac Tertulliani quidem locus in eam rem apertiſſimus eſt; Agit de *pœnitentia ſecunda*, id eſt ea, quæ ab hominibus poſt baptiſmum lapſis agitur; cujus *operoſiorem probationem* eſſe ait, *ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur*; *Is actus* (inquit) *qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum noſtrum Domino confitemur.* Mox; *Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem; de ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare*; & quæ ſequuntur, in quibus ejus quæ dicitur *ſatisfactio*, exercitia omnia apud veteres ſolennia clare exſequitur; ut dubitari non

de la pen. publ. part. 1. l. 2. c. 13. p. 262. & l. 6. c. 8. p. 12.

de pænit. c. 9. p. 146. c

poſſit,

poſſit, quin *exomologeſis* iſti omnino idem fuerit, quod *ſatisfactio.* Ergo & apud Cyprianum idem quoque eſt *exomologeſis* in epiſtolis X, XI, XII. quibus locis queritur, quod lapſi ante legitimam pœnitentiæ probationem ad communionem admitterentur; *Nam cum in minoribus* (inquit) *peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem eſpicopi, & cleri jus communionis accipiant; nunc crudo tempore perſecutionis adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace ad communicationem admittuntur, & offertur nomine eorum; & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo, aut clero impoſita, euchariſtia illis datur.* Sic in ſequentibus epiſtolis, tum ad Martyres, tum ad plebem, idem vocabulum in eodem argumento uſurpat; *Ante actam* (inquit) *pœnitentiam, ante exomologeſin graviſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab epiſcopo, & clero in pœnitentiam impoſitam, off.rre pro illis, & euchariſtiam dare, id eſt ſanctum Domini corpus profanare audent.* Et epiſtola ſequenti: *In minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agitur juſto tempore, & exomologeſis fit, inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam.* Clarum eſt his locis non eſſe Cypriano *exomologeſin* ſimplicem, ac nudam admiſſi peccati *confeſſionem*, quæ verbis, & ore fit. Ea enim lapſi illi, de quibus Cyprianus, defuncti erant, & apud martyres, à quibus libellos mendicaverant, & apud presbyteros, à quibus in communionem admittebantur. Vtriſque enim quod peccaſſent, aperuerant; neque aliter capi poteſt, qua ratione ab illis quidem *libellos*, ab his vero *jus communicationis* extorſiſſent. Atqui Cyprianus queritur nondum eos *exomologeſim* feciſſe. Ergo neceſſe eſt apud ipſum eo nomine, non nudam & ſimplicem peccati confeſſionem, ſed alios legitimos, ac ſolennes pœnitentiæ in Eccleſia actus intelligi, id eſt *ſatisfactionem.* Idque etiam ex alio Cypriani loco luce meridiana clarius apparet. Is extat in ſermone *de lapſis*; ubi *ſatisfactionem* variis argumentis lapſis commendatis inter cætera Ananiæ, Azariæ, & Miſaelis exemplum adfert; *Illuſtres* (inquit) *ac nobiles pueri, quo minus exomologeſin Deo facerent, nec inter flammas, & camini exæſtuantis incendia quieverunt. Bene licet ſibi conſcii, & Dominum fidei ac timoris obſequio ſæpe promeriti, humilitatem tamen tenere, & Domino* SATISFACERE *nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſtiterunt. Loquitur Scriptura divina, Stans* (*inquit*) *Azarias precatus eſt, & aperuit os ſuum, & exomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis.* Vides ut iſtos Deo *ſatisfeciſſe* inde probet, quod ſcriptum ſit eos *exomologeſin feciſſe* Deo. Ergo *ſatisfacere* iſti idem quod *exomologeſin facere*; neque

Ep.Pam. 10. Mor.45. al.l.3. Ep.14.

Ep.ſ. ſeq.

Ep.ſeq.

Serm. de lapſ. p.98.

neque aliud ei *ſatisfactio*, quam *exomologeſis*. Idque vocabulum ſic apud Tertullianum, & Cyprianum accipiendum eſſe aliis argumentis præter Petavium demonſtravit Albaſpineus in Obſervationibus. Exomologeſeos autem vocabulum id valide confirmat, quod ſupra docuimus; nimirum hos pœnitentiæ actus ideo *ſatisfactionem* dixiſſe veteres, non quod aliquam contineant *vicariam*, & proprie dictam *pœnæ* peccatis debitæ *compenſationem*; cum quo ſenſu nihil commune habet *exomologeſeos* nomen; ſed quod eſſent quædam & verbis, & rebus ipſis expreſſa pœnitentiæ *conteſtatio*, qua qui peccaverat, profitebatur ſe facta, dictaque nolle quæ admiſerat. Nam id ipſum ſignificat *exomologeſis*. Eſt enim non peccati tantum, ſed etiam & quidem præcipue, *doloris*, atque *pœnitentiæ confeſſio*, ac profeſſio, qua apud Deum, & Eccleſiam *lacrymis*, *precibus*, *proſtrationibus*, cæteroque, pœnitentium ſtatu atque habitu teſtaris te, & quod Deum offenderis, ſerio angi, ac dolere, & ejus gratiam, atque reconciliationem omnibus modis expetere. Vnde videre eſt idem omnino eſſe & *ſatisfactionem*, & *exomologeſin*, ſi penitius tum rem, tum vocabula inſpicias. Nam & illa, quæ apud veteres Latinos dicebatur *ſatisfactio*, ipſa etiam (ut patet) quædam erat *exomologeſis*, quia is, qui læſerat, injuriam, cujus erat reus, confitebatur, ejuſque pœnam ab eo, quem læſerat, deprecabatur. Itaque utraque vox rem eandem, ratione, ſignificat. *Exomologeſis* enim ipſam *ſatisfacientis* actionem proprie notat; (nimirum is culpam ſeu verbis, ſeu factis confitetur;) *Satisfactio* animum, ſive conſilium, & finem, ipſiuſque actionis eventum magis deſignat. Nimirum ideo qui læſit peccatum *confitetur*, ut ei qui læſus eſt *ſatisfiat*, id eſt, (quod non ſemel licet barbare jam dixi) ut is *contentetur*, & depoſito odio, atque ira in gratiam cum *ſatisfaciente* bona fide redeat.

L. 2. obs. 26. p. 153. 154.

Atque ex his intelligitur quantus fuerit Scholaſticorum Theologorum error, qui hæc omnia miris modis pro captu, & arbitrio ſuo immutarunt, ac perturbarunt. Nam & *exomologeſin* à *ſatisfactione*, quæ una eademque res erat apud veteres, miſere diſtraxerunt; duaſque ex una pœnitentiæ partes fecerunt: quarum priorem, nimirum *confeſſionem* ſtatuunt eſſe non *delicti*, & *pœnitentiæ* publicam apud Eccleſiam, ut olim, *conteſtationem*, ſed arcanam in unius presbyteri aurem peccatorum enumerationem; poſteriorem vero, quam *ſatisfactionem* vocant, partim ex Patrum male intellectis verbis, partim ex ſuo cerebro ſic deformarunt, ut ea præter nomen nihil fere commune habeat cum veterum *ſatisfactione*. Nam cum veterum ſatisfactio actus

 eſſet

eſſet pœnitentis ad pacem, & abſolutionem aſpirantis; hi inverſo ordine, quos *ſatisfacere* volunt, primo abſolvunt; deinde ſatisfacere jubent; & cum apud omnes ſolenne ſit, ut qui læſit, primo *ſatisfaciat*; tum demum reconcilietur apud iſtos plane contra eſt; peccator Deo primo omnium reconciliatur; *ſatisfacit*, poſtquam *reconciliatus* eſt; quo perverſius, magisque præpoſterum fingi nihil poteſt. Mitto actuum ipſorum diſcrimen, quod tantum eſt, tamque immane, ut liquebit, ſi utrorumque hoc eſt & veterum, & adverſariorum canones inſpexeris, & inter ſe ſe compararis, ut non magis dies à nocte, albedo à nigredine differat, quam illorum diſciplina ab horum uſu, & praxi. Neque minor eſt in *ſatisfactionum* ſcopo, & fine differentia. Apud veteres peccator eo ſenſu, quem explicavimus, *ſatisfaciebat*, ut à Domino quidem & *culpæ*, & *pœnæ* totius remiſſionem, ab Eccleſia vero *pacem* & *communionem* impetraret. Apud iſtos nihil minus cogitat peccator; quippe cui & *culpa*, & *gehennæ pœna*, tum cum *ſatisfacere* aggreditur, jam remiſſa eſt. Tantum ſtudet ſua illa *ſatisfactione* amoliri neſcio quid pœnarum temporalium, quod ſibi alioqui apud inferos luendum ſomniat; idque actu, non *miſericordiæ*, quod ait Tertullianus, ſed juſtitiæ *illice*. Sua enim illa *ſatisfactione* pœnam, quam deprecatur, *ex condigno compenſari* putat; Domini adeo, non clementiam, aut miſericordiam, ſed juſtitiam convenit; ut pœnæ non ex gratia, ſed ex jure eximatur. Et Scholaſticos quidem, homines omnis eruditionis expertes, veterumque & linguarum, & rerum imperitiſſimos, hæc ita permiſcuiſſe, & cum neſcirent, quid vere apud Patres eſſet vel *ſatisfactio*, vel *exomologeſis*, nova ſibi monſtra ex ſuo ingenio confinxiſſe, non eſt mirandum. Illud omnino non admiratione modo, ſed & ſtupore dignum eſt, quod viri eruditiſſimi, qui in hac litterarum luce verſantur, malint iſtorum ſomnia tueri, ac defendere, quam veritatem ex Patrum monumentis eluceſcentem agnoſcere & aſſerere. Sed nos hic quidem de veteris, & novæ diſciplinæ diſcrimine non diſputamus. Res eſt alterius loci. Satis eſt oſtendiſſe, quam vanum ſit, quod iſti à *ſatisfaciendi* & *ſatisfactionis* apud veteres vocabulis pro ſuarum *ſatisfactionum* dignitate, ac merito, argumentum petebant.

CAPUT V.

Solvitur objectio VII. à veterum exomologeſeon partim rigore & ſeveritate, partim mora & diuturnitate, partim denique varietate & diverſitate pro peccatorum diverſitate petita; earumque rerum veræ rationes, ac cauſſæ oſtenduntur. Aperitur ratio pœnitentiæ baptiſmalis, ab ea cui ſubjiciebantur lapſi. Quædam Baſilii, Chryſoſtomi, Innocentii loca explicantur.

HÆc de *ſatisfactionis* voce. Iam rem ipſam videamus; num ex ea ad ſtabiliendum errorem ſuum fœlicius argumententur. Hic nobis triſtem, ac pæne tragicam lapſorum apud veteres pœnitentiam ambitioſe deſcribunt; coactos fuiſſe in jejunio, & ſqualore, & humicubatione, & orationibus, ac eleemoſynis peccata deflere. Tertullianus loco, quem nuper attigimus, ubi peccatorum *exomologeſin* deſcribit, *Proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt*, inquit, *converſationem injungens miſericordiæ illicem; de ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, triſti tractatione mutare, cæterum paſtum, & potum pura noſſe non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſſa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum ſuum; presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari; omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.* Hæc Tertullianus. Idem alibi *mœchum* apud Catholicos, contra quos tamquam non ſatis rigidos diſputat, pœnitentem iiſdem coloribus depingit, *conciliciatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum, proſtratum in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem.* Cyprianus eadem lapſis ad pœnitentiam præſcribit; *Oportet* (inquit) *orare impenſius, & rogare; diem luctu tranſigere, vigiliis, ac fletibus noctes ducere, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari.* Sic Hilarius; *Hæc pœnitentiæ vox eſt lacrymis orare, lacrymis ingemiſcere, & per hanc confidentiam dicere*, Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. *Hæc venia peccati eſt, fonte fletum flere, & lacrymarum imbre madefieri.* Pacianus; *Obteſtor* (inquit) *& deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimum remedia ſalutis invadere; dejicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere,*

De pœnit. c. 9.

L. de pudic. c. 13. p. 729. a

Serm. de lapſ. extr.

In pſ. 118. litter. phe. vers. ult.

Paræn. ad pœnit. extr.

 multorum

L. 2. in levit. in c. 6.

multorum precibus adjuvare. Heſychius; *Carnes pœnitentiæ intelligimus jejunium, vigilias, cilicinum veſtimentum, cum lacrymis orationem, eleemoſynis. Ex his enim conſiſtit pœnitentia, quæ qui tangit, recte ſanctificatur.* Denique iſta apud veteres in pœnitentiæ negotio fere ſemper occurrunt; & ſi velim cuncta hujuſmodi exſcribere, volumen in immenſum creſcet. Iam quæ quarto potiſſimum ſæculo, ſequentibuſque obtinuit pœnitentium in quatuor gradus diſtinctio τῶν κλαιόντων, τῶν ἀκροατῶν, τῶν ὑποπιπτόντων, καὶ τῶν συνισταμένων *flentium, audientium, procumbentium, & conſiſtentium*, ea inquam, diſtinctio nemini in his litteris vel leviter verſato ignota eſt; utque *pœnitentes* pro peccatorum varietate plures, pauciores-ve annos in ſingulis ordinibus detenti, non ante ad τὴν μέθεξιν, id eſt *communicationem* pervenirent, quam omni hac diſciplina laborioſiſſime defuncti eſſent. Non eſt inſtituti mei hæc accuratius perſequi, vel de veteri illa politia in utramque partem diſputare. Quæ perſtrinxi ſatis ſunt, ut quid ea adverſariorum cauſſam juvet, agnoſci, atque perſpici poſſit. Duo ſunt, quæ ipſi putant impenſe ſibi favere; ac prius quidem eſt *res ipſa*; tum & *rei mora*, ſive tempus. Quorſum enim (inquiunt) *ſqualor, jejunium, cilicia, chamæeuniæ, cineres, fletus*, & cæteræ moleſtiæ, niſi *ut duris iſtis*, laborioſiſque exercitationibus *temporarias peccatorum pœnas expiarent* atque expungerent? Sed neque alio conſilio videntur tot annos continuatæ hæ *exomologeſeos* aſceſes, ſive diſciplinæ, niſi ut pro ratione peccatorum pœnitens plura, pauciorave patiendo *delictis* ipſe ſuis *pœnas exæquaret*, ac *compenſaret*. Hæc illi, à quibus hoc primum in genere quæro; Si hæc veterum illarum *aſceſeon* re vera ratio fuit, ſi hic uſus, ut *ultrici* Dei *juſtitiæ* pro temporalibus lapſorum pœnis *ex condigno ſatisfieret*; cur eas ſequentium ſæculorum Eccleſia paulatim ita abolevit, atque obliteravit? Ac ut paulo vetuſtiores mittam, cur vos orbis Chriſtiani magiſtri, incorrupti veritatis cuſtodes, antiquitatiſque zelotæ acerrimi, rem adeo utilem, imo adeo neceſſariam, ſic penitus abrogaſtis, ut priſcæ illius ſeveritatis vel nulla, vel pauca, eaque obſcura, & evanida apud vos veſtigia remanſerint? Cur qui nuper veterem publicæ pœnitentiæ rigorem, & quidem multis cautionibus, atque exceptionibus mollitum deſiderare, & aliquatenus uſurpare auſi ſunt, tametſi Sorbonicæ domus alumni, tametſi epiſcoporum, & Doctorum non paucorum, neque ignobilium commendatione, ac elogiis ſtipati, tanta nunc apud vos invidia paſſim flagrant, ac ſi Eccleſiam ſcindere, atque pervertere molirentur? Quo loco ingenium veſtrum mirari ſubit, qui cum antiquitatem pæne totam jampridem antiquaveritis, nobis

bis

bis tamen ejus contemptum exprobrare non deſinitis; & quæ ad faſtidium laudatis, ea ipſa ſuperbiſſime aſpernamini. Sed ut redeam ad inſtitutum, ſi veterum *exomologeſis*, *condigna* fuit temporalium pœnarum *compenſatio*; cur eam quæſo, in hoc ipſi negotio repudiatis? Cur, quam veteres laborioſiſſimam decem, vel etiam viginti annorum pœnitentia redemiſſe vultis *impunitatem*, eam vos unius, aut alterius diei ſemi jejunio, exiguiſque eleemoſynis, & pauculis ad numerum precatiunculis veſtris peccatoribus *divenditis?* Plane neceſſe eſt diſciplinam vel veterem inhumanam, vel novitiam flagitioſam eſſe. Peccatores vel illi *excarnificabant* vel vos certe *ludificamini*. Niſi forte *juſtitiam* Dei una cum ſæculo mutatam, & inflexam fuiſſe dicatis, ut nunc ab eo vel paucis teruntiis mercari liceat, pro quibus olim talenta tota depoſcebat. Bonus Papa ſcilicet hanc nobis fœlicitatem peperit. Dum Eccleſiam rexit canonum auctoritas, res ſurda, & inexorabilis, dure cum hominum genere actum eſt. Poſtquam Papa cum ſuis Scholaſticis regnare cœpit, omnia in mitius mutata. Orbis beatus eſſe cœpit, Deo (credo) totum ultricis juſtitiæ ingenium ad novi hujus Domini nutum attemperante. Sin aliter cenſetis, & nobiſcum fatemini æternas, & immutabiles eſſe divinæ juſtitiæ leges, profecto non video, qui poſſitis aliter ex his anguſtiis evadere, quam id concedendo, quod veriſſimum eſt, iſta dura pœnitentibus olim non eo fuiſſe præſcripta, ut pro *purgatorii* pœnis *ex condigno ſatisfieret*. Nam ſi hoc retinetis, non poteſtis effugere, quin Eccleſiam vel veterem, vel veſtram graviter peccaſſe, & vel illius diritatem, atque inhumanitatem, vel hujus certe mollitiem, atque ignaviam merito culpandam eſſe concedatis. Sed vos quidem videritis.

Nos vero, ut objectam difficultatem diſſolvamus; duas ejus partes ſigillatim expendemus. Prior eſt de ipſa veterum *exomologeſeon* forma, & ratione. *Quorſum* (inquit) *cilicia*, *& cineres*, *& ſqualor*, niſi ad *ſatisfaciendum ex condigno*? Quaſi vero nulla alia iſtorum ratio eſſe potuerit. Atqui & lugentium, & reorum, ſi inſigne, ac capitale eſſet crimen, eum ipſum olim habitum fuiſſe accepimus; quorum nemo conſilium fuiſſe dixerit de pœnis ſibi debitis ita vel Deo, vel judici ex jure, & *ex condigno ſatisfacere*. Sed hoc ſophiſtis ſolenne eſt, rebus, quarum cauſſæ vel obſcuræ, & incertæ, vel ambiguæ & ancipites eſſe videntur, cauſſas de ſuo ingenio affingere, adverſariique ignoratione ad errorem ſuum abuti. Itaque fateor quidem veterum *pœnitentes*, & *conciliciatos* fuiſſe, & *concineratos*, cum dedecore, & horrore compoſitos, humique proſtratos miſerabili voce, atque habitu omnium preces hu-

militer exambiviſſe; ideo ſic veſtitos, & compoſitos fuiſſe, ut *pœnas temporales* vicaria hac moleſtia *ex condigno expiarent*, nego. Aliæ ſunt iſtius veterum inſtituti rationes, eæque non minus idoneæ, quam evidentes. Pœnitentiam profitebantur; hoc eſt dolorem de læſo Deo ſummum. Quid ergo *cilicio*, & *ſquallore*, & *cinere* pœnitenti convenientius, iſtis quidem ſæculis, quibus, ut alibi monuimus, iſta apud omnes ſolennia erant luctus, doloriſque inſignia? Hæc ergo, non ut pœnas ſuas hoc piaculo *ex condigno* expungerent, uſurparunt; ſed ut animi dolorem apud Deum, homineſque teſtarentur. Id clare docet Cyprianus; *Si quem* (inquit) *de tuis carum mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſera, perdidiſti; ſpiritaliter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis?* En ut *lugenti* pœnitentem comparet; hujus eumdem habitum, qui illius eſt, eandemque ob cauſſam eſſe velit: non ſane vel *admiſſi*, vel *pœnæ* piaculum, ſed mœroris indicium. Cæſarius Arelatenſis, Cyprianum imitatus, eadem habet in eodem argumento; *Vel ſic* (inquit) *lugeamus extinctam animam noſtram, quomodo alienam carnem mortuam plangimus, ſi aut uxor, aut maritus, aut filius mortui fuerint, in terra ſe collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora, in luctu, in abſtinentia, in lacrymis non parvo tempore perſeverant. Rogo vos fratres, exhibeamus animæ noſtræ, quod illi exhibent alienæ carni.* Ergo iſta, ut vides, *pœnitentibus* olim ſolennia ad *luctum* & *dolorem* pertinebant; non ad *condignam* pro pœnis peccatorum temporalibus, ut quidem volunt adverſarii, *ſatisfactionem*.

Serm. de lapſ. p. 98.

Hom. 8. Bibl. Patr. T. 2. p. 283. a

Tum ſupplicantium hic quoque, ut plurimum, olim habitus erat, ad ſummam ſcilicet humilitatem compoſitus, ac, ut loquitur Tertullianus, *miſericordiæ illex.* Iam *pœnitentium* quæ alia ſors erat, quam hominum apud Deum, & Eccleſiam *ſupplicantium?* Certe Tertullianus nonnullos exagitans, qui *pœnitentiæ* infamiam, & incommoda horrebant, nuſquam ut eam commendet, temporalia pœnarum *expiare ex condigno* cauſſatur; quod eo loco à tali viro taceri, ſi verum erat, neque debuit, neque potuit. Longe alia affert in medium, *Miſerum eſt* (inquit) *ſecari, & cauterio exuri, & pulveris alicujus mordacitate cruciari; tamen quæ per inſuavitatem medentur, ea & emolumento curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem injuriam ſuperventuræ utilitatis gratia commendant.* Pœnitentiam ſcilicet *medicinam* eſſe vult; non adeo proprie

De pæn. c. 10. p. 147. c

dictam

dictam vel *pœnam*, vel pro *pœna* ſatisfactionem. Tum eos, qui corporis incommoda reformidant, convenit, *quod illotos, quod ſordulentos, quod extra lætitiam oporteret deverſari in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate.* Quibus ita reſpondet; *Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis ſupplicare nos condecet?* quaſi ipſe rei titulus, quæ *ſupplicatio pro delictis* erat, mœrentium, & lugentium habitum flagitaret. Tum ſalſe, ut ſolet, & mordaciter iſtorum mollitiem irridet; pœnitentemque, ut rei abſurditatem traducat, pingit genio indulgentem. Sed & mox *candidatorum* de ſæculo exemplum profert, *quos* (inquit) *neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſcentes, nullis conviviis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis, & lætitiæ fœlicitate? idque totum propter unius anni volaticum gaudium? Nos quod virgarum, ſecuriumve petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & caſtigationem cultus, atque victus offenſo Domino præſtare ceſſabimus, quæ Gentiles nemine omnino læſo ſibi irrogant?* Hæc ille, in quibus *purgatorii* nullus meminit. Oſtendit *exomologeſeon* eam apud ſuos fuiſſe rationem, quæ ambitus apud homines ſæculi; hoc tantum diſcrimine, quod quæ hi faciebant, ne honoris, quem ambiebant, repulſam paterentur; illi ne æternitate apud Dominum exciderent, eadem præſtarent. Iam ut ſtultus fuerit, qui curulis dignitatis *candidatos* ignobilitatem veſtium, ſalutationum aſſiduitatem, & ſummiſſionem, victus ac cultus mediocritatem, lætitiæ, ac libertatis abdicationem, aliaque ambitus triſtia, & incommoda ideo ſuſtinuiſſe putet, quod *pœnas* criminibus ſuis debitas *expungere*, ac *compenſare* vellent; ita etiam ineptus eſt, qui ex *pœnitentium* apud veteres *ſquallore, ciliciis, jejuniis*, cæteriſque ejus generis colligit eos hoc in animo habuiſſe, ut iſto habitu, atque apparatu pro temporalibus delictorum pœnis *ex condigno ſatisfacerent.* Illorum quidem mens clara erat, ſibi obviorum omnium benevolentiam, populi & Principum, quorum erat dignitates conferre, favorem hac modeſtiæ, & humilitatis ſignificatione eblandiri; Horum vero neque obſcurior erat animus; Dei miſericordiam, fratrum preces, & ſollicitudinem his pœnitentiæ, ut ſic dicam, ſupplicationibus impetrare. Ac quid timerent docet Tertullianus, dum ait eos fuiſſe *in periculo æternitatis*; non *purgatorii*; idque mox clarius explicat, *Si de exomologeſi retractas*, (inquit) *gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet.* Pro iis *ſatisfaciebant*,

Ibid. c. 11. 4

Ibid. p. 148. a

Ibid. c. 12. 13.

quæ

quæ metuebant. *Gehennam* autem ut vides, metuebant, eamque effugere, & exomologeſi exſtinguere moliebantur. Igitur pro gehenna *ſatisfaciebant*, non pro *purgatorio*. Iam vero pro gehenna *ex condigno ſatisfacere* ne adverſarii quidem volunt ullum mortalem poſſe. Ergo neceſſe eſt illos non proprie, & (quod iſti volunt) *ex condigno*, ſed *improprie*, & ex uſu veterum Latinorum eatenus *ſatisfeciſſe*, quatenus delicta ſua ſibi vehementer dolere dictis, factis, fletu, habitu, totoque vitæ cultu teſtantes, ac profitentes eorum veniam, optimique Domini miſericordiam, & gratiam exorabant. Itaque ita de ipſo pœnitentium ſtatu, & habitu ſatisfecimus.

Iam de ſtatus illius mora ſatisfaciendum eſt; quam & ipſam adverſarii ad erroris ſui patrocinium trahunt. Nefas enim fuiſſe putant tam diuturna patientia pœnitentes exercere, niſi ut *ultrici* Dei *juſtitiæ ex condigno ſatisfieret*. Hæc vero argumentatio quam inepta ſit, vel ex eo cernitur, quod nos ipſi, quos iſti labefactatæ, atque everſæ omnis diſciplinæ, falſo quidem & injuſte, ſed tamen acriter, & aſſidue accuſant, noſtræ communionis homines, qui flagitio, aut ſcelere aliquo ſcandalum fratribus objecerunt, ſolemus per plures vel menſes, vel annos, à ſacra menſa arcere; neque ante ad eam admittere, quam ſuam pœnitentiam longa modeſtia affirmaverint. Ergo-ne inde concludes nos in ea eſſe ſententia, ut putemus eorum, quibuſcum ſic agimus, *peccata*, vel ſaltem *temporales* peccatorum *pœnas*, illa moleſtia *ex condigno compenſari?* Atqui nemo ſanæ mentis id nobis objecerit. Sunt vero aliæ, & quidem graves cauſſæ, ob quas hæc ita fieri decet, etiamſi peccatorum omnis remiſſio ſola Dei gratia concedatur; nulla hominum actione, vel paſſione *ex condigno* redimatur. Eadem quoque ratio fuit illarum, ut vocabant, *ſatisfactionum*, ſive exomologeſeon, quæ apud veteres in uſu fuere. Iam præterquam quod per ſe duræ, atque moleſtæ erant, uti diximus, diuturnas ac longiſſimas etiam fuiſſe, & conſtat ex canonibus, qui ſuperſunt, atque ex aliis veterum ſcriptis, & nos ultro fatemur. In longum ideo tractas fuiſſe, quo pro delicti modo pœna ejus temporalis *ex condigno expiaretur*, negamus. Atque ut illius moræ veræ cauſſæ aperiantur, obſervandum eſt iſtarum diſciplinarum, ſive exomologeſeon duos potiſſimum (ut de aliis nihil nunc dicam) fines fuiſſe. Prior quidem erat, ut peccator delictorum veniam à Domino Deo impetraret, ac in priſtinum gradum, è quo peccando exciderat, à Dei miniſtris reſtitueretur. Alter vero, ut *purgatu*, ac rejectis illis vitiorum *habitibus*, ex quibus peccaverat, anima (ut ſic dicam) ſanitatem, vigoremque ſpiritualem recuperaret. De utroque cum adverſarios

verſarios conſentientes habeamus, pluribus dicere nihil eſt opus. Itaque veterum *exomologeſis* non *ſatisfactio* ſimpliciter fuit; ſed quædam etiam *animæ medicina*. Ad utrumque autem hunc finem obtinendum, ſpectabat illa ejus tum auſteritas, tum mora.

Ac ad priorem quidem, qui peccatorum remiſſione conſtat, iſta conducebant, quod cum nulli, niſi vere pœnitenti delictorum venia ex Magiſtri regula concedenda ſit, ſic explorabatur ſincera-ne, an ficta eſſet lapſi pœnitentia. Deus (fateor) qui *cordium, ac renum ſcrutator* eſt, id momento pervidet. Hominum, quorum miniſterio hæc in Eccleſia diſpenſantur, alia ratio eſt, qui de cordis, atque interiorum habitu, nonniſi ex operibus, & aliis externis judicant, quæ, ut notum eſt, haud raro fallunt. Itaque veteres illi ne inani pœnitentiæ larva decepti dona Domini ſui indignis, id eſt hypocritis, crederent, omnino prudenter ſtatuebant lapſorum, qui ea peterent, multis experimentis probandam, atque explorandam eſſe fidem, antequam eos, veluti poſtliminio revocatos, in Dei ſinum, Eccleſiæque communionem admitterent. Ac iis quidem, qui baptiſmum petebant, nihil erat, quod diffiderent. Quos enim hactenus nullam datam Deo fidem fregiſſe compererant, quos relictis mundi, ac carnis illecebris ad Chriſtum per tam multa Chriſtianis tum adverſa aſpirare cernebant, de iis quicquam ſecius ſuſpicari inhumanum fuiſſet, & ab ea caritate alienum, *quæ omnia credit, neque malum cogitat.* Itaque iſtis quidem baptiſmum, 1. Cor. 13. 7. 5. ac Domini ſui indulgentiam, & gratiam incunctantius dabant; tametſi & ipſos, niſi aliud quid urgeret, nonnullo temporis ſpatio, ſed multo, quam pœnitentes, breviori diſtineri, ac explorari ſolenne fuerit. In lapſis nemo non videt omnia alia fuiſſe. Cum enim datam Chriſto Domino in baptiſmo fidem, vel victi carnis illecebris, vel mundi minis, ac terroribus perculſi, turpiſſime violaviſſent, cauſſa erat, cur ſuſpecta haberetur eorum pœnitentia, ideoque multis experimentis probanda judicaretur; Niſi forte quis eodem modo cum eo agendum putet, qui numquam nos fefellit, ac cum eo, cujus infidelitatem inſigni aliquo documento perſpectam habuimus. Idem ille Cæſar, cujus tanta perhibetur in deponendis ſimultatibus facilitas, ut Catullum de probroſis verſibus, quibus eum proſciderat, *ſatisfacientem* eadem die cœnæ adhibuerit; dubitandum non eſt, quin eum, ſi poſtea in eamdem injuriam prolapſus iterum reconciliari expetiſſet, difficilius admiſſurus, *ſatisfactioneque* diuturniore ejus ingenium probaturus fuerit. Huc accedit, quod cum peccatoribus violato per aliquod ſcelus baptiſmo, *exomologeſin*, velut naufrago tabulam, ad enatandum ſupereſſe exiſti-

marent; *exomologeſi* ſemel reſciſſa nullam peccantibus ſalutis ſpem reliquam eſſe putarent, idcirco illius beneficium facilius, hujus difficilius largirentur. Idque nos Tertullianus clariſſime docet; *Hujus* (inquit) *pœnitentiæ ſecundæ, & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.*

De pænit. c. 9.

Atque hæ veræ ſunt rationes diſcriminis ejus pœnitentiæ, quæ à baptizandis exigebatur, ab ea, quæ à lapſis; quod tam ſæpe, ſed fruſtra, urget Bellarminus; quo, & multa alia pertinent, & ille in primis Theodoreti locus; *Sunt medicabilia etiam, quæ poſt baptiſmum fiunt vulnera; medicabilia autem, non ut olim, per ſolam fidem data remiſſione; ſed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & laborem facti peccati quantitati contemperatum.* Fatèmur hanc pœnitentiam illa multo fuiſſe operoſiorem, difficiliorem, ac diuturniorem; ideo fuiſſe, quod non ut catechumenis per baptiſmum; ita lapſis per contritionem *pœna temporalis* remittatur, ſed *æterna* tantum una cum *culpa*; negamus. Hæc illius diſcriminis cauſſa commentitia eſt; totaque ab adverſariorum officina; non autem à Patrum ſenſu, & libris, qui nuſquam ejus meminerunt. Alia eſt ejus rei ratio plana, ac perſpicua, ea quam nuper expoſuimus. Nimirum cum nihil ſit, quod de Catechumenorum, qui ad baptiſmum accedunt, fide ac reſipiſcentia Chriſti miniſtros dubitare cogat; lapſorum vero animum ipſe eorum lapſus, priorisque fidei violatio merito ſuſpectum reddat; cauſſa apparet, cur horum, quam illorum mens, atque conſcientia diligentius, & accuratius explorari debeat; quod non aliter, quam pœnitentiæ exercitationibus, & mora fieri poteſt. Ideo his difficilior, ac diuturnior; illis facilior atque brevior pœnitentia & olim imponebatur, & nunc quoque præſcribitur. Id luculentiſſime docet Auguſtinus; *Sed neque de ipſis criminibus* (inquit) *quamlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundum modum ſui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is, qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris.* Cor *enim* contritum, & humiliatum *Deus* non ſpernit. *Verum quia plærumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia ſigna procedit, cum ſit coram illo, cui dicitur,* Gemitus meus à te non eſt abſconditus; *recte conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. Extra eam quippe non remittuntur.* Hæc Auguſtinus, ex quibus perſpicuum illas pœnitentibus

l. 4. de pæn. c. 9. & S. Cyprian.

Epit. divin. decret. c. de pænit.

Enchir. c. 65.

bus moras olim à veteribus præſtitutas fuiſſe, non ut *pœnæ temporales* diuturna illa moleſtia *ex condigno compenſarentur*, ſed ut pœnitentiæ ſuæ veritatem, alioqui ignotam, Eccleſiæ probarent, eique etiam hac ratione *ſatisfacerent.* Auguſtino ſuccinit, tametſi multis ab eo ſæculis diſſitus, Ivo Carnotenſis, cujus locum non pigebit totum hic aſcribere; *Quærit* (inquit) *fraternitas tua, quomodo inter ſe conveniant Prophetica ſententia, quæ dicit,* In quacumque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit; *& ſynodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquamdiu a corporis, & ſanguinis communione ſuſpendit. Repugnare tibi videntur diſſentireque ſententiæ capitis, & corporis, ut quos caput, id eſt Chriſtus, celeriter à peccato liberat, eos corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, ſub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæſtio facile ſolvitur, ſi interni judicis animadverſio, & humanæ fragilitatis conſideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem ſeparet à capite, & à corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus judex tanto remittat celerius, quanto ſolus magis videt interius; Judex vero, qui tantum* videt in facie, *uſque adeo delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum, qui ſit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfit interno judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna converſio. Eccleſia vero, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum, licet ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt publica ſatisfactione purgatum. Hinc eſt, quod Eccleſia ſua crimina confitentes à ſacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, & in cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt intus vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbis non diſſentire Propheticam, & Synodalem ſententiam, cum illa deferat, quod ſuum eſt, capiti, & iſta concedat quod ſuum eſt, corpori. In diſcretione tamen epiſcoporum eſt ſecundum affectum pœnitentiæ tempus abbreviare, vel prolongare, dicente B. Auguſtino, In actione pœnitentiæ, pro qua reus ab altari ſeparandus eſt, non adeo conſideranda eſt menſura temporis, ut doloris.* Hactenus Ivonis verba; ex quibus liquet ideo in longum tractam fuiſſe lapſorum *exomologeſin*, non ut, (quod ariolantur adverſarii) *pœnæ* peccatorum *temporales ex condigno compenſarentur*, ſed, (quod nos contendimus) ut pœnitentium affectus probaretur.

Ep. 228. ad Ga. haer. presb.

Sed idem quoque, & quidem multo magis flagitaſſe conſtat alterum *exomologeſeon* finem; nimirum vitioſorum habituum, ex quibus lapſi peccaverant, *purgationem*, atque *curationem.* Nam ut difficiles corporum morbi, quique alte radices egerunt, non una, aut altera ſanguinis miſſione, aut aliquot dierum abſtinentia, ſed multis, iiſque

 acribus,

acribus, & generoſis medicamentis, & quidem ſæpe repetitis, longa diæta, exercitatione diuturna curantur; ita vitioſi habitus, qui totidem ſunt animi velut maligna ulcera, aut profunda vulnera, nonniſi fortibus remediis, diuturnaque medicina expugnari poſſunt. Itaque lapſi plures annos in ſeveræ illius diſciplinæ exercitamentis, tamquam in ſpirituali aliqua diæta, detinebantur, ut multis, continuoque repetitis jejunii, tolerantiæ, temperantiæ, modeſtiæ, humilitatis, ac Chriſtianæ mortificationis actibus paulatim fracti, ac debilitati contrarii gulæ, luxus, crapulæ, ſuperbiæ, avaritiæ libidinis, aliorumque carnis vitiorum habitus tandem penitus profligarentur. Ita convaleſcebat æger animus; domitiſque ac devictis carnis libidinibus, ſpiritus in vegetam, ac maſculam ſanitatem proficiebat; ut tuto jam in Eccleſiam recipi, dignam Chriſti nomine vitam in poſterum præſtiturus, poſſet. Hæ omnino fuerunt veteris illius ſeveritatis in lapſorum diſciplina cauſſæ; quæ quam nihil habeant cum adverſariorum de *pœnis ex condigno compenſandis* delirio commune, quivis per ſe videt.

Atque hinc nullo negotio ſolvuntur illa Patrum loca, in quibus ad ipſorum delictorum ingenium, & modum *pœnitentiam* exigendam, & contemperandam docent. Niceus Aquileienſis (Gennadio teſte) auctor epiſtolæ ad virginem lapſam, (quam recte Bellarminus & Poſſevinus Ambroſii Marianus Victorius, Bellarminus & Poſſevinus Hieronymi eſſe negant) *Grandi plagæ* (inquit) *alta, & prolixa opus eſt medicina; grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.* Baſilius; ἐν μὲν γε τῶν ἀσθενείαις οἱ ἰατροὶ τοῖς κάμνουσι παρεγγυῶσι προσέχειν αὐτοὺς ἑαυτοῖς, καὶ μηδενὸς τῶν εἰς θεραπείαν ἡκόντων καταμελεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἰατρὸς τῶν ψυχῶν ἡμῶν ὁ λόγος τὴν ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας κεκακωμένην ψυχὴν διὰ τοῦ μικροῦ βοηθήματος ἐξιᾶται. πρόσεχε οὖν σεαυτῷ, ἵνα κατ' ἀναλογίαν τοῦ πλημμελήματος καὶ τὴν ἐκ τῆς θεραπείας βοήθειαν καταδέξῃ. μέγα καὶ χαλεπὸν τὸ ἁμάρτημα; πολλῆς σοι χρεία τῆς ἐξομολογήσεως, δακρύων πικρῶν, συντόνου τῆς ἀγρυπνίας, ἀδιαλείπτου τῆς νηστείας. κοῦφον καὶ φορητὸν τὸ παράπτωμα; ἐξισαζέσθω καὶ ἡ μετάνοια. *Infirmitate laborantes adhortantur medici, ſibi ipſis ut attendant, neu quidvis negligant concernentium medelam, ac ſoſpitatem. Nihiloſecius ſermo ſalutaris iſtius mandati, nempe animarum noſtrarum medicus, miſere affectam peccato animam ſanat exiguo hoc auxilio. Itaque attende tibi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis inſtaurandæ ſubſidium. Magnum eſt, & grave peccatum? Multa opus habes exomologeſi, lacrymis amaris, peracri contentione vigiliarum, indivulſo & continente jejunio. Levis eſt, nec intoleranda offenſio? Huic quoque exæquetur pœnitentia. Hic vero* (inquit Bellarminus)

Ep. ad virg. lapſ. c. 8.

l. de ſcript. Eccleſ. ad an. 374.

Hom. in hæc verba attende tibi ipſi. T. 1. p. 297. a

minus) *apertiſſime agnoſcit Baſilius ſatisfactionem condignam eſſe debere, & eam proportionem cum peccato exigere, ut vere per eam offenſio compenſetur.* Itane vero ? Atqui ne unum quidem verbum habet de *illa offenſionis vera compenſatione*, quam tu hic nobis occinis; quamquam ſiquid hujuſmodi diceret, ne ſic quidem errorem tuum juvaret, qui non *ipſam offenſionem*, ſed *temporalem* duntaxat ejus *pœnam* tua *ſatisfactione compenſari* vis. Sed omnino alio ſpectat Baſilius; idque tu ipſe, niſi te cæcum, ac ſurdum præceptus error effeciſſet, ſatis docere poterat hujus loci initium, quod deſcripſimus, in quo pœnitentiam *medicamento* comparat. Atqui *medicamentum*, neque *pœna* eſt proprie dicta, neque quid hujuſmodi *pœnæ vicarium*. At inquit, Baſilius vult diverſam eſſe pro *peccati* diverſitate *pœnitentiam*. Quaſi non & diverſa ſit pro morbi diverſitate *medicina*; aut quiſquam inde colligendum putet *medicinam* ad hoc ægrotis adhiberi, ut pro *pœna* aliqua proprie dicta *ex condigno ſatisfiat*. Nimirum ut quo vulnus accepit altius, atque difficilius, accuratiori & generoſiori *medicamento* eget; ſic qui peccatum gravius admiſit, majori itidem ac diuturniori *pœnitentia* curandus eſt. Neque enim æqualia ſunt peccata, aut pietatem & ſanctimoniam omnia æqualiter vulnerant; eo neque eandem, aut æqualem pœnitentiam, id eſt *medicinam*, omnia deſiderant; ſed alia aliis majorem, atque operoſiorem. Nos certe, qui omnem iſtorum de *ſatisfactionum condignitate* errorem conſpuimus, ac exſecramur, non ideo tamen omnibus lapſorum delictis unam, eandemque *pœnitentiam* imponimus, ſed pro lapſuum diverſitate aliam, atque aliam.

L.4. de pænit. c.9. t. 5. Baſil.

Eodem ſpectat allatus item à Bellarmino Chryſoſtomi locus; οὐ γὰρ ἁπλῶς πρὸς τὸ τῶν παραπτωμάτων μέτρον δεῖ καὶ τὴν ἐπιτιμίαν ἐπάγειν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων στοχάζεσθαι προαιρέσεως. *Neque enim temere* (*ſimpliciter* habet Chryſoſtomus, quod aptius eſt) *ad delictorum modum oportet & multam ipſam adhibere; ſed explorandus eſt, tamquam conjecturis quibuſdam, ipſe delinquentium animus.* Comparat eo loco ſacerdotem paſtori; & illius multo, quam hujus difficiliorem eſſe vult provinciam; tum ob multa alia, tum inprimis hac de cauſſa, quod Dei miniſtrum multo magis, quam paſtorem de ovium ſuarum tum morbis, tum medicina laborare, accuratiuſque ſatagere deceat; quod fuſe pro more exſequens hoc etiam addit, miniſtrum delinquentium, non *peccata* ſimpliciter, ſed ipſum etiam *animum* explorare, ac pernoſcere debere, quo accurate de eorum morbo, convenientibuſque morbi remediis ſtatuere poſſit. Quia nimirum non omnium, qui unum idemque peccatum admiſerunt animus eodem modo, ſed alius alio, vel

L.2. de ſacerd. c.4. T.4. in v. s. p.17. e

vel melius, vel pejus affectus cernitur. Cum itaque hæc animi diverſitas morbum etiam ipſum diverſum faciat, liquet ne eorum quidem omnium, qui idem peccatum admiſerunt, eamdem eſſe debere *medicinam*, id eſt ἐπιτιμίαν ſive *multam*, & *pœnitentiam*.

Ep.79. ad Nic. c. 5. Quo ſpectat illud Leonis *pœnitentiæ ſatisfactionem non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione ſpectandam eſſe*; quod ille ex Auguſtino hauſit. Scilicet ut medici non *vulnus* ſimpliciter, ſed & *vulnerati naturam*, atque habitum ſpectant, quæ curationem non parum vel juvant, vel morantur; ſic & in ſpirituali animarum *medicina* Miniſter lapſorum, non crimen tantum, ſed ingenium, atque animum perſpicere decet; atque ex iis *pœnitentiæ*, quam veluti *medicinam* eorum morbis adhibet, modum varie temperare. Sunt in quibus remedia vim ſuam potentius, ac maturius exſerunt; ſunt in quibus debilius, atque lentius. Pro hac diverſitate variandi ſunt pœnitentiæ modi, ac tempora. Ac ut ridiculus erit medicus, qui obducto jam vulneri emplaſtra, aliaque id genus medicamenta nihiloſecius adhibere pergit; ita & ineptus cenſendus eſt presbyter, qui lapſum jam erectum, jam valentem, ac vegetum *pœnitentia* adhuc fatigat.

Huc etiam illa Innocentii primi pertinent eadem ſecuritate à Bellarmino objecta; *Cæterum* (inquit) *de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum debere dimitti cum viderit congruam ſatisfactionem.* Ep.1. c. 7. *Satisfactionem* (ut diximus) *exomologeſin* intelligit. *Congruam* autem eam vocat, non quæ *pœnas* peccati temporales *exæquat*, ſed quæ legitima eſt, quæque quoad ejus fieri poteſt, veram ac ſinceram lapſi pœnitentiam fuiſſe docet, ac probat.

In pſ.4. Denique ſic etiam accipienda ſunt, quæ ex Beda afferuntur; *Mortificetis propria vitia veſtra faciendo fructus dignos pœnitentia, tantum ſcilicet pro ſingulis vos affligendo, quantum digna expetit pœnitentia; quod erit ſacrificium juſtitiæ, id eſt juſtum ſacrificium.* Ille vero non *pœnas compenſari*, ſed *vitia mortificari* per *pœnitentiam* jubet, majorem, minoremve pro-ut erunt ipſa vitia; ac ſi ægrotantium morbos remediis expugnandos diceres, acrioribus, lenioribuſve, pro ſingulorum & morborum & ægrotantium ingenio; unde nemo, niſi inſaniat, concluſerit ægrotos iis remediis, quibus utuntur, pro aliqua proprie dicta *pœna ex condigno ſatisfacere.*

Atque ex his ſatis liquet veterum exomologeſeon vel rigorem, vel diuturnitatem, vel diverſitatem nequaquam conficere id quod volunt adver-

adverſarii, eas ſcilicet eo animo fuiſſe inſtitutas, & uſurpatas, ut ſic pro *temporalibus* pœnis lapſi *ex condigno* apud Deum *ſatiſfacerent*.

CAPUT VI.

Solvitur objectio 7ª. ab iis effectis petita, quæ pœnitentiæ actibus & operibus paſſim apud Patres tribuuntur. Expenditur primus ordo locorum è Patribus objectorum, in quibus peccata dicuntur pœnitentiæ actibus elui, vel purgari.

IAm ad cæteras objectiones veniamus, ex iis potiſſimum locis petitas, in quibus Patres *pœnitentiæ*, & *exomologeſis* effectus magnifice ſane deprædicant. Ii autem effectus varii ſunt, ac multiplices, tum apud Deum, tum apud Eccleſiam, tum apud ipſos pœnitentes. *Serm. de lapſ. extr.* Apud Eccleſiam quidem, ut cum ait Cyprianus, lapſum pœnitentia perfunctum, *quam contriſtaverat nuper lætam facere Eccleſiam*; cum Auguſtinus docet diuturnis illis pœnitentium laboribus *ipſi etiam Eccleſiæ ſatisfieri*. *Enchir.c.65.* Sed hæc quidem, & alia, ſiqua ſunt, hujus generis nihil ad præſentem quæſtionem faciunt.

Adverſarii illa ſola objiciunt, in quibus *exomologeſeos* vel apud Deum, vel apud ipſum pœnitentem effectus commemorantur; qualia ſunt, quæ affirmant eam lapſis *pecccatorum*, vel *pœnarum remiſſionem à Deo conciliare*, vel apud eum efficere. Hujus generis plurima ſunt; quorum mihi ordinem ducent ea Patrum loca, in quibus peccata *pœnitentia*, vel *exomologeſi*, vel (quod plane idem eſſe docuimus) *ſatiſfactione* elui, vel *purgari* dicuntur. Ita Cyprianus ait *vulnera lacrymis ablui*; *L.1. Ep.3.* & alibi *divinam pietatem imbecillitati, & fragilitati noſtræ ſubvenientem juſtitiæ, & miſericordiæ operibus oſtenſis viam quamdam tuendæ ſalutis nobis aperuiſſe, ut* (inquit) *ſordes poſtmodum quaſcumque contrahimus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus Sanctus, & dicit, Eleemoſynis & fide delicta purgantur.* *Serm.de operib. & eleem.* Lactantii eadem in his mens eſt; *Deus* (inquit) *purgari homines à peccatis maxime cupit; ideoque agere pœnitentiam jubet.* *L.6. c.13.* Hilarius de Davide; *Non deſinit* (inquit) *veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere.* Mox: *Hæc venia peccati eſt fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.* *In Pſ.118. litt. phe. ver. ult. p.943. a* Nazianzenus; ἐλεημοσύναις καὶ πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτίαι. καθαρθῶμεν οὖν ἐλεήσαντες. ῥύψωμεν τῇ καλῇ πόᾳ τὰ τῶν ψυχῶν ῥύπη τε, καὶ μολύσματα καὶ λευκανθῶμεν οἱ μὲν ὡς ἔριον, οἱ δὲ ὡς χιὼν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς εὐσπλαγχνίας. *Orat.16. περὶ φιλοπτωχ. T.1. p.263. c* *Per miſericordiam, & fidem peccata purgantur. Purgemur itaque per miſericordiæ*

cordiæ officia; labeſque & ſordes animæ pulcra illa herba extergamus; ac dealbemur alii, ut lana; alii, ut nix, pro miſericordiæ videlicet proportione, ejus ſcilicet quam pauperibus præſtiterimus. Ambroſius; *Quæ nobis ſalus eſſe poteſt, niſi jejunio eluerimus peccata noſtra?* Sulpitius Severus; *Fornicatio deputatur ad pœnam, niſi ſatisfactione purgetur.* Sic Leo *ſalubri ſatisfactione pœnitentes purgari* ait. Caſſianus; *Dum agimus* (inquit) *pœnitentiam, & vitioſorum actuum recordatione mordemur, neceſſarium eſt, ut ignem conſcientiæ noſtræ obortus ex confeſſione culpæ lacrymarum imber exſtinguat; cum vero cuiquam in hac humilitate cordis, & ſpiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti horum recordatio fuerit conſopita, & conſcientiæ ſpina de medullis animæ gratia Dei miſerantis evulſa, certum eſt eum ad ſatisfactionis finem, atque indulgentiæ merita perveniſſe, & ab univerſorum criminum labe purgatum.* Cæſarius Arelatenſis homiliis de eleemoſyna paſſim ait *bonis operibus peccata elui, & purgari.* Beda: *Delectatio, ſeu voluntas peccandi, quando ad ſatisfactionem venitur, leviter eleemoſynis, & aliis talibus purgatur; conſenſus vero nonniſi gravi pœnitentia deletur; conſuetudo autem nonniſi recta, & ponderoſa ſatisfactione abſolvitur.* Radulphus: *Ab unoquoque noſtrum pœnitentiæ ſatisfactione commiſſa culpa detergitur.* Atque hæc omnia à Bellarmino deſcripta ſunt; quibus non pauca alia ejuſdem farinæ adjici fortaſſe poſſent. Sed hæc & alia ejuſdem generis omnia fruſtra afferuntur.

Ep. 82. ad Eccl. Vercell. — L. 2. dial. c. 13. — Ep. 91. — Caſſ. coll. 20. c. 7. — Bibl. Patr. t. 2. In pſ. 1. — L. 12. in Levit. c. 1. — L. 4. de pœnit. c. 9. tot. ſparſim.

Primo enim, ſi, (quod non eſt) diſertiſſime omnia affirmarent pœnitentia, ejuſque fructibus lacrymis, jejuniis, orationibus, eleemoſynis *purgari*, vel *elui*, *expungi*, vel *extingui pœnas* peccatorum temporales; non ideo tamen conſequens eſſet, ut veteres putarentur eas hujuſmodi operibus ſenſiſſe *ex condigno compenſari*, atque *expiari*, ſive (quod idem eſt) ex *jure* & *juſtitia* pro iis *Deo ſatisfieri*; quod hic proprie quæritur, & ab adverſariis quidem affirmatur, à nobis vero negatur. Nam & Tertullianus ſupra itidem ajebat, *gehennam tibi exomologeſis exſtinguet*; & eodem libro *pœnitentem* ait *temporali afflictatione æterna ſupplicia expungere.* Et Euſebius ex Ruffini verſione narrat Iacobum Apoſtolum indeſinenter Hieroſolymitanos de ſcelere in Chriſtum commiſſo commonuiſſe, *ſi forte* (inquit) *pœnitudinem gerere, ſi poſſent flere pro ſcelere, & ultrices pœnarum flammas lacrymarum ubertate exſtinguere.* Iam ſiquis ex his locis concludat putaſſe iſtos pœnitentium *exomologeſi*, & *lacrymis ex condigno* pro æternis gehennæ ſuppliciis *ſatisfieri*; Bellarminus negabit ſequi; concedit enim nulla temporali afflictatione *ex condigno* poſſe gehennam *compenſari*, eamque vult gratuito nobis à Domino condonari, nulla noſtra *ſatisfactione* proprie *redemptam.*

L. de pœn. c. 12. — Ibid. c. 9. — Hiſt. Eccl. l. 3. c. 7.

ptam. Quis ergo non hominem rideat jam ex iis, in quibus forte ajunt Patres temporales peccatorum *pœnas* pœnitentiæ operibus *dilui*, *detergi*, aut *purgari*, concludentem eas iſtiuſmodi rebus *ex condigno compenſari*? Quæſo te *extinguere*-ne, ac *expungere* minus eſt, quam *eluere*, aut *detergere*, aut *purgare*? Imo vel utraque omnino paria ſunt, vel ſi imparia, illa quam hæc plus habent ponderis, atque emphaſeos. Si hæc ergo conſecutio, te judice, nihil valet, *Exomologeſis extinguit gehennam*, *Ergo ex condigno ſatisfacit pro gehenna*; profecto, ſitibi conſtare vis, neque hanc, quæ omnino eadem eſt, valere concedere debes; *Exomologeſis pœnas temporales diluit*, *vel detergit*; *Ergo ex condigno pro iis ſatisfacit.* Vtraque vel admittenda, vel neganda. Si hanc urges, illam aſpernari non debes. Sin illam, & quidem merito reſpuis, non eſt, quod mihi ſuccenſeas hanc pariter neganti. Sed Bellarmini ingenium jam non ſemel quale ſit, perſpeximus. Ille pro libidine *diruit*, *ædificat*, *mutat quadrata rotundis*; nuſquam ex vero; ubique ex libidine, & præjudicatis opinionibus philoſophatur. Siquid cauſſæ, quam agit, vel umbram habet, id avidus arripit; neque penſi quicquam habet, idne cum cæteris vel ſuis, vel ſuæ communionis, placitis conſentiat, an pugnet.

Nos vero ſiqui ſint ex objectis Patribus, qui *pœnas* peccatorum *pœnitentia*, ejuſve operibus *elui*, *detergi*, *purgari*-ve dicant, reſpondebimus hanc eorum orationem eodem omnino ſenſu accipiendam eſſe, quo in aliis locis eadem accipitur, in quibus affirmant *gehennam exomologeſi exſtingui*, & *æterna ſupplicia temporali afflictatione expungi*, & *ultrices pœnarum flammas lacrymarum ubertate extingui.* Significant-ne his locis pro gehenna *ex condigno* ſatisfieri? Minime vero, inquit adverſarius. Ergo inquam, neque in prioribus locis pro temporalibus peccatorum pœnis *ex condigno ſatisfieri* intelligunt. Quid igitur inquis, ſibi volunt? In prioribus quidem locis mens earum clara eſt; nimirum hæc quiſquis vera pœnitentia defungitur, ei Dominum pro ſua miſericordia, conſtantiq; promiſſorum fide peccata ſic dimittere, ut is numquam in gehennam incidat; neque ſempiternam illam flammam magis ſenſurus ſit, aut experturus, quam ſi eam re vera lacrymis ſuis totam penitus reſtinxiſſet. Iſta pœnitentiæ non *meritum*, aut *dignitatem*, ſed ſucceſſum, & fœlicitatem ſignificant; & quod ſit ejus effectum deſcribunt; effectum inquam, non ex *naturæ*, aut *juſtitiæ* vi, ſed ex Dei *bonitate*, & *promiſſis.* Hæc ergo eadem verba in poſterioribus locis idem quoque valent; ſignificantque temporalibus illis pœnis, quæcumque tandem ſint, eos, quos peccati vere pœnituit, non aliter eximi, ac liberari, quam ſi nul-

las umquam eſſent promeriti. Hunc vero pœnitentiæ certum, & immutabilem eventum eſſe,(quod ex Patrum dictis ſequitur,) ultro ac libentes fatemur; eventum iſtum ex *jure*, & *juſtitia*, ſive ex pœnitentiæ ipſius dignitate eſſe, non autem ex mera Dei optimi miſericordia, ac veritate, conſtantiſſime quidem negamus; ſed neque ex illis veterum ſententiis probari poſſe & contendimus, & jam oſtendimus.

Neque adverſarii poſſunt neſcire non eam eſſe hujuſmodi locutionum, quas nunc nobis objiciunt, vim, ut eo *ex condigno ſatisfieri* probent, quocumque peccatum *elui*, aut *deleri* dicitur. Nam & ajunt ipſi *baptiſmum tollere, ac delere vere omnem culpam, ac pœnam*; & teſtantur Patres ſic loqui, ut dicant *baptiſmali aqua animam emaculari* [a]; *genitalis unda auxilio ſuperioris ævi labes detergi* [b]; *hominem cœleſti lavacro purificatum exponere infantiam cum omni labe vitæ prioris*; *hanc aquam animum intra à ſorde, & inquinatione mundare, peccatum abluere, tantamque eſſe ejus virtutem, ut corpus tangat, & cor abluat*; & alia ejus generis ſexcenta; ex quibus nemo colligit, vel Bellarminum, vel Patres exiſtimare baptiſmum *condignam* eſſe apud Deum *pro peccato*, pro *culpa*, aut *pœna ſatisfactionem*; cum omnes fateantur omnem illam gratiam, quæ in baptiſmo confertur, *gratis* à Domino donari, neque baptiſmi ſuſceptione, neque ullo humano opere *redemptam*. Quæ cum ita ſint patet, non imperite tantum, ſed & impudenter eos facere, qui pœnitentiæ labores ideo pro *pœnis* peccatorum temporalibus *ex condigno ſatisfacere* concludunt, quod iis *pœnæ* illæ *ablui*, *deleri*, vel *expungi* dicantur.

Bell. l. 1. de bapt. c. 12. §. Vers effectus.
Id. de Sacr. in gen. l. 2. c. 7.
a *Tertull. de reſurr. car.*
b *Cypr. ad Donat.*
Lact. l. 7. c. 5.
Sylveſt. apud Niceph. hiſt. l. 7. c. 33.
Ambr. l. 2. de pæn. c. 2.
Aug. tract. 80. in Ioan.

Sed & illud ſecundo loco obſervandum, ne hoc quidem affirmare plæroſque ab adverſariis adductos teſtes. Ait Cyprianus *vulnera lacrymis, ſordes eleemoſynis ablui*; Gregorius itidem τὰ ψυχῆς ῥύπη, καὶ μολύσματα *labes, & ſordes animæ* pulcra beneficentiæ herba ῥύπτικου *extergi*. Iam neque *vulnera*, neque *ſordes pœnæ* ſunt; ſed, ut liquet, *peccata*. Lactantius pœnitentia *homines à peccatis purgari*; Hilarius Davidem veræ pœnitentiæ lacrymis *crimen* abluiſſe; Sulpitius *fornicationem* ſatisfactione purgari. Quis eum ferat, qui *peccata*, *crimen*, *fornicationem*, pœnas delictorum temporarias interpretetur? Ait Leo *pœnitentes* ſalubri ſatisfactione purgari. Atqui ne *pœnitentes* quidem pœnæ ſunt temporales. Ait Caſſianus lapſum ab *univerſorum criminum labe* purgari. Obſecro te, *pœnam*-ne ſignificat *criminum labes*? Neque, ſi bene conjecto, *pœnæ* ſunt aut quæ apud Cæſarium *eleemoſynis purgari* dicuntur *peccata*; aut quæ apud Bedam occurrunt *voluntas, conſenſus, conſuetudoque peccandi*; aut eæ denique, quarum Radulfus meminit, *commiſſæ culpæ*. Nemo non videt omnibus iſtis nominibus *peccatum* ipſum, id eſt vel admiſſi

delicti

delicti *crimen*, vel *vitioſum*, unde profluxit, *habitum* ſignificari; atque ita in majori horum locorum parte accipit Arnaldus opere de Communione extremo. Quæ ergo iſta eſt vel ineptia, vel inverecundia, ea ad *pœnas* peccati temporales, de quibus quæritur, in vita, ac reluctantia trahere, quæ ad *culpas*, & *vitia*, de quibus non quæritur, manifeſte pertinent? Eo autem inexcuſabilior eſt Bellarmini ſeu fraus, ſeu error, quod hoc ipſum argumentum, quo nunc utitur, inefficax eſſe alibi non fatetur modo, ſed etiam contendit. Cum enim Calvinus contra Papales indulgentias diſputans Ioannis locum objeciſſet, *Sanguis Chriſti emundat nos à peccato*, reſpondet Bellarminus *loqui Apoſtolum de remiſſione culpæ quæ maculam proprie gignit in anima. Macula enim eſt* (inquit) *quæ ablutione tollitur, non pœna, quæ debitorem, non ſordidum facit.*

De la freq. com. par. 3. c. 17. p. 788.

1. Ioan. 1.

De indulg. l. 2. c. 3. s. In Epiſtola 1. Ioan.

Hæc ille; quæ ſi recta ſunt, apparet omnia illa nuper deſcripta Patrum loca, in quibus pœnitentiæ actibus *mundari*, *purgari*, *ablui* dicuntur peccata, de *remiſſione culpæ* eſſe intelligenda; adeoque ex ipſius adverſarii judicio, perperam ad *ſatisfactiones* trahi, quibus iſti non culpam, ſed *pœnam* duntaxat peccati temporalem tolli, ac expiari volunt.

Quod ſi & hoc poſtremo donavero, ut iſta ad *pœnas* etiam ipſas extendantur; illud quidem certe negari non poteſt, etiam de *culpa*, & quidem præcipue ea eſſe accipienda. Itaque Patres *pœnitentiæ operibus*, ut *culpam*, ſic *pœnas* etiam *purgari*, & *elui*, intellexiſſe dicam. Iam *culpas* mortalium peccatorum (de quibus ſolis fiebat olim *exomologeſis*) non *ex condigno* iſtiuſmodi operibus vel *elui*, vel *purgari* docent ipſi adverſarii, ſed ſi forte *ex congruo*. Ergo & *pœnas* eadem quoque ratione *exomologeſeos lacrymis, eleemoſynis*, cæteriſque operibus *deleri*, atque *elui* ex Patrum Sententia reſpondebo; nimirum non *ex condigno*, quod iſti volunt, ſed *gratis* ex Domini miſericordia, & fide; qui ex mera gratia pœnitenti æque, ac baptizato peccata in Chriſto ſuo *condonat*, non juris, aut juſtitiæ lege, aut ulla operum noſtrorum dignitate obſtrictus, ſed ſola amoris, atque bonitatis ſuæ vi impulſus, ac provocatus. Vitia vero, quod ex objectis Patribus nonnulli dicunt, *pœnitentia purgari* ſatis conſtat ex ſuperioribus; quatenus nimirum continuis ſanctimoniæ operibus contrarii vitiorum habitus paulatim pelluntur, & ejiciuntur ex pœnitentium animis. Sed hæc ratio, ut liquet, ad præſentem controverſiam minime pertinet.

Iam quod Bellarminus urget illa Cypriani verba, *Eleemoſynis, & fide delicta purgantur, non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta; nam illa Chriſti ſanguine, & ſatisfactione purgantur*, id inquam, fruſtra eſt.

L. 4. de pœn. c. 9. s. S. Cypr. Cypr. Serm. de op. & eleem.

Hæc enim à Cypriano omnino ſunt incautius orationi aſperſa , iis Patrum dictis accenſenda , quæ Petavius , Bellarmini ſodalis , *boni ſenſus inania viſum iri* vere ſane, & fortiter pronuntiat , *ſi ea ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris.* Et Bellarminus immerito ſævit in Chemnitium, quod hæc Cyprianica perſtringere , atque denotare auſus ſit. Quis enim Chriſti Domini gloriam tam ſegniter amat , ut patienter audiat dicentem , delicta quidem à nobis ante baptiſmum contracta *Chriſti ſanguine , & ſatisfactione purgari ?* poſt vero *contracta eleemoſynis, & fide ?* quaſi ſcilicet non etiam hæc *Chriſti ſanguine purgentur.* Atqui ne adverſarii quidem ipſi ita vel ſentiunt,vel loquuntur ; Et memini Bellarminum ſupra excanduiſſe, cum à nonnullis neſcio quid hujuſmodi ſuis eſſet objectum ; accurrateque teſtatum eſſe ſe , ſuoſque omnem noſtrarum & *culparum* , & *pœnarum*, ſive veterum, ſive recentiorum, *remiſſionem* Chriſti *ſanguini* acceptam ferre. Quin & nunc etiam , cum Chemnitio rixans , non tantum clamat in baptiſmo plene, atque integre ad omnem culpam , & pœnam delendam Chriſti nobis paſſionem applicari ; ſed & in pœnitentia opera laborioſa ex parte noſtra , quibus pro reatu pœnæ temporalis juſtitiæ divinæ *ſatisfiat* , ita requiri ait , ut tamen *in eadem Chriſti nobis paſſionem applicari* velit *ad culpam & pœnam æternam tollendam.* Atqui plane contrarium dicere videtur Cyprianus. Quod vero Bellarminus ſuum ei dogma affingere conatur , quaſi ſcilicet non neget peccata *poſt baptiſmum commiſſa* merito paſſionis Chriſti deleri , ſed neget *ſolo illo merito deleri , quoad omnem culpam , ac pœnam* , laudarem viri caritatem , ſi hunc Cyprianicæ orationis (ut ſic dicam) nævum veris tegeret. Nunc cum errorem errore occultare, & ulcus ulcere medicari aggrediatur, cogor in eo erroris ſui , quam famæ Cypriani majus ſtudium agnoſcere. Sed quiſquis fuerit ejus animus , conatus certe infœlix fuit. Nam ut mittam iſta , quæ Cypriano ultro , ac non rogatus de ſuo commodat , *de culpæ, & pœnæ, remiſſioniſque plenæ, & non plenæ* diſtinctione ; quæ profecto nuſquam apud Cyprianum vel hic , vel alibi comparent ; illud quidem certe clarum eſt , omne hoc Bellarminianæ ſive caritatis , ſive verſutiæ officium reſpuere eam antitheſin , quæ in his Martyris verbis elucet ; *Eleemoſynis* (inquit) *& fide delicta purgantur ; non utique illa delicta , quæ fuerant ante contracta. Nam illa Chriſti ſanguine, & ſatisfactione purgantur.* Duo facit delictorum noſtrorum genera ; alia ante, alia poſt baptiſmum commiſſa ; illa *Chriſti ſanguine* ; hæc *eleemoſynis purgari* ait. Ergo ſi bene, ac legitime iſta inter ſe oppoſuit, non magis hæc *Chriſti ſanguine* , quam illa *eleemoſynis purgari* intelligit. Illa autem

Animadv. in Epiph. p. 244.

l. 4. de pœnit. c. 10. § In alio vero.

Ibid.

eleemoſynis purgari exſertiſſime negat, *eleemoſynis, & fide delicta purgantur; non utique illa quæ fuerant ante contracta:* Ergo & hæc pariter *Chriſti ſanguine purgari* negare cenſendus eſt. Quod ſi & hæc *Chriſti ſanguine purgari* voluit, certe & illa *eleemoſynis purgari* voluiſſe neceſſe eſt. Atqui hoc negavit. Ergo & illud eum quoque negare confitendum eſt. Sin tibi licere vis ſic diſtinguere, ut negaverit *delicta* poſt *contracta Chriſti ſanguine* quod ad *pœnam* quidem pertinet temporalem, *purgari*; quod ad *culpam*, & *pœnam æternam*, *purgari* non negaverit; debes hanc mihi quoque veniam dare, ut quod negat *delicta ante contracta eleemoſynis purgari*, ſic intelligam, quaſi ea eleemoſynis purgari negaverit, non quidem quod ſpectat ad *culpam*, & *pœnam* æternam; ſed quod ad ſolam temporalem *pœnam*. Atque ita eo tandem redibunt præclaræ tuæ artes, ut putetur Cyprianus ſenſiſſe hominum nondum baptizatorum *eleemoſynis culpam*, & *pœnam* peccatorum æternam *ex condigno* quidem *redimi*, & *expiari*; *pœnas* autem temporales nequaquam iis ſed *Chriſti ſanguine* redimi. Quod ſi tibi abſurdum, & monſtroſum, ut eſt, ſic eſſe videtur; illud poſtremo agnoſcere debes vanum, & futile eſſe totum illud tuum dicti Cyprianici interpretamentum, ſive id tibi tua in Martyrem caritas, ſive, quod verius reor, tuum in errorem ſtudium ſuggeſſerit. Vnde apparet, quam ridicula ſint, quæ hîc Bellarminus de diſcrimine *baptiſmi*, & *pœnitentiæ* philoſophatur; quod queritur *nunquam* nos potuiſſe perſpicere. Ego vero & perſpexi, quid ſit, quod ille ſomniat; & ſatis niſi fallor, confutavi, quæ firmando ſuo ſomnio, ſive ex Scripturis, ſive ex Patribus attulit; & perſpicue oſtendi * quæ vera fuerit illius diſcriminis ratio, quod apud veteres inter priorem, & poſteriorem pœnitentiam, cernitur; id eſt eam, quæ baptiſmum antecedebat, & eam quæ à fidelibus poſt baptiſmum lapſis imponebatur. Itaque non eſt, quod hîc diutius hæream, cum demonſtraverim minime cum Cypriani verbis cohærere illam gloſſam, cui Bellarminus, tamquam putri fundamento, ſuam de utriuſque pœnitentiæ diſcrimine rationem in caſſum ſuperſtruxerat.

l. 4. de pœnit. c. 9. & S. Cypr.

* *Superiori proxim. cap.*

Non eſt firmius, quod obſervat Bellarminus in hoc Hilarii de Davide dictum, *Nunc quoque non deſinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere. Ex hoc* (inquit) *teſtimonio habemus Davidem poſt perfectam converſionem, & indulgentiam culpæ adeptam, lacrymis peccatum olim commiſſum abluiſſe; quia videlicet intelligebat poſt culpam remiſſam reatum pœnæ remanſiſſe, qui ſatisfactione purgandus eſſet.* Tune vero hæc Bellarmine, ex Hilario habes? O immanem hominis confidentiam!

In pſ. 118. ſub pho extr.

 Atqui

Atqui hoc unum ait Hilarius, Davidem *veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluiſſe*, id eſt, *ſceleris* olim à ſe admiſſi infamiam clariſſimis veræ, ac conſtantis pœnitentiæ teſtimoniis *eluiſſe*, & invidiam, quæ ex illo facinore in ſe redundaverat, exſtinxiſſe. Hoc enim eſt *veteris facti crimen abluere.* Ex quo quidem tum illud conſequitur non levem, ac momentaneam, ſed fidam, jugem, & *ἀμεταμέλητον* eſſe dêbere *pœnitentiam* noſtram, quod ibidem paulo poſt docet Hilarius, *Oportet* (inquit) *peccati pœnitentiam non deſinere.* Et, *vera* (inquit) *peccati confeſſio eſt ſine intermiſſione temporis pœnitere. Peccati vero pœnitentia eſt ab eo, quod pœnitendum intellexeris, deſtitiſſe*; Tum hoc etiam ex eodêm habetur hujuſmodi conſtantis *pœnitentiæ* lacrymis, aliiſque fructibus, & acceptam à Deo ſecus factorum remiſſionem magis, magiſque in conſcientiis noſtris confirmari, & vitii, ex quo peccata illa manaverant, habitum in animis noſtris debilitari, atque aboleri, & crimen denique cujus invidia fama noſtra flagrabat, ſic paulatim apud Deum, hominesque minui, atque *exſtingui*; dum & lacrymarum noſtrarum conſtantia, & ſtudiorum, atque morum in bono perſeverantia, palam facit nos veteris delicti vere pœnitere, planeque bona fide reſipuiſſe. Hæc ſunt quæ ex hoc Hilarii teſtimonio concludi poſſe confitemur. Quæ vero Bellarminus ei affingit, ipſius ſomnia ſunt, non Hilarii ſententiæ; qui neque de *reatu illo pœnæ poſt remiſſam culpam remanente*, neque de *ſatisfactione*, *qua is*, ex condigno ſcilicet, *purgandus eſt*, vel unum verbum fecit; vel quicquam dixit, ex quo id confici poſſit. Quin ne *peccatum* quidem *olim commiſſum*, ſed *veteris facti crimen veræ pœnitentiæ lacrymis abluiſſe Davidem* dixit; quod quid ſit ſatis ex ſuperioribus planum eſt.

CAPUT VII.

Explicatur ſecundus locorum è Patribus objectorum ordo, in quibus peccata pœnitentiæ actibus deleri, *vel* aboleri *dicuntur.*

HOrum locorum illa ſimilia ſunt, in quibus peccata pœnitentiæ operibus *deleri*, vel *aboleri* dicuntur; plane eodem modo accipienda, quo ſuperiora nuper explicabamus. Nam in hoc negotio nemo non videt *delere* idem eſſe, quod *eluere*, vel *abluere.* Origenes: *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo* (id eſt exomologeſin agendo) *deleat, quod admiſſum eſt.* Gregorius Romanus; *Non ſolum confitenda*

hom. 6. in exod.

l. 6. in 1. reg. c. 15.

ſunt

ſunt peccata, ſed etiam pœnitentiæ auſteritate delenda. Item; *Tunc bene converſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Beda; *Conſenſus vero* (nimirum in peccatum) *nonniſi gravi pœnitentia deletur.* Reſpondeo primo hæc loca huc fruſtra adduci. Non enim de *pœnæ* temporalis remiſſione, de qua nunc quæritur; ſed de ipſius vitii nobis inoliti *exſtinctione*, ac (ut Scripturæ verbo utar) *mortificatione* loquuntur; de qua nulla nobis nunc quidem controverſia eſt. Nam *delere, quod admiſſum eſt*, (ut ait Origenes) *peccata non tantum confiteri, ſed etiam pœnitentiæ auſteritate delere*, (quod dicit Gregorius) & quod idem ait, *quod quis loquendo confitetur* (hoc eſt peccatum) *afflictionis auſteritate delere & conſenſum* (ut ait Beda) *gravi pœnitentia delere*, nihil aliud eſt, quam vitioſos peccandi habitus luxu, aut intemperantia comparatos, forti pœnitentia, contrariaque luxui auſteritate ex animis noſtris *expungere*, atque *oblitterare*, ſic ut nulli deinceps in nobis appareant, qui antea multiplici delictorum ſobole teſtabantur, quam in nobis valerent, vigerentque. Atque hæc ita nobiſcum interpretari videtur Arnaldus. Siquis tamen malit ea ad remiſſionem peccatorum referre, nihil noſtra intereſt. Nam primo *pœnæ* temporalis remiſſionem (de qua ſola nunc agimus) nullam memorant; *quod admiſſum eſt, quod confitemur, conſenſum in peccatum* deleri dicunt. Itaque ſi *delere* eſt *remiſſionem peccati conſequi*, omnino hæc tam de *culpæ*, quam de *pœnæ* totius, id eſt & *æternæ*, & *temporalis*, remiſſione intelligenda ſunt. Neque enim audiendi adverſarii, qui commentitias iſtas diſtinctiones ex ſuo cerebro, non ex veterum penu depromptas hic nobis occinunt. Iam cum ipſi fateantur neque *culpam*, neque *pœnam* æternam *ex condigno* noſtra pœnitentia *expiari*; fieri nequit, ut hi Patres, qui utramque univerſe exomologeſi deleri ajunt, hic intellexerint *ſatisfactionem ex condigno.* Supereſt igitur, ut peccata idcirco dixerint hujuſmodi pœnitentiæ actibus *deleri*, quod ea peccatoribus qui iſtis vere & ex animo defunguntur, Dominus ex miſericordia, & fide ſua plane, penituſque condonet; quod ipſum etiam iis locis veteres ſignificaſſe diximus, quibus *peccata* ajunt *pœnitentia*, ejuſque actibus *ablui*, & *purgari.*

In pſ. 1.

de la freq. comm. part. 3. c. 17.

Idem eſt eorum verborum ſenſus, quæ ex Lactantio laudant; *Circumſpice* (inquit) *conſcientiam tuam, & quantum potes medere vulneribus; nec tamen, quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim ſi Deo largiare, quia peccaveras. Nam ſi fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maxime cupit; ideoque agere pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam*

l. 6. cap. 13.

tiam nihil aliud eſt, quam profiteri, & affirmare ſe ulterius non peccaturum.

L.4. de pænit. c.9. ſ. Lactantius. In hunc locum hæc habet Bellarminus; *His verbis* (inquit) *Lactantius hortatur pœnitentes ad eleemoſynarum largitionem, ac dicit peccata tolli, & aboleri per eleemoſynas, ſi hominem pœniteat peccaſſe, & ideo quia peccavit, nimirum ut ſatisfaciat Deo, eleemoſynas largiatur: Non tolli autem, nec aboleri, ſi fiducia largiendi homines peccent; id eſt ſi eleemoſynas largiantur, ut liberius peccent.* Sed quo uſque iſte ſua nobis ſomnia pro auctorum, quos citat, ſententiis obtrudet? Vbi ſunt apud Lanctantium, quæ iſte ejus verbis & ſenſibus audaciſſime infulcit, *eleemoſynas ideo pœnitentem largiri debere, ut ſatisfaciat Deo,* & *quidem* (quod neceſſario intelligit) *ex condigno?* Ait Lactantius *peccata largitione tolli*; ait *aboleri, ſi Deo largiare, quia peccaveras; non aboleri, ſi largiaris, ut pecces.* De *ſatisfactione*, verbum fecit nullum. An ergo *nemo largitur, quia peccavit*, niſi qui ideo largitur, ut pro *peccati* pœnis ex *condigno ſatisfaciat?* Certe etiam, qui de iſtorum *ſatisfactione* non cogitat, *largitur tamen, quia peccavit*; qui vero delicti ſui ſenſu ſtimulatus ad Deum convertitur, ac ut ei pœnitentiæ ſuæ veritatem probet, eleemoſynas large in pauperes effundit. Etiam nos, qui *condignam* illam pro pœnis *ſatisfactionem* ex Eccleſiis noſtris exterminavimus, iidem tamen pœnitentes hortamur, ut largiantur, & quidem *quia peccarunt*; non autem, *ut peccent.* Veræ pœnitentiæ, cujus largitio (ſi modo ejus rei copia ſuppetit) neceſſarius eſt fructus, peccati remiſſionem ubique certo, & conſtanter pollicetur Deus. Ex illa Dei promiſſione clarum eſt, quicumque vere & Chriſtiane *largitur*, id eſt non *ut peccet*, ſed *quia peccavit*, ejus, ut vere pœnitentis, peccata *tolli*, & *aboleri*; peccata inquam, tota, hoc eſt & *culpam*, & *pœnam.* Nam neque Deus in verbo ſuo, neque Lactantius hoc loco dimidiatam illam adverſariorum *remiſſionem* novit; quæ vel *culpam*, vel *pœnam* ſeorſim alteram ſine altera peccatori donat. Quæ cum ita ſe habeant, quis non videt pœnitentes, etiamſi de *expiandis ex condigno* peccati pœnis non cogitent, merito tamen largitioni, & eleemoſynis dare operam? non ut *impunitatem* hac mercede nundinentur, quod non minus abſurdum eſt, quam *peccandi licentiam* hoc eodem pretio redimere; ſed ut *pœnitentiam* ſuam ex fructibus probent, eorumque contemplatione Dei bonitatem ad ignoſcendum ſibi ſecundum gratuiti fœderis tabulas, pro virili provocent? Iam peccata largitione *tolli* & *aboleri* eodem ſenſu dicuntur, quo eleemoſynis *ablui*; ſcilicet non ex ipſius largitionis *vi, ac dignitate*; ſed ex optimi Dei miſericordia; cui libet ita cum miſeris peccatoribus agere, ut iis peccata *remittat*, quos vitæ anteactæ vere pœnitet,

pœnitet, quique adeo eum animi ſui affectum bonis, & ſanctis operibus teſtantur. Mitto quod adverſarius *peccatorum* nomine temporales peccatorum *pœnas* intelligi non probat, ſed ſumit. Quis vero ei conceſſerit *peccata tolli & aboleri* nihil aliud eſſe, quam eorum *pœnis*, & quidem *temporalibus* duntaxat liberari? Quanto rectius *peccata tolli*, *& aboleri* dicuntur, quorum & *culpa*, & *pœna* ſimul omnis remittitur? At ſi Lactantius hoc ſignificat, (quod eum ſignificare communis loquendi uſus, & recta ratio tamdiu nobis perſuadebit, donec contrarium demonſtraverit adverſarius) actum eſt de Bellarmini cauſſa. Nam *culpam*, & *pœnam æternam* ſic eleemoſynis *tolli*, atque *aboleri* concecedit, ut nulla ſit pro iis condigna *peccatoris ſatisfactio*. Quid ergo prohibet, quominus & *pœnam* temporalem, ſiqua eſt, eodem quoque modo *tolli*, & *aboleri* dicamus? nimirum ſic, ut nulla pro ea pœnitentis intercedat *condigna ſatisfactio*? Cæterum quod ſubjicit Lactantius, *Deus enim purgari homines à peccatis maxime cupit, ideoque agere pœnitentiam jubet*, neceſſario referendum eſt, non ad *remiſſionem criminum*, ſed ad *immunitatem à vitiis*. Vult nimirum Deum eo impenſiſſime delectari, ut ſint homines *vitæ integri*, *ſceleriſque* omnis *puri*; ideoque pœnitentiam in Eccleſia inſtituiſſe, ut per eam à peccati libidinibus, vitioſiſque habitibus repurgati, ac liberati vitam ſancte ac innocenter traducant: quod ipſum egregie his verbis docet Tertullianus; *Pœnitentiam deſtinabat* (Deus ſcilicet) *purgandis mentibus præpoſitam, ut quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto paret.* Vnde conſtat præcipuum, ac nobiliſſimum *ſatisfactionis*, id eſt, *exomologeſeos* Chriſtianæ finem eſſe, non quam iſti ſomniant, temporalem *impunitatem*, ſed animæ noſtræ *ſanctificationem*, atque *innocentiam*. Quiſquis locum Lactantii attente expenderit, hanc eſſe ejus mentem haud dubie fatebitur. *De pœnit. c. 2.*

Supereſt Caſſiodori locus, *Cogitabo pro peccato meo, id eſt* (inquit) *talia te donante faciam, quæ meum poſſint abolere peccatum. Scilicet fletus adhibebo, eleemoſynas faciam, & ab hoc, quod deliqui, mandatorum tuorum me obſervatione purgabis.* Primum, ut ſupra, obſervo *peccatum abolere* culpæ, & pœnæ totius *remiſſionem* complecti. Neque enim id *peccatum aboletur*, cujus *pœna* tantum temporalis expiatur; ut ſi de *ſatisfactione* ex condigno hunc locum capiant, neceſſe ſit, non pro *pœna* duntaxat temporali, ſed & pro *culpa*, & *pœna æterna ex condigno* ab hoc pœnitente *ſatisfieri*; quod quam ſit abſurdum, per ſe patet. Secundo ſi donavero *pœnæ* tantum temporalis remiſſionem hac *peccati* *In Pſ. 37.*

abolitione ſignificari, non ideo confectum erit eam pœnam *ex condigno* aboleri pœnitentis operibus. *Aboleri* gratis ex mera Dei miſericordia, qui id pœnitentibus promiſit, concedam, *aboleri* ex *jure*, & rerum ipſarum *dignitate* negabo. Tertio denique reſpondeo ultima loci verba docere hic de ipſo vitioſo habitu, è quo peccatum manavit, *abſtergendo*, & ex præcordiis *ejiciendo*, agere Caſſiodorum; non de avertendis tantum *pœnis* temporalibus. Quid enim iſta ſibi aliud volunt, *ab hoc, quod deliqui, mandatorum tuorum me obſervatione purgabis?* Dei *mandata*, qui *obſervant*, ii à peccando abſtinent, & ſe ſe puros, atque incontaminatos à delictis ſervant. Quem igitur Deus *ab hoc, quod deliquit, mandatorum ſuorum obſervatione purgat*, is proprie eſt, quem Deus Spiritu ſuo ſic regit, ut & à præteritis peccatis caveat, & innocentiæ atque ſanctitati ſtudeat, Domini præcepta diligentiſſime obſervando; non autem is, quem Deus *purgatorii* pœnis eximit. Sed de hoc loco ſatis; quem ut & ſuperiorem Lactantii ipſe Arnaldus inter eos cenſet, quos non de *pœnæ*, ſed *culpæ remiſſione*, vitioſique habitus, unde ila profluxit, emendatione accipendos putat.

De la freq. comm. part. 3. ch. 17, p. 789.

CAPVT. VIII.

Explicatur tertius ordo locorum è Patribus objectorum, in quibus peccata pœnitentiæ actibus tegi *dicuntur.*

HIs affinia ſunt loca, in quibus Patres pœnitentiæ operibus peccata *tegi* ajunt: quale eſt, quod unum hujus generis Bellarminus attulit, Ambroſii dictum; *Utrumque* (inquit) *beatum dixit, & cujus iniquitas remittitur per lavacrum, & cujus peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non ſolum diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, ut non ei imputetur peccatum.* Ego vero nego Ambroſium dixiſſe *emendatioribus factis operiri & tegi delicta ſuperiora*, eo ſenſu, quem in animo habent adverſarii; ſcilicet ut ea pœnitentem ſua dignitate à pœnis, quas meritus erat, protegant, atque liberent. Nam ſi ea eſſet viro mens, *pœnas operibus tegi*, (quamquam & hoc ipſum abſurdum eſt) vel certe *ipſum peccatorem tegi* diceret. Iam cum *peccatum bonis operibus tegi, cum delicta emendatioribus factis operiri* ſcripſerit, clarum eſt eum, ſi de *peccatorum remiſſione* loquitur, ipſorum peccatorum, id eſt *culparum*, æternarumque *pœnarum* remiſſionem intelligere; quam cum utramque negent adverſarii *ex condigno* à pœnitente *expiari*, vel *compenſari*; illud poſtremo fatendum eſt Ambroſium minime

De pœnit. l. 2. cap. 5.

nime hic loqui de *ſatisfactione ex condigno*; ſed hoc tantum velle, qui pœnitentiæ ſuæ veritatem, non lacrymis modo, ſed & totius vitæ emendatione affirmaverit, ei Dominum ex miſericordi ſcilicet clementia, neque peccatorum culpas imputaturum, neque vel gehennæ, vel alterius generis pœnas ullas inflicturum. Sed (ſi verum amamus) omnino alio ſpectant hæc ſcriptoris illius verba. Nam ipſam ſane peccatorum remiſſionem prioribus verbis expreſſit, cum dixit pœnitentem *debere lacrymis diluere peccatum ſuum*; hoc eſt vero *fletu*, ſinceraque *deprecatione* veniam, & impunitatem à Deo impetrare, quæ hujus eſt locutionis ſignificatio, ut nuper demonſtravimus. Nunc ergo cum alterum pœnitentis officium eſſe continuo addit, *ut emendatioribus factis operiat, & tegat delicta ſuperiora*, omnino aliud aliquid quam quod præceſſit, ſignificat. Vult nimirum præter illa doloris teſtimonia, quæ *fletu* & *lacrymis* exhibentur, peccatorem totius vitæ emendatione pœnitentiæ ſuæ veritatem affirmare, ut non modo à delictis ſuperioribus abſtineat, ſed & virtutum eis oppoſitarum opera edat, præclara ſcilicet modeſtiæ, humilitatis, pietatis, & caritatis ſuæ ſpecimina, quibus anteactæ vitæ flagitia, ac ſcelera obumbrentur, atque contegantur; eæque criminum velut lituræ, aut cicatrices, quæ etiam poſt remiſſum delictum remanent ſuperinducto novo hoc ſanctimoniæ, ac lucis (ut ſic dicam) tectorio operiantur. Hæc vera eſt Ambroſii mens; omnino eadem, quæ illorum Patrum eſt, qui hæc duo veræ pœnitentiæ officia tribuunt, ut & *ſecus facta defleat*, neque *flenda poſthac committat*, ſed pietatis & ſanctimoniæ opera præſtet.

CAPUT IX.

Explicatur ac ſolvitur quartus ordo locorum, in quibus peccata dicunt Patres pœnitentiæ operibus redimi

SEquitur alius locorum ordo; eorum ſcilicet in quibus ajunt Patres pœnitentiæ operibus *peccata redimi*. Cyprianus; *Satisfactionibus* (quo nomine exomologeſes, ut ſupra docuimus, ſimpliciter intelligit) *& lamentationibus juſtis peccata redimuntur*. Leo primus; *Eleemoſynis peccata redimuntur*. Theophilus Alexandrinus; *Præterita peccata pœnitentia corrigamus; præſenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conſcientiæ in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus*. Salvianus; *Si novit quiſquam hominum peccatorum quam tum redimere delicta poſſit, utatur ſcientia ad redemptionem*. Cæſarius Arelatenſis; *Si autem nec in tribulationibus*

L. 1. Ep. 3.

Serm. 1. de jejun. dec. menſ.

Paſch. 1. extr.

L. 1. ad Eccleſ.

bulationibus Deo gratias agimus , nec bonis operibus peccata redimimus , & cætera ſuo loco ſupra recitata. Hæc deſcribit Bellarminus, quibus adjici poteſt illud Cypriani , *Ad hoc tantum profuerit, quod remanſit , ut inde crimen, & culpa redimatur.* Verum ſi Arnaldum audimus, Cyprianus , neque hoc, neque ſuperiori loco , *pœnæ* temporalis , de qua nunc diſputamus, ſed ipſius *culpæ* remiſſionem intelligit. Ipſa ſane Cypriani verba hunc ſenſum poſtulant ; Ait enim *non pœnas*, ſed *delicta* , ſed *crimen*, & *culpam* redimi; quo nihil dici potuit diſertius. Sic & Leo *peccata* ; Cæſarius vero , quaſi viam omni cavillationi præcludens , *ipſa peccata redimi*, ait. Itaque fruſtra ſunt adverſarii , qui hæc ad *pœnæ* , & quidem temporalis tantum *redemptionem* trahunt. Quid ? inquies. Ergo ne Patres iſti voluerunt peccatorum *culpas eleemoſynis* , & *cæteris pœnitentiæ operibus* ex condigno *redimi* , ſic ut iſta eamdem ad crimina expianda vim habeant,ac Domini Ieſu in cruce *ſatisfactio*? Abſit, ut voluerint. Ne ipſi quidem adverſarii hoc admittunt ; qui negant peccati mortalis *culpam* ullo noſtro opere *redimi*, & ſolo Chriſti *ſanguine expiari*, unaque Dei miſericordia nobis *donari* docent. Quid igitur eſt ? Iam alibi diximus,cum illa,unde hæc deſumpta ſunt , Danielis, & Sapientis loca explicaremus , *Peccata tua eleemoſynis redime* ; & , *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Nimirum *redimendi* vocabulum tum apud divinos , tum apud Eccleſiaſticos auctores , quin & apud ipſos profanos ſcriptores , ſæpe improprie ſumitur pro eo quod eſt ſimpliciter *liberare* , tametſi nullum ab eo, qui *redimere* dicitur , pro eo, quem liberat , expendatur dignum , ac proprium *redemptionis pretium.* Hoc ſenſu *peccata eleemoſynis redimi* dixerunt , tum Daniel , tum adducti Patres ; plane eodem modo , quo alii ſupra peccata iiſdem operibus *ablui* , *deleri* , *aboleri* dicebant. Ea eſt ſcilicet Dei optimi maximi miſericordia , ut quiſquis vera peccati *pœnitentia* afficitur , eoque abjecto ad ſanctimoniam , & caritatem, & eleemoſynas , cæteraque inde manantia opera animum appellit, ei *culpas* omnes, *pœnaſque*,quibus ob ſuperiora delicta obſtrictus tenebatur, clementer *remittat* ; & perinde cum eo agat , ac ſi omnium criminum immunis foret ; non quod iſta, quæ præſtat peccator , ullum ſint *proprium* & *condignum* ejus culpæ, qua tenebatur, *piaculum* ; (id nobiſcum etiam adverſarii negant ;) ſed quod qui hæc præſtat, non aliter liberetur, quam liberari ſolent captivi, pro quibus *redimendis* verum , & proprie dictum *pretium* numeratum eſt. Atque ita in his ſumendum eſſe *redimendi* vocabulum ex eo Theophili loco evidenter demonſtratur , qui à Bellarmino allatus eſt ; *Præſenti fletu redimamus futura gaudia. Futura iſta gaudia* ſunt *æternæ* cœleſtis

Hom. 8. Bibl. Patr. T. 2. Serm. de lapſ.

De la freq. comm. part. 3. c. 17.

cœleſtis vitę *deliciæ*. Ergo-ne putavit Theophilus levi, & momentaneo fletu proprie, & *ex condigno redimi* æterna, & infinita bona? Non ſinit recta ratio; quæ nullam eſſe docet *momentanei temporis* ad *æternitatem*; nullam levium *lacrymarum* ad immortales *delitias* proportionem: Non ſinit Paulus, qui exſerte negat *paſſiones hujus temporis condignas eſſe ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quid ergo eſt? Nimirum Theophilus improprie, ac metaphorice *redimere* dixit pro eo quod eſt ſimpliciter *comparare*, *quærere*, vel *obtinere*; quia ſcilicet qui nunc flent, certiſſime in illo ſæculo conſolationem accipient, præſenteſque moleſtias futura illa requie, ac gloria mutabunt; non quod ullarum lacrymarum, ulliuſve ſive actionis, ſive *paſſionis* noſtræ ea ſit dignitas, quæ beatiſſimæ illius *gloriæ pondus* exæquet; ſed quod ita pro ſua bonitate conſtitüerit, atque decreverit Dominus, ut quemcumque hic vere peccatorum pœnituerit, is æterna olim fœlicitate in cœlis cum Chriſto fruatur. Ipſi adverſarii, (quod jam non ſemel monuimus) hujuſmodi loca in quibus vel homines nondum juſtificati *peccata ſua redimere*, vel *culpæ* ipſæ *redimi* dicuntur, de *redemptione* intelligunt, non *ex condigno*, ſed, ut vocant, *ex congruo*, quæ quod impetrat, id ex dantis, non *juſtitia*, ſed *liberalitate* & *clementia* impetrat. Itaque ſi quæ ſint Patrum loca, quæ *pœnas* temporales pœnitentiæ operibus *redimi* dicant (nos enim nulla hujuſmodi vidimus) ſciat lector ea quoque eodem modo intelligenda eſſe, quo nos quatuor iſta explicavimus; in quibus *culpa*, *crimen*, *delicta redimi* dicuntur; hoc eſt ſic *tolli*, ut peccator ab eorum reatu *liberetur*, idque ex Dei *bonitate*, & *miſericordia*, non autem ex *juſtitia*, neque ex ipſius vel pœnitentis, vel pœnitentiæ *dignitate*. Sed cum priori hujus diſputationis parte de *redimendi* vocabulo dixerimus, quæ ad hanc diſſolvendam objectionem abunde ſufficiunt, non eſt quod hic plura iis addamus. Rom. 8. 18.

CAPUT X.

Quintus locorum objectorum ordo ſolvitur, ac explicatur, in quibus Patres ſtatuere videntur pœnitentiæ opera pretium *eſſe, quo peccata redimuntur.*

Veniamus ergo ad quintum eorum locorum ordinem, in quibus Patres non ſimpliciter dicunt pœnitentiæ operibus *peccata redimi*, ſed (quod majus eſſe videtur) opera iſta diſerte ſtatuunt *pretium* eſſe, quo intercedente *peccata redimuntur.* Qualis ille eſt nobilis Tertulliani locus; *Quam porro ineptum*, (inquit) *quam iniquum* De pænit. c. 6. p. 143. d.

 pœniten-

pœnitentiam non adimplere, & veniam deliĉtorum ſuſtinere? hoc eſt pretium non exhibere, ad mercem manum emittere? Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit; hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Habemus (inquit Bellarminus) *ſatisfactionis opera ex condigno redimere pœnas peccatorum. Nam ideo pretium, redemptionem, & compenſationem Tertullianus appellat.* Hæc ille; omnino & imperite, & infœliciter. Imperite; quia locus ille nihil ad hanc quæſtionem; infœliciter; quia hoc ipſum telum in adverſarii caput recidet, nobiſque, in quos erat paratum, utile erit ad alia declinanda. Primum igitur quod ille ait, *ſe hinc habere ſatisfactionis opera ex condigno redimere pœnas peccatorum*, id inquam falſiſſimum eſt, ſi (ut neceſſe eſt) de ea ſatisfactione, deque iis operibus, & *peccatis*, & *pœnis* intelligit, de quibus nunc diſputamus. Nam Tertullianus quidem de cathechumenorum pœnitentia agit; nos vero de fidelium *exomologeſi*, ſive *ſatisfactione* diſputamus. Hoc omnes ſciunt; illud nemo, qui Tertullianum legerit, negabit. Nam totis ſex prioribus libri capitibus de eorum *pœnitentia* agit, qui nondum baptizati ſunt; capite demum ſeptimo de fidelium *exomologeſi* orditur dicere, ut patet legenti. Quin hoc ipſo loco, qui objectus eſt, diſerte monet orationem ſuam *novitiolis iſtis imminere, qui cum maxime incipiunt divinis ſermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant*; & *dicunt quidem priſtinis renuntiare, & pœnitentiam aſſumunt; ſed includere eam negligunt*; baptiſmo ſcilicet, ut liquet, ac ut diſerte interpretatur clariſſimus Rigaltius. Hos autem reprehendit, quod baptiſmum differrent, ut licentius interea viverent; ſpe præcepta, quicquid ante baptiſmum deliquiſſent ſalutari unda dilutum iri. *Omne præterea* (inquit) *cunctationis, & tergiverſationis erga pœnitentiam vitium præſumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* Quibus illa continenter ſubjicit, quæ ab adverſario objecta nuper deſcripſimus; *Quam porro ineptum, quam iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere*, &c.? Ergo iſti, catechumeni erant, qui *pœnitentiam* quidem profitebantur, ſed non præſtabant, in nonnullis adhuc mundi cupiditatibus viventes; baptiſmum interea differentes, *quaſi maleficiorum ſumma, quam includi baptiſmo volebant, nondum confecta*; ut eleganter in eum locum ait Rigaltius. Iam eos ſtultitiæ, & iniquitatis accuſat, quod cum pœnitentiam minime adimplerent, *veniam delictorum* nihiloſecius *ſuſtinerent*, id eſt exſpectarent, & ſperarent. *Pœnitentiam* eos *adimplere* negat; primo quidem,

L. 4. de pœnit. c. 9. §. Tertullian.

Obſer. ad Tertull. p. 38.

quidem, quod eam, quam *verbis* profitebantur, *factis* non præſtarent, & in priſtinis illis, quibus *renuntiare* ſe dicebant, permanerent. *Pœnitentiam* enim *agere*, (ut veriſſime ait Lactantius) *nihil aliud eſt, quam profiteri, & affirmare ſe ulterius non peccaturum.* Secundo quod baptiſmum, in quem pœnitentia quamdiu non deſinit, imperfecta eſt, diu differrent. Itaque Tertulliano *adimplere pœnitentiam* is hoc loco dicitur, qui cum vitiorum ex animo pertæſus omni carnis, & mundi commercio non verbis, ſed re ipſa nuntium remiſit, baptiſmum inde omnis iſtius diſciplinæ finem ſuſcipit. Iam quo iſtorum abſurditatem, atque iniquitatem demonſtret, veniam dictorum, quæ baptiſmum ſuſcipientibus à Deo datur, merci comparat; veram autem illam, ac (ut ita dicam) *realem* catechumenorum pœnitentiam pretio, quo merx emitur. *Quam porro ineptum, quam iniquum* (inquit) *pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere? hoc eſt pretium non exhibere, ad mercem manum mittere?* Vult ſcilicet illos perinde facere, ac ſiquis à mercatore pannum, aut aliud hujuſmodi, comparare velit, manumque in *mercem* immittat; cæterum pretium, quo merx vænit, nullus repræſentet; quo nihil fieri poteſt vel abſurdius, vel iniquius. Tum adhibitam ſimilitudinem verbis ſequentibus firmat, atque illuſtrat: *Hoc enim* (inquit) *pretio Dominus veniam addicere ſtatuit; hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem.* Denique; *Si ergo* (inquit) *qui venditant, prius nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter; etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.* Vt emptoris nummi à vendente, antequam mercem dimittat explorantur; ſic ait catechumenorum, ſive audientium pœnitentiam à Deo probari, impunitatem, & vitam in baptiſmate largituro; unde conſequitur neminem *pœnitentiæ* (ut mox loquitur) *veritatem* differre ad baptiſmum debere; quod paulo poſt egregie exſequitur; *Nemo ergo* (inquit) *ſibi aduletur, quia inter auditorum tirocinia deputatur; quaſi eo etiam nunc ſibi delinquere liceat. Dominum, ſimul cognoveris, timeas; ſimul inſpexeris, reverearis.* P. 244. B *Cæterum quid te cognoviſſe intereſt, cum iiſdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te à perfecto Dei ſervo ſeparat? An alius eſt intinctis Chriſtus, alius audientibus? Num ſpes alia, vel merces? alia formido judicii? alia neceſſitas pœnitentiæ? Lavacrum illud obſignatio eſt fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur, & commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere deſinamus; ſed quia deſiimus; quia jam corde loti ſumus.* Hactenus Tertullianus. Ex his autem omnibus clariſſime apparet, *pretium* illud, quod in objecto loco memoratur, veram eſſe *audientis*, id eſt catechumeni

pœniten-

pœnitentiam; mercem, quæ iſto *pretio* comparatur, *gratiam* eſſe vitæ cœleſtis, quæ in baptiſmo datur. Itaque ſi (quod vult bonus Bellarminus) hujus *pœnitentiæ*, quam Tertullianus intelligit, *opera ex condigno redimunt peccatorum pœnas*; confitendum erit catechumeni pœnitentis opera *ex condigno* & impunitatem, & vitam perennem *redimere*; hoc eſt & à gehenna liberare, & beatæ immortalitatis gloriam mereri. Iam dic Bellarmine, quid cenſes? Tune putas etiam eorum, qui nondum baptiſmo renati ſunt, pœnitentia, non modo delictorum veniam, atque impunitatem, ſed & ipſam etiam perennis vitæ mercedem *ex condigno redimi?* Negabis, ſat ſcio. quid dixi, negabis? jam negaſti, & quidem non ſemel; neque te, ſi non negares, vel Ieſuitæ, vel Papa pro ſuo haberent; qui conſtanter omnes docent juſtificatorum duntaxat opera hanc vim habere, ut iis impunitas *ex condigno redimi* poſſit. Agnoſce igitur errorem, an dolum tuum; & fatere vel invitus, illa Tertullianica, in quæ tu tam avide involaras, *pretium, compenſationem, redemptionem*, ut ut tibi præclara, ac diſerta videantur, non tamen id conficere, quod cupis, ut quorum operum *pretio*, ac *compenſatione* impunitatis, ac vitæ perennis *mercem redimi* ait Tertullianus, iis tanta merces *ex condigno* redimatur.

Quo ergo (inquit) ſenſu dixit Tertullianus *hoc pretio Deum veniam addicere*; *hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponere impunitatem?* Eodem, inquam, quo Dominus hominem agrum theſauri euangelici divenditis omnibus *emiſſe*; & negotiatorem inventam immenſi pretii *margaritam* venditis omnibus, quæ habuit, *emiſſe* ait; *quo non ſignificat* (inquit Ieſuita Maldonatus) *emendum euangelium*; gratis *enim, inquit*, accepiſtis, gratis date; *ſed ſignificat tanti æſtimandum, ut qui invenerit, nihil non ut illud obtineat, facere debeat; etiamſi omnia bona vendenda, etiamſi perdenda, etiamſi infamia ſubeunda, etiamſi amittenda vita.* Ita (inquam ego) Tertullianus non ſignificat proprie *emendam pœnitentia impunitatem*, & perennem vitam; *gratis enim juſtificamur per gratiam Dei, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*; & *gratia eſt vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*; & *abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac Dei emitur*; ſed ſignificat pœnitentiam agendam, bonaque fide priſtinis omnibus renuntiandum, ut impunitatem, ac vitam illam à Deo gratis donandam obtineamus. Similitudo eſt à rebus humanis petita, non ultra tendenda, quam fert rerum ipſarum natura, ac ratio. Notum enim eſt, nihil adeo eſſe ſimile, quod non ſit & diſſimile. Ea eſt mercaturæ apud homines ratio, ut niſi qui *det*, nemo *accipiat*. Dat *pretium*; mercem *accipit*. Aliquid occurrit

Matth. 13. 46.
In Matth. loc.
Matth. 10. 8.
Rom. 3. 24.
Rom. 6. 23.
Iſa. 55. 1.

occurrit in euangelico Dei cum hominibus contractu ſimile. Nulli enim ille veniam, & vitam donat, niſi credenti, & vere pœnitenti. Hactenus iſta conveniunt; hactenus vita *merci*, pœnitentia *precio* ſimiles; quatenus nimirum neque *merces*, niſi *pretium* exhibenti dantur, neque *vita* niſi *pœnitenti*. Tum, ut nummum, quo aliquid emitur, probum eſſe decet, & bonæ notæ, non ſcalptum, non *raſum*, non *adulterum*; alioqui nihil fiet; ſic & pœnitentiam, cui vita à Deo promittitur, veram, ac ſinceram eſſe, factiſque, non verbis, conſtare neceſſe eſt. Si ſubærata ſit, & adulterina, à Deo, qui ejus probationem init, rejicitur; neque enim is vitam ei donat, qui pœnitentiæ non veritatem, ſed vanam, falſiſque hypocriſeos fucis adumbratam imaginem affert. Hactenus iſta ſimilia ſunt; neque ultra tendit Tertullianus, qui non aliud toto illo loco molitur, niſi hoc unum, etiam audientibus ſive catechumenis veram pœnitentiam eſſe neceſſariam. Iam ſi præter hæc urgeas, & contendas, ut *pretium*, quod mercatori ſolvitur, *mercis*, quæ ab eo emitur, *dignitatem exæquat*; ſic etiam pœnitentiæ, qua impunitatem, & vitam audientes in baptiſmo accipiunt, paris eſſe cum ipſa impunitate, ac vita dignitatis, & valoris; & à re ipſa, & à Tertulliani conſilio, & multo magis ab euangelii veritate, & ab ipſa adverſariorum fide diverſus abis; qui juſtificatorum quidem pœnitentia temporales peccati pœnas *ex condigno redimi* ſtatuunt; ſed eorum pœnitentia, qui primulum baptiſmum ſuſcipiunt, eam, quam apud Chriſti aquam accipiunt, impunitatem & vitam *ex condigno redimi* nobiſcum negant. Eſto ergo concluſum his Tertulliani verbis *hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit*; *hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponere impunitatem*, pœnitentiæ quidem neceſſitatem, ac veritatem ad veniam, & ſalutem conſequendam aſtruere; dignitatem, & cum donis Dei æqualitatem non ponere; breviter hoc velle, nemini, niſi quem vere peccati pœnituerit, *impunitatem*, & *vitam* à Deo donari.

Ex quibus jam apparet, quod ſecundo loco diximus, Bellarminum omnino infœliciter, ac in propriam perniciem hoc telum in nos torſiſſe. Nam cum ne ipſe quidem negare poſſit impunitatis, & vitæ id hoc loco *pretium*, & *compenſationem*, & *redemptionem* dici, quo tamen neque impunitas, neque vita *ex condigno redimitur*; profecto clarum eſt ne ex aliis quidem Patrum locis, in quibus, non audientium, ſed fidelium vel pœnitentia, vel caritas veniæ *pretium* aut *compenſatio* eſſe dicitur, effici, ut iis peccatorum pœna *ex condigno redimatur*. Quale illud eſt Origenis dictum; *Si tamen inveneris manus tua pretium, quod reſtituat.* *Hom. 15. in Levit.*

tuat. Quale pretium? Pœnitentiæ ſine dubio lacrymis congregatum, & manibus; id eſt labore boni operis inventum. Pœnitentiæ lacrymas, & *laborem* hujus redemptionis pretium vocat, quale nimirum Tertullianus audientium *pœniteniam* impunitatis, & vitæ *pretium* appellaverat metathorice & improprie dictum, quod nemo, niſi pœnitens, redimatur.

Can. 4. in Matt. non procul a fine.

Eadem eſt ratio loci, quem ex Hilario adducit adverſarius; *Quia caritas plurimum peccatorum tegit, & errorum noſtrorum ambitioſa patrona eſt; noviſſimum pœnæ quadrantem ſolvemus, niſi pretio ipſius aliquantorum criminum culpa redimamur.* Fruſtra nobis Bellarmine, hæc objicis, quos tuus ille Achilles Tertullianeus jam docuit, non ſi cujus rei pretio *peccata* noſtra *redimuntur*, ea continuo pro peccatis *ex condigno* ſatisfactum eſſe. Vt ille audientium *pœnitentiam*; Ita Hilarius fidelium *caritatem*, eodem uterque ſenſu, *pretium* eſſe dicunt, quo peccata redimuntur. Significant ſcilicet Deum neque audientibus in baptiſmo *ſalutem*, neque fidelidus poſt baptiſmum lapſis *veniam* daturum, niſi & illi *pœnitentiam*, & hi *caritatem* exhibuerint. Ergo (inquis) fidelium caritas pretium eſt. Fateor; ſed quale audientium pœnitentia; ſcilicet non *condignum*, & *proprium*, quod rei, cujus pretium eſt, valorem exæquat; ſed improprie, & metaphorice dictum, quod tametſi nullam habet cum re, quæ eo comparatur, rationem, exhiberi tamen à nobis neceſſario debet, ad hoc, ut rem illam, cujus *pretium* eſſe dicitur, *accipere*, & *comparare*, nobiſque habere poſſimus. Sin eo ipſo, quod *pretium* dicitur, *proprium*, ac *condignum* eſſe contendis; defende ergo & audientium pœnitentia ſalutem *ex condigno* redimi, cujus ea apud Tertullianum non *pretium* tantum, ſed & *compenſatio* eſſe dicitur. Quod ſi illa Tertulliani ſic explicas, ut audientium pœnitentia ſalutem, cujus *pretium* eſt, minime tamen *ex condigno redimere* putanda ſit; mihi certe hoc quoque concedere debes, ut hæc Hilarii ſic accipiam, ut *caritate* peccata, quorum illa *pretium* eſt, minime tamen *ex condigno redimantur*. Sed quid ego Tertullianum Hilario defenſorem advoco? Ille vero ſatis ſe ipſe ab adverſariorum vi, atque injuria tuetur, eaque nobis per ſe ſufficit, quæ docent hunc ejus locum plane aliter quam iſti volunt, eſſe accipiendum. Quod ut intelligatur, Bellarmini in hæc ejus verba gloſſa recitanda eſt; his enim deſcriptis ille hæc continuo ſubjicit; *Vides* (inquit) *quam perſpicue magnus hic Doctor operibus caritatis redimi dicat eam pœnam, quam pro culpa debebamus.* O impudentiam hominis ſingularem! qui cum Hilarius diſerte ſcripſerit, nos *caritatis pretio aliquantorum criminum culpa redimi*, nos (quaſi oculis, & mente

L. 4. de pænit. c. 9. §. S. Hilarius.

& mente careamus) monere audet *eum dicere operibus caritatis redimi eam pœnam, quam pro culpa debebamus.* Ergone tibi, Bellarmine, *criminum culpa*, idem eſt, quod *pœna?* Sed iſta inter ſe differre, etiam nos fatemur, qui utrumque ſimul & ſemel remitti contendimus. Vos vero iſta etiam multo longius à ſe invicem diſtare vultis, qui alterum ſine altero *remitti* contenditis. Te certe memini, cum à nobis Scripturæ dicta objicerentur, quibus peccata pœnitentibus à Domino *remitti* dicuntur, non ſemel reſpondiſſe peccatum iſtic *culpam* ſignificare; *pœnam* temporalem non comprehendere. Vnde ſic repente mutatus es? ut jam *criminum culpam*, non pro *culpa*, ſed pro *pœna* accipias? Quia (inquit) dogmati, quod tueor, ita expedit; cujus ſtudium una eſt meorum omnium conſiliorum, dictorum, ac factorum ratio. Credo equidem; ſed ſi te id ſtudium ſic excæcat, nos certe, qui unam veritatem quærimus, non indulgebimus errori tuo; *culpamque criminum*, intelligemus, quam *culpam criminum* dixit Hilarius; non, quod tu deliras, ſolam peccatorum pœnam. Iam cum dicat Hilarius *criminum nos culpa redimi caritatis pretio*, eum, niſi deſipuiſſe velis, omnino neceſſe eſt, non eam *redemptionem* intelligere, quæ eſt *ex condigno* (nullius enim hujuſmodi operis *pretio* criminum culpam *redimi* vos ipſi conceditis;) ſed eam quæ improprie, & metaphorice ſic dicitur; quod in ea (ut nuper explicavimus) aliquid illis ſimile fiat, quæ in propria *redemptione* locum habent. Nempe, ut hic, niſi qui aliquid *dat*, nemo quicquam *accipit*; ita illic quoque veniam criminum nullus impetrat, niſi qui caritatem Deo exhibet; tametſi non, ut illic, *pretium* valorem redemptæ rei *exæquat*; ita hic quoque caritatis opera Dei venia digna ſint.

Eodem etiam ſenſu accipiendus ille Ambroſii locus; *Habemus* (inquit) *plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes? Redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus; ſed tu ipſe venalis es. Peccatis tuis venundatus es. Redime te operibus tuis. redime te pecunia tua.* Ait peccata *redimi*; ait hominem *peccatis venundatum* liberari. Non ergo de ſimplici temporalium pœnarum expiatione loquitur; ſed de *peccatoris* reſtitutione in Dei gratiam; adeoque de *culpæ*, & *pœnæ*, etiam æternæ, *redemptione*. Et iſta tamen *pecuniis redimi* vult. Non ergo *ex condigno*; cum nemo, niſi gratuito, reconcilietur Deo; nemo operibus ſuis vel culpa, vel gehenna ex condigno liberetur. Quid ergo eſt? Nimirum quia ut in proprie dicta *redemptione*, qui *redimit* nummos *dat*; ſic in reconciliatione pœnitentis, qui peccato per divinam miſericordiam liberatur, *pecunias* largitur ex caritatis affectu; ideo hanc quo-

De Helia, & jejun. c. 20.

 que

que ejus à peccati ſervitute, & culpa liberationem *redemptionem* vocare non dubitavit Ambroſius, metaphorice, non proprie. Alioqui ſtatuendum erit aliquot nummulos æternæ vel *impunitati*, vel *vitæ* æquiparandos eſſe; quod quam abſurdum ſit, nemo non intelligit; Alioqui gratiam Dei, non *gratis*, quod affirmat Apoſtolus, donari; ſed *argento*, & *commutatione*, quod negat Iſaias, *emi*, ſtatuendum erit.

Rom. 3. Iſ. 55.

Neque alia mens Paulini fuit, cum pœnitentis *eleemoſynas ſalutis* ejus *pretium* vocavit. *In ſæculo* (inquit) *corrupti muneribus eorum judices condemnantur. Sed quiſquis homo* præventus in aliquo peccato *diffidens innocentiæ tuæ adfers pretium ſalutis tuæ judici noſtro, ne verearis, quaſi corruptionis injuriam juſtitiæ Dei facere. Accipit à te Chriſtus libenter ſalutis tuæ pretium.* Ejuſdem eſt generis, quod ille itidem canit;

ep. 12. ad Sever.

Ibid.

Iſte docet fuſis redimens ſua crimina nummis,
Vilior ut ſit res, quam ſua cuique ſalus.

Iſta veri ſenſus erunt inania, niſi ſic ut diximus accipiantur; nimirum, ut *pecuniæ*, quas pœnitens in eleemoſynas erogat, & Chriſto donat, quatenus pauperibus, ipſius membris, eas largitur, *pretium ſalutis* dicantur; *non* quidem *proprie*, quaſi aliqua ſit inter pecuniam noſtram, & ſalutem Dei ratio; ſed *improprie*, propter levem quandam ſimilitudinem; quod ut qui emit, *pretium dat*; ſic qui à Deo ſervatur, caritatis ei opera, ac fructus, adeoque eleemoſynas offert. Aliter ſi hæc Paulini verba urgeantur, nihil eo vel dici, vel fingi poteſt abſurdius quod proprie, & ad litteram (ut loquuntur) ſignificant. Sic enim ſumpta omnino id videntur ſignificare, quod Sanctus Petrus tanta cum deteſtatione rejecit, *donum Dei pecunia comparari*, vel *poſſideri*, exitium ei imprecans, qui tam illiberaliter de cœleſti Domini munificentia exiſtimabat.

Act. 8. 20.

Ex his facile eſt Radulphi locum explicare (ſicui tamen tanti eſt vir decimo ſæculo, corrupta jam, ac labaſcente Chriſtianorum & fide & diſciplina natus, ut de ejus dictis laborandum putet;) *Venditores* (inquit) *hæreditatis poſſeſſionis æternæ hi ſunt, qui claves regni cœlorum à Domino ſuſceperunt; quibus commiſſa eſt poteſtas, ut ligent, & excludant peccantes, ſolvant & introducant pœnitentes. Iſtis ergo juxta Domini præceptum providendum eſt, ut in hoc mercimonio non gravent cives ſuos, majores ſatisfactiones exigentes ab eis, quam peccati qualitas requirit. Emptor quoque caveat neceſſe eſt, ne Dei diſpenſatorem contriſtet, ſi tepida mente ſui delicti veniam petens juſtam ſatisfactionis menſuram non explet.* Hæc ille. *Emi vendique* Dei gratiam, atque peccati remiſſionem, & impunitatem; pœnitentiam hujus *emptionis pretium*, non *proprie*, ſed *allegorice*,

L. 18. in Levit. c. 4.

&c per

& per eam ſimilitudinem, quam nuper expoſuimus, intelligit; quod Dei miniſter, qui hæc diſpenſat, aliquid ab iis, quibus ea largitur, veluti *accipit*. Nempe *accipit ſatisfactionem*, id eſt *exomologeſin*; quam iſte moderatam eſſe vult, id eſt Eccleſiæ canonibus congruam, & ad peccatoris ædificationem attemperatam.

CAPVT XI.

Solvitur ac explicatur ſextus ordo locorum objectorum, in quibus Patres dicunt peccata pœnitentiæ operibus compenſari.

IN ſexto ordine cenſeo duo Hieronymi loca, in quibus peccata pœnitentiæ operibus *compenſari* dicuntur; & ſiqua ſunt ſimilia; *Qui* (inquit) *peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur, & plangat, vel propria delicta, vel populi; & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus; & cubet, vel dormiat in ſacco; ut præteritas delitias, per quas offenderat Deum, vitæ auſteritate compenſet.* Cujus loci is plane geminus eſt, in quo Paulam ſic loqui facit; *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit delitiis, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu; mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima aſperitate cilicii commutanda.* Sed hæc adverſariorum dogma non probant. Primo enim etiamſi Hieronymus, quod non dicit, diceret *pœnitentiæ operibus pœnas peccatorum temporales compenſari*; non ideo tamen, quod iſti volunt inde ſequeretur, eas ſcilicet *ex condigno compenſari*. Nam Tertullianus ſupra dixit catechumenorum pœnitentiæ *compenſatione impunitatem* (eam ſcilicet, quæ in baptiſmo datur) *redimi*; unde nemo colligit eorum, qui baptizandi ſunt, *pœnitentia* impunitatem illam ex condigno *compenſari*. Et Niceas verus auctor epiſtolæ ad Virginem lapſam, *Si futuras* (inquit) *pœnas gehennæ perpetuo in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit*; (peccator ſcilicet) *ſe ipſum ab æterno judicio liberat*. Tune ita intelligis, ut *ex condigno* gehennæ pœnas peccator *compenſare* debeat? Atqui ſi ita eſt, nemo ab æterno judicio liberabitur; cum vel te ipſo judice gehennam nemo mortalis *ex condigno compenſare* queat. Ergo etiamſi dixiſſet Hieronymus temporales pœnas pœnitentiæ operibus *compenſari*, minime tamen inde ſequeretur eas, quod tu vis, *ex condigno compenſari*, & *expiari*. Sed quid in iſtis immoramur? cum Hieronymus non *pœnas*, ſed *peccata* ipſa pœnitentiæ ope-

In Joel. 1.

Ep. ad Euſtoch. de obit. Paul.

Ep. ad Virg. lapſ.

operibus *compenſanda* eſſe ſcripſerit? *Præteritas* (inquit) *delitias, per quas offenderat Deum, vitæ auſteritate compenſet. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu.* Quæſo te Bellarmine, *delitiæ, & longus riſus*, ſunt-ne temporales peccati *pœnæ?* Si ais, mirus ſane homo es, neque aliter, quam *riſu* excipiendus, qui crimina *delitiis*, & *longo riſu puniri* putes. Si negas, ergo nihil facit hic locus ad eam *pœnarum*, quam tu ſtatuis, *compenſationem.* Quid ergo eſt (inquit) *præteritas delitias auſteritate, longum riſum perpeti fletu compenſare?* Magnam vero, & arduam quæſtionem. Quaſi quiſquam ſit, qui ignoret hæc ſignificare *delitias* auſteritate, *riſum* fletu *commutare* (ut mox idem loquitur Hieronymus) ſic, ut in pœnitentis vita tantum ſit auſteritatis & lacrymarum, quantum in peccantis vita fuerat *delitiarum* & *riſus*; breviter tantum nunc *flere*, quantum olim *riſeras*, neque jam minus auſterum eſſe, quam antea delicatus fueras. Sic enim fit inter duas illas vitæ noſtræ (ut ſic dicam) lances, *peccati* unam, alteram *pœnitentiæ* illa *συσταθμία*, ſive *compenſatio*; quæ proprie dicitur, cum lances inter ſe pariant. Inde ducta metaphora, *auſteritate lacrymis, eleemoſynis* anteactæ vitæ *flagitia*, ac *delitiæ* compenſari dicuntur, cum tantum in illis *operæ, ſtudii, atque temporis* ponimus, quantum in his antea perdideramus. Tota Hieronymi in utroque loco, maxime in poſteriori, oratio id clamat; in quo *purpuriſſo*, & *ceruſſæ*, & *ſtibio*, quibus depicta olim fuerat peccantis facies, *ſqualor*, & *ſordes*, quibus à *pœnitente* eadem *turpatur*; *delitiis* præteritis *afflictio* præſens; *linteaminibus* denique & ſericis *ciliciorum* aſpera opponuntur. Itaque dubitandum non eſt, quin hic ſit loci illius verus, ac genuinus ſenſus, tantum modeſtiæ, ac auſteritatis præſtare debere pœnitentem, quantum luxus & vanitatis peccans effuderat. Cæterum illam pœnitentis auſteritatem, atque humilitatem eamdem vim ad *pœnas* peccatorum *ex condigno* expiandas habere, quam peccata ad *merendas* habuerant; neque dicit Hieronymus; neque ſane verum eſt, ne ex adverſariorum quidem hypotheſi, qui neque *culpam*, neque *gehennam* (cujus *ex condigno* reus erat peccans) ullis pœnitentis operibus *ex condigno* expiari concedunt; ut eos omnino neceſſe ſit fateri non eſſe hac in parte ullam proprie, ac (ut loquuntur) *ex condigno* operum pœnitentiæ cum peccatis *ἰσοσταθμίαν*, ſive *compenſationem.* Unde liquido conficitur altera alteris (quod ait Hieronymus) *compenſari*, non quod ad *pretium* ſive *valorem* ipſum, ſed (ut diximus) quod ad ipſam rerum *molem* ac quantitatem pertinet. Nimirum tantumdem eſt operum bonorum in *pœnitentis* vita, quantum fuerat in *peccantis* vitiorum, ac flagitiorum; non eſt in illis tantumdem

ad

ad merendam impunitatem valoris, quantum in his fuerat ad merendam *pœnam*.

CAPUT XII.

Septimus ordo locorum objectorum expenditur, & ſolvitur, in quibus Patres Deum pœnitentiæ operibus placari, *ſive* propitiari *ſcripſerunt.*

SEptimus ordo eſt eorum locorum, in quibus Deus pœnitentiæ operibus *placari*, ſive (quod idem eſt) *propitiari* dicitur. Cyprianus; *Dominus orandus eſt: Dominus noſtra ſatisfactione* (id eſt exomologeſi, ut ſupra explicavimus) *placandus*. Leo: *Oratione propitiatio Dei quæritur*. Gelaſius; *Viduæ, quæ propria voluntate profeſſam conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum ſatisfactione* (id eſt exomologeſi) *placare debeant*. Chryſoſtomus; *A nobis ultionem ſumamus; ita placabimus judicem*. Auguſtinus; *In melius eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus; non ad hoc emendus, ut ea ſemper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Reſpondeo *placare*, ſive *propitiare* nihil aliud eſſe, quam iram alicujus avertere; eumque ex irato faventem, ac benevolum reddere. Iam veram pœnitentiam, ejuſque opera hanc vim habere, ut iram Dei à peccatoribus avertat, eumque ipſis ex irato *benevolum* reddat, & ex Scripturis, & ex communi Chriſtianorum conſenſu notiſſimum eſt; neque nos umquam negavimus; idque his Patrum allatis locis, aliiſque ſimilibus, ſiqua ſunt, probari confitemur. Sed aliud eſt, quod nunc quæritur; nimirum, num iſtorum pœnitentiæ operum, quibus Deus *placatur*, ea per ſe ſit *dignitas*, ut debitas peccatis noſtris *pœnas exæquent*, atque exhauriant; adeoque num Deum *placent ex inſita dignitate*, tamquam proprie dictum, dignumque, ac ultrici juſtitiæ ſufficiens *piaculum*; an vero ex Dei miſericordia, gratuitoque nobiſcum fœdere, quo benigniſſime pactus eſt, ſe omnibus vere, & ex animo pœnitentibus peccata remiſſurum. Prius illud, quod tuentur adverſarii, nuſquam Patres ſignificant in objectis locis. Neque hæc illorum dicta eo trahi poſſunt ſine manifeſta abſurditate. Nam cum pœnitentia, ſive, (quod apud Patres idem eſt.) ſatisfactione *placari & propitiari Deum* dicant; quibus autem placatus eſſe dicitur Deus, iis ſignificetur non temporales duntaxat *pœnas*, ſed

Serm. de lapſ.
Serm. de jejun. dec. menſ.
Epiſt. 1. ad epiſc. Luc. &
Hom. 41. ad pop. Ant.
Ench. c. 70.

culpam ipſam multo magis, gehennamque *remiſiſſe*; (*placari* enim alicui eſt quem prius oderas, cui iratus & infenſus eras eum in amicitiam,& gratiam tuam recipere;) profecto ſi pœnitentiæ opera Deum nobis placare ſic à Patribus dicuntur, ut ejus iram à nobis *ex juſtitia* & *ex condigno* avertant, oblato ſcilicet digno peccatis noſtris piaculo, clarum eſt illa pœnitentiæ opera non pro temporalibus tantum pœnis, ſed pro culpis etiam, atque gehenna *ex condigno ſatisfacere*; quod ipſi adverſarii abſurdum eſſe putant, docentes Deum gratis amicitiam ſuam confitenti peccatori reſtituere, nullo *condigno* opere *redemptam*. Ex quibus conficitur illa dicta Patrum poſteriore ſenſu, qui à nobis probatur, ac defenditur, neceſſario eſſe intelligenda; ità nimirum ut opera pœnitentiæ Deum nobis *placare*, ſive *propitiare* dicantur; non quod eorum ulla *per ſe*, ac *propie* ſit vis, ac dignitas tanta, quæ id *jure* atque *ex juſtitia* mereatur; ſed quod tanta ſit Domini benignitas, ut quod in verbo non ſemel promiſit, quicumque veram peccatorum pœnitentiam agunt, eos gratia ſua, atque impunitate libens donet, neque aliter habeat, quam ſi peccati plane expertes eſſent. Atque id ſatis aperte docet Auguſtinus, eo ipſo in loco, quem adverſarius objecit. Illam enim, quam Deus pœnitentia noſtra *placatus*, nobis largitur veniam ſic deſcribit, ut dicat eum *miſerando delere jam facta peccata*. Eam vero veniam, ſi pœnitentia noſtra *ex condigno* mereretur, Deus non *ex miſericordia*, ſed *ex juſtitia* pœnitentibus *daret*, ſive potius *redderet*. Quæ ut teneantur, animadvertendum eſt duo eſſe ad hoc neceſſaria, ut in gratiam cum Deo redeamus,& ab ejus clementia tum impunitatem, tum vitam æternam accipiamus. Prius eſt, aliquod *piaculum*, ſive *placamen*, quo pro peccatis noſtris *ex jure*, ſive (ut loqui amant adverſarii) *ex condigno* ultrici Dei juſtitiæ *ſatisfiat*. Cum enim is juſtiſſimus ſit, longeque ſanctiſſimus, fieri nequit, ut peccatum *impunitum* relinquat. Illud autem ad avertendam ejus iram neceſſarium *piaculum* perfectiſſime continet cruenta Chriſti Domini in cruce mors;
1. Ioan. 2. 2. quæ (ut docet Ioannes) *propitiatio eſt pro peccatis* tum *noſtris*, tum *totius mundi*; cuique adeo Scripturæ paſſim tribuunt omnem noſtram cum Patre reconciliationem. Sed cum non pateretur ſumma Dei ſapientia tanto beneficio frui etiam homines in ſcelere, atque incredulitate, & impœnitentia obſtinatos, hanc legem fœderi gratiæ adjecit, ut nemo admirandæ illius propitiationis Chriſti nobis ſanguine quæſitæ, ac paratæ, reapſe particeps foret, niſi qui Euangelio credat, &, (quod inde neceſſario conſequitur) pœnitentiam agat. Itaque Deus Chriſti ſui ſacrificio hactenus *placatus* eſt, ut paratus ſit, quiſquis crediderit, &

pœni-

pœnitentiam egerit, eum in gratiam ſuam bona fide recipere, ipſique impunitatem, conſolationem, æternitatem denique Chriſti ſanguine partam largiri. Vnde videre eſt, quo ſenſu fides ac pœnitentia, conjunctaque cum iis opera Deum nobis *placent*, atque *propitient*; ſcilicet non ideo quod ejus *iræ*, ſive *ultrici juſtitiæ* proprie, & *ex condigno ſatisfaciant*, (quod à Domino Chriſto abunde jam impletum, neque à quoquam alio ſive homine, ſive etiam Angelo impleri potuit;) ſed ideo, quod cum legem fœderi gratiæ additam præſtent, efficiunt, ut ea bona, quæ hac conditione promiſſa erant, reapſe accipiamus, & oblati à Chriſto placaminis fructus percipiamus, Deoque Patre, qui hactenus iratus, infenſuſque fuerat, jam *placato*, propitioque utamur.

CAPVT XIII.

Octavus ordo locorum objectorum explicatur, in quibus parata iis apud Deum venia eſſe dicitur, quos peccatorum vere pœnitet.

QVo etiam referenda ſunt, quæ in octavo ordine cenſebo loca, nimirum quæ iis paratam eſſe apud Deum peccatorum veniam affirmant, qui vera pœnitentia funguntur. Nam & horum, ut liquet, omnino eadem eſt, quæ ſuperiorum ratio. Cyprianus; *Qui ſic Deo ſatisfecerit*, (quid hoc ſit ſupra fuſe explicavimus) *qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti plus virtutis & fides de ipſo lapſus ſui dolore conceperit; exauditus, & adjutus à Domino quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur* (id eſt, ut mox interpretabitur Lactantius, *conſequetur*) *ſed coronam.* Lactantius; *Si cor nudaverimus, id eſt ſi peccata noſtra confeſſi, ſatis Deo fecerimus, veniam conſequemur.* Hilarius; *Hæc venia peccati eſt fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri*; quibus verbis interprete quidem Bellarmino *, vult *copioſis lacrymis veniam ſine dubio obtineri.* Chryſoſtomus; *(cujus tamen locum hactenus in ejus operibus reperire non potui) *Oſtendit Dominus quibus officiis poſſint delicta purgari*; (quid hoc ſit jam ſupra explicavimus;) *Oſtendit confeſſione, & deformitate cultus veniam poſſe facillime impetrari.* Quo etiam pertinent illa ex Antonii epiſtola prima à Bellarmino * indicata, quibus Antonius dicit *Deum aſpicere ad jejunia plurima, vigilias, meditationes aſſiduas, preces largas, abdicationem rerum hujus mundi*, *& cæteros labores pœnitentium, & ſic eorum miſereri.* Nihil jam dico de objectionis hujus impudentia; quæ cum ſe probaturum

Serm. de lapſ. extr.

L. 4. c. 17.

In Pſ. 118. litt. Phe.

* *L. 4. de pœnit. c. 9. §. S. Hilar.*

* *Hom. 2. de lapſ. prima hom.*

* *Vb. ſupr. §.*

° *Poſt annum D. 300.*

minaretur pœnitentię operibus *ex condigno* peccatorum pœnas *expiari*, ea loca attulit, in quibus legitime pœnitentes *veniam & miſerationem* à Domino *conſequi*, vel *impetrare* perhibentur. Atqui ſi *veniam conſequuntur*, non ergo *pœnas dederunt*; ſi eorum Deus *miſeretur*, non ergo *pœnæ* vicaria, & æquivalenti *ſatisfactione* ex jure *abſoluti ſunt*. Quod enim *ex jure*, & *juſtitia* fit, id ipſum eodem reſpectu ex *miſericordia* fieri, inauditum eſt. Hæc mitto; illud unum reſpondeo, neminem noſtrum, quod hi teſtes pronuntiant, negare; ſcilicet, & vere pœnitentes à Deo *veniam conſequi*, *facillimeque impetrare*, & Dominum ad eorum labores *reſpicere*, hoc eſt gratos eos, & acceptos habere, ſicque illorum miſereri. Quod vero negamus pœnitentiæ opera pro *pœnis* peccato debitis *ex condigno ſatisfacere*, id iſti Patres, neque hic, neque uſpiam alibi dicunt.

Hom. in Pſ. 29. extr. T. 1. p.168. c His etiam attexere libet Baſilii locum, cujus idem omnino, qui ſuperiorum, ſenſus eſt; ἀλλὰ καὶ θρηνοῦσιν ἡμῖν οἱ προφῆται, εἰς κοπετὸν ἡμᾶς προσκαλούμενοι, ἵνα εἰς συναίσθησιν ἐλθόντες ἐκ τῶν προφητικῶν λόγων ἐπὶ τοῖς ἑαυτῶν ἁμαρτήμασι καταπενθήσωμεν ἡμῶν τὴν ἀπώλειαν, ἐν κόποις καὶ μόχθοις τὴν σάρκα ἡμῶν καταπιέσαντες. τῷ τοιούτῳ τοίνυν περιῤῥήγνυται μὲν τὸ πενθικὸν ἔνδυμα ὃ καταπενθῶν ἑαυτοῦ τὴν ἁμαρτίαν περιεβάλλετο. περιτίθεται δὲ αὐτῷ ὁ χιτὼν τῆς εὐφροσύνης, καὶ τὸ ἱμάτιον τοῦ σωτηρίου, τὰ φαιδρὰ ταῦτα, καὶ γαμικὰ ἐνδύματα, οἷς ὁ κεκοσμημένος ἐκ τοῦ νυμφῶνος οὐκ ἐκβληθήσεται. *Sed & lamentantur nobis Prophetæ ad luctum nos provocantes, ut ad conſcientiam, & cognitionem peccatorum noſtrorum ex propheticis ſermonibus delati noſtrum lugeamus exitium, laboribus multis, & ærumnis noſtram carnem affligendo. Ei ſane, qui talis eſt, lugubris veſtis diſrumpitur, quam ſibi circumpoſuerat ſuum lugens peccatum. Huic tandem circumponitur amictus lætitiæ, & pallium ſalutis, ſplendida hæc & nuptialia indumenta, quibus ſiquis fuerit ornatus, non excludetur aditu nuptialis thalami.* *L. 4. de pœnit. c. 9. §. S. Baſilius.* *Hoc loco* (inquit Bellarminus) *ſatis aperte magnus Baſilius docet laboribus, & ærumnis, quibus affligitur caro, acquiri lætitiam indulgentiæ, ac ſalutis.* Sed iſta neque dicit Baſilius, neque ſi diceret, quicquam adverſarii cauſſam juvaret. Dicit, qui illa pœnitentia, quam deſcripſit, vere & ex animo functus eſt, ei diſrupta veſte lugubri, *amictum lætitiæ*, *ſalutiſque pallium circumponi*. Lætitiam illam iſtis laboribus *acquiri* non dicit. Sed fac eum ſic eſſe loquutum; quid hoc ad pœnitentiæ *condignam* pro temporalibus pœnis *ſatisfactionem*? Siqua hinc talis *ſatisfactio* concludi poteſt, fatendum erit Baſilium non temporales *pœnas*, de quibus nihil plane dicit, ſed *ſalutem* ipſam pœnitentia *ex condigno acquiri* putaviſſe; quod & ipſa rei ratio rejicit, & adverſariorum dogma reſpuit.

ſpuit. Quibus enim per iſtas pœnitentiæ *ſatisfactiones* ignem *purgatorium* expiari, & exſtingui volunt, eos ſtatuunt ſalutem jam *auriculari* (ut vocant) *confeſſione*, presbyterique abſolutione quæſitam habere. Quid ergo eſt? Nimirum Baſilius hic, ut alibi alii Patres, ſignificat qnid fidelium pœnitentia ex Dei bonitate, & miſericordia conſequatur; non autem quid *per ſe ex propria dignitate* mereatur. Certum eſt ei, qui credit & baptizatur tum *culpam*, tum *pœnam peccati*, etiam *æternam* remitti, *ſalutiſque pallium circumponi*; nemo tamen inde concluſerit, vel *fidem*, vel *baptiſmum* impunitatem, & ſalutem *ex condigno mereri*. Hujuſmodi ſcilicet locutionibus docemur, quæ fidei & baptiſmo ex Euangelici fœderis gratia parata ſit apud Deum fœlicitas; non quid iis ex jure, & juſtitia reddatur.

Hæc omnino ſunt quæ Bellarminus pro ſuo de *ſatisfactionibus* errore ex patribus attulit; quæ nos haud paulo meliori, quam quo ille recenſuit, ordine digeſta clare, niſi fallor, ac perſpicue diſſolvimus omnia. Vnde patet id dogma veteribus inauditum fuiſſe; veriſſime adeo, quantumvis ille obſtrepat, ac reclamet [1] Lutherum [2], ac Melanchthonem [3] ſcripſiſſe, *arbitrariam iſtam* adverſariorum *ſatisfactionem nec in Scripturis, nec in Patribus inveniri; totamque hanc rem commentitiam eſſe, recens confictam, ſine auctoritate Scripturæ, & veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum*: Illyricum vero, dum fatetur *omnes fere Patres agnoſcere ſatisfactionem, quæ Dominum placet*, vel non eam *ſatisfactionem* intellexiſſe, quam tuentur adverſarii, ſed quam nos ex ipſis veterum dictis ſupra interpretati ſumus, vel certe falſum eſſe, pluſque conceſſiſſe, quam concedendum fuit. Quod vero Calvinus *Patres in his modum exceſſiſſe* ait, *nimiſque aſpere, & dure loquutos eſſe*; vix poteſt negari; & res ipſa loquitur; neque nos diſſimulavimus, cum in ipſo ſtatim limine præfati ſumus veteres in hoc argumento ea interdum effudiſſe, quæ nos quidem nolimus imitari. Quod item Arnaldus eundem Calvinum graviter incuſat, quod veteris diſciplinæ nimiam auſteritatem, intolerandumque rigorem reprehendere non dubitaverit; immerito facit, cum Calvini judicium, & ſequentis Eccleſiæ uſus comprobaverit, quo priſca illa ſeveritas paulatim ubique mitigata eſt, & Romæ ipſius, in cujus communione Arnaldus vivit, praxis, atque definitiones defendant, quæ priſtino illo rigore ſublato multo, quam veteres, lenius cum peccatoribus agit; & ipſius denique Arnaldi ſenſus, qui quantumvis antiquam pœnitentiam deſideret, fatetur tamen ejus modum in multis eſſe circumſcribendum. Cæterum (utcumque ſe habeant reliqua Patrum de hoc argumento ſive placita, ſive dicta;) illud quidem certe

[1] *L. 4. de pœnit. c. 10. §. Videamus.*
[2] *In aſſert. art. 5.*
[3] *Apolog. art. de confeſſ.*

Bell. ub. ſupr. §. Ioannes Calvinus.

De la freq. comm. part. 2. ch. 14. pag. 402.

ex iis, quæ diſputavimus, clarum eſt, nuſquam eos hodiernam illam adverſariorum pro temporalibus pœnis ***condignam ſatisfactionem*** memoraſſe; ut fruſtra ſint, qui in eorum auctoritate errori huic ſuo præſidium, aut patrocinium quærunt.

CAPVT XIV.

Quæſtionis concluſio. & τῆς ex Patribus ἀνασκευῆς deprecatio; quod ea non ſit neceſſaria.

Atque ita ſolutis objectionibus, jam viciſſim afferenda eſſent ex Patribus ea, quæ cum hoc adverſariorum dogmate pugnant. Sed hoc labore ideo ſuperſedendum duxi; partim quidem, quod cum veteres neque *culpam* ſine *pœna* remitti putaviſſe, neque Romanum *purgatorium* crediſſe ſupra probaverimus, ſatis apparet eos *ſatisfactionem* pro retenta pœna neſciviſſe, quæ ſine duobus illis fundamentis ſtare non poteſt; partim vero, quod in diſputatione ex Scripturis ea fere omnia, quæ de hoc argumento dicenda eſſent, occupaverimus. Nam quæcumque ex divinis litteris contra *condignas* pro temporalibus pœnis *ſatisfactiones* illic attulimus, eadem hic eſſent ex Patribus, apud quos paſſim occurrunt, deſcribenda, & ab adverſariorum cavillationibus vindicanda; atque ita ſtilus per eadem veſtigia ducendus; quod ſine lectoris tædio fieri vix poſſet. Verbi gratia, quæ illic è Scripturis docuimus de ejus, qui pro peccatis ***ex condigno ſatisfacit***, præſtantia, atque excellentia; quæ de *Redemptoris* titulo unius Chriſti proprio; quæ de noſtra ad ea omnia præſtanda obligatione, quorum in pietatis negotio capaces ſumus; quæ de peccatorum gratuita in Chriſto remiſſione, & alia plæraque; ea ex veterum libris, in quibus è Scripturis hauſta non raro reperiuntur, hic eſſent afferenda; Quo loco recurrerent eædem illæ adverſariorum ſtrophæ, quibus in eludendis Scripturarum teſtimoniis uſi ſunt, quaſque cum abunde ſupra confutaverimus non eſt operæ pretium denuo refellere. Itaque cum illa Scripturarum axiomata apud Patres, & quivis facile invenire poſſit, neque quin ea iſtic extent vehementer repugnent adverſarii, ſed de ſuis ad ea exceptionibus, atque cavillationibus potiſſimum laborent, quas jam expendimus, ac (ut ſpero) diluimus; non exiſtimavi nobis in illis iterum tractandis, hærendum eſſe.

Hanc itaque diſputationis noſtræ partem pauculis aliquot, ſed inſignibus Patrum teſtimoniis claudemus. Baſilius; οὔτε οὖν ἀδελφὸς (inquit) In Pſ. 48.

quit) τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν δύναται λυτρώσασθαι, οὔτε αὐτὸς ἕκαστος ἑαυτόν. διότι πολλῷ βελτίονα δεῖ εἶναι τὸν λυτρούμενον τοῦ κεκρατημένου, καὶ δουλεύοντος ἤδη. ἀλλὰ καὶ οὐδὲ ὅλως ἄνθρωπος ἐξουσίαν ἔχει πρὸς θεὸν, ὡς καὶ ἐξιλάσκεσθαι περὶ ἡμαρτηκότος. ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας ὑπόδικος. *Neque frater fratrem ſuum redimere poteſt, neque quiſque ipſe ſe ipſum; Quia longe præſtare oportet eum, qui liberet, eo qui detinetur, & ſervit; imo neque homo omnino poteſtatem habet apud Deum propitiandi eum, qui peccavit; quandoquidem & ipſe reus eſt peccati.*

Marcus eremita; τοῖς λαβοῦσι τὴν δύναμιν τῶν ἐντολῶν, ὡς πιστοῖς παραγγέλλει τοῦ ἐπαγωνίσασθαι διὰ τὸ μὴ στραφῆναι εἰς τὰ ὀπίσω, οὐχ ὡς διὰ τούτων ἐξαλεῖψαι ἁμαρτίαν. ἀλλ᾽ ὥστε μηκέτι ἑαυτοὺς ἐπιστραφῆναι εἰς τὰ ὀπίσω. Καὶ αὐταὶ οὖν αἱ ἐντολαὶ οὐχὶ τὴν ἁμαρτίαν ἐκκόπτουσι. τοῦτο γὰρ διὰ μόνου τοῦ σταυροῦ γεγένηται. ἀλλὰ τοὺς ὅρους τῆς δοθείσης ἡμῖν ἐλευθερίας φυλάττουσι. *Iis qui facultatem mandatorum acceperunt, denuntiat tanquam fidelibus, certandum eſſe ne convertantur ad ea, quæ retro ſunt; non quo per hæc deleant peccatum, ſed ne ſe ipſos ultra convertant ad poſteriora. Quocirca mandata ipſa non tollunt peccatum (hoc enim per ſolam crucem factum eſt) ſed donatæ nobis libertatis limites cuſtodiunt.* De bapt. bibl. PP. græc. lat. T. 1. p. 920. e

Chryſoſtomus in illa Pauli, *Quod ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur;* οὐκ εἶπεν (inquit) εἰ ἐκολάζομεν ἑαυτοὺς, εἰ ἐτιμωρούμεθα, ἀλλὰ μόνον εἰ ἐπιγνῶναι τὰ ἁμαρτήματα ἐβουλήθημεν, εἰ καταδικάσαι ἑαυτοὺς, εἰ καταγνῶναι τῶν πεπλημμελημένων, ἀπηλλάγημεν ἂν καὶ τῆς ἐνταῦθα καὶ τῆς ἐκεῖσε τιμωρίας. *Non dixit;* ſi caſtigaremus nos ipſos, ſi puniremus; *ſed ſolum ſi vellemus agnoſcere peccata, ſi nos ipſos condemnare, ſi de delictis ferre ſententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic eſt ſupplicio.* Hom. 28. in 1. Cor. c. 11. p. 302. c

CAPUT XV.

Altera de aliorum pro aliis ſatisfactionibus *quæſtio. Solvitur prima adverſariorum objectio petita ex Tertulliani locis, quæ explicantur.*

Atque hæc quidem de propriis cujuſque *ſatisfactionibus* dicta ſunto. Neque nos *alienæ* diu morabuntur. Nam adverſarii omnino & pauca, & levia habent è Patribus, quæ pro iis objiciant.

Afferunt è Tertulliano Martyres *pacem* pœnitentibus dediſſe; *Quam* (inquit) *pacem quidam in Eccleſia non habentes à Martyribus in carcere exorare conſueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis* (Martyras autem Ad martyr. c. 1.

 tem

tem deſignatos alloquitur) *habere, & fovere, & cuſtodire debetis, ut ſi forte & aliis præſtare poſſitis. Remiſſionem pœnæ* (inquit Bellarminus) *Pontifices faciebant, vel ad martyrum interceſſionem, vel aliis de cauſſis.* Mitto quod iſte *Pontificibus* doloſe id tribuit; quaſi vel Tertulliani ſæculum ullos uſpiam Chriſtianorum *Pontifices* agnoverit, vel (poſtquam Pontificis titulus in Chriſtianorum uſum tranſiit) urbici Papæ ſoli *Pontifices* fuerint, vel alio, quam cæteri Eccleſiarum præſules, jure fuerint; vel deniqûe ſolus Romæ *epiſcopus* pœnitentibus eam *remiſſionem* indulſerit; quod cujuſvis *epiſcopi* jus fuiſſe, & mox ex Cypriano patebit, & ex multis aliis veterum locis confirmari poteſt. Ad rem venio. Mirum ſane hoc eſt argumenti genus; *Epiſcopos conſtat ex Tertulliano lapſis pœnitentibus pacem olim ad Martyrum interceſſionem dediſſe*; Ergo *Martyres pro temporalibus lapſorum pœnis ex condigno ſatisfaciebant.* Quaſi ſcilicet nemo pro alio *rogare*, & *intercedere* poſſit, qui non & pro eo *ex condigno ſatisfaciat.* Si ita eſt, ergo & pro Trajani ſceleribus, & gehenna *ex condigno ſatisfeciſſe* Gregorium ii crediderunt, qui ad ejus preces atque *interceſſionem* Trajanum *ex inferno* ereptum fuiſſe tradunt. Ergo & pro fratrum peccatis, pro quibus *orare* nos Ioannes jubet, *ſatisfacere* nos, & quidem *ex condigno*, concludendum erit. Nemo neſcit aliud eſſe aliquid *prece impetrare*; aliud *ex condigno ſatisfacere*; quo quidem ſenſu loquuntur adverſarii. Neque ſiquis apud Principem gratioſus vitam, & impunitatem ſontis ab eo ſua interceſſione extorſerit, ideo conſequi quiſquam putabit, ut is pro ſontis crimine *ex condigno ſatisfecerit.* Eſto; Martyres olim pro ſua apud totam Eccleſiam gratia ab ejus præpoſitis lapſorum pœnitentium veniam, & pacem impetraverint; (tametſi neque ſemper *impetraſſe* ſtatim liquebit ex Cypriano;) inde quidem ſequitur Martyrum aliquam fuiſſe apud Chriſtianos ſive auctoritatem, ſive gratiam; magnamque eorum habitam rationem; (quod nemo negat;) Martyres pro lapſis *ex condigno ſatisfeciſſe*, vel his illorum paſſiones *imputatas*, atque *applicatas* fuiſſe non ſequitur.

l. 2. de indulg. c. 2. §. Poſt Apoſtolica.

Iam *epiſcopos dare ſolitos indulgentiam ad preces Martyrum, non ſolum ut Martyres honorarent, & ad conſummandum martyrium accenderent; ſed etiam, quia videbant merita Martyrum poſſe communicari pœnitentibus, & acceptari paſſiones eorum pro ſatisfactione, quæ lapſis pœnitentibus deerat;* dicit quidem, fateor, Bellarminus, ſed non probat ullo veterum teſtimonio. Pugnat tamen id colligi ex Tertulliani libro de pudicitia, *in quo hæreticus* (inquit) *factus negat, quod antea Catholicus conceſſerat, poſſe videlicet ad preces Martyrum indulgeri lapſis reconciliationem; & rationem affert, quia non ſuperſunt Martyribus ſatisfactiones, quas cum lapſis communi-*

Vt. ſupr. §. Illud quoque.

communicare poſſint; Sufficiat (*inquit*) Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus. *Et infra ſic Martyres alloquitur.* Si peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere, & mihi, & tibi poterit? *Ex quibus verbis manifeſte colligitur Martyrum paſſiones applicari ſolitas illis, qui ad petitionem ipſorum Martyrum indulgentiam conſequebantur.* Hæc Bellarminus. Sed in tota hac ejus ratiocinatione nihil eſt ſani. Primo quod Tertullianum accuſat inconſtantiæ, eumque vult Martyribus in libro *ad Martyras* concedere, quod iiſdem poſtea in libro *de pudicitia* negat; id non eſt uſquequaque firmum. Nam ut mittam eum in priori illo libro non certo, ſed adhibita dubitandi particula hanc Martyribus poteſtatem dare, *pacem propterea in vobis habere, & fovere, & cuſtodire debetis, ut* SI FORTE, *& aliis præſtare poſſitis*; ut hoc inquam, mittam, illud quidem certe conſtat Tertullianum in libro *de pudicitia* non omnium nullo diſcrimine lapſorum veniam, & reconciliationem impugnare, ſed eorum proprie, qui *mœchiam* admiſerant, quibus (præter ſuperiorem Eccleſiæ conſuetudinem) datam recenti, epiſcopi Romani edicto abſolutionis, & communionis ſpem indignabatur. Res clara eſt ex toto libro; maxime ex capite ſeptimo, ubi ad objectam *ovis perditæ* parabolam reſpondens, lapſos ita diſcriminat; *Perit igitur & fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii cruoris, & ſcenicæ fœditatis, & xyſticæ vanitatis, in luſus, in convivia ſæcularis ſolennitatis, in officium, in miniſterium alienæ idololatriæ; aliquas artes adhibuit curioſitatis, in verbum ancipitis negationis, aut blaſphemiæ impegit; ob tale quid extra gregem datus eſt; vel & ipſe forte ira, tum ore, æmulatione, quod denique ſæpe fit, dedignatione caſtigationis abrupit, debet requiri, atque revocari. Quod poteſt recuperari, non poterit, ſi foris perſeveraverit. Bene interpretaberis parabolam viventem adhuc revocans peccatorem. Mœchum vero, & fornicatorem, quis non mortuum ſtatim admiſſo pronuntiavit? Quo ore mortuum reſtitues in gregem ex parabolæ ejus auctoritate, quæ non mortuum pecus revocat?* Vides, ut duo peccantium faciat genera; alios ait *mortuos* eſſe, qui ſcilicet vel in *mœchiam*, vel in *idololatriam*, vel in aliquod eorum ſcelerum lapſi erant, quæ ipſe *irremiſſibilia* vocat; alios peccatores quidem eſſe concedit, ſed *viventes*; quales erant, qui levius delictum admiſerant, ex eorum genere, quæ hic plurima exempli cauſſa commemoravit. Illis Eccleſiæ *pacem*, & *communionem*, quamvis *pœnitentibus*, exſerte negat; imo, quod mirabilius eſt, ipſi etiam Catholici & omnibus antea, & tunc etiam plæriſque puta *idololatris*, & *homicidis*, negabant; quod & ex ipſo hoc Tertulliani libro, aliiſque non

L. de pudic. c. 7. p. 722. d

Ibid. c. 2. p. 716. a

non paucis veterum locis patet; & à Petavio [a], & Albaſpineo [b], obſervatum eſt. *Mœchos*, quibus antea nulla magis, quam cæteris communionis ſpes dabatur, tunc primum nonnihil laxato priſcæ diſciplinæ rigore, ad *pœnitentiam*, & ſecundum eam ad *communionem* admittere placuit; quam novam Eccleſiæ indulgentiam ſua hac diſputatione exagitat Tertullianus. Secundi vero generis lapſos, qui delictum, quod ille *remiſſibile* vocat, admiſerant, neque *pœnitentiæ*, neque *veniæ*, & *communionis* ſpe excludit. De hujuſmodi lapſo verba faciens, *Debet* (inquit) *requiri*, *& revocari*. Et ſupra; *Secundum hanc* (inquit) *differentiam delictorum*, *pœnitentiæ quoque conditio diſcriminatur*. *Alia erit, quæ veniam conſequi poſſit*, *in delicto ſcilicet remiſſibili*. *Alia quæ conſequi nullo modo poſſit in delicto ſcilicet irremiſſibili*. Atque ex his liquet Bellarminum Tertulliano inconſtantiam temere, nullaque ratione objeciſſe. Neque enim Martyribus, quam in libro *de Pudicitia* negat pacis *mœchis* dandæ poteſtatem, uſpiam in libro *ad Martyras* concedit; (quam ne ipſam quidem Eccleſiam iis dediſſe veriſimile eſt, nondum ſcilicet facto novo illo decreto;) neque viciſſim in libro *de pudicitia* iis negat, quod in altero volumine concedit pacis lapſis dandæ jus, iis ſcilicet *lapſis*, quorum cum delictum eſſet *remiſſibile*, pœnitentia hujuſmodi quoque erat, quæ veniam conſequi poſſet. Sed & ineptiſſima eſt Bellarmini collectio, quæ ex libro *de Pudicitia* concludit *Martyrum paſſiones applicari ſolitas illis*, *qui ad ipſorum petitionem indulgentiam* conſequebantur. *Ideo* (inquit) *negat Martyres lapſis pacem indulgere poſſe*, *quod nullæ illis ſatisfactiones ſupereſſent*, *quas cum lapſis communicare poſſent*. Primo *de ſatisfactionibus*, verbum apud Tertullianum nullum. *Sufficiat* (inquit) *martyri propria delicta purgaſſe*. Hoc vero quid ſit, abunde ſupra explicavimus; non ſane peccata morte *ex condigno* expiare; ſed eorum *veniam* ab optimo Domino *impetrare* ex eo fidei, & pœnitentiæ teſtimonio, quo nullum edi poteſt luculentius; martyrio ſcilicet. Hæc verba, quis ſit martyrii fructus oſtendunt; *venia* ſcilicet, *impunitas*, atque *purgatio*; unde ſit hæc *purgatio*, an ex ipſius paſſionis *merito*, atque *dignitate*, (quod volunt adverſarii;) an ex Dei *miſericordia*, & *fide*, (quod nos defendimus,) non definiunt. Sequentia vero nobis palam favent; *Ingrati*, *vel ſuperbi eſt* (inquit) *in alios quoque ſpargere*, *quod pro magno fuerit conſecutus*. Martyrem ſuam ipſius impunitatem *pro magno conſecutum* eſſe vult; quod de eo non dicitur, niſi qui quod ipſe ſua dignitate proprie *non merebatur*, id tamen ex ſingulari datoris *clementia*, atque bonitate impetravit. Non ergo Martyribus pacis lapſis dandæ jus ideo negat Tertullianus, quod tametſi

pro

[a] *Animadv. in epiph. p.* 228.
[b] *Obſerv. l.* 2. *obſerv.* 9. *l.* 15. 17.

Ibid de pud. c. 2. *p.* 718. a

pro ſe ipſis *ex condigno ſatisfecerint*, pro aliis tamen minime *ſatisfecerunt*; (quod vult Bellarminus;) ſed ideo quod *animi eſt ingrati*, & *ſuperbi*, neque pro dignitate acceptum beneficium æſtimantis, quam gratiam ipſe ex *maxima*, planeque ſingulari donantis *bonitate*, ac *liberalitate* acceperis, eam cum aliis etiam pro tuo arbitrio communicare velle.

Ac nequis id objiceret, quod jam urgent adverſarii, martyras ſua paſſione & ſuam, & aliorum veniam abunde procuraturos, ſic in ſequentibus hanc objectionem refellit. *Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Nam & in ipſa paſſione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe deliquiſti, plane patere pro me. Si vero peccator es, quo modo oleum faculæ tuæ ſufficere & tibi, & mihi poteſt?* His verbis potentiſſime evertit, quas nunc adverſarii defendunt, aliorum pro aliis *ſatisfactiones*. Nemini enim, niſi Chriſto uni, hoc concedit, ut *alienam mortem ſua ſolvat*; nemini, niſi qui nihil ipſe deliquit, ut pro alio patiatur. Si regeras hæc eum contra Catholicos dicere; hæc adeo videri minime fuiſſe catholici dogmatis; fruſtra es. Plane contra eo ipſo quod hæc Catholicis, cum ipſis diſputans, objectat, apparet ea apud Catholicos confeſſa fuiſſe. Nemo enim, niſi ſtultus, & imperitus, ex iis diſputat, quæ ab adverſario negantur. Ac ut ex eo, quod contra eoſdem in hoc ipſo opere aſſumit, neque *idololatris*, neque *homicidis*, communionem datam fuiſſe, ut concludat neque *mœchis* dandam, legitime conficitur, ne apud ipſos quidem catholicos ullam fuiſſe iſtis temporibus idololatris, & homicidis *veniæ*, & *communionis* ſpem; ſic etiam Chriſtum unum *morte ſua noſtram ſolviſſe*, & cætera, quæ affert, apud Catholicos quoque confeſſa fuiſſe, eo ipſo probatur, quod hæc à Tertulliano contra ipſos diſputante aſſerantur, ad hoc concludendum, de quo inter eos quærebatur, nimirum martyribus non licere lapſis pacem dare. Certe hæc Tertulliani de Chriſti morte pronunciata nemo veterum reprehendit; nemo notavit. Imo fuerunt, & quidem inter veteres Catholicos laudatiſſimi, qui omnino eadem dixerunt; quod mox allatis Auguſtini, & Leonis teſtimoniis demonſtrabimus. Cæterum tametſi contendam hanc Tertulliani rationem contra *alienas* adverſariorum *ex condigno ſatisfactiones* idoneam, atque invictam eſſe; fateor tamen eam nihil adverſus veterum catholicorum uſum in admittenda Martyrum pro lapſis interceſſione valere. Neque enim hi Martyribus id juris ideo concedebant, quod putarent (ut ille ſupponere videtur) eorum ſanguine & ſua, &

L. de pud. c. 22. p. 744. c

aliorum etiam delicta *ex condigno* expiari; ſed quod virorum ſuum pro Chriſti gloria, atque Eccleſiæ *ædificatione* cruorem effundentium vota, ac *deſideria* nequaquam ſpernenda, ſed magno cum honore expendenda merito exiſtimarent; ut clariſſime apparet ex Cypriano, qui de hoc argumento multa ſcripſit.

CAPUT XVI.

Solvitur ſecunda objectio ex locis Cypriani de pace à Martyribus data.

L. 1. de ind. c. 2. §. S. Cyprian. Ep. l. 3. Ep. 15. Pam. 11.

IAm ergo ejus teſtimonia conſideranda veniunt. Tria affert Bellarminus, quorum primum ex epiſtola ad ipſos Martyres ita habet; *Petitiones, & deſideria veſtra epiſcopo ſervent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum, & pacatum tempus exſpectent.* Alterum ex eadem epiſtola ſequitur; *Oro vos, quibus poſſum precibus, ut Euangelii memores, & conſiderantes quæ, & qualia in præteritum anteceſſores veſtri martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicite, & caute petentium deſideria ponderetis; utpote amici Domini, & poſtmodum cum illo judicaturi inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne ſiquid abrupte, & indigne vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoq; ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.* Tertium denique hoc eſt; *Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere; poteſt in acceptum referre, quicquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* (L. de laps. extr.) Sed horum omnium eadem eſt, quæ ſuperiorum ex Tertulliano allatorum ratio; neque ex iis quicquam confici poteſt ad conſtituendas *aliorum pro aliis ex condigno ſatisfactiones.* Quod ut clarius intelligatur, breviter ex ipſo Cypriano explicandum eſt, quæ fuerit tota hæc Martyrum cauſſa, de qua ille tam multa in diverſis epiſtolis habet.

Ep. 32. Morell. 15 Pamel.

Fervente perſecutione, primo *ſtatim perturbationis impetu* Cyprianus, *cum eum clamore violento frequenter populus* Paganus *flagitaret, non tam ſuam ſalutem, quam quietem fratrum publicam cogitans*, Carthagine digreſſus, *ſeceſſit interim, ne per inverecundam* ipſius *præſentiam ſeditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* Sæviente malo multi Chriſtiani Carthagine, & paſſim in Africa, adverſariorum minis, & furore perculſi lapſi fuerant; iique duorum potiſſimum erant generum. Alii idolis ſacrificaverant, vel certe *ſacrilegis* idolothytorum *contactibus manus ſuas, atque ora macularant*; quos *ſacrificatos* vocabant. Alii *nefandis libellis,*

quibus

quibus inerat quædam Chriſti, tametſi minus aperta abnegatio, *ne ſacrificare cogerentur*, à Paganis magiſtratibus impetrarant; quos *libellaticos* dicebant. Sed inter multos cadentes, neque pauci ſteterunt, qui & in carceribus, & in tormentis Chriſti nomen fortiter confeſſi ſunt. Lapſi, quos ſolus perſecutionis terror ad negationem impulerat, peccati ſenſu ſtimulati, quo reditum ſibi in Eccleſiam pararent, *ad confeſſores, & martyres* deſignatos confugiunt, *& gratioſam deprecationem* eorum interceſſionem *exambiunt*; ut tam favorabili commendatione pacem, ac communionem fratrum recuperarent, quam fœda illa negatione amiſerant. Martyres & ſuopte ingenio ad miſericordiam proni, & aſſidua miſerorum flagitatione fatigati nonnulis, ſed paucis *libellos* dederunt, quibus mandabant eos in Eccleſiæ communionem à præpoſitis admitti. Sed maxima in hoc genere fuit Luciani cujuſdam facilitas; qui & ipſe unus de confeſſoribus, *fide quidem calidus, & virtute robuſtus, ſed pæne minus dominica lectione fundatus*, Pauli egregii confeſſoris, qui & mox martyrium fecit, *nomine libellos hujuſmodi manu ſua ſcriptos paſſim dedit*; Quin & *poſt ejus exceſſum eadem facere ſub ejus nomine perſeveravit, dicens hoc ſibi ab illo eſſe mandatum. Aureli quoque adoleſcentis tormenta perpeſſi nomine libelli multi dati ſunt ejuſdem Luciani manu ſcripti, quod litteras ille non noſſet.* Denique tanta fuit iſtius *indulgentia*, ut non ſingulis tantum hominibus nominatim, ſed & totis familiis univerſim hujus generis libelli concederentur hac forma, *Communicet ille cum ſuis.* His auditis Cyprianus per litteras petiit, & ſuaſit, *ut Dominicæ legis, & Evangelii rationem tenerent.* Poſt quas litteras, quaſi moderatius aliquid, & temperatius fieret, *univerſorum confeſſorum* nomine idem Lucianus epiſtolam ad Cyprianum ſcripſit in hunc modum; *Scias nos univerſis, quorum ad te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem, & hanc formam per te & aliis epiſcopis innoteſcere volumus. Optamus te cum ſanctis martyribus pacem habere.* Lapſi hac velut martyrum, & confeſſorum *indulgentia* animati *pacem, quam ſemel cunctis ab iis datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari*, facto *per aliquot* provinciæ *civitates in præpoſitos impetu*, cogunt; *territis, & ſubactis præpoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minus virtute, ac robore fidei prævalebant.* Carthagine vero *quidam turbulenti, per hanc epiſtolam, velut quibuſdam facibus accenſi, plus exardeſcere, & pacem ſibi datam extorquere cœperunt*; tanta vi, ut ex presbyteris in ea urbe conſiſtentibus, nonnulli, quam petebant *communionem*, iis conceſſerint, offerentes pro illis, & *euchariſtiam dantes.* Quæ cum intellexiſſet Cyprianus, graviter (ut par erat) commotus litteras dedit, tum ad Cle-

Ep.84. Pamel. 23.
Ibid. & Ep.88. Pamel.22.
Ep.46. Pamel. 11.
Ep.48. Pamel. 23.
Ibid.
Ep.85. Pamel. 17.
Ep.84. Pamel. 23.
Epiſt.10.11.

Ep.45.47. Pamel.10. 12. Ep.46. Pamel. 11. Ep.45. Pam.10. rum, tum ad plebem Carthaginenſis Eccleſiæ, & ad ipſos quoque Martyras, ac confeſſores, ejuſdem omnes argumenti. Principio preſbyterorum illorum factum vehementer exagitat, *qui nec Euangelii* (inquit) *nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia, & contemptu præpoſiti totum ſibi vendicabant, crudoque tempore perſecutionis adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo, aut clero impoſita, euchariſtiam lapſis dabant.* Ep.47. Pamel. 12. Si ultra in iiſdem perſeveraverint, ſe in eos animadverſurum minatur. Apud plebem de eorumdem temeritate conqueritur; lapſoſque moneri jubet, ut regreſſionem ſuam exſpectent; *ut* (inquit) *cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, convocatis coepiſcopis plures ſecundum Domini diſciplinam, & confeſſorum præſentiam, & veſtram quoque ſententiam, beatorum Martyrum litteras, & deſideria examinare poſſimus.* Ep.46. Pam.11. Martyres vero, & confeſſores, poſtquam & lapſorum præcipitationem, & presbyterorum, qui cum eis communicabant, temeritatem acrius incuſavit, ipſos leniter, ut decebat, officii admonet; ut cautius lapſis faveant; quo loco verba illa occurrunt, quæ à Bellarmino objecta deſcripſimus. Præcipit etiam, *ut nominatim deſignent eos, quibus* Ep.51. Pamel. 20. *pacem dari deſiderabant.* Harum epiſtolarum exempla aliis epiſcopis, collegis ſuis, miſit; qui *reſcripſerunt ſe cum* ipſo *in eodem conſilio ſe-* Ep.86. Pamel. 23. *cundum Catholicam fidem ſtare.* Quin & cum presbyteris, & Diaconis Romanis eas etiam communicavit, prolixaſque ad eos litteras perſcripſit; in quibus rem totam, ut geſta erat, fuſe narrat; ac Lucianum inprimis notat, *velut circa intelligentiam Dominicæ lectionis* (ut jam ante dixerat) *minus peritum, & circa invidiam verecundiæ ſuæ relinquendam facilitate ſua moleſtum*; nominatim vero reprehendit, quod is *in Pauli* martyris *nomine* peccata dimitteret; *Nam* (inquit) *cum Dominus dixerit* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti *gentes tingi, & in baptiſmo præterita peccata dimitti, hic præcepti, & legis ignarus mandat pacem dari, & peccata dimitti* in Pauli nomine, *& hoc ſibi ab illo dicit eſſe mandatum, ſicut in litteris ejuſdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis; quibus minime conſideravit, quod non martyres euangelium faciant, ſed per euangelium martyres fiant.* Poſtremo ſe ex jam acceptis Romanorum litteris intellexiſſe ait *ſecundum Euangelii legem ſtare ſecum fortiter, atque unanimiter etiam illorum ſententiam.*

Hæc eſt illius martyrum Carthaginenſium facti vera narratio, ex ipſis Cypriani monumentis fideliter expreſſa. Vnde primo apparet, quomodo

quomodo Martyres lapſis pacem olim dederint, non definite, velut *judices*, qui reum ſua ſententia abſolvunt; ſed conditionate; *voto* & *deſiderio*, potius quam *decreto*; ea nimirum lege, ſi epiſcopo, & clero cauſſa cognita ita videretur. Quare Cyprianus Martyrum, & confeſſorum libellos, non *ſententiam*, non *decretum*, ſed *vota*, & *deſideria* vocat; eaque vult reddita pace ab epiſcopis ſecundum Domini diſciplinam, & plebis quoque ſententiam examinari; ipſoſque martyres monet, *ut inſpiciant & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitent, nequid abrupte, & indigne promittant; neve aliis libellos dent, quam quos ipſi vident, quos norunt, & quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam vident.* Itaque hi Martyrum *libelli*, ſi proprie loquendum eſt, nihil aliud erant, quam *lapſorum commendationes*, quibus teſtimonium de ipſorum pœnitentia perhibebant apud præpoſitos Eccleſiæ, penes quos erat totius diſciplinæ adminiſtratio; rogabantque ut eorum haberetur ratio. Ea vero commendatio cum à perſonis apud univerſos Chriſtianos gratioſiſſimis, meritoque caris & obſervandis proficiſceretur, ſi modo recte, & legitime fieret, eoque ordine ac modo, quem requirit Cyprianus, non poterat non magni eſſe momenti ad impetrandam, quam lapſis poſcebat, indulgentiam. Hoc vero quid cum *alienis* iſtis adverſariorum *ſatisfactionibus* commune habeat, ego quidem divinare non poſſum. Sane neque ipſi illi Martyres ſe *pro lapſis*, quibus pacem dari mandant, *ex condigno* vel *ſatisfeciſſe*, vel *ſatisfacturos* ſignificant; neque Cyprianus *commodatitiæ* illius eorum *ſatisfactionis* uſquam meminit. Neque profecto lapſorum paci vel interceſſiſſet, vel intercedere fas putaſſet, ſi & ipſe, & Martyres de hoc fidei capite id ſenſiſſent, quod nunc docent adverſarii. Nam quis jam apud iſtos epiſcopum ferat prohibentem, quo minus Sancti, aut Martyris alicujus *ſatisfactio* iis proſit, quibus eam ipſe ex animi ſui ſententia *applicari* vult, atque decernit? Denique ſi Martyrum Cyprianicorum factum cum hodierno adverſariorum uſu comparaveris, nihil cohærere, omnia diverſa, ac diſſimilia eſſe facile deprehendes. Nam hi quidem Sanctorum (quos vocant) *ſatisfactiones* non aliis *applicant*, quam iis qui jam Deo per confeſſionem reconciliati, culpaque, & pœna peccatorum æterna abſoluti cum Eccleſia communicant. Martyres contra nullius quidem pro lapſis *ſatisfactionis* ſuæ meminerunt; eos autem commendant, quos Eccleſiæ communione extorres, neque pacis, neque euchariſtiæ ſine ſacrilegio participes fieri poſſe contendit Cyprianus. Tum adverſarii Martyrum *ſatisfactiones* eo tantum prodeſſe tradunt, quo lapſos temporalibus

Ep. 47. extr. Pamel. 12.

Ep. 46. extr. Pamel. 11.

peccati pœnis liberent. Iſti vero veteres ſua interceſſione lapſos etiam *culpa*, ac *pœna æterna* liberari, & in Eccleſiæ communionem plane reſtitui cupiebant; ut ſi hoc eorum officio pro lapſis *ex condigno ſatisfactum* fuiſſe velis, omnino te fateri neceſſe ſit id tantæ dignitatis fuiſſe, ut etiam pro *culpa*, & *gehenna ex condigno ſatisfecerit*; quod quam ineptum, & abſurdum ſit, nemo non intelligit. Poſſem alia in eandem ſententiam addere. Sed hæc ſatis ſunt ad demonſtrandum, quam nullum habeat adverſariorum dogma præſidium in his veterum Martyrum pro lapſorum pace interceſſionibus.

Serm. de lapſ. Quod vero ait Cyprianus *Deum pœnitenti, operanti, roganti poſſe clementer ignoſcere; poſſe acceptum ferre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint ſacerdotes*; eo inquam, docet quidem iis, qui ſtrenue *ſalutem* ipſi ſuam *in timore, & tremore operantur*, agendo, pœnitendo, rogando Deum peccata miſericorditer *condonare*, martyrumque pro iis vota, & ſacerdotum ſuorum miniſteria rata habere, grata, atque accepta; (quod nemo Chriſtianus negat;) Martyrum vero, vel ſacerdotum paſſiones pro temporalibus ipſorum pœnis *ex condigno* apud Deum *ſatisfacere*, nequaquam ſignificat.

CAPUT XVII.

Tertia objectio ſolvitur; ex quodam Origenis loco ducta. Oſtenditur nullam eſſe in hac quæſtione Origenis auctoritatem; Sed & ejus ſenſum adverſariorum errori minime favere.

Hom. 24. in Num. SUpereſt unus Origenis locus; *Vide* (inquit) *ne forte ſicut Dominus & Salvator noſter*, quaſi Agnus ad occiſionem ductus, *& in ſacrificium altaris ablatus peccatorum remiſſionem univerſo præſtitit mundo; ita fortaſſis cæterorum Sanctorum, & juſtorum ſanguis fuſus eſt ad expiandum pro parte aliqua populum.* Hunc locum objecit quidem Lindanus; omiſit vero Bellarminus; omnino prudenter, ſive teſtimonium ipſum inutile, ſive teſtem non ſatis idoneum putaverit. Nam ipſum teſtimonium, (ſi is teſtis eſſet cujus aliqua in hac cauſſa ratio haberi deberet) reſponderem ſignificare Sanctorum paſſiones *populum Dei pro parte aliqua expiare*, non quod pro peccatis noſtris, eorumve pœnis *ex condigno ſatisfecerint*, (quæ unius Chriſti gloria eſt ex Pauli, & Patrum

1. Cor. 1. ſententia;) ſed quod Euangelii veritatem confirmaverint, & exemplo à vitiis quidem abduxerint, ad virtutum vero ſtudium inflammaverint; quo factum eſt, ut multi & fide, cordium humanorum purgatrice,

trice, euangelium ample&reſs;erentur, & nuntio vitiis remiſſo ſanctimoniæ incubuerint; atque ita expiati, & ſanctificati fuerint. Atque hæc dicti Origenici interpretatio ex eo confirmatur, quod mox idem illud, quod Sanctis martyrium facientibus tribuit, cum Angelis quoque communicat; *Sive hæc* (inquit) *ad juſtorum, Prophetarumque perſonas, qui in hoc mundo jugulati ſunt; vel eorum, qui dicunt*, quoniam pro te morte afficimur tota die exiſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, *referenda videantur; ſive etiam ad ſuperiores virtutes, quibus procuratio humani generis data eſt.* Quo etiam hæc pertinent; *Sic ergo* (inquit) *efficitur, ſive alius Sanctorum, ſive Angelorum, ut diximus, ſive hominum, vitulus qui in illa feſtivitate interveniat pro populi delictis.* Atqui nemo inde concluſerit iſtum putaſſe Angelos pro peccatis noſtris *ex condigno ſatisfacere*, quod ne adverſarii quidem ipſi docent. Ergo neque id de ſanctis hominibus ex objectis ejus verbis legitime colligi poteſt, cum utrorumque, ex ejus quidem ſententia, eadem in hoc negotio ſit ratio. Sed quemadmodum *ab Angelis* expiari *delicta* fidelium ideo dicit, quod illorum officiis ex generis humani *procuratione* ipſis à Deo, ut ille exiſtimat, commiſſa, fideles à peccatis avertantur, ac deterreantur, & ad bene ſancteque vivendum incitantur, atque impelluntur; ſic etiam eodem ſenſu dixiſſe putandus eſt *Martyrum ſanguine populum Dei ex quadam parte expiari*, quatenus clariſſimis illis fidei, caritatis, & patientiæ exemplis, quæ Martyres ediderunt, homines non pauci à peccatis, in quibus vitam agebant, ad pietatem, & ſanctimoniam traducti fuerunt. Quo & illud poſtremo accedit, quod ſanctos cum Chriſto comparans, *Cæteri* (inquit) *precibus peccata hic ſolus poteſtate dimiſit.* Vnde videre eſt iſtum illam *fidelium expiationem* Sanctis longe alio ſenſu tribuiſſe, quam quo eam Chriſtus peregit. Cæteros enim vult *peccata dimittere*, non ulla pro peccatis *ſatisfactione*, ſed *precibus* quas Domino pro hominibus morientes obtulerunt; quibus ſcilicet effectum eſt, ut clementiſſimus Dominus multos ad ſe converſos peccatis liberaret. Iam vero aliud eſt prece aliquod beneficium hominibus à Deo impetrare; (quod ſanctis, & vere fidelibus convenire fatemur:) aliud ultrici Dei *juſtitiæ* pro aliorum peccatis *ex condigno ſatisfacere*; quod ſanctis adverſarii tribuunt, nos negamus. Hæc ego, & alia hujuſmodi ad ſolvendum hunc locum adducerem, ſi is eſſet Origenes, cujus in hac cauſſa judicium aut exquiri, aut etiam adhiberi deceret. Sed quis neſcit, quam ille graviter hac in parte hallucinatus ſit, qui nullam eſſe pœnam docuit, niſi *purgatoriam*? eoque, ut palam eſt, *ultricem* Dei *juſtitiam* penitus ſuſtulit? &, quod inde neceſſario conficitur, omnem proprie dictam *ſatis-*

ſatisfactionem? Nam ut in ægroti corpore medicina non prodeſt, niſi quam ipſe ſumpſit; ab alio ſumpta nihil omnino ei confert; ſic etiam in anima, ſi (quod ſtatuit Origenes) *peccata* nihil aliud, quam *morbi* ſunt, quibus peccantis quidem ipſius natura, atque valetudo vitiatur; Dei autem *ultrix juſtitia* minime offenditur, vel provocatur ad ſupplicium de peccante ſumendum; nemo non videt eas tantum *pœnas* peccatori profuturas, quas ipſe perfert, non autem eas, quas quis alius ejus loco ſuſtinet; niſi forte exemplo; quatenus ſcilicet inde dicit peccator ſibi tantumdem pœnarum luendum fore, niſi reſipiſcat; quomodo etiam alii profuiſſe dici poteſt *medicina* ab alio ſumpta, quatenus nimirum ejus exemplo edoctus, quam triſtibus, & amaris remediis amiſſa ſanitas recuperetur, ſibi diligentius in poſterum cavet, ne & ipſe cogatur ſimilia pati, ſi valetudinem intemperantia afflixerit, vel corruperit. Cum igitur conſtet hanc Origenis fuiſſe de *peccatis*, & *pœnis* ſententiam, clarum eſt eum (ſiquidem ſibi ipſi conſentanea docuit;) non modo eas, quas adverſarii ſtatuunt hominum *pro aliis* hominibus *ſatisfactiones* non admiſiſſe, ſed (quod blaſphemum, & horrendum eſt) etiam ipſius Chriſti Domini *ſatisfactionem*, quo quidem ſenſu omnis eam confitetur Eccleſia, rejeciſſe, ac exploſiſſe; non aliter, quam hodie faciunt Fauſti Socini Senenſis diſcipuli. Abſit igitur, ut hominem qui de hoc Chriſtianæ fidei capite tam male, tamque impie ſenſit, teſtem, aut judicem hujus controverſiæ feramus.

Mitto futile, & inane eſſe, quod ille huic ſuo de expiatorio martyrum ſanguine theorematì, ſubſtravit fundamentum. Nimirum ut Agni typo, qui olim ad purificandum veterem populum mactabatur, Chriſti perſona figurata eſt; ita vult *cætera animalia*, quæ iiſdem purificativis uſibus deputabantur, referri ſimiliter debere ad Sanctorum perſonas. Atqui hæc conſecutio, & per ſe (ut quivis videt) inepta eſt, atque inefficax, & cæterorum Patrum ſententiæ adverſatur, qui omnibus illis veteris Teſtamenti *expiatoriis victimis* unum Chriſtum adumbratum fuiſſe fere conſentiunt. Auguſtinus inſtar erit omnium; qui in
l.6.c.5.&.6. opere contrà Fauſtum non ſemel docet *vetera iſta omnia multis, & variis modis unum Chriſti ſacrificium ſignificaviſſe*. Atque hæc de Origene plus ſatis.

C A-

CAPUT XVIII.

Nullas aliorum pro aliis ſatisfactiones credidiſſe Patres, oſtenditur I. ex eo, quod ne proprias quidem cujuſquam, & ſuas eſſe putaverint. II. Tertulliani teſtimonio. III. Baſilii. IV. Auguſtini. V. Leonis, teſtimoniis, quæ duo poſtrema vindicantur à cavillationibus. Operis concluſio.

NEque plura adverſarii ex Patribus afferunt. Nos vero qui ſupra oſtendimus nullas eos quorumque fidelium proprias pro ſuis peccatis *ſatisfactiones* poſuiſſe, eo ipſo ſatis probavimus multo minus aliorum pro aliis admiſiſſe. Nam, ut præclare ait Baſilius, ὃς οὐδὲ περὶ τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων οἷός ἐστιν ἐξίλασμα δοῦναι τῷ θεῷ, πῶς ἂν ἰσχύσει τοῦτο ὑπὲρ ἑτέρου πρᾶξαι; *Qui ne pro ſuis quidem propriis peccatis poteſt Deo propitiationem offerre, quomodo poterit id pro alienis facere?* In pſ. 48.

Libet tamen coronidis vice unum, aut alterum è Patribus teſtimonium huic diſputationi adjicere.

Nuper recitavimus inſignem Tertulliani locum, quem & obiter à calumnia vindicavimus. *Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Nam & in ipſa paſſione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe deliquiſti, plane patere pro me.* Primo diſertiſſime ſtatuit neminem, præter Chriſtum, *alienam mortem ſua ſolviſſe*; adeoque nullos Martyras *pro* temporalibus peccatorum noſtrorum *pœnis ſatisfeciſſe*, cum & *pœnam*, qui pro ea *ſatisfacit*, *ſolvat*, & ſit *mors* una ex temporalibus peccatorum noſtrorum *pœnis*. Secundo hanc ejus, qui pro alio patitur, vel *ſatisfacit*, conditionem eſſe vult, ut (quod nos alibi è Scripturis demonſtravimus) *ſit à delicto purus, & omnia ſanctus*; neque quemquam pro nobis pati poſſe docet, niſi qui nihil ipſe deliquit. Cum ergo præter unum Chriſtum, nemo ſit ab omni omnino peccato immunis; clarum eſt hanc Tertulliani, & Eccleſiæ illius ſæculi fuiſſe ſententiam, neque martyras, neque ullos alios mortales *pro nobis pati*, hoc eſt vel delicta noſtra, vel *pœnas* iis debitas *paſſionibus* ſuis proprie *expungere*. De pudic. c. 22. pag. 744. c

Audivimus & Baſilium pronuntiantem, ὅτι ὁ ἀδελφὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν οὐ δύναται λυτρώσασθαι; *quod frater fratrem ſuum redimere non poteſt.* In pſ. 48.

Idem cum iſtis docuit Auguſtinus, ubi de Domino Chriſto loquens, l. 4. ad Bonif. contr. 2. Ep. Pel. c. 4. T. 7.

Sicut enim (inquit) *ſolus ideo factus eſt hominis Filius, ut nos per illum filii Dei fieremus; ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam.* Idem alibi; *Poſtremo* (inquit) *etſi fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur; neque in hoc quid imitaremur, ſed quid gratularemur, contulit nobis.* Reſpondet Bellarminus, *loqui Auguſtinum, ut verba ipſa clamant, de remiſſione peccatorum, quam in juſtificatione accipimus, cum ad gratiam Dei ſine ullis noſtris bonis meritis pervenimus; quam remiſſionem* (inquit) *nemo Catholicorum à Sanctis exſpectat, ſed omnes in unum Chriſtum integre referunt.* Hæc ille. Nos primo dicimus Auguſtinum non de ſola peccatorum remiſſione, ſed etiam de liberatione à pœna loqui. Priori enim loco affirmat *ſolum Chriſtum pro nobis ſuſcepiſſe ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam*; ubi *pœnæ*, quæ præceſſit, mentio exigit, ut *gratiæ*, quæ ei opponitur, nomine, etiam *impunitas* intelligatur. At ſi ſtat adverſariorum dogma, corruit Auguſtini pronuntiatum. Nam Sancti, ſi (quod iſti volunt) pro delictorum noſtrorum pœnis *ex condigno* morientes *ſatisfecerunt*, profecto ipſi quoque & *pro nobis ſuſceperunt ſine malis meritis pœnam*, & nobis illa ſua paſſione *gratiam*, eam ſaltem quæ impunitatis eſt, meriti ſunt; quod utrumque Auguſtinus SOLI Chriſto tribuit. Secundo. Auguſtinus in poſteriori loco de quavis peccatorum remiſſione loquitur; non autem de ea tantum, quam in juſtificatione accipere nos vult Bellarminus; quo nomine remiſſionem *culpæ*, & *gehennæ* intelligit. Tota hæc *remiſſionis* diſtinctio merum eſt adverſariorum commentum. Auguſtinus *culpæ* remiſſionem à *pœnæ* remiſſione nuſquam ſejungit; vel *pœnæ æternæ* indulgentiam *à pœnæ temporalis* dimiſſione; neque hactenus quicquam ex eo allatum eſt, quo poſſit iſtud ſomnium defendi. Cum ergo in genere hic neget *ullius Martyris ſanguinem in remiſſionem peccatorum fundi*, nulla cauſſa eſt, cur hoc ejus effatum ad *culpæ*, & *gehennæ* ſolius, non autem ad omnis omnino *pœnæ* remiſſionem referamus. Quoties occurrit aliquis apud Patres locus, in quo pœnitentiæ, vel operibus bonis tribui videtur *remiſſio peccatorum*, iſti illico involant, ac locum ad *ſatisfactiones* ſuas torquent; ſic eum ſcilicet interpretando, ut *peccati remiſſione* ſolius *pœnæ* temporalis remiſſionem intelligant; quod ſupra non ſemel, ſed ſexcenties experti ſumus. Nunc cum negat Auguſtinus *ullius Martyris ſanguinem in remiſſionem peccatorum fundi*, aliud pro re ſua his verbis ſignificari volunt; ſcilicet, non *pœnæ* temporalis, ut alibi, ſed ſolius *culpæ*, & *gehennæ* remiſſionem. Quid iſtis facias, qui

In Ioan. tract. 84. T.9.

l.2.de indulg.c. 4. extr.

qui tamquam Protei, aut Vortumni quidam, vultus pro locis, & temporibus alios, atque alios ſubinde & ponunt, & induunt? Nos vero ſi ſapimus, non movebimur eorum ludibriis: ſed *peccati remiſſionem* apud Patres eo ſenſu accipiemus, quo eam locutionem apud omnes ſacros, profanoſque ſcriptores vulgo venire ſcimus; nimirum ut totius peccati, pœnæque una, quam merebatur, *remiſſionem* ſignificet; & hoc nominatim Auguſtini loco; donec quidem adverſarii aliam eſſe ejus mentem rationibus evicerint neceſſariis; quod eos numquam facturos eſſe confido. Denique omnes iſtorum cavillationes excludit, quod Auguſtinus ſubjicit, *Chriſtum in hoc non quid imitaremur, ſed quid gratularemur nobis contuliſſe.* At ſi ſtat adverſariorum dogma, clarum eſt Chriſtum in eo ipſo quod *pro nobis ſatisfecit*, contuliſſe nobis *quid imitaremur*; nimirum ut alii pro aliis ejus exemplo *ſatisfaciamus.* Nam eum, qui *pro pœna* alterius temporali *ſatisfacit*, conſtat Chriſtum imitari, quatenus is pro ſuorum *culpa*, & æternis *pœnis* in cruce *ſatisfecit.* Neque enim, qui *imitatur*, eum neceſſe eſt plane idem cum eo facere, quem *imitatur.* Satis eſt ſi ſimile aliquid in eodem genere fecerit. Et ipſi adverſarii Martyras pro aliorum pœnis *ſatisfacientes* Chriſtum in eo, quod *pro nobis ſatisfecit*, uſque adeo imitari volunt, ut (quod ſupra audivimus) nos *alios pro aliis ſatisfacere* debere ex eo ipſo argumententur, quod Paulus nos Chriſtum imitari jubet. Itaque cum Auguſtinus contra pronuntiet *nihil hic nobis* (in ſatisfactionis ſcilicet negotio) *contuliſſe Chriſtum quid imitaremur*; neceſſario concludendum eſt minime eum exiſtimaſſe fideles *alios pro aliis* ullo modo *ſatisfacere* vel *poſſe*, vel *debere*. *Eph. 5.*

Auguſtino Leo ſuccinit; cujus hæc ſunt verba, & quidem duobus diverſis locis ab eo ſcripta; *Quantumvis multorum* Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors *fuerit, nullius tamen inſontis occiſio* propitiatio *fuit* mundi. *Acceperunt juſti, non dederunt coronas; & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit; cum inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati.* Facundiſſimus locus, & in rem, quam agimus, diſertiſſimus. Bellarminus ad conſuetas artes confugit. Ac primo quidem, quod dicit Leo *nullius inſontis occiſionem propitiationem fuiſſe mundi*, veriſſimum eſſe ait; neque ſe *paſſionibus ſanctorum adſcribere, ut mundum reconcilient Deo, ſed ut eos, qui jam de mundo per Chriſtum educti, & Deo Patri reconciliati ſunt, juvent, & à reatu pœnæ temporalis, ſi quo forte ad-* *Ep. 83. & ſerm. 12. de paſſ.* *l. 2. de ind. c. 4. in init.*

 huc

hunc tenentur obſtricti, facilius liberentur. Quid audio, vos Sanctis hoc tantum tribuere, *ut fideles juvent, quo temporalibus pœnis, ſiquarum reatu adhuc tenentur, facilius liberentur?* Atqui diſerte docetis, & veſtras, & Martyrum paſſiones *pœnæ* illius reatum, & quidem *ex condigno*, *expiare.* Quin tu ipſe ſupra ex hoc eodem Leone *oratione*, quæ multo, quam paſſio, levior eſt, *propitiationem Dei quæri* contendebas, & ex Auguſtino *per eleemoſynas de peccatis præteritis propitiandum eſſe Deum* diſputabas; & tui in ſolenni omnium Sanctorum feſto Deum rogant, ut *ſibi deſideratam ſuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiatur.* Ergo, niſi tibi ipſi contradicere velis, propriumque dogma deſerere, fateri neceſſario debes ea opera, quibus pro temporalibus peccati *pœnis ſatisfit*, Deum ei, pro quo ſatisfit, *propitiare*; ejus adeo *propitiationem eſſe.* Itaque ſi, quod defendis, verum eſt cruentas Sanctorum mortes pro aliorum pœnis *ex condigno* ſatisfacere; vides non poſſe te ſubterfugere, quin & aliquorum *occiſio* eorum *propitiatio* ſit, quibus ea applicatur. Atqui Leo pronuntiat *nullius inſontis occiſionem propitiationem fuiſſe mundi.* Tu ergo Leoni evidentiſſime contradicis; quicquid de illa *noſtri cum Deo reconciliatione* ſentias, quam tu hic callide pro ea, de qua quæritur, *propitiatione*, nobis obtrudis. Quod vero de *mundo* excipis vos non id Sanctis adſcribere, ut *mundum propitient*; ſed *ut eos, qui jam de mundo per Chriſtum educti ſunt, juvent*; inanis eſt argutia. Nam neque cum Chriſti mors *mundi propitiatio* dicitur, id ita accipiendum eſt, quaſi iis Chriſtus Deum *propitium, ac placatum* reddiderit, qui in *mundo* per incredulitatem manent: ſed ſic, ut intelligatur *ſatisfactionis* à Chriſto in cruce præſtitæ ea eſſe vis, ut ſiquis de mundo per Euangelii fidem exeat, huic Deus Chriſti beneficio propitius, & placatus futurus ſit, cumque eo non aliter acturus, quam ſi nunquam peccaſſet. Iam ſi quod vultis, verum eſt etiam Sanctos pro peccatorum noſtrorum pœnis morte ſua ex condigno *ſatisfeciſſe*; apparet eodem quoque ſenſu, eademque ratione eorum mortes *mundi propitiationem* eſſe; ſic nimirum, ut Deum *placatum*, & *propitium* reddant, non quidem iis, qui in *mundo* increduli, & impœnitentes manent; (quod ne Chriſtus quidem ulli præſtat;) ſed iis tamen, qui de *mundo* per fidem egreſſi peccatis ſuis nonnihil offenſæ adverſus Deum contraxerant; pœnas adeo aliquas commeriti erant. Ex quibus efficitur Leonem, cum is exſerte & abſolute neget, *cujuſquam Sancti occiſionem mundi propitiationem fuiſſe*, veſtrum de Sanctorum pro alienis pœnis *ſatisfactione* dogma penitus neſciviſſe. Quod etiam ex iis apparet, quæ ille continuo ſubjicit, *accepiſſe*

juſtos

juſtos coronas, non dediſſe, & de fortitudine fidelium nata eſſe exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. Nam tametſi adverſarii, (quod ait Bellarminus) merita, quibus *præmia*, & *coronæ* reſpondent, per Sanctorum *ſatisfactiones* haberi minime doceant; non poſſunt tamen iidem negare, quin Sancti iis, pro quorum pœnis *ſatisfeciſſe* finguntur, aliquo modo *coronas dediſſe* dici poſſint, quibus nimirum eam impunitatem compararunt, ſine qua coronas non fuiſſent accepturi. Sed hoc quidem minus urgeo. Illa vero, quæ ſequuntur, palmaria ſunt; *De fortitudine fidelium* (inquit Leo) *nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ.* Iam hoc ipſum, quod *exempla patientiæ donis juſtitiæ* in hoc negotio opponit, demonſtrat eum non alium nos ex Sanctorum fortitudine, & paſſionibus fructum percipere putaſſe, quam quod egregiis patientiæ in certaminibus ab iis præſtitæ exemplis ad pietatem, & patientiam ipſi quoque accendimur, atque effingimur. Si enim eos crediſſet præter illa, quæ nobis morientes ſubminiſtrarunt, *patientiæ exempla*, *ſatisfactiones* inſuper pro delictorum noſtrorum pœnis contuliſſe; non ſola *patientiæ exempla*, ſed *ſatisfactionum* quoque emolumenta, atque præſidia ex eorum fortitudine nata eſſe dixiſſet. Sed & iſtas ſatisfactiones diſerte excludit, dum negat ex *fidelium fortitudine* naſci *dona juſtitiæ*; quod plane falſum eſt, ſi Sancti *pro nobis patiendo* apud Dei juſtitiam effecerunt, ut nobis deliquiſſe impune ſit. Quod enim *juſtitiæ donum* Bellarminus de more ad *juſtificationem impii* referri vult, fruſtra eſt. Vniverſe negat Leo nos *dona juſtitiæ* à Sanctorum paſſionibus, & *fortitudine* habere. Habebimus autem ab iis aliqua *juſtitiæ dona*, ſi verum eſt de eorum pro nobis *ſatisfactione* dogma. Ea enim *impunitas*, quæ condigna *ultricis juſtitiæ ſatisfactione* comparatur, ipſa quoque *juſtitiæ donum eſt.* Nam qui, quam meritus erat, pœnam *ex condigno* compenſavit, eum dimitti, atque pœna liberari juſtum eſt, neque citra injuſtitiam *pœnæ* ſubjici poteſt. Cum igitur, ſi adverſariis credimus, Sancti temporales pœnas delictis noſtris debitas moriendo pro nobis luerint, noſque iis adeo morte ſua ex jure liberaverint; profecto ex iſtorum dogmate clarum eſt *de Sanctorum fortitudine*, non *exempla* modo *patientiæ*, quod ait Leo, ſed etiam, quod negat, *dona juſtitiæ nata eſſe.* Eodem quoque pertinent verba ſequentia, *Singulares quippe illorum mortes fuere; nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit.* Quid potuit dici clarius? Sancti, ſi adverſarios quidem audis, *ſuo fine*, id eſt morte ſua, temporalis pœnæ debitum pro nobis *ſolverunt.* Si vero Leoni credis, eorum nemo *alterius debitum ſuo fine perſolvit.* Qui moriendo pro temporalibus alterius pœnis *ex condigno ſatisfacit,*

facit, is *alterius debitum ſuo fine perſolvit.* Id apud adverſarios certum, & confeſſum eſt. Aſſume jam ex Leone; At nullus *Sanctorum alterius debitum ſuo fine perſolvit.* Ex quibus vel pueri hoc intelligunt ſequi; Ergo *nullus Sanctorum pro temporalibus alterius pœnis moriendo ſatisfacit.* Videat nunc Bellarminus qua fide, quave fronte negaverit ullum ſuorum id unquam negaſſe. Videat, quid ad hæc faciant, quæ ipſe de morte dixit; *qua quiſque dum fungitur, proprium* (inquit) *debitum ſolvit, quod in Adamo contraxit.* Quorſum hæc? Non enim contendimus ſignificaſſe Leonem Sanctos paſſionum ſuarum merito minime effeciſſe, ne alii aliqui moriantur; quod omnino dictu abſurdum eſt; & ſi hic ſenſus locum haberet, ne ipſe quidem Chriſtus morte ſua aliorum *debitum perſolviſſe* dici poſſet; quippe qui minime effecerit, ne nos de ſæculo moriendo diſcedamus. Longe aliud ait Leo, *Neminem alterius debitum fine ſuo perſolvere.* Iam dic quæſo, Bellarmine; Eſtne *temporalis peccati pœna* ullum fidelium, qui peccarunt, *debitum?* Si negas, de dogmate quod defendis, actum eſt. Neque enim fideles, ſi pœnam temporalem non *debent*, ea, quod tu vis, *tenentur.* Si ais, ergo velis nolis, tibi fatendum eſt Leonem, quod nos volumus, ſenſiſſe, neminem Sanctorum pro *pœna* cujuſquam *alterius temporali* moriendo *ſatisfeciſſe*; quippe qui negat ullum eorum *debitum alterius ſuo fine perſolviſſe.* Sed & mox tu te ipſum tuo, quod ajunt, gladio jugulas. Deum enim explicas, quo modo nos Chriſtus morte ſua à debito mortis, tametſi moriamur, liberaverit; *ſiquidem* (inquit) *mortis debitum, non erat ſolum, ut moreremur, ſed ut in morte perpetuo maneremus: Chriſtus autem id nobis morte ſua contulit, ut licet ad tempus moriamur, tamen ad vitam revocati perpetuo cum ipſo vivamus.* Iam vide, annon plane ad hoc exemplum dici poſſit Sanctos quoque *debitum* noſtrum, *licet moriamur, perſolviſſe*; ſiquidem *debitum noſtrum, non erat ſolum, ut moreremur, ſed ut mortui* in *purgatorio* diuturno igne cruciaremur; Sancti autem id nobis morte ſua contulerunt, ut *licet moriamur*, tamen in cœlum continuo evocati ſtatim *cum Domino*, & cum ipſis vivamus. Itaque quemadmodum quod morimur minime prohibet, quo minus Chriſtus *debitum noſtrum morte ſua ſolviſſe* veriſſime dicatur; ita neque idem impediet, quominus Sancti (ſi pro temporalibus illis delictorum noſtrorum *pœnis* in *purgatorio* luendis *ex condigno* ſatisfecerunt,) *debitum* alienum, id eſt noſtrum, *fine ſuo perſolviſſe* vere quoque dici & poſſint, & debeant. Atqui negat Leo vel Sanctos, vel ullum omnino alium mortalem *alterius debitum ſuo fine perſolvere.* Pariter ergo negaſſe cenſendus eſt quemquam eorum pro aliorum fidelium ullis pœnis *ſatisfeciſſe.* Atque

que id ipſum poſtremo conficiunt ultima Leonini illius loci verba; *Cum unus* (inquit) *exſtiterit Dominus Chriſtus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam reſuſcitati.* Hæc enim egregie confirmant, atque explicant id, quod paulo ante dixerat, *Sanctorum mortes ſingulares fuiſſe*; quod in iis nimirum nemo alius vel *mortuus* fuerit, vel *reſuſcitatus*; ſive, quod eodem redit, quod Sancti omnes ſibi ipſis, non autem ullis aliis *mortui* fuerint. Hanc enim unius Dominicæ mortis eſſe prærogativam, ut *ſingularis* non fuerit; quippe quæ omnibus impenſa eſt, adeo ut in ipſo *omnes* fideles quodammodo *mortui*, ac *ſepulti* dici poſſint; quatenus ſcilicet eorum peccata, & ſupplicia Chriſtus moriendo luit. Nam id in alio feciſſe, aut paſſi eſſe dicimur, quod ille noſtro nomine, ac loco fecit, vel paſſus eſt; ita ut perinde habeamur, atque cenſeamur, ac ſi id revera ipſi feciſſemus, vel paſſi eſſemus. Iam vero ſi, quod volunt adverſarii, martyres moriendo pro delictis noſtris *ſatisfecerunt*, ii loco, ac nomine noſtro paſſi ſunt, adeoque nos in iis, non ſecus, ac in Chriſto, quodammodo paſſi ſumus, & mortui. Qui enim pro alio vere *ſatisfacit*, is illius, pro quo *ſatisfacit*, nomine ac loco ea ſive patitur, ſive gerit, quibus illa *ſatisfactio* continetur. Quod ſi in Sanctis *paſſi*, *crucifixi*, & *mortui* ſumus; ergo non fuerunt eorum *mortes ſingulares*. Atqui Leo affirmat *ſingulares* fuiſſe. Ergo neque nos, neque ullos alios in iis *mortuos*, vel *paſſos* fuiſſe ſenſit; neque adeo, quod ex iſtis neceſſario conſequitur, Sanctos ullos pro nobis Deo *ſatisfeciſſe*. Fateor Leoni propoſitum fuiſſe in ea epiſtola, demonſtrare neceſſitatem veræ carnis in Chriſto adverſum hæreſim Eutychis; idque ex eo probare, quod neque Chriſtus ſine vera carne mori, neque nos aliter, quam ejus morte redimi, peccatiſque, & iis pœnis, quas meriti eramus, liberari poſſemus; Fateor ſolidiſſimam eſſe totam hanc Leonis ratiocinationem. Eo fieri, ut Sanctos morte ſua pro alienis ſive peccatis, ſive pœnis *ſatisfeciſſe* non negaverit, vellem ut Bellarminus demonſtraret; neque in iſtis, quæ ad rem nihil faciunt, narrandis tempus inutiliter extraheret. Quod vero tandem ait Leonem *palam affirmaſſe, poſſe unumquemque ſuis operibus Deo ſatisfacere pro reatu pœnæ temporalis*; neque verum eſt, neque, ſi verum eſſet, quicquam efficeret. Nam etiamſi aliquis pro ſe *ſatisfacere* poſſit, non ideo tamen conſequens eſt, ut idem pro alio etiam *ſatisfacere ex jure* queat. Nam cum ſons quilibet pro ſuo crimine *pœnam* quam meretur, puta flagellationem, aut furcam ferendo *ſatisfacere* poſſit; non tamen ſinunt jura, & judices, ut unus pro alio virgis cædatur, vel ſuſpendatur. Neque hoc conclu-

di

di ex caritatis vinculo, & ſanctorum communione jam antea in priore parte oſtendimus. Sed & immane mendacium eſt, quod iſte Leonem ait *palam affirmare poſſe unumquemque ſuis operibus ſatisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis*. Nuſquam hoc *affirmat* Leo, neque *palam*, neque *occulte*; neque *clare*, neque *obſcure*; neque poſſum ſatis mirari iſtam Bellarmini verecundiam, qui rem falſiſſimam adeo confidenter aſſeverat. Nam neque Leonem, neque ullum alium veterem ſcriptorem hæc iſtorum de *pœnæ temporalis reatu condigna ſatisfactione expiando* myſteria docuiſſe, vel ſciviſſe, nunc quidem ex ſuperioribus ſatis conſtat; in quibus cum luculente explicata fuerint quatuor illa loca, quæ ex Leonis ſermone de jejunio decimi menſis [1], & ex epiſtolis ſeptuageſima nona [2], nonageſima prima [3], & nonageſima ſecunda, Bellarminus hic obiter ad erroris ſui patrocinium, intento digito indicavit; non eſt quod in iis immoremur.

[1] vid. ſupr. c.9. ante. & c.12. in.
[2] vid. ſupr. cap. 6. in.
[3] vid. ſupr. c.4. §. Denique.

Atque ita Dei gratia, inſtitutum opus peregi; ex quo clare, niſi fallor, intelligi poteſt adverſariorum de fidelium pœnis, & ſatisfactionibus *dogma, neque in divinis Scripturis, neque in primitivæ Eccleſiæ monumentis ullum habere firmum, ac ſolidum fundamentum; id adeo ex humani ingenii, partim errore, atque hallucinatione, partim etiam fraude exortum; multiplicique Scholaſticorum hominum induſtria paulatim elucubratum, atque (ut ſic dicam) expolitum, & effigiatum in eam tandem formam coaluiſſe, quæ magno noſtro dolore hodie in Romanæ Eccleſiæ uſu, atque praxi viſitur. Faxit Deus, ut miſſis hominum &* ſatisfactionibus*, &* traditionibus*, uno Chriſto contenti, ac beati, omnem ex ejus theſauris ſalutem, ſcientiamque, & fidem noſtram hauriamus, eoque & in hoc ſæculo ad conſolationem, & in futuro ad glorioſam immortalitatem fruamur. Amen.*

FINIS.

10-2-3